IUS REGULARE

QUO REGITUR SOCIETAS IESU

IURIS REGULARIS

TUM COMMUNIS TUM PARTICULARIS

QUO REGITUR SOCIETAS IESU

DECLARATIO

CANONES E CODICE IURIS CANONICI

AFTER PAGE 1159

AUCTORE

EDUARDO FINE S. I.



PRATI

EX OFFICINA LIBRARIA GIACHETTI, FILII ET SOC.

1909

Property of
CIgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library
55989

Venit apud P. Procuratorem generalem

Facultatem concedimus ut opus, cui titulus: *Iuris regularis, tum communis tum particularis, quo regitur Societas Iesu, declaratio, auctore* P. Eduardo Fine, S. I., typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

Romae, die 6 Iunii 1909.

Franciscus Xav. Wernz
Praep. Gen. Soc. Iesu.

(L. S.)

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi, Ord. Praed., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Joseph Ceppetelli, Patr. Constant., Vicesgerens.

IMPRIMATUR

Prati, die 30 Iunii 1909, Can. Aemidius Lumini, Vic. Gen.

PROOEMIUM

1. Ius commune Regularium. — 2. Decreta, Declarationes et Decisiones SS. Congregationum. — 3. Ius speciale cuiuscumque Ordinis. — 4. Institutum Societatis Iesu: eius approbatio. — 5. Praecipua Documenta quae in opere citantur. — 6. Praecipui Auctores quorum sententiae referuntur. — 7. Divisio capitum in duas sectiones.

1. Regulares omnesque personae religiosae Iure ecclesiastico reguntur. In Iure autem, praeter leges quae omnes fideles aut clerum solum obligant, aliae sunt pro religiosis specialiter latae, vel pro omnibus, vel pro aliqua eorum classe, v. g., pro monachis, pro mendicantibus, pro Regularibus stricte dictis, pro religiosis votorum simplicium.

Ius commune Regularium his omnibus legibus constituitur quae pro ipsis latae sunt. Documenta, quibus continentur, sunt:

1. Corpus Iuris, sc. Decretum Gratiani, Decretales, Extravagantes, cum Clementinis.

2. Constitutiones Summorum Pontificum.

3. Decreta Conciliorum generalium, maxime Synodi Tridentinae, quae sessione XXV, in 22 capitibus, de Regularibus ex professo tractat.

4. SS. Romanarum Congregationum decreta, declarationes et decisiones. — De istis aliquid magis enucleate est dicendum. Primo, distinguenda sunt decreta Congregationum generalia, et earumdem resolutiones seu decisiones particulares.

2. Decreta generalia, declarationes et resolutiones SS. Congregationum.

Decreta generalia non feruntur nisi vel ex Summi Pontificis mandato vel cum eius speciali approbatione; exinde vim legis accipiunt [a], postquam tamen fuerint legitime promulgata.

His generalibus decretis proxime accedunt **Declarationes** legis iam existentis. Ex eis, aliae sunt generales et dantur pro omnibus, aliae diriguntur ad aliquam personam et sunt res-

---

2. (a) Congregationibus enim potestas legifera non communicatur, nec videtur communicari posse ita ut earum decreta vim legis per se habeant, nisi accedat specialis R. P. approbatio (WERNZ, t. I, n. 92; SUAREZ, *de Legibus*, l. IV, c. 6, n. 22).

ponsiones ad eius instantiam factae. Declarationes generales vim legis universalis habent: eas enim, sicut decreta generalia, Congregationes non edunt nisi ex praevia Romani Pontificis auctoritate aut cum specifica ipsius confirmatione. Declarationes ad personas particulares datae, ratione modi quo dantur, sunt quidem decisiones particulares; sed ratione materiae, sunt universales: declarant enim sensum legis de se universalis.

Quod si quaeratur an, data declaratione huiusmodi, vel generali, vel ad personas quasdam directa, lex fiat obligatoria pro omnibus in sensu sic declarato: respondetur, distinguendo declarationes quae sunt comprehensivae ab iis quae sunt extensivae; ubi vero sunt comprehensivae, rursus inspiciendo utrum sint declarativae legis in se satis clarae, an legis dubiae, ita ut Doctores ipsi in lege interpretanda dividantur; aliis verbis, utrum agatur de lege cuius interpretatio doctrinalis sit dubia apud Doctores, necne.

Si declaratio est extensiva, aequivalet novae legi et consequenter, ut omnes obliget, indiget approbatione R. P. et promulgatione; proinde declaratio extensiva, ad personas particulares directa, istas solummodo obligat, saltem quia promulgatione caret.

Quando declaratio est tantum comprehensiva, scilicet indicat quisnam sit verus sensus legis: tunc, si lex erat iam clara, post declarationem omnes obligat in sensu declarato, sine ulla nova approbatione R. P. aut promulgatione: nam lex iam per se ante omnem declarationem hanc vim habebat, et declaratio solummodo tollit dubia subiectiva sive quaerentis, sive aliorum qui similia haberent.

Si autem declaratio comprehensiva legem in se obscuram explicat, tunc declaratio huiusmodi, nisi promulgetur, non omnes obligat, sed eos tantum ad quos dirigitur. Ratio est, quia lex ante declarationem non habebat vim obligandi in sensu postea declarato: hic sensus enim erat obiective dubius; porro lex dubia non obligat. Declaratio autem non potuit ei dare vim legis universalis in sensu declarato: ad hoc enim ei defuit promulgatio; defuit etiam auctoritas: nam Congregationes non habent vim legiferam. Cf. WERNZ, t. I, nn. 145 et 146, III; et etiam n. 99, *nota* 54, n. 400, *nota* 66; — S. LIG., *de Legibus*, n. 106(b).

(b) Nihilominus declarationes istae negligi non debent. « Decreta particularia SS. Congregationum, quae interpretationem Iuris communis dubii

Resolutiones seu decisiones particulares comprehendunt tum responsiones ad dubia proposita, tum sententias iudiciales in causis SS. Congregationibus delatis. In hoc differunt a declarationibus, etiam ad instantiam alicuius factis, quod declarationes sensum legis universalis explicant; per resolutiones autem vel lex ad casus particulares applicatur, vel conceditur dispensatio aut privilegium, vel etiam approbatur aut improbatur aliquis usus particularis.

Resolutiones particulares non obligant nisi hos quibus datae sunt. Nam in his resolutionibus Congregatio utitur sola potestate iudiciaria vel administrativa, non legifera; attamen lucem afferunt ad solvendos casus similes; imo, per repetitas in eodem sensu sententias statuitur *stylus Curiae*, quem imprudenter quivis negligeret (c). — Contra, ex una aut altera decisione data, sive ad alicuius personae quaesita, sive in iudiciis, argumentum pro casibus similibus cum cautela sumendum est. Nam saepe hae decisiones dantur propter circstantias particulares, quae non exprimuntur, aut etiam quia aliquando SS. Congregationes, « pro sua potestate administrandi et exsequendi, iuris tramite non servato, potius secundum aequum et bonum rem componunt » (Wernz, t. I, n. 146, I). Ex hac duplici ratione evenit ut non raro, in quaestionibus controversis, contrariae decisiones ab utraque sententia afferantur. — Simili modo, responsiones gratiosae particularibus factae non concedunt aliis ius eadem gratia utendi; v. g., si, instante aliqua persona, consuetudo quaedam toleretur vel privilegium concedatur: non propterea alii consuetudine vel privilegio uti possunt, praeter eos pro quibus fuerunt impetrata.

3. Ius speciale cuiuslibet Ordinis. — Constituitur: 1° Summorum Pontificum Constitutionibus (seu diplomatis), indultis,

---

et obscuri, non meram declarationem legis clarae continent, sane magnam habent auctoritatem, et non solum ut interpretationes doctrinales, sed etiam tamquam vere authenticae, personas obligant quibus data sunt; attamen supremum gradum auctoritatis, id est legum universalium non attingunt, nisi universae Ecclesiae promulgentur, aut iteratis declarationibus transeant in *stylum Curiae* aut in praxim et disciplinam communiter vigentem » (Wernz, t. I, n. 146, III).

(c) « Illud facile concedi potest, ex repetitis decisionibus iudicialibus SS. Congregationum posse oriri usum forensem in tribunalibus atque *stylum Curiae*, qui vim legis habeat » (Wernz, t. I, n. 146, II; vide notam praecedentem).

vivae vocis oraculis, necnon SS. Congregationum decretis, concessionibus, aut decisionibus, quae singulos Ordines specialiter respiciunt; — 2° Ipsius Ordinis constitutionibus seu regulis a SS. Pontificibus approbatis, sive approbatio in forma specifica data fuerit, sive in forma communi; necnon statutis Capitulorum generalium (seu decretis Congregationum generalium): Capitula generalia enim communiter donata sunt potestate legifera (vide c. XXI, n. 2) eorumque decreta in antecessum in forma communi approbantur.

Duplex diversa *confirmatio vel approbatio* alicui statuto a S. Sede dari potest: una in forma communi, altera in forma specifica. « Confirmatio in forma specifica fieri dicitur, ait BENEDICTUS XIV (*de Synodo*, l. XIII, c. V, n. 11), cum ei praemittitur causae cognitio, et singula statuta diligenter expenduntur, ac deinde, nulla adiecta conditione, auctoritate Apostolica, cum clausula *motu proprio, ex certa scientia*, confirmantur. In forma communi confirmari dicuntur statuta, quae non singulatim examinantur, neque approbantur a Pontifice motu proprio et ex certa scientia, atque Apostolicae auctoritatis robur illis non adiicitur absolute, sed solum conditionate (sive conditio exprimatur, sive non): si iuste, canonice aut provide facta sint, et dummodo SS. Canonibus, Tridentini Concilii decretis et Constitutionibus Apostolicis non adversentur ».

Quoad effectum utriusque confirmationis, ita ab eodem Pontifice exprimitur: « Statuto confirmato in forma specifica, cum naturam induerit legis pontificiae, nulli inferiorum iam fas est derogare: statutum vero confirmatum in forma communi integrum est statuentibus delere atque ab illius obligatione aliquem solvere ». Aliis verbis, constitutiones aliaque statuta Ordinis in forma specifica approbata, iam ab ipso Ordine mutari non possunt; confirmata autem tantum forma communi, ab ipso Ordine sine recursu ad S. Pontificem mutari possunt[a]. Et ratio est quia, per approbationem in forma com-

---

3. (a) Ita in Ordinibus proprie dictis. In NORMIS a. 1901 (vide infra 5, 11°) dicitur e contra, regulas aut constitutiones Institutorum votorum simplicium, a S. Congregatione approbatas, non iam amplius sine recursu ad S. Sedem mutari posse: « Capitulo fas est Constitutiones a S. Sede approbatas modificare vel authentice interpretari, nisi accedente confirmatione eiusdem S. Sedis » (art. 251). Quoad valorem harum Normarum pro Institutis iam approbatis, vide quae dicuntur infra, n. 5, *nota* e.

muni constitutiones aut statuta non induerunt naturam legis pontificiae.

Ius speciale alicuius Ordinis est vel *contra,* vel *praeter* ius commune. Est contra, quando derogatur Iuri communi in favorem Ordinis, et hoc est privilegium; est praeter ius commune, quando determinantur normae particulares quibus Ordo regitur, ubi Ius commune tacet: v. gr., iure speciali determinantur finis Instituti, mediaque quibus illum prosequitur, conditiones admissionis, novitiatus duratio, etc.

Clarum est, Ordines religiosos non posse propria auctoritate condere statuta Iuri communi ac legibus pontificiis contraria.

Quando autem, et quomodo, per novas leges ecclesiasticas, seu per Constitutiones pontificias ac decreta SS. Congregationum derogetur constitutionibus et statutis Ordinis aut eius privilegiis, explicabitur c. XV, nn. 9 et seqq., ubi de revocatione privilegiorum.

4. Constitutiones Societatis pluries fuerunt a SS. Pontificibus approbatae. Primo, duplex *Instituti Formula* fuit approbata in forma specifica a Paulo III, C. *Regiminis* (1540), et a Iulio III, C. *Exposcit debitum* (1550).

Paulus III, Const. *Iniunctum* (1544), facultatem dedit Constitutiones condendi, conditas mutandi; et quae facta fuerint, in antecessum approvit[a]. Deinde alii Pontifices has approbationes pluries renovarunt in multis Constitutionibus (cf. c. 1, n. 23).

Praeter hanc generalem Constitutionum et Congregationum decretorum approbationem, multa specialia Instituti statuta fuerunt in forma specifica approbata. Has omnes approbationes confirmavit et innovavit Leo XIII, Br. *Dolemus* (1886).

Ex generalibus approbationibus illud habemus: Constitutiones S. Patris Ignatii, decreta Congregationum generalium, et ordinationes a legitima auctoritate latas[b] constituere verum

---

4. (a) « Quod quascumque inter eos Constitutiones particulares.... condere, et tam hactenus factas quam in posterum faciendas Constitutiones ipsas mutare, alterare, seu in totum cassare, et alias de novo condere possint et valeant, quae postquam mutatae, alteratae vel de novo conditae fuerint, eo ipso Apostolica auctoritate praefata confirmatae censeantur, eadem Apostolica auctoritate de speciali gratia indulgemus ».

(b) De potestate legifera in Societate, quibus competat, et quaenam sit eius vis, dicetur c. XXI, n. 26.

ius speciale Societatis: non tantum ius privatum, ut inter quoslibet et in quacumque hominum societate ex mutua conventione oriri potest, sed ius auctoritate Ecclesiae sancitum. Ex approbationibus vero in forma specifica datis sequitur omnia, quae his approbationibus fulciuntur, etiam ius speciale Societatis constituere, sed ita ut simul sint ius pontificium, et proinde ea iam auctoritati Societatis non subiaceant.

5. Praecipua Documenta in praesenti opere citanda, in quibus ius Regularium commune ac ius speciale Societatis continentur, sunt:

1. Corpus Iuris, scilicet Decretum Gratiani, Decretales, Extravagantes, Clementinae.
2. Concilii Tridentini decreta.
3. Bullarium Romanum (citabitur ex editione Taurinensi).
4. Bullarium Benedicti xiv.
5. Posteriora Acta SS. Pontificum.
6. Bullarium Societatis, et Compendium Privilegiorum (Institutum Soc. Iesu, Florentiae, 1892, t. i).
7. Collectanea S. Congregationis Episcoporum et Regularium, Auctore Bizzarri[a].
8. Collectanea S. Congregationis de Propaganda Fide[b].
9. Decreta authentica S. Congregationis Rituum[c].
10. Thesaurus Resolutionum S. Congregationis Concilii[d].
11. Acta Sanctae Sedis.
12. Normae, « secundum quas S. Congregatio Episcoporum et Regularium procedere solet in approbandis novis Institutis votorum simplicium », editae d. 28 *iun.* 1901[e]. Citabuntur sic: *Normae* a. 1901.

---

5. (a) Duae sunt editiones, alia anni 1864, altera anni 1885. Citationes fient ex prima editione.

(b) Prima editio quae in opere citabitur, est anni 1893. Anno 1907, nova editio praelo data est.

(c) Notissima est antiqua *Gardelini* editio eorumdem decretorum.

(d) Continet resolutiones S. C. C. ab anno 1700 (cf. Wernz, t. i, n. 270). Resolutiones anteriores non inveniuntur nisi apud AA. et ut ab eis referuntur: non sunt igitur authenticae. Nihilominus, si dantur ab AA. fide dignis, maxime ab his, qui Acta manuscripta Congregationis prae manibus habuerunt, ut Fagnanus, Pignatelli, Lambertini, tuto admitti possunt.

(e) Hae *Normae* (in 4°, pp. 59, Typogr. de Prop. Fide) 325 articulos breves continent. — Declaratur initio: « In sequentibus Normis de Sororibus

13. Constitutiones Societatis Iesu, Examen generale, Decreta Congregationum, Regulae et Ordinationes (t. II et III Instituti Soc. Iesu, Florentiae, 1893).

6. Auctores autem quatuor praecipue citabuntur, in quibus ampla et accurata invenitur documentorum indicatio, atque scriptorum allegatio qui singulas quaestiones tractaverunt. Ex his igitur quatuor Auctoribus, quicumque aliquam quaestionem penitius ventilare voluerit, fontes et Doctorum loca habebit :

1. F. X. Wernz, S. I., *Ius Decretalium*, maxime tom. III (a. 1901), titul. XXIV, *de Ordinibus religiosis* [a].

2. F. Piatus (ex Ordine Capucinorum), *Praelectiones Iuris regularis*, editio altera, 1896, 2 vol.

3. L. Ferraris, Bibliotheca Canonica.

4. Vermeersch, S. I., *De religiosis Institutis et personis Tractatus canonicus-moralis*, 1902, 2 vol., [b] cum supplementis periodicis.

Praeter hos Auctores maxime citabuntur:

S. Thomas, *Summa Theologica*. — Suarez, *de Religione*, tractatus VII-X [c]. — De Lugo, *de Iure et Iustitia*, et *Responsa moralia*. — Schmalzgrueber, maxime titulus *de Regularibus*, l. III, t. 35. — Benedictus XIV, *de Synodo dioecesana*. — S. Alphonsus de Ligorio, *Theologia moralis*. — Ballerini, *Opus*

---

quidem potissimum sermo est : ea autem quae de ipsis dicuntur, etiam religiosis viris applicantur, paucis (quae enumerantur) exceptis ». Hae Normae nullam vim obligandi habent ; exprimunt tantummodo modum procedendi S. Congr. EE. et RR., eiusque mentem ac praxim, a qua in futurum non facile recedet. — Vermeersch, t. II, *Supplem.* XI, totam huius documenti rationem evolvit.

6. (a) Quando citabitur Wernz, n..., semper intelligendum erit citari hunc titulum XXIV voluminis III. Si quando citabitur alius locus, tomus et titulus indicabuntur.

(b) In secundo volumine collecta sunt praecipua documenta in singulas quaestiones ; est magnae utilitatis. Index chronologicus dat immediate documentum, si cognoscitur a quo Pontifice aut quo anno fuerit editum. — Addita sunt deinde alia volumina, cum titulo : Supplementa et Monumenta periodica.

(c) *Tractatus* VII : de obligationibus quae statum religiosum constituunt vel ad eum disponunt. — *Tract.* VIII : De obligationibus religiosorum ex regula, praelatione vel subiectione regulari provenientibus. — *Tract.* IX : De varietate Religionum. — *Tract.* X : De Religione Societatis Iesu.

theologicum morale, a Palmieri editum et annotatum [d]. — I. Besson, *Compendium Instituti Societatis Iesu*, a Patre H. Ramière prius editum. — Ferrari, *De statu religioso commentarium*, ad usum praesertim Clericorum regularium S. Pauli, Romae 1899. — Prümmer, O. P., *Manuale Iuris ecclesiastici*, tom. II, *Ius Regularium speciale*, 1907.

7. Pleraque operis capita duabus sectionibus constant. In prima sectione declaratur Ius commune circa Ordines religiosos: in secunda, ius speciale Societatis. In hac traduntur sive Iuris communis derogationes, quibus ex privilegiis propriis Societas utitur, sive specialia Societatis statuta, quae non sunt contra, sed praeter ius commune.

In prima sectione, ut plurimum exponitur ius Regularium stricte dictorum non autem ius Institutorum votorum simplicium; quamvis non raro etiam referantur documenta quae ad ista Instituta spectant. Illis quidem statutis Religiones stricte dictae non obligantur: saepe nihilominus ex eis cognoscitur mens S. Sedis vel praxis SS. Congregationum circa quaestiones quae etiam ad Religiones strictas pertinent, et ideo eorum cognitio utilis evadit.

(d) In Tomo IV, tractatus IX est de Regularibus. Citabitur Ball.-Palm., n.... Talis citatio semper vol. IV et tr. IX indicabit. Si aliquando citandus erit alius locus, volumen et pagina indicabuntur. Citationes referuntur ad editionem a. 1891, pro vol. IV.

CONSPECTUS OPERIS

PARS I.

De statu religioso et ingressu in Religionem.

CAPUT I. De statu religioso in genere.
CAPUT II. Impedimenta ad statum religiosum.
CAPUT III. Requisita ad ingressum in Religionem.
CAPUT IV. Novitiatus.
CAPUT V. Professio religiosa.

PARS II.

De Religiosorum obligationibus.

CAPUT VI. Obligatio tendendi ad perfectionem. Regularum observatio.
CAPUT VII. Obligatio perseverandi. De egressu e Religione.
CAPUT VIII. Vota religiosa. De voto paupertatis ex Iure communi.
CAPUT IX. Votum paupertatis in Societate Iesu.
CAPUT X. Vota castitatis et obedientiae, aliaque vota.
CAPUT XI. Obligationes ex legibus Ecclesiae circa vitam religiosam.
CAPUT XII. Obligationes quae religiosis Societatis Iesu ex eius Instituto proveniunt.

PARS III.

De iuribus et privilegiis Regularium.

CAPUT XIII. De erectione domus religiosae.
CAPUT XIV. Privilegia canonis, fori et immunitatis.
CAPUT XV. Privilegia in genere.
CAPUT XVI. Exemptio. De his in quibus Regulares Episcopis subiacent.

PARS IV.

Regulares quoad ministeria spiritualia.

CAPUT XVII. Habilitas Regularium ad munia ecclesiastica. Illorum ordinatio.
CAPUT XVIII. De praedicatione. De Eucharistia.
CAPUT XIX. De Poenitentia aliisque sacramentis. De funeribus. Missiones.
CAPUT XX. Variae facultates Regularibus concessae circa ministeria.

PARS V.

De regimine Ordinum religiosorum.

CAPUT XXI. Superiorum potestas et obligationes.
CAPUT XXII. Capitula seu Congregationes. De electionibus.
CAPUT XXIII. De iudiciis Regularium.
CAPUT XXIV. Poenae quibus Regulares subiacent.

PARS I.

DE STATU RELIGIOSO ET DE INGRESSU IN RELIGIONEM

CAPUT I.

DE STATU RELIGIOSO IN GENERE

Sectio I. — 1. Prima idaea status religiosi. — 2. Est status perfectionis acquirendae. — 3. Requiritur 1° consiliorum evangelicorum observatio. — 4. Tria sunt consilia evangelica, paupertas, castitas, obedientia. — 5. Requiritur 2° ut observatio consiliorum votis et quidem perpetuis firmetur. — 6. Haec vota debent esse externa, et nomine Dei acceptata. — 7. Requiritur 3° approbatio Ecclesiae. — 8. Notio historica de hac approbatione Ecclesiae. — 9. Praesens disciplina circa hanc approbationem. — 10. Requiritur 4°, ex jure positivo, vita communis. — 11. De traditione in professione religiosa contenta. — 12. Distinctior definitio status religiosi. — 13. An solemnitas votorum sit statui religioso essentialis. — 14. Ordines stricte dicti regularium, congregationes, instituta religiosa, pia instituta. — 15. Tria vota sunt simul aut singula solemnia, aut simplicia. — 16. Traditio debet esse absoluta a parte voventis: acceptatio a religione potest esse conditionata. — 17. Romanus Pontifex est supremus omnium ordinum superior. — 18. Quisnam est auctor vitae religiosae? — 19. De variis ordinibus religiosis, et rationibus diversis quibus distinguuntur. — Ordines contemplativi, activi, mixti. — Ordines eremitici et coenobitici. — Ordines clericales, et laicales seu monachales. — Ordines arctiores et laxiores; observantes et non observantes. — 20. Ordines mendicantes et non mendicantes. — 21. Ordines hierarchice ordinati, et non ordinati. — Ordines exempti et non exempti. — 22. De regula et constitutionibus.

Sectio II. — 23. Societas Jesu est vera et stricte dicta Religio. — Variae eius approbationes. — 24. Omnes eius personae, post vota biennii, sunt religiosi stricte dicti. — 25. Societas est exempta. — 26. Societas est ordo clericorum regularium. — 27. Societas est ordo mendicans, et omnes eius sodales sunt mendicantes. — 28. Constitutionum approbatio. — 29. Finis secundarius Societatis, et praecipua media quibus utitur. — 30. Societas est Religio mixta.

SECTIO I.

1. Prima status religiosi idaea. — Status religiosus dicit particularem statum vitae christianae, in quo Deus perfectius colitur. Hanc idaeam ingerit vox *Religiosus*. Religio enim virtus est qua Deo debitus cultus et servitium tribuuntur. Omnes quidem homines cultui et servitio Dei ipsa natura sua obligantur; christiani autem per baptismum ad cultum

Dei secundum ritum religionis christianae deputantur: sed intra ipsam religionem christianam, aliqui se divino cultui et servitio strictiori lege, supra id quod omnibus praecipitur, sese libere mancipant. Hi religiosi antonomastice vocantur, et eorum ratio vitae Status religiosus audit.

2. Ab hac status religiosi notione re non differt alia, qua **status religiosus dicitur status perfectionis** [a]; intelligi autem debet status perfectionis acquirendae, non jam acquisitae.

Ut haec notio evolvatur, duo sunt explicanda; primum, quid sit perfectio; secundum, in quo consistat status perfectionis acquirendae. Haec est autem summa doctrinae S. THOMAE (2. 2ae q. 184 et 186):

Primo. Perfectio hominis essentialiter consistit in charitate, et consequenter in observatione praeceptorum. Etenim « in hoc perfectio hominis consistit quod totaliter inhaereat Deo ». Deus enim est finis hominis. « Unumquodque autem dicitur esse perfectum, in quantum attingit proprium finem, qui est ultima rei perfectio. Sed charitas est quae unit nos Deo. Et ideo secundum charitatem specialiter attenditur perfectio christianae vitae » (q. 184, a. 1).

Sed charitas esse non potest sine observatione praeceptorum: praecepta enim versantur circa ea quae sunt charitati contraria, ut removeantur. Ergo perfectio consequenter etiam in observatione praeceptorum consistit [b].

Secundo. Notat S. THOMAS quod praeceptum charitatis non fit secundum aliquam mensuram, ita ut id quod est intra mensuram pertineat ad statum communem, et id quod est supra mensuram pertineat ad statum perfectionis. Hoc, ait,

---

2. (a) S. THOMAS sic demonstrat has duas notiones re convenire: « In hoc perfectio hominis consistit quod totaliter Deo inhaereat; quoniam (autem) religiosi antonomastice dicuntur illi qui se totaliter mancipant divino servitio, quasi holocaustum Deo offerentes, ideo secundum hoc Religio perfectionis statum nominat » (2, 2ae, q. 186, a. 1. — cf. ib. ad 2). — Vide SUAREZ, tr. VII, l. II, c. 1, n. 2, 3.

(b) « Per se quidem et essentialiter perfectio christianae vitae consistit in charitate, principaliter quidem secundum dilectionem Dei, secundario autem secundum dilectionem proximi, de quibus dantur praecepta principalia divinae legis.... Et sic patet quod perfectio essentialiter consistit in praeceptis.... Nam praecepta alia a praeceptis charitatis ordinantur ad removendum ea quae sunt charitati contraria, cum quibus scilicet charitas esse non potest » (q. 184, a. 3).

patet ex forma praecepti charitatis, quae perfectionem demonstrat: Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo. Ratio autem est quia charitas versatur circa finem hominis: « in fine autem non adhibetur aliqua mensura, sed solum in his quae sunt ad finem » (q. 184, a. 3).

Unde sequitur, quod aliquis status non dicitur esse status perfectionis ex eo quod ii qui sunt in eo teneantur ad aliquem specialem gradum perfectionis charitatis, qui non sit omnibus communis, aut ad strictiorem praeceptorum observationem: omnes enim ad hoc aequaliter obligantur (c); sed in aliquo alio invenitur perfectio requisita.

3. Ad statum perfectionis requiritur 1° observatio consiliorum. — Hoc est *tertium* punctum doctrinae S. Doctoris; et sic probat. Praeter ea quae contrariantur charitati (et haec praeceptis prohibentur), dantur alia quae sunt impedimenta charitatis, quin tamen ei sint contraria. Ad removenda haec impedimenta Christus aliqua media proposuit. Circa ea non dedit praeceptum, quia non sunt media necessaria, ac sine eis perfecta charitas et observatio praeceptorum haberi possunt; sed dedit consilium, quia haec media juvant ad perfectionem charitatis, removendo impedimenta (a).

(c) Ex hac doctrina exsurgit difficultas, quam sic proponit et solvit S. Doctor (q. 184, a. 3, ad 2): « Si perfectio christianae vitae consistat in praeceptis, sequitur quod perfectio sit de necessitate salutis et quod omnes ad eam teneantur; nam ad observantiam praeceptorum omnes tenentur ». — Respondet: « Cum id quod cadit sub praecepto diversimode possit impleri, non efficitur transgressor praecepti aliquis ex hoc quod non optimo modo implet, sed sufficit quod quocumque modo impleat illud. Perfectio autem divinae dilectionis universaliter quidem cadit sub praecepto, sed transgressionem praecepti evadit qui quocumque modo perfectionem divinae dilectionis attingit. Est autem infimus dilectionis gradus, ut nihil supra eum, aut contra eum, aut aequaliter ei diligatur; a quo gradu perfectionis qui deficit, nullo modo implet praeceptum.... Non est autem transgressor praecepti qui non attingit ad supremum aut ad medios perfectionis gradus, dummodo attingat ad infimum ».

3. (a) « Dicendum quod perfectio dicitur in aliquo consistere dupliciter: uno modo per se et essentialiter, alio modo secundario et accidentaliter. Per se quidem et essentialiter consistit perfectio christianae vitae in charitate;... secundario autem et instrumentaliter perfectio consistit in consiliis: quae omnia, sicut et praecepta, ordinantur ad charitatem; sed aliter et aliter. Nam praecepta alia a praecepto charitatis ordinantur ad removendum ea quae sunt charitati contraria, cum quibus

Quoniam autem status perfectionis non invenitur in obligatione ad specialem gradum charitatis, aut ad strictiorem praeceptorum observantiam, remanet ut inveniatur in obligatione ad consilia. Eo ipso enim quod consilia removent impedimenta charitatis, optime status perfectionis acquirendae in obligatione ad consilia statuitur.

Quarto. Quaeri potest quid exercitium virtutum conferat ad perfectionem, et proinde an perfectio non sit reponenda in aliquo excellentiori exercitio omnium virtutum.

Duo respondet S. Thomas: primum, perfectionem hominis essentialiter consistere in conjunctione cum Deo, fine suo ultimo, quae conjunctio fit per charitatem, et ideo in perfectione plus esse attendendum ad charitatem quam ad caeteras virtutes (b). Secundo respondet exercitium virtutum quando non cadit sub praeceptum, sed fit ex superabundantia, esse potius fructum charitatis quam medium ad eam (c). Unde sequi-

---

scilicet charitas esse non potest; consilia autem ordinantur ad removendum impedimenta actus charitatis, quae tamen charitati non contrariantur, sicut est matrimonium, occupatio negotiorum saecularium, et alia hujusmodi » (q. 184, a. 3).

(b) Q. 184, a. 1, ad 2. Difficultas erat praecise quod ex quadam Apostoli ad omnes virtutes hortatione consequi videatur quod « perfectio christianae vitae non solum attenditur secundum charitatem, sed etiam secundum alias virtutes ». — Respondet: « Dupliciter potest aliquis dici perfectus: uno modo simpliciter, quae quidem perfectio attenditur secundum id quod pertinet ad ipsam rei naturam; alio modo dicitur aliquid perfectum secundum quid, quae quidem perfectio attenditur secundum aliquid exterius adiacens. Vita autem christiana specialiter in charitate consistit, per quam anima Deo coniungitur. Et ideo secundum charitatem attenditur simpliciter perfectio christianae vitae; sed secundum alias virtutes, secundum quid. Et quia id, quod est simpliciter, est principalissimum et maximum respectu aliorum, inde est quod perfectio charitatis est principalissima respectu perfectionis, quae attenditur secundum alias virtutes ». — Non negat ergo exercitium aliarum virtutum ad perfectionem vitae christianae pertinere, sed eam multo magis in perfectione charitatis consistere affirmat.

(c) Q. 186, a. 2. « Ad perfectionem aliquid pertinet tripliciter: uno modo *essentialiter;* et sic ad perfectionem pertinet perfecta observantia praeceptorum. Alio modo aliquid ad perfectionem pertinet *consequenter,* sicut illa quae consequuntur ex perfectione charitatis: quae etsi secundum praeparationem animi sint in praecepto, ut scilicet impleantur quando necessitas requirit, tamen ex superabundantia charitatis procedit quod etiam praeter necessitatem quandoque talia impleantur. Tertio modo pertinet aliquid ad perfectionem *instrumentaliter* et *dispositive,* sicut pau-

tur statum perfectionis acquirendae non esse reponendum in aliquo excellentiori exercitio virtutum, sed in observatione consiliorum, quae removent impedimenta charitatis.

Ergo tota doctrina haec S. Thomae sic breviter proponi potest:

Perfectio consistit essentialiter in charitate et consequenter in observantia praeceptorum, sine qua non est charitas; consistit instrumentaliter et dispositive in observantia consiliorum, per quae removentur impedimenta charitatis; consistit etiam in actibus omnium virtutum per aliquam redundantiam, quia qui possidet charitatem, eam actibus virtutum manifestat. Obligatio specialis religiosorum non cadit super perfectionem charitatis et observantiam praeceptorum, quia charitas et praecepta omnibus sine limite praecipiuntur, nec super speciale virtutum exercitium; sed super consilia, tanquam super media quibus removentur impedimenta charitatis.

Per obligationem ad consilia, statuitur religiosus in statu perfectionis acquirendae. Ideo status religiosus dicitur ab eodem S. Doctore « quaedam disciplina et exercitium » per quod ad perfectionem charitatis pervenitur (q. 186, a. 2). Est disciplina, quatenus per regulas religiosus docetur quaenam sit via qua ad perfectionem charitatis ascenditur; est exercitium quia per observantiam regularum exercitatur in ipsa charitate et in eius impedimentis tollendis [d].

4. Tria sunt consilia a Christo Domino nostro tanquam media perfectionis proposita, et in vita religiosa speciali obligatione adhibita, scilicet paupertas, castitas perfecta et obedientia: paupertas, qua removetur cura bonorum temporalium seu, ut loquitur Christus, spinae divitiarum (Matt. XIII, 22); castitas, qua homo matrimonio renuntians liber remanet ad ea quae sunt divini servitii, iuxta illud Apostoli (1 Cor. VII, 32, 33): « Qui sine uxore est, sollicitus est quae Domini sunt, quomodo placeat Deo; qui autem cum uxore est, sollicitus est quae sunt mundi, et quomodo placeat uxori et divisus est »; obedientia, qua homo propriae voluntati renuntiat, ut divinae voluntati totum se dedat, iuxta exemplum Christi, qui

---

pertas, continentia, abstinentia et alia huiusmodi. Dictum est autem quod ipsa perfectio charitatis est finis status religiosi ».

(d) Q. 186, a. 1, ad 4.

non venit ut faceret voluntatem suam, sed voluntatem Patris, et factus est obediens usque ad mortem.

Haec autem consilia in Evangelio clare continentur (Matt. XIX, 16-22, et loca parallela Marci X, 17-27, et Lucae XVIII, 18-27). Adolescens petit a Christo Domino nostro: « Magister bone, quid boni faciam ut habeam vitam aeternam »? Cui Christus: « Si vis ad vitam ingredi, serva mandata », et quae sint explicat; tunc adolescens: « Omnia haec custodivi a inventute mea; quid adhuc mihi deest? »; respondet Christus: « Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo, et veni, sequere me ».

Hic Christus docet quae sit via perfectionis, in oppositione ad viam communem, qua comparatur vita aeterna: via communis in observantia mandatorum consistit; via perfectionis in observantia aliquorum consiliorum. Porro, primo hic apertissime consulitur paupertas, nec obscure ultimis verbis, *veni, sequere me*, obedientia: nemo enim Christum sequi potest nisi propriam deserat voluntatem [a]. Consilium autem castitatis in eodem capite Matthaei (XIX, 10, 11) clare exprimitur: Christus indissolubilitatem matrimonii proclamat, et obiicientibus apostolis: « Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere », respondet: « Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi qui de matris utero sic nati sunt, et sunt eunuchi qui facti sunt ab hominibus, et sunt eunuchi qui se ipsos castraverunt propter regnum caelorum. Qui potest capere, capiat ». Quibus verbis laudatur virginitas ex motivo virtutis suscepta et fit invitatio ad ipsam [b].

Quapropter constans et perpetua traditio ab Ecclesiae pri-

---

4. (a) S. THOMAS, 2.2ae, q.186, a. 8, ad 1: « Dicendum quod consilium obedientiae includitur in ipsa Christi sequela. Qui enim obedit, sequitur alterius voluntatem ». — Aliqui consilium obedièntiae probare volunt ex Matthaeo XVI, 24: « Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me »; sed perperam hunc locum afferunt. Nam in loco parallelo Lucae IX, 23 haec verba Christus dicit omnibus, et in eis abnegationem ad salutem necessariam inculcat, non specialem voluntatis abnegationem quae sit de mero consilio.

(b) Cf. etiam Matth. XIX, 27-29 et loca parallela Marci et Lucae: « Omnis qui reliquerit domum vel fratres aut sorores, aut patrem aut matrem aut uxorem aut filios aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit ». — Cf. etiam apud Lucam IX, 57-62 triplicem invitationem ad vitam perfectam perpetuo sectandam.

mordiis haec tria tanquam consilia perfectionis a Christo accepta semper habuit (c), et Innocentius III eadem ceu vitae religiosae essentialia pronuntiavit his verbis: « Abdicatio proprietatis sicut custodia castitatis adeo est adnexa regulae monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere» (C. *Cum ad monasterium, 6, de Statu monachorum*, III, 35), et Ioannes XXII: « Religio perimitur, si a meritoria subditi obedientia subtrahantur. Magna quidem paupertas sed maior integritas, bonum est obedientia maximum, si custodiatur illaesa. Nam prima rebus, secunda carni, tertia vero menti dominatur et animo, quos velut effrenes et liberos ditioni alterius humilis iugo propriae voluntatis adstringit (C. *Quorumdam*, 1, *de verborum significatione*, XIV, in Extrav. Ioan. XXII — in fine). Ideo hanc trium consiliorum evangelicorum observantiam esse ad statum religiosum essentialem tradunt communiter DD. cum S. Thoma (2. 2ae, q. 186, a. 7).

Cur autem Christus Dominus haec tria paupertatis, castitatis et obedientiae consilia specialiter proposuerit, cum negari non debeat alia esse media ad perfectionem consequendam, v. g. orationem, ieiunium, austeritates, etc.: huic quaestioni merito respondetur: 1° quia per haec tria consilia evangelica tolluntur tria praecipua impedimenta, quibus homo ab exercitio perfectionis amovetur et sollicitudinibus saeculi implicatur; haec impedimenta ex triplici concupiscentia exsurgunt, concupiscentia oculorum, concupiscentia carnis et superbia vitae, et sunt divitiae, voluptates carnales et independentia voluntatis ; tolluntur autem per paupertatem, castitatem et obedientiam. — 2° Quia per observantiam trium consiliorum religiosus bona fortunae, bona corporis et bona etiam animi, scilicet proprium iudicium et voluntatem sacrificans, sese in holocaustum Deo offert eiusque divino servitio totus mancipatur. Ita S. Thom. (2. 2ae, q. 186, a. 7).

Sed ulterius quaeri potest cur Christus his consiliis contentus alia non praescripserit. Respondet S. Doctor (ib. art. 2, ad 3): « Quaedam consilia sunt, quae si praetermitterentur, tota vita hominis implicaretur negotiis saecularibus, puta, si quis haberet proprium vel matrimonio uteretur vel aliquid huiusmodi faceret quod pertinet ad essentialia vota religionis; et ideo ad omnia talia consilia observanda religiosi

(c) Vide Vermeersch, t. II, Supplem. I ; Montalembert, *les Moines d'occident*, t. I.

tenentur. Sunt autem quaedam consilia de quibusdam melioribus particularibus actibus, quae praetermitti possunt absque hoc quod vita hominis saecularibus actibus implicetur; unde non oportet quod ad omnia talia religiosi teneantur» (d).

Concludendum est igitur statum religiosum essentialiter in observantia consiliorum evangelicorum consistere. Haec est prima eius nota essentialis (e).

5. Requiritur 2° ut ad haec consilia religiosus votis, et quidem perpetuis sese obliget. — Votorum necessitas ex notione status exsurgit: status enim dicit quamdam firmitatem et stabilitatem in ratione vitae (a); oportet ergo ut a mutabili hominis voluntate non pendeat, verum adsit vinculum morale seu obligatio qua homo ad hanc vitae rationem devinciatur. Obligatio autem aut ab extrinseco per legem vel per praeceptum imponitur, aut ab intrinseco sponte per promissionem assumitur. Repugnat autem rationi consiliorum ut ab extrinseco imponantur: iam enim non consilia sed praecepta essent. Remanet ergo ut haec obligatio per liberam promissionem assumatur, et quidem per promissionem Deo factam, seu per votum: tum quia promissio homini facta, cum ab accipiente semper relaxari possit, non daret statui religioso requisitam firmitatem; tum quia haec obligatio, quemadmodum est religiosa ratione finis propter quem assumitur, sc. maioris Dei

---

(d) SUAREZ, tr. VII, l. II, c. 2.

(e) Notat etiam S. THOMAS quod omnes aliae observantiae diversarum religionum ad tria praedicta consilia ordinantur. Nam observantiae quae directe ordinantur ad dilectionem Dei et proximi, v. g. oratio, ministeria apostolica, opera misericordiae, comprehenduntur sub voto obedientiae. Ad has observantias aliquis se obligat, quando ingreditur Religionem, quae eas vel ut finem secundarium vel ut media specialia adhibet; et ideo non est necessarium ut ad eas per votum specialem obligationem suscipiat (q. 186, a. 7, ad 2). Verum quidem est observantias quae ad paupertatem et castitatem pertinent, comprehendi etiam sub voto obedientiae; sed fuit specialis ratio cur obligatio paupertatis et castitatis expresse per vota susciperetur, scilicet quia per paupertatem et castitatem duabus praecipuis hominis passionibus occurritur (ibid. ad 3).

5. (a) Firmitas in statu perfectionis requisita non obscure ab ipso Christo D. N. requiritur, quando discipulis perfectionem sectari volentibus proponit ut eunuchi fiant propter regnum Dei, ut omnia sua vendant ad sequendum ipsum, quando prohibet ne quis manum ad aratrum mittens respiciat retro. Hoc argumentum perbelle evolvit S. Bernardinus Senensis (apud PIAT, I, pp. 22-23).

servitii, sic expedit ut sit religiosa ratione principii. Oportet ergo ut homo Deo ipsi per promissionem ei factam, scilicet per votum, obligetur (b).

Eadem firmitatis necessitas, sine qua *status* non haberetur, exigit ut vota sint *perpetua*. Ecclesia quidem praesenti disciplina approbat aliqua instituta religiosa in quibus vota temporalia tantum emittuntur. Per haec vota, maxime si ad tempus sat diuturnum fiunt, aliqua firmitas habetur, et inconstantiae naturali hominis murus aliquis opponitur; ratio *status* ergo aliquo modo per haec vota temporalia habetur, sed imperfecta. Ad perfectam rationem status religiosi vota perpetua requiruntur (c).

(b) SUAREZ, tract. VII, l. II, c. 3. — Tota haec argumentatio probat quidem ad strictam rationem status religiosi vota requiri; non ideo tamen negandum est alias societates divino addictas servitio inveniri posse, in quibus vota non emittantur et efficaciter tamen sodales ad perfectionem promoveantur. Sed his societatibus, licet optimae esse possint ratione efficaciae qua ad perfectionem sodales promovent, aliquid ratione firmitatis status deest: propterea Ecclesia eas ut *pia Instituta* quidem habet, non autem ut vera *Instituta religiosa,* in quibus scilicet *status religiosus* suscipitur (WERNZ, t. III, n. 591 et 593, III).

(c) Iuvat hic ea referre quae, ad vindicandam excellentiam vitae religiosae et votorum Religionis contra dicteria Americanismi scribebat LEO XIII ad Card. Gibbons (Litt. *Testem benevolentiae,* 22 *ian.* 1899): « Ex quo virtutum evangelicarum veluti contemptu, quae perperam passivae appellantur, pronum erat sequi ut religiosae etiam vitae despectus sensim per animos pervaderet. Atque id novarum opinionum fautoribus commune esse coniicimus ex eorum sententiis quibusdam circa vota quae Ordines religiosi nuncupant. Aiunt enim illa ab ingenio aetatis nostrae dissidere plurimum, utpote quae humanae libertatis fines coerceant, esseque ad infirmos animos magis quam ad fortes apta, nec admodum valere ad christianam perfectionem humanaeque consociationis bonum, quin potius utrique rei obstare atque officere. Verum haec quam falso dicantur, ex usu doctrinaque Ecclesiae facile patet, cui religiosum vivendi genus maxime semper probatum est. Nec sane immerito. Nam qui a Deo vocati illud sponte sua amplectantur non contenti communibus praeceptorum officiis, in evangelica euntes consilia, Christo se milites strenuos paratosque ostendunt. Hocne debilium esse animorum putabimus? Aut ad perfectiorem vitae modum inutile aut noxium? Qui ita se votorum religione obstringunt, adeo sunt a libertatis iactura remoti, ut multo pleniore ac nobiliore fruantur, ea nempe qua Christus nos liberavit (Galat. IV, 31). Quod autem addunt, religiosam vivendi rationem aut non omnino aut parum Ecclesiae iuvandae esse, praeterquam

6. Praeterea vota religiosa debent esse externa et nomine Dei acceptata ab aliquo qui hanc potestatem habeat. — Debent esse *externa ;* quia per ea homo in statu religioso constituitur. Porro status dicit externam hominis conditionem. Ideo necesse est ut status religiosus sit in Ecclesia aliqua vitae ratio externa. visibilis, ad quam proinde homo actu externo admittatur [a].

Vota debent insuper esse *nomine Dei acceptata.* Vota, ubi ab aliquo etiam secreto emittuntur, a Deo acceptari censentur; secus enim nullam inducerent obligationem, quemadmodum quaelibet alia promissio homini facta, donec acceptetur, nondum obligat et revocari potest. Haec acceptatio voti a Deo merito supponitur: votum enim est de bono meliori; porro « haec est voluntas Dei, sanctificatio nostra » ; ergo quidquid est melius et perfectius, si illud homo Deo promittit, merito ab eo approbari et acceptari reputatur.

Inde fit ut si quis, aut secreto aut etiam externe, sed quin aliquis ea acceptet, vota paupertatis, castitatis et obedientiae emittat, negari non debeat eum in statu quodam perfectionis versari: a fortiori idem dicendum est si plures conveniant ad vivendum in communi secundum aliquam regulam honestam, et tribus votis perpetuis paupertatis, castitatis et obedientiae

---

quod religiosis Ordinibus invidiosum est, nemo unus certe sentiet, qui Ecclesiae annales evolverit.... Nec discrimen est laudis, inter eos qui actuosum vitae genus sequuntur, atque illos qui recessu delectati orando afflictandoque corpori vacant. Quam hi etiam praeclare de hominum societate meruerint, ac mereant, ii norunt profecto qui, quid ad placandum conciliandumque numen possit deprecatio iusti assidua (Iac. v, 16.) minime ignorant, ea maxime quae cum afflictione corporis coniuncta est. Si qui igitur hoc magis adamant, nullo votorum vinculo in coetum unum coalescere, quod malint faxint, nec novum id nec improbabile institutum; caveant tamen ne illud prae religiosis ordinibus extollant. Quin potius, quum modo ad fruendum voluptatibus proclivius quam ante sit hominum genus, longe pluris hi sunt habendi, qui relictis omnibus sequuti sunt Christum ».

6. (a) Ad haec S. Thomas, 2. 2ae, q. 184, a. 4; notat inter homines statum servitutis aut libertatis non acquiri nisi contrahatur obligatio aut detur absolutio ab obligatione contracta; sed hoc non sufficere: « requiritur quod obligatio praedicta cum aliqua solemnitate fiat.... Sic ergo in statu perfectionis proprie dicitur aliquis esse non ex hoc quod habet actum dilectionis perfectae, sed ex hoc quod obligat se perpetuo cum aliqua solemnitate ad ea quae sunt perfectionis ».

externe emissis sese obligent ; et multo magis si haec regula et vota iuxta eam facta approbata fuerint ab Ecclesia. Si tamen nemo fuit ab illa deputatus, qui haec vota suo nomine accipiat, nondum habetur status religiosus proprie dictus seu congregatio religiosa, sed tantum pia sodalitas ; status quasi iuridicus non acquiritur.

Ita decrevit S. Cong. EE. et RR. decreto 11 *aug.* 1889 a S. Pontifice approbato et confirmato, in quo differentia, sin minus unica saltem praecipua, quae notatur inter Congregationem religiosam et piam sodalitatem, ea assignatur, quod in sodalitate pia, vota, si quae fiant, privata censeantur, non publica, nec nomine Ecclesiae a legitimo superiore acceptata (b).

Nota. Haec tria vota perpetua paupertatis, castitatis et obedientiae *substantialia* vocantur, scilicet ad essentiam status religiosi pertinent. His quidem alia superaddi possunt, ut fit in nonnullis Religionibus, v. g. in Religione SS. Trinitatis pro redemptione captivorum, in religione Minimorum, in Societate Iesu : sed haec vota adduntur propter finem aliquem particularem, et non sunt constitutiva vitae religiosae. Imo « in praesens S. Sedes non admittit ut in novis Institutis alia vota emittantur praeter tria consueta, nam caetera in voto obedientiae comprehenduntur ». Ita Normae a. 1901 (art. 102).

(b) In decreti prooemio perhibetur nostris temporibus formatas fuisse non tantum veras Congregationes religiosas, sed etiam pias societates, quae consilia evangelica sequerentur et, non secus ac verae religiosae Congregationes, a Sede Apostolica laudatae fuerint, atque suorum statutorum approbationem obtinuerint ; cum autem de earum natura disceptari coeptum esset, causam de mandato S. Pontificis S. Congregationis EE. et RR. examini commissam fuisse. « Porro in plenaria congregatione, Emi Patres decreverunt : Sacra Congr., quando laudat vel approbat huiusmodi Instituta (etiam sub expresso Congregationum nomine) ea intendit laudare et approbare non quidem uti Religiones formales votorum solemnium, neque etiam ut formales seu veras religiosas Congregationes votorum simplicium, sed tantum uti pias sodalitates, in quibus, praeter alia quae iuxta hodiernam Ecclesiae disciplinam desiderantur, nec religiosa professio proprie dicta emittitur, sed vota, si quae fiant, privata censentur, non publica nomine Ecclesiae a legitimo superiore accepta.... Hoc autem decretum Sanctitas Sua ratum habuit ac confirmavit ». — Nota haec verba « etiam sub expresso Congregationum nomine » hic posita esse, quia antequam fieret accurata distinctio, quae nunc fit, inter Congregationes et pias sodalitates, denominatio Congregationis his sodalitatibus piis aliquando data fuerat.

7. Ad statum religiosum requiritur 3° approbatio Ecclesiae. — Necessitas huius approbationis ex supradictis, de necessaria votorum acceptatione a legitimo superiore nomine Ecclesiae, iam habetur. Sed ratio huius approbationis magis explicite proponi potest: Christus Ecclesiae suae commisit quidquid pertinet ad vitam supernaturalem ducendam cultumque divinum ordinandum; ipsi commisit ut omnes doceret, omnes pasceret: inde fit, ut nulla societas particularis ad colendum Deum ac perfectionem sectandam institui possit, quin ab Ecclesia saltem tacite approbetur. Hoc omnino requirit auctoritas Ecclesiae divinitus collata et consequens subiectio hominum circa omnia quae ad religionem spectant, et huius providentiae ordo erat omnino necessarius ne errores aut abusus in cultum divinum irreperent. Ecclesiae igitur ius competit cognoscendi de genere vitae religiosae suorum filiorum, et consequenter prohibendi tum ne particulares societates religiosae absque sua approbatione instituantur, tum etiam ne quisquam ad quasdam speciales vitae formas, v. g. ad vitam eremiticam sese obliget: qua prohibitione posita, quicumque talem vitae formam instituerit, nedum in statu religioso seu perfectionis, potius in statu rebellionis inveniri dicendus esset (cf. Piat, t. I, pag. 16, qu. 1) [a].

Approbatio Ecclesiae varia esse potest. Si consideratur persona a qua conceditur, Episcopis relinqui potest, vel Sedi Apostolicae reservari; si forma sub qua datur, potest esse explicita aut tacita; si tempus in quo impetratur, potest praerequiri Instituti fundationi, aut ipsi iam existenti concedi.

8. Iam si historiam interrogamus, antiquae Religiones S. Antonii, S. Pachomii, S. Basilii, in Oriente, Religiones S. Augustini, Cassiani, S. Benedicti, S. Columbiani, in Occidente, non videntur, saltem in earum primordiis, fuisse auctoritate Apostolica confirmatae; imo ab Episcopis, in quorum dioecesibus institutae sunt aut diffusae, potius per tacitum consensum quam per positivam confirmationem, post earum institutionem approbatae inveniuntur [a].

Nihilominus iam C. Chalcedonense (451) can. 4 ad legitimam monasterii erectionem exigit assensum episcopi. Hic

---

7. (a) Suarez, *de Relig.* tract. VII, lib. II, c. 15, n. 6, 10 et sq.; — c. 16, n. 14.

8. (a) Idem, c. 15, n. 17; — c. 17, n. 9-13. — Wernz, n. 602.

assensus per plura saecula sufficiens habitus est. Si deinde a saeculo VI monasteria approbationem S. Sedis exquisierunt; ita agendo, eius protectionem, bonorum suorum ab ipsa confirmationem, variaque privilegia potius impetrare volebant, quam propriam rationis vitae approbationem petebant.

Sed ineunte saeculo XIII, INNOC. III. *in C. Lateranensi* IV (a. 1215) decrevit : « Ne nimia Religionum diversitas gravem in Ecclesia Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de coetero novam Religionem inveniat, sed quicumque ad Religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat » (c. 9. *de religiosis domibus*, III, 36). Hoc decretum confirmavit GREGOR. X *in C. Lugdunensi* II, a. 1274 (c. unico, *de Relig. dom.* in 6°, III, 17). « Cunctas Religiones et Ordines mendicantes post dictum concilium (sc. Lateranense IV) adinventos, qui nullam confirmationem Sedis Apostolicae meruerint, perpetuae prohibitioni subiicimus, et quatenus processerant revocamus » : et ideo, exceptis Ordinibus Praedicatorum et Minorum (« quos evidens ex eis utilitas Ecclesiae universali proveniens perhibet approbatos, necnon Eremitarum S. Augustini ac Carmelitarum Ordines, quorum institutio dictum concilium praecesserat ») caeteros ab a. 1215 erectos extinxit.

Haec disciplina adhuc vigens erat, quando instituta fuit Societas Iesu, ut historice constat ex difficultatibus quae eius approbationi ab aliquibus Cardinalibus allatae sunt [b]. Sed postea, dum inciperent multiplicari congregationes votorum simplicium, ab hac lege paulatim temperatum est et praxi inductum ut congregationes religiosae cum sola praevia Episcopi approbatione instituerentur.

9. Praesens disciplina circa approbationem. — Nunc, retenta pro Religionibus stricte dictis necessitate approbationis Apostolicae Sedis [a], pro congregationibus votorum simpli-

---

(b) Cf. BARTOLI, *Vita S. Ignatii*, l. III, c. 2; — RIBADENEIRA, l. II, c. 17.

9. (a) BENED. XIV. Const. *Quamvis iusto* (1749) § 13: « Si enim ad essentiam status vere religiosi requiritur ut Religio seu Ordo in huiusmodi statu Apostolicae Sedis confirmatione stabiliatur, iuxta canonicas sanctiones, de quibus in c. unico *de Relig. domibus*, in 6°.... ». His verbis BEN. XIV tanquam principium inconcussum necessitatem approbationis Apostolicae in praesenti disciplina, ut Religio proprie dicta instituatur, affirmat. Imo non sufficit quaelibet Sedis Apostolicae approbatio, ut Institutum seu Religio proprie dicta habeatur: sunt enim varii gradus approbationis; requiritur (ait Pontifex) ut approbetur expresse velut

cium haec viget disciplina. Dum Institutum ultra limites dioecesis, in qua primum fuit erectum, non studet sese extendere, non solet donari approbatione pontificia: sufficit illi approbatio Ordinarii. Si autem ultra dioecesis limites sese diffundit, nondum est ei necessaria approbatio S. Sedis, sed sufficit approbatio Ordinariorum locorum in quibus varias sedes ponit. Si vero Institutum huiusmodi S. Sedis approbationem petit, haec ei non conceditur, nisi postquam per aliquod tempus prius probatum fuerit [b].

Recentissime, *motu proprio* 19 *jul.* 1906, nova dispositio addita fuit, scilicet: « Nullus Episcopus aut cuiusvis loci Ordinarius, nisi habita Apostolicae Sedis per litteras licentia, novam alterutrius sexus sodalitatem condat, aut in sua dioecesi condi permittat ».

Approbatio Sedis Apostolicae, quae olim una vice plena concedebatur, praesenti disciplina non datur nisi diversis gradibus et post praeviam Episcoporum commendationem. Haec agendi ratio, paulatim usu et stylo curiae inducta, nunc in ius definitum transiit. Ita enim statuitur in Normis a. 1901 (art. 1-23).

Diversi gradus per quos approbatio completa conceditur, sunt: 1° laus finis et intentionis Instituti (quae fundatori aliquando, non semper datur) (art. 1-6); — 2° decretum laudis, quo Institutum fit iam aliquo modo iuris Pontificii (art. 2) (aliquando, raro tamen omittitur); — 3° decretum approbationis Instituti (art. 6); — 4° approbatio constitutionum per modum experimenti et ad tempus, v. g. ad triennium, quinquennium (art. 21): saepe autem, exhibitis S. Congregationi constitutionibus, prius super eas fiunt animadversiones, et differtur earum approbatio donec corrigantur, et correctae usu probentur (art. 20); — 5° definitiva approbatio (art. 20).

Approbatio Ecclesiae, prout nunc datur, duplici constat

Religio formalis. Cf. Piat, I, p. 18, q. 4, ubi rem probat variis exemplis et declarationibus.

(b) Haec omnia declarantur in Constitutione *Conditae* (1900), in qua nominatim dicitur (I parte n. 1): « Episcopi est quamlibet recens natam sodalitatem non prius in dioecesi recipere, quam leges eius constitutionesque cognovit itemque probavit ». Hac declaratione, praevia ordinationum approbatio facta est lex generalis (Cf. Wernz, nota 15 et n. 610). — In hac eadem constitutione aliquae cautelae praescriptae sunt, quibus tum Institutorum bono, tum Ordinariorum iuribus consulitur.

elemento: iudicio de honestate Instituti et constitutionum, et licentia facta illud inchoandi, socios aggregandi, ad vota post probationem admittendi, atque regendi (c).

Per facultatem Superioribus factam vota accipiendi, iam habetur authentica votorum cuiusque religiosi nomine Ecclesiae approbatio, quae, ut dictum est n. 6, omnino ad vitam religiosam requiritur.

S. Sedis approbatio non confert Instituto approbato plenam et proprie dictam ab ordinariis exemptionem: sed facit, 1° ut Institutum approbatum ab ordinariorum auctoritate eximatur circa ea quae in constitutionibus continentur; 2° ut constitutiones approbatae iam a nemine nisi ex auctoritate S. Sedis immutari possint; 3° ut solus Rom. Pont. a votis sive perpetuis sive temporalibus in eo emissis dispensari possit, nisi generalis facultas Superioribus fiat vota simplicia in actu dimissionis relaxandi (C. *Conditae,* 1900, 2ae pars).

10. Ex praesenti Ecclesiae disciplina ad statum religiosum requiritur 4° communis vivendi modus. — Haec conditio non est quidem ex natura rei requisita; vita anachoretica ad statum religiosum sufficere potest. Olim multi anachoretae veri religiosi fuerunt; nunc adhuc Regulares secularizati, electi, ad episcopatum aut cardinalatum promoti remanent religiosi quamvis communem vivendi modum non retineant (a). Verum nunc Ecclesia non admittit ut quis statum religiosum extra vitam coenobiticam assumat. Lex in *C. Lateranensi* IV lata fuit: « Quicumque ad religionem converti voluerit, unam ex approbatis assumat » (c. 9, *de relig. domibus,* III, 36), eaque tanquam regula firma ab hoc tempore remansit. Ratio huius legis sat est manifesta: nam in vita coenobitica, praeter alia commoda, multo perfectior habetur obedientia quam in vita eremitica (b).

(c) SUAREZ, tr. VII, l. II, c. 15, n. 11.

10. (a) De his c. VII dicetur.

(b) Attamen negari non debet sufficientem obedientiam religiosam etiam in vita eremitica haberi posse: exercebitur per subiectionem Episcopo, cui eremita non tantum, ut omnes fideles in his quae sub praecepto cadunt, sed vi voti etiam in his quae ad mera consilia evangelica spectant obedire tenetur. Vide VERMEERSCH, t. I, n. 16 et 17. — S. THOM. 2. 2ae, q. 186, a 5, ad 3. « Subiectio religiosorum *principaliter* attenditur ad Episcopos.... Unde ab Episcoporum obedientia nec eremitae nec etiam Praelati Religionum excusantur. Et si a dioecesanis Episcopis totaliter

Notandum est vitam eremiticam, quamvis rationem status religiosi ex positiva Ecclesiae dispositione iam non habeat, non esse tamen prohibitam (WERNZ, t. III, n. 590, III).

11. In vita religiosa habetur traditio religiosi Religioni quam amplectitur. — Haec traditio aliquo modo inchoatur per primum ingressum, sed completa existit per professionem. Per professionem enim religiosus Religioni in qua profitetur (et per eam Ecclesiae) se penitus dat, ut secundum regulam et constitutiones, sub Superiorum obedientia vitam suam instituat; professione a Superioribus nomine Ecclesiae acceptata, cessat esse sui iuris, transit sub ius Praelati, et iam ad cultum divinum, non ex privata devotione tantum sed ex publica Ecclesiae auctoritate, ut persona sacra deputatur.

Traditio est quid a voto obedientiae in Religione facto distinctum. Votum enim est promissio Deo facta, traditio autem non est promissio sed donatio; non fit immediate Deo, sed Religioni. Est ergo a voto religiosae obedientiae distincta, nihilominus ab ea inseparabilis (a).

Quoniam effectus huius traditionis est ut religiosus transeat sub ius praelati, inde sequitur quod praelatus iam possit irritare actus subditi qui iuri a se acquisito repugnarent (b); vicissim acceptatio talis traditionis Religionem religioso devincit, ita ut eius vitae tum materiali tum spirituali subsidia praebere teneatur, eum tanquam membrum eiusdem familiae habere debeat, cui per Superiores paterne provideat, nec possit illum pro lubitu eiicere.

Hae sunt igitur diversae notae quibus, sive ex natura rei sive ex positiva Ecclesiae institutione, status religiosus essentialiter constituitur.

12. Inde exurgit haec **distinctior status religiosi definitio:** status religiosus est firma ac stabilis vitae ratio, in qua

---

vel ex parte sunt exempti, obligantur tamen ad obediendum S. Pontifici, non solum in his quae sunt communia aliis, sed etiam in his quae specialiter pertinent ad disciplinam perfectionis ».

11. (a) De hac traditione vide WERNZ nota 13 et SUAREZIUM locis a Wernz citatis, maxime tr. VII, l. II, c. 4; — S. THOMAM, *Quodl.* III, a. 18. « Votum solemne habet promissionem cum quadam traditione.... Votum autem simplex habet promissionem sine traditione » (Votum simplex, sc. qui non sit religiosi Instituti). Vide etiam *Quodl.* VIII, a. 10 (apud PRÜMMER, q. 7, nota).

(b) De iure Superioris irritandi actus subditi, dicetur c. X, n. 15.

ad perfectionem acquirendam, per tria perpetua paupertatis, castitatis et obedientiae vota, sub certa regula et communi vivendi modo in Instituto ab Ecclesia approbato tenditur.

Quod si una ex his notis desit, v. g. si deficit unum ex tribus votis, aut eorum perpetuitas,... habetur quidem status vitae ad perfectionem utilis, imo pia sodalitas, quam etiam Ecclesia agnoscat, sed tale Institutum a vera status religiosi ratione est alienum[a].

13. Quaeri potest **an solemnitas votorum sit statui religioso essentialis**[a].

Olim, in fine seculi decimi sexti, acriter fuit ea de re disputatum, occasione votorum simplicium quae in Societate Iesu post biennium probationis emittuntur, necnon votorum coadiutorum tam spiritualium quam temporalium. Antea enim non agnoscebantur nisi Ordines, in quibus omnes religiosi vota solemnia emittebant, imo omnia vota religiosa solemnia habebantur, eo ipso quod erant religiosa [b]. Sed omnis controversia quoad religiosos Societatis Iesu dirempta est definitione Gregorii xiii, Constitutionibus *Quanto fructuosius* (1 *feb.* 1583) et *Ascendente Domino* (25 *maii* 1584). In hac ultima Constitutione Rom. Pont. postquam plura dixit ad confirmandum tum scholasticos tum coadiutores, solis votis simplicibus emissis, vere esse religiosos, tandem ad confringendam pervicaciam eorum qui non obstantibus praecedentibus declarationibus illud adhuc negabant, sic pergit: « Statuimus ac decernimus tria vota huiusmodi, etsi simplicia, ex huius Sedis institutione ac nostra etiam declaratione et confirmatione esse vere substantialia Religionis vota.... et non modo eos qui

---

12. (a) Cf. decretum *S. Congr. EE. et RR.* 11 *aug.* 1889, supra n. 6 (b).

13. (a) In quo consistat solemnitas votorum tractabitur c. viii, n. 2; hic sufficiat dicere alia vota haberi ab Ecclesia simplicia, alia solemnia, quibus maiorem firmitatem et speciales effectus attribuit. Sensus quaesiti est, utrum ad constituendum statum religiosum requirantur vota quae ab Ecclesia veluti solemnia habeantur, quaecumque demum sit huius solemnitatis ratio.

(b) Bonifacius viii, c. unico, *de voto et voti redemptione*, iii, 15, in 6°: « Praesentis declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solum votum debere dici solemne quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuit per susceptionem Sacri Ordinis, aut per professionem expressam vel tacitam, factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis ».

in coadiutorum formatorum sive spiritualium sive temporalium gradus et ministeria admittuntur, sed et scholares ipsos et supradictos alios omnes et quoscumque, qui in ipsam Societatem admissi, biennio probationis a quolibet eorum peracto, tria vota substantialia praedicta, tametsi simplicia, emiserint aut emittent in futurum, vere et proprie religiosos fuisse et esse et fore, et ubique semper et ab omnibus censeri et nominari debere, *non secus atque* ipsos tum Societatis tum quorumvis aliorum Ordinum professos ».

Ex qua declaratione habetur, aliquem posse esse vere et proprie religiosum cum solis votis simplicibus, et ideo vota solemnia non esse ad statum religiosum, etiam stricte dictum, necessaria, sed sufficere posse vota simplicia.

Hoc quamvis verissimum sit, attamen communiter per vota simplicia, quamvis aliquis fiat religiosus, non fit Regularis seu stricte dictus religiosus. Imo forte Societas Iesu sola est in qua emittentes vota simplicia sint proprie dicti Regulares. Hoc ex duplici facto concludendum videtur.

Primum, cum Pius IX professionem votorum simplicium post novitiatum in antiquis Ordinibus emitti voluit (quod fecit per decretum *Neminem,* 19 *mart.* 1857), totum negotium alicui congregationi EE. Cardinalium praeparandum commisit. Ibi ea quaestio agitata est, an hi professi votorum simplicium stricte religiosi dicendi essent; porro nec congregatio cardinalium, nec ipse Rom. Pont. quaestionem dirimere voluerunt (c).

(c) Sic rem refert Bizzarri pag. 802: « In generali conventu die 15 *iun.* 1856, penes S. Congr. super Statu Reg. disputatum est, an qui in Ordinibus religiosis votorum solemnium praemittere debent professionem votorum simplicium declarandi essent veri religiosi, vel tantum participes privilegiorum. Nonnulli ex Patribus primam partem propositionis probandam esse existimabant, quia agebatur de votis perpetuis ex parte voventis, utpote quae tendunt ad emittenda deinde vota solemnia, in quibus perfectionem et complementum accipient, prout locum habet in Societate Iesu. Alii vero autumabant communicationem tantum privilegiorum esse concedendam, cum non expediat privilegium singulare S. I. ad alios ordines extendere, ne novus status religionis contra vigentem Ecclesiae disciplinam generaliter constituatur. In hac sententiarum disparitate, Sanctissimus D. N. Pius PP. IX sequens probavit articulum, qui in declarationibus a memorata S. Congregatione datis (12 *iun.* 1858) sub n. 6° legitur: Professi dictorum votorum simplicium participes erunt omnium gratiarum et privilegiorum, quibus professi votorum solemnium in memorato Ordine legitime utuntur, fruuntur et gaudent ».

Alterum factum: Aliquot post annis, eadem quaestio rursus agitata fuit in S. Congr. EE. et RR., 16 *sept.* 1864, occasione duplicis quaesiti alicuius Congregationis sacerdotum, in qua vota simplicia tantum ab omnibus emittebantur: S. Congr. respondit sacerdotes emittentes haec vota simplicia non esse regulares, seu religiosos proprie dictos, et non expedire ut hoc per gratiam ipsis concederetur (d).

Ita Bizzarri. Unde apparet nec S. Congr. nec S. Pontificem hanc quaestionem voluisse dirimere, an qui in antiquis Religionibus professionem votorum simplicium emittunt vi decreti *Neminem*, stricte religiosi sint ac dici debeant necne, quamvis et ipsi ad Religionem stricte dictam pertineant.

(d) Refert Bizzarri (p. 796): « Moderator Generalis cuiusdam Congr. Presbyterorum (sc. SS. Redemptoris), quorum alumni vota simplicia perpetua profitentur, supplices preces S. C. EE. et RR. porrexerat, ut declararet professos in dicta Congregatione.... esse vere ac proprie dictos religiosos, ita ut ea Congregatio in statu vere religioso constituta habeatur, eiusque professi sint de clero regulari, quamvis vota solemnia non emittant; aut (quemadmodum Greg. XIII, in bulla « Ascendente Domino », pro alumnis Soc. Iesu, qui vota tantum simplicia emittunt, declaravit), S. Pontifex edicere dignaretur alumnos huius congregationis esse vere religiosos. — Posito ergo dubio: An et quomodo conveniat declarare congregationem presbyterorum saecularium NN. gaudere qualificatione congregationis vere religiosae, aut saltem debeat ipsi eam concedere per gratiam in casu? Em.mi Patres rescripserunt: « ad primam partem non esse vere regularem; ad secundam partem: non expedire ».

In discussione autem causae haec relator exponebat: « Verum quidem est quod solemnitas votorum non sit iure divino essentialis statui religioso, requiritur tamen ad illum statum constituendum de iure ecclesiastico; quare non est vere religiosus, iuxta Ecclesiae disciplinam, qui solemnia vota non emittit, sed dumtaxat vota simplicia profitetur, nisi speciale et expressum S. Sedis indultum accedat, quo Ecclesiae disciplinae derogetur. Porro Apostolica Sedes numquam hoc privilegium concessit, si excipias Societatem Iesu, in qua professi votorum simplicium, quae post biennium probationis emittuntur, a Greg. XIII veri religiosi declarati fuerunt. Notandum tamen est id ex specialibus causis factum fuisse et vota simplicia habenda esse in casu uti viam et praeparationem ad solemnium votorum professionem ad quam ex eorum institutione tendunt, et taliter professos votorum simplicium esse de corpore societatis vere regularis vota solemnia profitentis, quod locum non habet in his congregationibus in quibus fit tantum professio votorum simplicium ». — Nota non esse simpliciter verum id quod affirmatur, in Societate omnia vota simplicia esse praeparationem ad vota solemnia: vota Coadiutorum formatorum hanc rationem non habent nec vota Coadiutorum temporalium post biennium, nec etiam multorum scholasticorum.

14. Ergo concludendum videtur Ecclesiam, iuxta actualem disciplinam, illum tantum Ordinem ceu *Regularem* habere, in quo emittuntur vota solemnia; imo generatim non agnoscere ceu *Regulares* aut *stricte dictos religiosos* nisi eos qui vota solemnia emiserint. Unica exceptio, de qua constat, facta fuit in favorem societatis Iesu, in qua omnes post vota simplicia sive coadiutorum, sive scholasticorum (seu biennii) stricte sunt religiosi, non secus ac professi quicumque.

De caetero, quaestio illa an solemnitas votorum ad statum religiosum stricte dictum constituendum requiratur, non est quaestio de ipsa natura status religiosi, sed de mero iure ecclesiastico et de aliqua simplici denominatione iuridica. Nam, si de ipsa rei natura agitur, verum quidem est solemnitatem votorum maiorem stabilitatem professioni religiosae conferre, et ideo statum votis solemnibus firmatum magis esse immutabilem (quae immutabilitas ad rationem status pertinet); sed, hoc dato, remanet quaestio, an status solis votis simplicibus perpetuis constitutus sufficientem firmitatem habeat, ut status stricte religiosus dici debeat; et haec quaestio est de mero iure positivo, scilicet hoc tantum agitur: an Ecclesia tamquam stricte dictum religiosum habeat illum qui solis votis simplicibus est ligatus. Ecclesia autem, propter varios favores quos Religionibus aut religiosis stricte dictis concedit et non aliis, item propter poenas quibus Regulares stricte dictos delinquentes plectit, iustam causam habet ut appellationem *Religionis* aut *Regularis* seu religiosi stricte dicti retineat pro his solis institutis in quibus vota solemnia emittuntur, et pro his solis religiosis qui votis solemnibus ligantur, et rarissime ab hac norma recedat.

Instituta, in quibus vota tantum simplicia emittuntur non sunt *Ordines* aut *Religiones* stricto sensu, sed tantum *Congregationes religiosae* (in iure antiquo Congregationes saeculares saepe vocabantur, ait Wernz, 593, II); qui in eis vota emittunt, sunt quidem religiosi, sed non stricte dicti [a], Re-

---

14. (a) *Religiosi stricte dicti.* Videtur vitanda expressio *vere religiosi:* ea enim duplici sensu sumitur; aliquando adhibetur ad designandos hos omnes qui essentiam vitae religiosae habent, et in hoc sensu alumni Congregationum et Institutorum religiosorum sunt vere religiosi; aliquando usurpatur ad designandos solos Regulares, seu religiosos stricte dictos. Haec expressio igitur vitanda est ubi confusionem afferre posset.

gulares non dicuntur, et nec in odiosis nec in favorabilibus (nisi ex peculiari dispositione aliter statuatur) sub nomine Regularium comprehenduntur (b).

Congregationes religiosae rursus dividuntur in *Congregationes ecclesiasticas*, quae sacerdotibus, et *Instituta religiosa*, quae laicis tantum constant.

Ab his omnibus distinguuntur alia *pia Instituta* aut *piae Sodalitates*, in quibus deficiunt aliquae ex notis ad statum religiosum requisitis: v. g. non emittuntur tria vota, sed tantum votum obedientiae aut iuramentum stabilitatis; aut si tria vota habentur, non sunt perpetua, aut privatim emittuntur et a nullo accipiuntur; aut deest vita in communi, etc. (c).

Ex his Sodalitatibus, eae quae sacerdotibus constant, adhuc nomine Congregationum saecularium designantur.

15. Quaeri potest, an si unum ex tribus votis substantialibus religionis sit solemne, alia duo sint necessario solemnia. Respondetur affirmative, saltem ex praesenti Ecclesiae disciplina. Ita respondit S. Poenitentiaria 28 *nov.* 1818 et anno 1820 (a).

16. Notandum de traditione. — Dictum fuit n. 11 in professione religiosa necessario includi traditionem profitentis Instituto et eius acceptationem ab Instituto, unde resultat mutuum vinculum quo invicem obligantur.

Non requiritur ut vinculum illud sit ex utraque parte absolutum. Traditio quidem ex parte profitentis perpetua et absoluta esse debet: secus non haberetur illa firmitas quam requirit ratio status; sed acceptatio potest esse conditionata, ita ut

---

(b) Haec conditio canonica eiusmodi Congregationum, ait Wernz, n. 592, II, procul dubio fuit ratio ob quam Sedes Apostolica illarum alumnos constanter negavit esse *vere Regulares*.

(c) S. Congr. EE. et RR. in decreto 11 *aug.* 1889, de his piis Institutis loquens, ait: « S. Congr. quando laudat vel approbat huiusmodi Instituta, etiam sub expresso Congregationum nomine, ea intendit laudare aut approbare, non quidem ut *Religiones formales* votorum solemnium neque etiam ut formales seu *veras religiosas Congregationes* votorum simplicium, sed tantum uti *pias Sodalitates*, in quibus, praeter alia quae iuxta hodiernam Ecclesiae disciplinam desiderantur, nec religiosa professio proprie dicta emittatur, sed vota, si quae fiant, privata censentur, non publica nomine Ecclesiae a legitimo Superiore acceptata ».

15. (a) Apud Piat, t. I, p. 10.

UNIVERSITÉ SAINT-JOSEPH BEYROUTH (SYRIE)

vinculum, data proportionata ratione, ab Instituto solvi possit. Quamvis enim sic aliquid stabilitati status detrahatur, remanet tamen firmitas ad constituendum statum sufficiens; eo magis quod facultas vinculum relaxandi certis limitibus continetur.

Ita primum factum est in Societate Iesu. Cum autem multi hanc facultatem, Societati concessam, dimittendi ex rationabili causa religiosos solis simplicibus votis adstrictos, impugnarent tum ex aliis rationibus, tum maxime ex ea quod aequitas in tali contractu non servetur, dum voventes absolute et Societas conditionate tantum sese obligat, Gregorius xiv contra hos impugnatores, in C. *Ecclesiae catholicae* (1591), Societatem defendit, contractus aequitatem propugnavit, et datam facultatem his verbis confirmavit: « Nos huiusmodi impugnationibus diligenter consideratis, et perpenso.... quod in ipsorum dimissionibus, qui iuxta formulam votorum simplicium in Constitutionibus expressam voverunt, quosque in Societate retinere non expedit, nec contractus vitiose claudicet, nec ulla alia interveniat iniustitia;... potestatem a Societate dimittendi quosvis non professos, ab hac Sede Apostolica saepius approbatam, eosque ab omni obligatione votorum iuxta Constitutiones et diplomata huiusmodi emissorum, per dimissionem ipsam, per quam vota praedicta cessant, liberandi, tamquam rem magni momenti ad Societatis puritatem et conservationem retinendam, omnino ratam, intactam, et illibatam esse volumus ».

Eamdem facultatem dimittendi non solemniter professos Pius ix omnibus antiquis Religionibus, cum professionem votorum simplicium post novitiatum in eis instituit, inesse voluit. Sic statuitur in decreto *Sanctissimus* (12 *iun.* 1858) n. 3: « Eadem simplicia vota solvi etiam possunt ex parte Ordinis, in actu dimissionis professorum, ita ut, data dimissione, professi ab omni dictorum votorum vinculo et obligatione eo ipso liberi fiant » [a].

17. Romanus Pontifex est supremus omnium Religionum Superior. — Cum nullus Ordo religiosus nisi ex approbatione

---

16. (a) Hic dicitur vota solvi ex parte Ordinis in dimissione; forsan paulo aliter res se habet in Societate, ubi vota simplicia scholasticorum et etiam Coadiutorum formatorum tacitam habent conditionem: si eos Societas servare volet; et ideo ipsa dimissione *cessant*. — De hoc quaestio redibit cap. v.

Ecclesiae haberi possit (supra n. 7), et omnis potestas Superioris religiosi, vota substantialia religionis accipiendi, ab Ecclesia proveniat, consequens est ut obligatio, quam religiosus per professionem contrahit, non sit tantum erga proprium Ordinem, sed erga Ecclesiam, et ratione voti obedientiae non solis Ordinis Superioribus, sed maxime Romano Pontifici obedire teneatur [a]: qui proinde religiosis non tantum vi iurisdictionis universalis, sed in virtute voti obedientiae praecipere potest [b].

Inde fit ut religiosi ad Episcopatum aut Cardinalatum promoti, aut saecularizati, aut post solemnia vota ex Ordine eiecti, hi omnes, relaxato vinculo quod per professionem erga Ordinem suum contraxerant, remaneant tamen obligati erga Ecclesiam et Romanum Pontificem.

18. Quisnam est auctor vitae religiosae? — Ex hactenus dictis status religiosus, in genere et quoad substantiam, divinae institutionis dici potest et debet [a]. Sane Christus ad perfectionem per tria paupertatis, castitatis et obedientiae consilia assequendam homines invitavit. Haec consilia voluit ut modo permanenti in Ecclesia servarentur, et ideo statum religiosum fore indefectibilem merito dici potest Wernz, n. 601. Idem sentit Prümmer, q. 9) [b].

An autem Christus ipse aliquem Ordinem religiosum instituerit, in quo praxis consiliorum votis firmaretur et ad quem Apostolos vocaverit et admiserit, censuerunt nonnulli [c]. Suarez (tr. vii, l. iii, c. ii, n. 9 et 10) asserit Christum constituisse Apostolos in statu religioso, sed revera assertum argumentis sufficientibus non probat. Verius igitur videtur dicendum Christum nullam vitam religiosam in particulari

---

17. (a) Wernz, n. 697; — S. Thomas, 2. 2ae, q. 186, a. 5, ad 3 (textus citatur n. 10, b); — Suarez tr. vii, l. ii, c. 16, n. 13.

(b) De hac quaestione tractabitur c. x, n. 13.

18. (a) Suarez, tr. vii, l. iii, c. 2, n. 3, ubi dicit hanc assertionem esse omnium catholicorum recte sentientium; — Prümmer, q. 8.

(b) Pius vi, Br. *Quod aliquantum* (1791), ubi condemnat civilem constitutionem cleri Gallicani, haec habet: « Regularium abolitio a Conventu nationali decreta laedit statum publicae professionis consiliorum evangelicorum, laedit vivendi rationem in Ecclesia commendatam tamquam Apostolicae doctrinae consentaneam (apud Piat, i, p. 24).

(c) Vide Piat, 1, p. 23, q. 1; — Wernz, nota 62; — S. Thomas, 2. 2ae, q. 88, a. 4, ad 3.

instituisse, sed Ecclesiae, in complexu huius universalis potestatis quam ei contulit in omnia quae ad ordinem supernaturalem, cultum divinum et salutem animarum pertinent, implicite dedisse facultatem Ordines religiosos approbandi eosque regendi [d].

Ad quaesitum ergo quisnam sit auctor vitae religiosae, respondendum est, statum religiosum in genere et quoad substantiam esse institutionis et iuris divini; sed varios Ordines religiosos in particulari esse institutionis et iuris ecclesiastici: eos Ecclesiam approbat, regit et etiam, si inutiles aut degeneres se praebeant, supprimere potest (Wernz, nn. 599 et 600).

19. De variis Ordinibus religiosis. — Vita religiosa, ut dictum est, essentialiter in tendentia ad perfectionem per tria vota substantialia paupertatis, castitatis et obedientiae consistit. Haec tria vota removent praecipua perfectionis obstacula, et ideo ad perfectionem quasi aliquid negativum maxime [a] se habent. Remanet ut ille, qui vult perfectus esse, ad perfectionem per positivos actus sese exerceat. Non est autem necessarium nec etiam possibile, ut omnes positivos virtutis actus habitualiter exercere proponat; sed alius cultum divinum, alius divinam gloriam per salutem animarum procurandam, alius opera misericordiae specialiter intendet [b]. Inde diversi Ordines religiosi. Qui triplici ratione [c] inter se distingui possunt: ratione finis secundarii [d] quem intendunt, ratione

---

(d) Prümmer, q. 8. — Cf. Suarez, tr. vii, l. iii, c. 2, n. 12.

19. (a) Dicitur « maxime »: nam horum votorum observantia non habetur sine multiplici virtutum, praesertim charitatis, actu. Ideo vota etiam positive ad perfectionem conferunt. Sed ratio propter quam essentiam vitae religiosae ex divina institutione constituunt est quia removent tria praecipua perfectionis impedimenta.

(b) S. Thom. 2. 2ae, q. 186, a. 2. « Status religionis est quaedam disciplina et exercitium ad perfectionem perveniendi; ad quam quidem aliqui pervenire nituntur exercitiis diversis.... Et ideo qui statum religionis assumit non tenetur ad omnia exercitia quibus ad perfectionem pervenitur, sed ad illa quae determinate sunt ei taxata, secundum regulam quam professus est ».

(c) Omittitur hic alia divisio, ea scilicet quae habetur ratione plus minusve stricta qua varii Ordines constitutiva status religiosi sectantur. Sic distinguuntur in Ordines regulares seu Religiones stricte dictas, in Congregationes religiosas et in pia Instituta, ut n. 14 dictum est.

(d) « Finis primarius Instituti est sanctificatio membrorum per obser-

variorum mediorum quibus eumdem finem prosequuntur, imo ex sola numerica familiarum et regiminis diversitate, ut ait WERNZ, n. 592. Primum et alterum distinctionis principium dat S. THOMAS (2. 2ae q. 188, a. 1) (e). Tertium sic explicatur: cum status religiosus vitam communem sub praelato importet, sufficit ad constituendos varios Ordines ut diversae familiae sub diversis supremis praelatis constituantur, quin fine aut mediis differant. Sic multa sunt recentia Instituta, quae ad docendam iuventutem aut ad aegrotos in hospitiis recipiendos ac curandos intendunt et mediis quibus utuntur vix ac ne vix quidem discrepant; haec tamen diversas familias religiosas efformant, quia a diversis supremis moderatoribus reguntur.

Si ad alias duas diversitatis rationes attendimus:

1. *Ratione finis* Ordines dividuntur in *contemplativos*, *activos* et *mixtos*.

Contemplativi sunt Ordines qui ex sua institutione orationi et contemplationi principaliter intendunt; religiosi horum ordinum generatim *monachi* dicuntur. Huiusmodi sunt Basiliani, Benedictini, Cistercienses, Carthusiani, etc.

Activi sunt Ordines qui ad exercenda opera misericordiae, maxime temporalis, principaliter intendunt. Activi sunt Ordines omnes hospitalarii et militares.

Mixti sunt Ordines qui tum orationi tum operibus misericordiae, spiritualis maxime, aeque principaliter ex sua institutione intendunt. Sic Canonici, Clerici regulares, et Mendicantes: v. g. Praemonstratenses, Carmelitae, Praedicatores, Minores, Theatini, Barnabitae, Societas Iesu (f).

---

vantiam trium votorum et propriarum constitutionum. Finis secundarius et specialis, unicuique Instituto proprius, constituitur illis particularibus charitatis operibus erga Deum aut erga proximum, ad quae exercenda Institutum ipsum formatum est » (NORMAE an. 1901, art. 42 et 43).

(e) « Status Religionis est quoddam exercitium quo aliquis exercetur ad perfectionem charitatis. Sunt autem diversa charitatis opera quibus homo vacare potest; sunt etiam diversi modi exercitiorum; et ideo Religiones distingui possunt dupliciter: uno modo secundum diversitatem eorum ad quae ordinantur, sicut si una Religio ordinetur ad peregrinos hospitio suscipiendos, et alia ad visitandos vel redimendos captivos; alio modo potest esse diversitas Religionum secundum diversitatem exercitiorum, puta, quod in una Religione castigatur corpus per abstinentias ciborum, in alia per exercitium operum manualium, vel per nuditatem, aut per aliquid aliud huiusmodi ».

(f) S. THOMAS, 2. 2ae, q. 188, a. 2: « Religionis status ordinatur ad per-

2. *Ratione mediorum* Ordines varie dividuntur, secundum diversam considerationem.

a) *Secundum genus vitae* olim in *Eremiticos* et *Caenobiticos* dividebantur; sed hodie, cum Ecclesia ad statum religiosum vitam in communi exigat, iam omnes Ordines sunt coenobitici.

b) *Ratione clericatus* alii sunt *clericales*, alii *laicales*. *Clericales* sunt Ordines qui ex primaeva et canonica ipsorum institutione principaliter ad munera sacra obeunda sunt instituti: eorum alumni sunt clerici; quamvis etiam fratres laicos, sed solum quatenus ad sublevandos clericos in rebus temporalibus sunt necessarii, admittant (g).

---

fectionem charitatis, quae se extendit ad dilectionem Dei et proximi. Ad dilectionem autem Dei directe pertinet contemplativa vita, quae soli Deo vacare desiderat; ad dilectionem autem proximi directe pertinet vita activa, quae deservit necessitatibus proximorum. Et sicut ex charitate diligitur proximus propter Deum, ita etiam obsequium delatum in proximos redundat in Deum, secundum illud Matth. XXV, 40: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis ». — Et notat quod « dum religiosi operibus vitae activae insistunt intuitu Dei, consequens est quod in eis actio ex contemplatione divinorum derivetur. Unde non privantur omnino fructu contemplativae vitae ». Et eadem q. 188, a. 6: « Opus vitae activae est duplex: unum quidem quod ex plenitudine contemplationis derivatur, sicut doctrina et praedicatio.... et hoc praefertur simplici contemplationi (est vita mixta, ut patet); aliud autem opus est activae vitae, quod totaliter consistit in occupatione exteriori, sicut eleemosynas dare, hospites recipere et alia huiusmodi, quae sunt minora operibus contemplationis, nisi forte in casu necessitatis. Sic ergo summum gradum in Religionibus tenent quae ordinantur ad docendum et praedicandum; secundum tenent illae quae ordinantur ad contemplationem. Tertius est earum quae occupantur circa exteriores actiones ». — Vitam contemplativam meliorem esse vita activa habetur ex verbis Christi Domini (Luc. X, 42): « Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea ».

(g) Status clericalis regularis institutor S. Augustinus communiter habetur. Nihilominus de S. Eusebio Vercelliensi († 370) dicitur in Brev. Rom. (d. 16 *dec.*): « Primus in Occidentis partibus in eadem ecclesia eosdem monachos instituit esse quos clericos ». — Nulla autem nunc remanet clericorum regularium familia quae originem ab his primordiis repetat: institutio canonicorum regularium nunc existentium saeculo duodecimo adscribenda est, quo prodierunt tum Canonici Lateranenses, tum Ordo Praemonstratensis. Clericorum regularium primi fuerunt Theatini (1524), deinde Barnabitae (1533), Somaschi (1540), Societas Iesu (1540), quibus varii alii postea accesserunt.

Rursus Ordines clericales dividuntur in *Canonicos regulares*, v. g. Lateranenses, S. Salvatoris, Praemonstratenses; et simplices *Clericos regulares*, ut sunt Barnabitae, Societas Iesu.

Laicales sunt hi Ordines qui ex principali fine et primitiva institutione non sunt destinati ad ministeria sacra; quamvis inter socios admittant etiam clericos, sed non ad principalem finem Ordines, verum aut ad propriam ipsius Ordinis utilitatem aut alia ex causa. Aliquando etiam Ordines ex institutione sua laicales paulatim ministeria sacra exercere permissi sunt (WERNZ, n. 595).

Religiones monachorum sunt laicales: nam ex sua institutione monachi non ministeriis sacris sed propriae perfectioni vacant.

c) *Ratione austeritatis regulae*, dividuntur in Ordines *arctiores* aut *laxiores*. Ordo Carthusianorum omnium arctissimus in iure habetur [h].

d) Cum hac divisione non debet confundi alia, qua Ordines in *observantes* aut *non observantes* dividuntur. Observantes sunt qui primitivam regulam retinent; non observantes qui regulam mitigatam observant. Quae regulae mitigatio, etiamsi primo indebite forsan inducta, ubi postea fuerit ab Ecclesia approbata aut tolerata, ab omnibus tuta conscientia admitti potest [i]. Si autem mitigatio ne tacite quidem a legitima auctoritate approbata fuerit, tunc mera corruptela est, abususque supprimendus.

20. *Ratione paupertatis* Ordines dividuntur in *mendicantes* et *non mendicantes* [a].

(h) S. THOMAS, 2. 2ae q. 188, a. 6, ad 3: « Arctitudo observantiarum non est illud quod praecipue in Religione commendatur.... et ideo non est potior Religio ex hoc quod habet arctiores observantias, sed ex hoc quod ex maiori discretione sunt eius observantiae ordinatae ad finem Religionis ». Hoc nihilominus dicit comparando Religiones quae finem eiusdem dignitatis habent; tunc gradus perfectionis inter eas ex proportione mediorum ad finem, non ex austeritate observantiarum desumendus est. Sed aliter res esset iudicanda si non haberent finem eiusdem dignitatis. Sic enim docet in corp. articuli: « Illa Religio alteri praefertur quae ordinatur ad finem absolute potiorem, vel quia est maius bonum, vel quia ad plura bona ordinatur; si vero sit finis idem, secundario intenditur praeeminentia Religionis non secundum quantitatem exercitii sed secundum proportionem eius ad finem intentum ».

(i) Vide WERNZ, n. 652, II, et nota 419.

20. (a) S. THOMAS, 2. 2ae, q. 188, a. 7, ad 1: « Ipsa paupertas non est

Sed rursus mendicantes sunt alii stricte tales, alii minus stricte, alii omnino improprie.

Stricte mendicantes sunt Ordines, qui ex suo Instituto certos et stabiles reditus non habent quibus sodales sustententur, sed ii de « incerta mendicitate » vivunt. Sane hac nota Gregorius x describit Ordines mendicantes (c. *Religionum*, III, 17, in 6°) (b), necnon Pius v, C. *Cum indefessae* (1571), qua declarat Societatem Iesu esse Ordinem mendicantem; hanc dat rationem: « quippe quae ex eius instituto et constitutionibus Apostolica auctoritate confirmatis bona stabilia possidere nequit, sed incertis eleemosynis fideliumque largitionibus et subventionibus vivit ».

Hi Ordines stricte mendicantes, alii sunt tales in omnibus suis domibus: ita Capuccini, FF. Minores de observantia; alii cum exceptione pro suis domibus formationis aut collegiis: ut Carmelitae, Societas Iesu.

Mendicantes minus stricti sunt ii Ordines qui ex primaeva sui institutione erant stricte mendicantes, sed nunc sive ex indulto apostolico sive a concessione facta a Tridentino (Sess. xxv, c. 3 de Regul.) certos et stabiles reditus in communi possident: huiusmodi sunt FF. Praedicatores, Minores conventuales, Eremitae S. Augustini. — Facta eis potestate possidendi reditus, in dubium vocatum est an mendicantium nomen et privilegia retinerent. Sed S. Pius v, C. *Romanus*

---

perfectio, sed perfectionis instrumentum, et minimum est inter tria principalia instrumenta perfectionis (tria consilia). Quia vero instrumentum non propter se quaeritur, sed propter finem, non tanto aliquid fit melius quanto maius est instrumentum, sed quanto est magis fini proportionatum. Sic ergo non oportet quod Religio sit tanto perfectior quanto maiorem habet paupertatem, sed quanto eius paupertas est magis proportionata fini communi et speciali ».

(b) Gregorius, postquam perpetuae prohibitioni subiecit « cunctas Religiones et Ordines mendicantes post Conc. Lateranense adinventas, qui nullam confirmationem Sedis Apostolicae meruerint », addit: « confirmatos autem per Sedem eamdem, post idem tamen concilium institutos, quibus ad congruam sustentationem redditus aut possessiones habere *professio sive regula* quaelibet interdicunt, sed per quaestum publicum tribuere victum solet *incerta mendicitas*, modo decernimus subsistere infrascripto.... ». — Dicit Pontifex: « quibus professio sive regula redditus aut possessiones interdicunt », quia inter antiquos ordines soli FF. Minores regula prohibebantur habere redditus et possessiones; aliis prohibitio haec non ex regula, sed ex constitutionibus, consuetudine, uno verbo ex professione ortum habebat.

Pontifex (1567) utrumque confirmavit (adiuncto etiam Ordine Servitarum), et rationem declarationis suae hanc profert quia eis bonis utuntur non in proprium commodum sed in populi christiani utilitatem [c].

Praeter supranominatos Ordines idem Pius v declaravit mendicantem esse Ordinem Minimorum S. Francisci de Paula (C. *Apostolicae Sedis,* 1567), nec non Ordinem Iesuitarum S. Hieronymi (alia Const. *Romanus Pontifex,* 1567). Pro utroque Ordine rationem, propter quam inter mendicantes adscribi debeant, hanc profert: « eos, cum actu mendicent, nonnisi honesta de causa in mendicantium Ordinem esse adscriptos ».

Deinde etiam Societatem Iesu Ordinem esse mendicantem idem Pontifex Pius v (Constitutione *Cum indefessae*, 1571) declaravit. Duplicem autem huius declarationis dat rationem: prima, quia « ex eius instituto et constitutionibus bona stabilia possidere nequit, sed incertis eleemosynis fideliumque largitionibus et subventionibus vivit »; altera, « quia (socii) non minus quam caeteri mendicantes in excolenda vinea Domini assidue laborant, fructusque ingentes et salutiferos producunt, ac propterea eisdem privilegiis, indultis et gratiis FF. mendicantibus hactenus concessis, uti, frui, potiri et gaudere merito possunt ».

Ideo, si ratio petitur cur mendicantium nomen et privilegia retineant Religiones quae bona stabilia et redditus certos habere permittuntur, duplex dari potest ex S. Pio v: alia

---

(c) « Nuper accepimus quod nonnulli locorum Ordinarii et forsan in provincialibus conciliis, eo forsan sub praetextu quod Ordinum mendicantium fratres bona stabilia ex indulto seu dispensatione apostolica retinere possunt et propterea mendicantes non sunt, eos ad.... contributiones cogere forsan praesumpserunt.... Nos, animo resolventes eos ex fructibus bonorum huiusmodi varias reipublicae utilitates afferre.... et propterea mendicantium nomen amittere nullo modo debere; volentes idcirco omnem dubitandi materiam amputare.... ex certa nostra scientia et de Apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulos quatuor mendicantium Ordinum, videlicet S. Dominici et S. Francisci ac Eremitarum S. Augustini necnon Carmelitarum, et quos etiam recenseri volumus, Servorum B. M. nominibus comprehensos fratres eorumque domus, monasteria et loca, etiamsi in communi propria bona, tam mobilia quam immobilia et stabilia et alia quaecumque, possederint, mendicantium vocabulo et omnibus et singulis mendicantium privilegiis, eis quomodolibet concessis, uti posse et debere, nec super praemissis ullo unquam tempore molestari posse, auctoritate apostolica per praesentes statuimus et declaramus ».

quia non sufficientibus forte istis redditibus etiam ex suo instituto actu mendicant; altera, quia ex eo quod ad ministeria spiritualia in fidelium utilitatem ex suo etiam instituto applicantur, ius habent ex doctrina Apostoli (1ª Cor. IX) ut ex fidelium eleemosynis sustententur. — Cf. SUAREZ (tr. IX, l. 1, c. 8, n. 3).

Magis improprie mendicantes dicuntur eae Religiones quae nullo modo tales sunt ex suo instituto, sed solum mendicantium privilegiis participant: v. g. Cistercienses, Camaldulenses (WERNZ, 597, III).

21. Aliae divisiones Ordinum fiunt *ratione regiminis*.

1. *Ratione regiminis interni*, alii Ordines sunt hierarchice ordinati: scilicet in his diversi conventus in provincias, et provinciae in unam societatem iuridicam coalescunt sub uno Generali, cui vera in omnes provincias, domos necnon et sodales auctoritas competit, cum subordinatione Superiorum localium Provincialibus et Provincialium Generali;

Alii Ordines non sunt ita hierarchice constituti: sed singuli eorum conventus, quin inter se regimine coalescant, remanent sui iuris, quamvis eadem regula regantur. Singuli igitur conventus tot familias distinctas sub auctoritate Superioris independentis efformant, et inter se non uniuntur vinculo iuridico, etiamsi propter eamdem regulam, quam sequuntur, speciali charitatis vinculo coniungantur. Hi Ordines si Generalem habent, is non vera auctoritate in totum Ordinem gaudet. Tales sunt Benedictini, Carthusiani (WERNZ, n. 598).

Decursu tamen temporis evenit ut praecipuis quibusdam monasteriis alia monasteria aut prioratus coniungerentur et auctoritati plus minusve extensae Abbatum illorum monasteriorum subiacerent. Fuit etiam praescriptum ut Abbates independentes in capitula generalia aliquando convenirent ad praecavendos aut reformandos abusus (a). Sic paulatim in his Ordinibus, qui regimen hierarchicum ex sua institutione non habebant, introducta fuit aliqua forma regiminis interni hierarchici (WERNZ, nota 57).

2. *Ratione regiminis externi*, alii Ordines sunt exempti, scilicet a iurisdictione Episcoporum, et immediate Romano Pontifici subiecti; alii exemptione non fruuntur.

---

21. (a) INNOC. III. in Conc. later., C. *In singulis*, 7, de *Statu Monach.* III, 35. — TRID. sess. XXV, c. 8, *de Regul.*

Sed Ordines exempti, in pluribus, maxime a Conc. Tridentino, Episcopis subiacent, qui auctoritatem in eos vel ex ordinaria potestate vel ex delegata exercent (b). Contra ordines non exempti, si eorum Constitutiones a S. Sede approbatae fuerunt, secundum eas vivere debent, et in eis observandis Episcopis non subiacent. Leo XIII (C. *Conditae* (1900) parte 2ª) enumerat ea in quibus Congregationes aliquo modo a Sede Apostolica approbata ab Episcopis non dependent, et ea in quibus eis subiecta remanent.

22. De Regula et Constitutionibus. — Ex iure antiquo Regula est lex fundamentalis ab antiquis Religionum institutoribus tradita atque ab Ecclesia approbata: Constitutiones autem sunt statuta varia postea primitivae Regulae superaddita (a).

Sic ex diversis Constitutionibus variae Benedictinorum Congregationes sub una eademque S. Benedicti regula habentur (b). Sic etiam sub regula S. Francisci existunt varii Ordines, sc. FF. Minores, Conventuales, Capuccini (c).

Hae variae familiae (aut Ordines) sub eadem regula viventes, si eorum origo requiritur, aliae per diversos primitivi Ordinis reformationes prodiisse inveniuntur: sic ortum habuerunt diversi Ordines S. Francisci; aliae absque ulla reformatione per solam additionem novarum Constitutionum primitivae Regulae factam institutae sunt: sic Camaldulenses, Vallumbrosiani, Carthusiani, Cistercienses regulam S. Benedicti suis constitutionibus propriis modificatam sequuntur (d).

(b) De exemptione tractatur c. XVI.

22. (a) Vide Vermeersch, t. I, n. 89; — Wernz, n. 596, nota 46.

(b) V. g. Congregationes Cassinensis, Cluniacensis, Claravallensis. Nostris autem temporibus multae diversae existunt familiae Benedictinae, quae recensentur in *Gerarchia Cattolica*.

(c) Fratres Minores ipsi usque ad nostra tempora in pluribus diversis observantiis erant divisi: distincti erant Observantes, Reformati, Excalceati seu Alcantarini, Recollecti; sed Leo XIII, C. *Felicitate* (1897), « Ordinem Minorum ad unitatem communitatemque vitae plene cumulateque perfectam, ita ut unum atque unicum corpus efficiat, familiarum distinctione omni deleta, revocavit »..... « Is extinctis nominibus Observantium, Reformatorum, Excalceatorum seu Alcantarinorum, Recollectorum, Ordo Fratrum Minorum, sine ullo apposito, ex instituto Francisci Patris appelletur, ab uno regatur, eisdem legibus pareat, eadem administratione utatur ».

(d) Divisio Ordinis Benedictini in complures familias seu Congregatio-

Quatuor sunt Regulae antiquae: S. Basilii, S. Benedicti, S. Augustini, S. Francisci [e].

S. Dominicus regulam S. Augustini accepit; eamdem admiserunt Canonici regulares, Praemonstratenses, Theatini, Somaschae, Servitae.

Hodie passim immutata est harum vocum (Regulae et Constitutiones) significatio: constitutiones sunt leges primariae et fundamentales a S. Sede approbatae; regulae sunt particulares et minutiores normae pro variis officiis, ad mentem Constitutionum, a Capitulis generalibus approbatae [f].

Ita est in Societate Iesu, ubi Constitutiones, a S. Ignatio scriptae, sunt lex primaria et fundamentalis, cui regulae communes et variorum officiorum deinde adiunctae sunt. Hoc autem particulare est in Societate, quod praeter Constitutiones et regulas habentur duae *formulae* Instituti in Bullis approbationis Pauli III, *Regiminis militantis* (1540) et Iulii III, *Exposcit debitum* (1550) insertae, in quibus delineatur prima Societatis idea: compendiosior est prima formula; posterior nonnulla magis explicite evolvit [g].

Quaecumque in his formulis reperiuntur, ea substantialia Instituti declarata sunt.

Quamvis in Societate voces Constitutiones et Regulae sensu novo, ut dictum est, communiter usurpentur, attamen Pius VII,

---

nes eo facilior evasit, quo ex ipsa regula singula monasteria communitates independentes, sine vinculo iuridico quo inter se uniantur, constituunt. Aliquando monasteria aliqua ex una Congregatione in aliam, cuius constitutiones admittebant, transibant, ut videre est c. *Recolentes*, 3. *de Statu monach.* III, 35.

(e) In Ordine S. Francisci triplex est regula: prima pro viris, secunda pro feminis (Clarissae), tertia pro viris et feminis, qui in saeculo pie viventes, perfectionem sectari volunt: tertium ordinem constituunt. Ex his non pauci vitam communem in monasteriis degunt, inde *tertius ordo regularis* S. Francisci, qui ortum a. 1251 habuit. Tertiarii qui in saeculo vivunt proprie religiosi non sunt, quamvis a Leone XIII, C. *Misericors Dei Filius* (1883), Ordinem constituere dicantur (Wernz, n. 596; — Piat, t. I, p. 30, q. 7).

(f) Normae an. 1901, art. 32 praescribunt ut in Institutis votorum simplicium non adhibeantur in textu constitutionum voces Regula, Religio, Monasterium, sed, eorum loco, Constitutiones, Congregatio seu Institutum, domus.

(g) Est alia formula, quae in C. *Iniunctum* Pauli III (1544) continetur et a prima parum differt. Ideo communiter duae solae formulae, Pauli III et Iulii III citantur.

in bulla restitutionis Societatis, vocem Regulam secundum sensum antiquum adhibet, eam Constitutionibus a s. Ignatio conditis attribuendo (h).

SECTIO II.

DE SOCIETATE IESU

23. Societas Iesu ut vere et stricte dicta Religio fuit approbata. — Multiplices fuerunt approbationes.

Prima est Pauli III Bulla *Regimini militantis Ecclesiae* (27 *sept.* 1540). S. Ignatius obtulerat S. Pontifici *formulam* Instituti, sc. brevem Societatis ideam (a); Pontifex eam integre in Constitutione inserit et postea pergit: « Cum autem nihil in praemissis reperiatur quod pium non sit ac sanctum, nos, ut iidem socii, qui nobis super hoc humillime supplicari fecerunt, in eorum pio vivendi proposito eo promptiores existant, quo se maiori Sedis Apostolicae gratia complecti cognorint, et praemissa per nos approbari viderint; praemissa omnia et singula, tamquam ad spiritualem profectum eorumdem sociorum et reliqui christiani gregis opportuna, apostolica auctoritate, tenore praesentium, ex certa scientia approbamus, confirmamus et benedicimus, ac perpetuae firmitatis munimine roboramus; ipsosque socios sub nostra et huius sanctae Sedis Apostolicae protectione suscipimus, eis nihilominus concedentes quod particulares inter eos constitutiones, quas ad Societatis finem et Iesu Christi D. N. gloriam ac proximi utilitatem conformes esse iudicaverint, condere libere et licite valeant ».

(h) In ea praescribit, ut omnes, qui in Societate admittentur, « ad praescriptum *Regulae* S. Ignatii de Loyola, apostolicis Pauli III constitutionibus approbatae et confirmatae, suam accommodent vitae rationem ». — Et infra: « Omnes commonefacimus et exhortamur, ut in omni loco et tempore sese fideles asseclas et imitatores tanti sui Parentis et Institutoris exhibeant, *regulam ab eo conditam et praescriptam* accurate observent, et utilia monita et consilia, quae filiis suis tradidit, summo studio assequi conentur » (C. *Sollicitudo*, 1814).

23. (a) In ea exprimitur a sociis emitti votum solemne castitatis, votum obedientiae, votum perpetuum paupertatis, ergo ea vota quae requiruntur ad stricte dictam Religionem. Equidem solius voti castitatis solemnitas exprimitur; sed si unum ex votis est solemne, alia, ex usu Ecclesiae, sunt etiam solemnia. Exprimitur etiam socios se ligare speciali voto erga Summum Pontificem quoad missiones.

Hic habetur 1° iudicium de honestate formae vivendi ; 2° licentia Societatem sub nomine Iesu condendi; 3° susceptio Societatis sub Sedis Apostolicae protectione; 4° facultas condendi constitutiones.

Nihilominus numerus sociorum qui recipi possent restringebatur ad sexaginta personas. Haec restrictio sublata fuit in nova approbatione data ab eodem Paulo III, a. 1544, C. *Iniunctum* (b). Idem Pontifex anno 1546, C. *Exponi nobis,* concedebat facultatem admittendi in Societate coadiutores tum spirituales tum temporales, sed solum viginti, qui tria vota perpetua non tamen solemnia facerent, cum facultate Praeposito concessa eos dimittendi, votis solutos. Anno autem 1549 idem Paulus III, C. *Licet debitum*, multa privilegia Societati concessit et limitationem in numero coadiutorum prius positam abstulit.

Iulius III Bulla *Exposcit debitum* (a. 1550) novam et amplam Instituti approbationem dedit. Primum summam diversarum litterarum Pauli III in favorem Societatis refert; deinde inserit novam Instituti formulam a S. Ignatio exhibitam, « qua Societatis Institutum exactius et distinctius quam antea, edocente experientia ac usu rerum, expressum comprehenditur » (c). In ea habentur explicite expressa tria vota perpetua solemnia, et finis proprius Societatis. Recitata formula Pontifex subiungit: « Quapropter... socios.... sub nostrae et Apostolicae Sedis protectione suscipientes, auctoritate apostolica, tenore praesentium, *erectionem, et institutionem Societatis.... perpetuo approbamus et confirmamus....* ».

(b) « Nos igitur.... eidem Ignatio praeposito et sociis, quod quoslibet fideles.... ad Societatem huiusmodi libere admittere et eorum Societati huiusmodi, sub votis per socios eiusdem Societatis emitti solitis, aggregare possint, auctoritate apostolica, tenore praesentium, ex certa scientia concedimus ». Deinde renovatur facultas condendi constitutiones, conditas mutandi, « quae postquam mutatae, alteratae, seu de novo conditae fuerint, eo ipso apostolica auctoritate praefata confirmatae censeantur, eadem apostolica auctoritate, de speciali gratia indulgemus ».

(c) Sic formula incipit: « Quicumque in Societate nostra, quam Iesu nomine insigniri cupimus, vult sub crucis vexillo Deo militare, et soli Domino ac Ecclesiae ipsius sponsae sub Romano Pontifice Christi in terris vicario servire, post solemne perpetuae castitatis, paupertatis et obedientiae votum, proponat sibi in animo se partem esse Societatis ad hoc potissimum institutae ut ad fidei defensionem et propagationem et profectum animarum in vita et doctrina christiana per publicas praedicationes lectiones.... se utilem exhibeat ».

Trident. autem, sess. xxv (3 et 4 dec. 1563) capite 16 *de Regularibus*, haec de Societate habet: « Per haec sancta Synodus non intendit aliquid innovare aut prohibere, quin Religio clericorum Societatis Iesu, iuxta pium eorum Institutum a S. Sede approbatum, Domino et Ecclesiae eius inservire possint ».

Has Societatis Iesu eiusque Instituti approbationes confirmarunt varii Pontifices, maxime S. Pius v, C. *Cum indefessae* (1571), qua eam esse verum Ordinem mendicantem pronuntiat; Gregorius xiii, C. *Decet Romanum Pontificem* (1575), qua ei confert omnia privilegia quorumcumque Ordinum; necnon Constitutionibus *Quanto fructuosius* (1583) et *Ascendente Domino* (1584): Gregorius xiv, C. *Ecclesiae Catholicae* (1591); Paulus v, C. *Quantum Religio* (1606); Clemens xiii, C. *Apostolicum pascendi* (1765), in qua Societati magnificas dat laudes.

Suppressam a Clemente xiv, Brevi *Dominus ac Redemptor* (21 *iul.* 1773), Pius vii primum Const. *Catholicae fidei* (1801) eam in Imperio Russiaco restitui permisit ac sub sua immediata protectione ac subiectione recepit, deinde Const. *Per alias* (1804) in regno utriusque Siciliae, et postea C. *Sollicitudo omnium Ecclesiarum* (7 *aug.* 1814) in universo orbe restituit(d).

Tandem Leo xiii, Brevi « *Dolemus* » (1886), omnes praecedentes approbationes confirmavit his verbis: « Ut vel magis nostra in Societatem Iesu voluntas perspecta sit, omnes et singulas litteras apostolicas, quae respiciunt erectionem, institutionem et confirmationem Societatis Iesu, per praedecessores nostros Romanos Pontifices a f. r. Paulo iii ad haec usque

---

(d) « Ex certa scientia deque Apostolicae potestatis plenitudine ordinare et statuere decrevimus, uti revera hac nostra perpetuo valitura constitutione ordinamus et statuimus, ut omnes concessiones et facultates, a nobis pro Russiaco imperio et utriusque Siciliae regno unice datae, nunc extensae intelligantur et pro extensis habeantur, sicut eas vere extendimus, ad totum nostrum Statum ecclesiasticum, aeque ac ad omnes alios status et ditiones. Quare concedimus et indulgemus dilecto filio presbytero Thaddaeo Brzozowski, moderno praeposito Generali Societatis Iesu, aliisque ab eo legitime deputatis omnes necessarias et opportunas facultates,.... ut in cunctis praefatis statibus et ditionibus, omnes illos qui in regularem ordinem Societatis Iesu admitti et cooptari petent, admittere et cooptare libere ac licite valeant;.... qui ad praescriptum regulae S. Ignatii de Loyola, apostolicis Pauli iii constitutionibus approbatae et confirmatae, suam accommodent vivendi rationem ».

tempora datae,.... hisce litteris confirmamus et apostolicae auctoritatis robore munimus iterumque concedimus ».

24. Omnes qui in Societate Iesu vota, quamvis simplicia, post biennium novitiatus emittunt, sunt **veri et stricte dicti religiosi,** non minus quam quilibet Societatis et aliorum Ordinum professi. Explicite definitum est a Gregorio xiii, duabus constitutionibus *Quanto fructuosius* (1583) et *Ascendente Domino* (1584). (Vide supra n. 13).

25. Societas est exempta. — Paulus iii primis suis constitutionibus Societatem sub Sedis Apostolicae protectione susceperat; exemptam explicite declaravit C. *Licet debitum* (1549) « Ipsamque Societatem et universos illius socios et personas illorumque bona quaecumque ab omni superioritate, iurisdictione, correctione quorumcumque Ordinariorum eximimus et liberamus, et sub nostra et praefatae Sedis protectione suscipimus ».

Hanc exemptionem expresse confirmavit Greg. xiii, C. *Satis superque* (1584); et C. *Ascendente* (1584) exemptionem competere etiam iis qui sola vota simplicia in Societate emiserint, declaravit (Bull. p. 96, c. 3).

Eam Pius vii, C. *Sollicitudo*, qua Societatem in universo mundo restauravit, rursus concessit his verbis: « Omnia vero collegia, domus, provincias sociosque.... sub immediata nostra et huius Apostolicae Sedis tutela, praesidio et obedientia recipimus; nobis et Romanis Pontificibus successoribus nostris reservantes ea statuere et praescribere quae ad eamdem Societatem magis magisque constabiliendam, et communiendam, et ab abusibus, si forte (quod Deus avertat) irrepserint, repurgandam, statuere ac praescribere visum fuerit expedire ».

Leo xiii Br. *Dolemus:* « Omnia et singula, vel directe vel per communicationem cum aliis Ordinibus regularibus, eidem Societati impertita, — quae tamen dictae Societati non adversentur, neque a Tridentino Synodo aut ab aliis Apostolicae Sedis constitutionibus in parte vel in toto abrogata sint et revocata, — privilegia, *immunitates, exemptiones,* indulta, hisce litteris confirmamus et apostolicae auctoritatis robore munimus iterumque concedimus » (Cf. Comp. Priv. Verbo *Exemptio* n. 211, 214).

26. Societas est ordo clericorum regularium. — Hoc patet ex ipsius institutione et fine: Societas enim constat sacerdo-

tibus, et primario ad salutem animarum per spiritualia ministeria procurandam instituta est, ut declaratur in utraque Formula et in Constitutionibus.

Ideo a TRIDENT. (sess. XXV, c. 16): « Religio clericorum Societatis Iesu » vocatur (V. supra n. 23).

Eadem appellatione eam designant SS. Pontifices, v. g. GREG. XIII, C. *Ex Sedis Apostolicae* (1573): « Quum itaque Instituto clericorum regularium Societatis Iesu, quod per f. r. PAULUM III et IULIUM etiam III approbatum et confirmatum fuit.... »: CLEMENS XIII in C. *Apostolicum pascendi* (1765) pluries religiosos societatis clericos regulares vocat [a].

27. Societas est ordo mendicans, et *omnes* eius sodales *vere* sunt mendicantes. Id S. PIUS V, C. *Cum indefessae* (1571) expresse declaravit, contra aliquos qui impugnabant hanc appellationem, explicando primo duas rationes cur ipsi ea convenit, ut dictum est n. 20 [a].

Notandum est, secundam rationem, quam Pontifex dat ex doctrina Apostoli (1 Cor. IX, 13): « Qui altari deserviunt cum altari participant », iis etiam convenire qui in collegiis ex redditibus vivunt; si enim sunt scholastici, ipsi se praeparant ut postea fidelium saluti incumbant; si autem magistri aut coadiutores, ipsis scholasticis formandis aut sustinendis inserviunt; et ideo tam illi quam isti verissime quamvis remote

---

26. (a) V. SUAREZ, tr. X, l. 1, c. 5.

27. (a) « Licet Praepositus Generalis et presbyteri Societatis Iesu merito omnibus privilegiis mendicantium frui debeant, tum quia ipsa Societas mendicans existit, — quippe quae ex eius Instituto et Constitutionibus Apostolica auctoritate confirmatis bona stabilia possidere nequit, sed incertis elecmosynis fideliumque largitionibus et subventionibus vivit, — tum quia, non minus quam caeteri mendicantes in excolenda vinea Domini assidue laborant fructusque ingentes et salutiferos producunt: ac propterea eisdem privilegiis, indultis et gratiis fratribus mendicantibus hactenus concessis uti, frui, potiri et gaudere merito possint ac debeant; cum tamen illud aliquando in controversiam deduci posset, ex eo quod dicta Societas collegia habeat secum adiuncta..., Nos ambiguitatem huiusmodi omnino amputare volentes.... motu proprio.... ex mera liberalitate ac scientia nostris, illam et illius Praepositum ac *singulas personas* Societatis huiusmodi *vere et non ficte mendicantes* fuisse, esse et fore, et inter aliorum fratrum et religiosorum mendicantium ordines, aliosque fratres et religiosos mendicantes, prout illos Nos connumeramus, connumerari debere.... tenore praesentium perpetuo sancimus, volumus et declaramus ».

totam operam suam non in proprium bonum, sed in fidelium commodum impendunt.

Alia est ratio cur hi qui vivunt in collegiis vere sint mendicantes: scilicet, quamvis collegia redditus habeant, attamen personae ipsae quae in eis habitant nullum ius ad hos redditus habent, et possunt, ad nutum Superiorum, ex collegiis transferri in alias domos non dotatas [b]; ideo facultas habendi redditus in collegiis est quidem in favorem collegiorum, imo et ipsorum fidelium, quibus collegia dotata oneri non sunt, uti essent si non dotata existerent atque ex eleemosynis sustentari deberent, sed non est proprie in favorem scholasticorum aut aliorum qui propter ipsos in collegiis vivunt, cum ad tales redditus ius nullum habeant (Ita Wernz, nota 53).

28. Constitutionum approbatio. — Paulus III, C. *Regimini militantis* (1540) simul ac Societatem et Formulam instituti approbavit, sancto Ignatio eiusque sociis concessit « quod particulares inter eos constitutiones, quas ad Societatis finem et I. C. D. N. gloriam ac proximi utilitatem conformes esse iudicaverint, condere libere et licite valeant ». Idem Pontifex, const. *Iniunctum nobis* (1544) condendas constitutiones in antecessum approbabat [a].

Ideo, postquam S. Ignatius ultimam manum Constitutionibus posuit et Congregatio I (a. 1558) eas paucissimis mutatis [b] recepit, non fuit necessaria nova approbatio, nec fuit petita.

Verum Gregorius XII, duabus Constit. *Quanto fructuosius* (1583) et *Ascendente Domino* (1584), quibus Institutum confirmavit, Constitutiones etiam approbavit (iisdem ferme verbis in utraque constitutione) [c].

(b) Hoc de professis et coadiutoribus dictum sit, non de novitiis et scholasticis, qui etiamsi vivant in domibus professis, ibi ex collegiorum redditibus sustentari possunt, ut declaratur P. IV, c. 2, n. 5, et D.

28. (a) « .... ac quod quascumque inter eos constitutiones particulares.... condere, et tam hactenus factas quam in posterum faciendas constitutiones ipsas.... mutare, alterare, seu in totum cassare, et alias de novo condere possint et valeant; quae posteaquam mutatae, alteratae seu de novo conditae fuerint, *eo ipso* apostolica auctoritate praefata confirmatae censeantur, eadem apostolica auctoritate de speciali gratia indulgemus ».

(b) Vide Cong. I, titul. II, III et IV, seu decreta 15-77.

(c) « Nos motu proprio, ex certa scientia nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, laudabile Societatis *Institutum.... Constitutiones* quoque ac *statuta* et *decreta qualiacumque*, ac si ad verbum praesentibus insererentur pro expressis habentes, tenore praesentium approbamus et

29. Finis secundarius Societatis et praecipua media quibus utitur. — Quoniam varii Ordines maxime ex eorum fine secundario inter se distinguuntur, finis secundarius Societatis hic declarandus est. Nam de fine primario, scilicet propriae singulorum sodalium perfectionis assecutione, quippe qui omnibus religionibus communis, illud solum notandum est: cum perfectionem etiam exercitio virtutum assequamur, et cum possimus uni virtuti magis quam aliis insistere, obedientia virtus est specialis Societatis, a qua characterem proprium accipit, ut ait S. Pater Ignatius in epistola *de obedientia* n. 3. Ita etiam SUAREZ (tr. X, l. I, c. 2, n. 11).

Finis autem secundarius et proprius Societatis sic declaratur in EXAM. GEN. c. I, n. 2: « Finis huius Societatis est non solum saluti et perfectioni propriarum animarum cum divina gratia vacare, sed cum eadem impense in salutem et perfectionem proximorum incumbere ».

Hic quidem finis etiam communis est Societati et multis aliis Ordinibus, mendicantium scilicet et clericorum; videtur tamen satis proprius Societatis *ex modo quo intenditur*. Nam primo in Societate omnia ad hunc finem ordinantur, etiam perfectio propria; quod non verificatur in aliis Ordinibus, qui cultum divinum per chorum et alia vitae contemplativae exercitia intendunt; secundo, eadem proximorum utilitatis consideratione moderatur in Societate ratio victus, vestitus, poenitentiarum, asperitatis vitae; tertio etiam ad hunc scopum dirigitur omnis ratio studiorum, graduum diversitas, omissio chori, variaque impetrata privilegia, veluti exemptio a processionibus; quarto, non facile invenitur alia Religio, quae eodem conatu, eadem universali et intenta operatione salutem proximorum eorumque perfectionem prosequatur (SUAREZ tr. X, l. I, c. 2, n. 9 et seqq.).

Hic finis, cum mediis quibus ad eum assequendum Societas utitur, magis explicite declaratur in utraque formula Instituti.

Primum ibi dicitur quod novi *Ordinis nomen,* si S. Sedes approbaverit, erit *Societas Iesu:* « Societas, quam Iesu nomine insigniri cupimus ». Deinde exprimitur peculiaris *eius character:* erit societas militans, ad maiorem Dei gloriam promovendam instituta, Christo penitus devota, et ideo Ecclesiae,

---

confirmamus, supplentes omnes iuris et facti defectus, si qui intervenerint in praedictis Constitutionibus et statutis » (C. *Ascendente*). — Videri potest initium eiusdem constitutionis, ubi Pontifex varias SS. Pontificum gratias iam Societati factas commemorat.

eius sponsae, ac Romani Pontificis, eius Vicarii servitio dedita. Societatis *finis specialis* est fidei defensio, eiusdem propagatio, item animarum profectus, quem procurare intendit veritates revelatas docendo et ad vitam christianam inducendo.

Media praecipua, quae ad hunc finem adhibebit, sunt: 1° praedicatio et omne Verbi Dei ministerium; 2° spiritualia exercitia; 3° puerorum et rudium institutio; 4° sacramentorum administratio, maxime confessionis; 5° etiam alia spiritualia misericordiae opera pro opportunitate [a]; 6° imo opera misericordiae temporalia non respuit, ut infirmis in xenenodochiis inservire, carceribus detentos sublevare, etc. In Const. P. VII, c. 4, n. 9, enunciatis his operibus dicitur: « Corporalibus etiam pietatis operibus, quantum spiritualia, quae maioris sunt momenti, permittent quantumque vires patientur, incumbent ».

Ut hunc finem melius Societas assequatur, sodales peculiari voto obedientiae Romano Pontifici circa missiones [b] sese adstringunt, ministerium suum gratis omnino et nullo accepto stipendio praebent, et in quasvis mundi plagas mittentur, eo ire semper parati esse debent. Propterea Societas nec chorum habet nec vestem sibi propriam, vitam profitetur quoad externa communem nec ullis ordinariis poenitentiis, quae

---

29. (a) Omnia haec sic in 2ª formula Instituti, IULIO III a. 1550 praesentata et ab illo approbata, exprimuntur: « Quicumque in Societate nostra, quam Iesu nomine insigniri cupimus, vult sub crucis vexillo Deo militare, et soli Domino ac Ecclesiae ipsius sponsae sub Rom. Pont., Christi in terris vicario, servire: post solemne perpetuae castitatis, paupertatis et obedientiae votum, proponat sibi partem esse societatis ad hoc potissimum institutae, ut ad fidei defensionem et propagationem, et profectum animarum in vita et doctrina Christiana, per publicas praedicationes, lectiones et aliud quodcumque verbi Dei ministerium, ac spiritualia exercitia, puerorum ac rudium in christianismo institutionem, Christi fidelium in confessionibus audiendis ac caeteris sacramentis administrandis spiritualem consolationem praecipue intendat; et nihilominus ad dissidentium reconciliationem, et eorum qui in carceribus vel in hospitalibus inveniuntur piam subventionem et ministerium, ac reliqua charitatis opera, prout ad Dei gloriam et commune bonum expedire visum erit, exsequenda, gratis omnino et nullo pro suo in praedictis omnibus labore stipendio accepto, se utilem exhibeat ».

(b) Missio intelligitur non tantum ad exteras gentes ad Christianismum convertendas, sed sensu generico: quocumque S. Pontifex aliquem mittere voluerit, ad quodlibet ministerium ibi exercendum, apud quaslibet personas. — Hoc sensu vox *Missio* adhibetur in P. VII Constitut.

eius ministeria impedire possint, subiectam; obedientiam maximam profitetur et plenam cuiusque in manu Superioris resignationem.

Tandem, quoniam vocatio huiusmodi homines omnino selectos exigit, S. Ignatius statuit ad professionem neminem esse admittendum, nisi prius diuturnis ac diligentissimis probationibus exploratum. Propterea duas graves innovationes inducit: primam, ut post novitiatum, quem biennio minorem non vult, non iam professionem, sed vota simplicia, ex parte voventis perpetua, ex parte Ordinis sub conditione acceptata, socii emittant; deinde ut ante probationem tertius adhuc peragatur probationis annus ab omnibus qui studiis in Societate vacarint. Altera innovatio, ut praeter professos (qui omnino selecti esse debent), Societas coadiutores spirituales admittat qui simplicia et conditionata ex parte Societatis vota faciant; et sic diversitatem graduum in Societatem induxit [c].

30. Societas est Religio mixta, scilicet quae vitam contemplativam et activam simul habet.

Eam habere vitam activam satis patet ex enumeratione mediorum quibus utitur.

Habere vitam contemplativam probatur ex multiplicibus exercitiis spiritualibus quotidianis quibus utitur, meditatione per horam integram, duplici examine, auditione vel celebratione missae, lectione spirituali, item ex frequenti sacramentorum usu, exercitiis octiduanis annuis, integro mense exercitiorum bis repetendo, tertio probationis anno. — Commendatur in Constitutionibus ut « omnes suum tempus rebus spiritualibus impendant et devotioni quaerendae insistant » (P. III, c. I, n. 20); « tamquam certum ducitur (professos et coadiutores formatos) viros spirituales esse futuros, qui sic in via Christi Domini nostri profecerint ut per eam currere possint », et « ideo non videtur in iis quae ad orationem, meditationem et studium pertinent ulla regula eis praescribenda » (P. VI, c. 3, n. 1); tandem in P. X, n. 2 omnes monentur: « Ad conservationem et incrementum.... Societatis, atque ad assecutionem finis quem sibi praefigit, auxilii animarum,... media illa quae cum Deo instrumentum coniungunt ac disponunt..., efficaciora sunt, quam quae illud disponunt erga homines. Huiusmodi

---

(c) Haec omnia exprimuntur in Formulis Instituti, in Exam. gener. c. I, — item in Const. *Quanto fructuosius* (1583) GREGORII XIII.

est probitas vitae et virtus, ac praecipue charitas, et pura intentio divini servitii, et familiaritas cum Deo in spiritualibus devotionis exercitiis, et zelus sincerus animarum »: quae omnia ad vitam contemplativam pertinent (a).

CAPUT II.

DE IMPEDIMENTIS AD STATUM RELIGIOSUM

Sectio I. — 1. De impedimentis in genere. Impedimenta iuris naturalis et iuris ecclesiastici. — 2. Infidelitas, haeresis, schisma, excommunicatio. — 3. Defectus rationis aut libertatis: amentia, vis et metus. — 4. Defectus aetatis. — 5. Matrimonium. — 6. Servitus. — 7. Parentum necessitas. — 8. De egressu e Religione ratione necessitatis parentum. — 9. Filiorum, fratrum necessitas. — 10. Debita. — 11. Rationes reddendae. — 12. Crimina graviora. — 13. Illegitimitas. — 14. Irregularitas. — 15. Episcopatus. — 16. Status clericalis. An clerici seculares statum religiosum libere amplecti possint? — 17. Casus pacti serviendi dioecesi. Iuramentum impositum alumnis in seminariis pontificiis, necnon omnibus qui titulo missionis ordinantur. — 18. Professio in alia Religione. — 19. An liberi indigeant consensu parentum?

Sectio II. — 20. Privilegia Societatis quoad illegitimos. — 21. Quoad irregulares. — 22. Circa aetatem. — 23. Impedimenta ex iure Societatis primaria et secundaria. — 24. Apostasia a fide, heresis, schisma. — 25. Homicidium; homicidium casuale peccaminosum. — 26. Assumpsisse habitum alicuius Religionis. — 27. Matrimonium. — 28. Infirmitas capitis. — 29. Impedimentum originis ex Hebraeis vel ex Saracenis. — 30. Est indispensabile. — 31. Impedimenta secundaria; eorum natura. — 32. Impedimenta secundaria in specie. — 33. De candidato qui cum impedimento ignorato aut celato admittitur. — 34. De parentum consensu pro ingressu in Societate.

SECTIO I.

1. De impedimentis in genere. Impedimenta iuris naturalis et iuris ecclesiastici. — Omnes viri et feminae per se habiles sunt ad statum religiosum. Nam quilibet homo per se capax est perfectionis, et consequenter status religiosi, qui ad perfectionem acquirendam est institutus. Per accidens tamen aliqui a statu religioso prohibentur, sive ex ipso iure naturali, sive ex iure ecclesiastico communi; aut a certis Or-

---

30. (a) SUAREZ, tr. X, l. I, c. 6, n. 2, 4 et sqq.

dinibus religiosis, vel lege ecclesiastica vel peculiaribus huius Ordinis statutis ab Ecclesia approbatis, interdicuntur [a].

Impedimenta iuris naturalis ut plurimum lege ecclesiastica magis determinantur, et ideo mixta dici possunt.

Impedimenta iuris naturalis sunt: infidelitas, haeresis, schisma, excommunicatio; — defectus rationis ex amentia aut immaturitate aetatis; — defectus libertatis, vel ex vi aut metu, vel a vinculo praexistenti, scilicet matrimonio, servitute, necessitate parentum aut filiorum, debitis, Episcopatu, aut professione religiosa in alio Ordine.

Impedimenta iuris ecclesiastici: praeter ea quae ius ecclesiasticum circa impedimenta iuris naturalis magis determinat, aliquae personae ex ipsius iuris ecclesiastici praescripto a vita religiosa prohibentur, scilicet: criminosi et infames, illegitimi, irregulares, obnoxii rationibus reddendis, hi qui aetate teneriore aut provectiore sunt.

Ex his impedimentis alia sunt mere prohibentia, alia irritantia; alia fuere per aliquod tempus irritantia et nunc mere prohibentia, pro varietate iuris in diversis temporibus.

Notandum est clausula qua irritatur professio, non ideo irritari ipsum ingressum ; inde fit ut, sublato impedimento tempore novitiatus, valida esset professio, quin novitiatus integer post impedimenti suppressionem de novo fieri debuerit [b]. Sic, v. g., coniugatus, qui ingressus fuerit religionem sine necessario compartis consensu, peccavit quidem, et si consensum non obtinuerit, invalida esset professio ; sed si consensum cum debita forma durante novitiatu obtineat, non est dubium quod valeat novitiatus a primo ingressu, et quod completo ejus tempore licite et valide profiteri possit (Suarez, tr. vii, l. v, c. 4, n. 9 et 10).

In normis a. 1901, art. 61 statuitur:

« Sine dispensatione S. Sedis admitti non possunt in Institutum: 1° illegitimi non rite legitimati, 2° matrimonio ligati, 3° annos nati amplius triginta, 4° minores quindecim annorum aetate, 5° qui in alio Instituto vota perpetua, sive etiam tem-

---

1. (a) Accurate, ut patet distinguenda sunt impedimenta ab Ecclesia stabilita, et proinde (nisi adsit privilegium) S. Sedi reservata, et impedimenta ab Ordine religioso ipso provenientia, quae, ut plurimum, eius auctoritati subjacent, etiamsi fuerint ab Ecclesia approbata (Wernz, nota 186).

(b) Wernz, nota 193; Suarez, tr. vii, l. v, c. 4, n. 10.

poralia emiserunt, iis perdurantibus, 6° aere alieno gravati, cui solvendo non sint, 7° reddendae rationi obnoxii, aut aliis saecularibus negotiis implicati, ex quibus lites et molestias Institutum timere potest, 8° pro mulierum Institutis, viduae ».

De his impedimentis nunc in particulari.

2. Infidelitas, haeresis, schisma, excommunicatio (Vide WERNZ, n. 628, VIII). — Infideles[a], haeretici, schismatici, cum de corpore Ecclesiae non sint, in Instituta religiosa, quae sunt societates particulares in ipsa Ecclesia, admitti valide nequeunt. Agitur autem de infidelibus, haereticis et schismaticis publicis seu notoriis, donec tales sunt. Nam si infidelitas, haeresis, schisma essent occulta, a corpore Ecclesiae non separant et ideo tales valide admitterentur, illicite autem utpote excommunicati.

An autem, facta abiuratione, remanet impedimentum iuris ecclesiastici? Resp. 1: S. CONGR. INQUIS. (4 *febr.* 1898) huic quaesito « utrum ex facto quo quis natus fuerit in haeresi.... oriatur, vi legis communis, impedimentum a professione religiosa arcens » respondit: « Negative, salvis constitutionibus cuiusvis religiosae familiae propriis ». A fortiori idem dicendum est de nato in schismate, et ut videtur, de nato in infidelitate. — Resp. 2. Si quis propria culpa in haeresim aut schisma incidisset aut fidem abnegasset, an post abiuratam haeresim aut infidelitatem, a vita religiosa arceatur, nihil invenitur. Sed dubium non videtur reum tanti peccati venire sub denominatione *criminosi*, et proinde ei applicandum quod de criminosis n. 12 dicetur. Quoad excommunicatos, certe prohibetur ne recipiantur in Religionem, donec excommunicati remaneant; nam excommunicatio privat communione cum Ecclesia. Non est autem lex quae irritet eorum admissionem. Ita tenet SUAREZ tr. VII, l. V, c. 4, n. 17.

Quid, si superveniente dubio de baptismi validitate, rebaptizandus est sub conditione ille qui iam ingressus est Religionem? Casus evenit a. 1898, pro aliquo converso a protestantismo. Paulo ante professionem de validitate baptismi, a ministro protestante collati, dubitatum est; baptismus sub conditione fuit collatus, et « Prior conventus a S. Sede sanationem in radice novitiatus petiit, si forte, ob defectum ba-

---

2. (a) Intellige etiam quoscumque non baptizatos. Ideo S. Congr. saepe exigit ut in Constitutionibus Institutorum apponatur articulus, quo a postulantibus fides baptismatis exigatur. NORMAE a. 1901, *art.* 57.

ptismi, invalidus fuit ». S. Congr. EE. et RR. d. 25 *nov.* 1898, « vigore specialium facultatum a sanctissimo Domino nostro concessarum, benigne commisit Magistro generali, ut, veris existentibus narratis, petitam sanationem.... concedat; emissa tamen ab ipso religioso declaratione se uti velle praesenti Indulto » (A. S. S. t. xxxi, pag. 688) (b).

3. Defectus rationis et libertatis. — Sane professio religiosa et ipse ingressus in statum religiosum liberam electionem iure naturae requirunt: si *vis* perfectus esse. Ergo *amentes, fatui* et alii *usu rationis carentes,* et proinde pueri qui nondum ad aetatem discretionis pervenerunt, incapaces sunt status religiosi (a). Quoad amentes, qui non sunt perpetuo tales, quamvis eos ad statum religiosum recipere non conveniat, attamen non invalida esset admissio aut professio, nisi professionem in statu amentiae fecerint aut nullum admissioni consensum praebuerint (b).

Vis aut metus si gravis sit et iniuste incussus, invalidum reddunt ingressum et professionem. Quod dicitur de vi et metu in ordine ad matrimonium, quando illud invalident necne, hic applicari potest. De libertate requisita ad validum ingressum tractat Suarez, tr. vii, l. v, cc. 8 et 9 (c).

4. Defectus aetatis. — De iure naturae est ut nemo *ad professionem* admittatur qui discretionem sufficientem ad

---

(b) Clausula adiuncta videtur quia, finito novitiatu, ex Tridentino novitius admitti debet ad professionem aut dimitti. Cum autem in casu favor fit novitio, validando (si opus est) novitiatum, favor non illi imponitur et liber remanet ad eum admittendum aut abnuendum; ita ut si adhuc in novitiatu pergere velit, non computando tempus quod praecessit, hoc illi concedi posset.

3. (a) De pueris olim monasteriis a parentibus oblatis, vide Wernz, nota 188.

(b) Ita c. 15, *de Regul.* iii, 31. « Si eo tempore, quo P. positus extra mentem asseritur, indutus fuit habitu monachali, cum alienatus non sentiat ac per hoc non valeat consentire, eum denuntietis ab observatione monastici ordinis absolutum ».

(c) Duo sunt casus in quibus mulier ex iure canonico cogi potest ad ingrediendum monasterium (quin tamen ad professionem emittendam cogi possit): 1° si adultera a marito recipi non obtineat, c. *Gaudemus*, 19, *de Convers. con.* iii, 32; — 2° si consensit ut maritus in religione solemniter profiteretur, et ipsa de incontinentia sit suspecta, c. *Significavit*, 18, eiusdem tit. — Vide Piat, t. i, p. 39, q. 5.

assumendam perpetuam vitae religiosae obligationem non habeat.

Ad determinandam hanc aetatem, plura extant capita decretalium, titulo *de Regularibus*, III, 31. — C. *Significatum*, 11, et seqq. statuitur professionem factam ante annum 14 pro pueris et 12 pro puellis non obligare, nisi postea rata habita fuerit. Sed de aetate ad ipsum *ingressum* requisita nihil statuitur.

TRIDENT. sess. XXV, c. 15 *de Reg.*, statuit professionem ante decimum sextum annum completum et integrum probationis annum emissam esse nullam [a]. Nihil tamen directe statuit circa aetatem qua quis ad novitiatum admitti potest. Dicitur *directe*. Nam c. 16 statuit, finita probatione, novitium statim admittendum esse ad professionem, aut eiiciendum [b]; unde sequitur, iuxta multos, in Religionibus quae unum tantum novitiatus annum habent, nullum esse ad habitum admittendum, nisi qui decimum quintum annum expleverit. Attamen haec conclusio non ab omnibus admittitur, v. g. eam non admittit SCHMALZG. (l. III, tit. 31, n. 44), nec SUAREZ, qui (tr. VII, l. V, c. 13, n. 7) dicit hanc interpretationem Tridentini esse nimis rigidam. (Revera capite sequenti Conc. permittit puellas annis 12 natas ad novitiatum admittere. Invocatur etiam hoc principium apud canonistas commune : correctionem iuris antiqui non esse admittendam nisi de ea certo constet). Ergo, ait, praeceptum eiiciendi statim post annum novitiatus novitios non habiles intelligendum est cum conditione, nisi quid tunc professioni obstet, v. g. defectus aetatis. Concludit ex dicta lege Tridentini non sequi aliquem non posse admitti ad novitiatum, nisi ea aetate qua, finito novitiatu, statim per aetatem liceat profiteri. Hoc verum est, adnotat WERNZ (nota 221), si ad solum Tridentinum attendatur, non autem si ad posteriora decreta.

Etenim CLEMENS VIII (Decr. *Cum ad Regularem* 1603, n. 3) statuit: « Quisque recipiendus in aliquo ordine regulari, etiam

---

4. (a) « In quacumque Religione, tam virorum quam mulierum, professio non fiat ante decimum sextum annum expletum, nec qui minore tempore quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem antea facta sit nulla nullamque inducat obligationem ad alicuius Regulae vel Religionis, vel Ordinis observationem, aut ad alios quoscumque effectus ».

(b) « Finito tempore novitiatus, Superiores novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant aut e monasterio eos eiiciant ».

mendicantium, in ea sit aetate constitutus, quam eius Ordinis, in quo recipietur, regularia instituta et ordinationes requirunt.... ipsi autem conversi non recipiantur ante vigesimum aetatis annum ». Non est tamen ulla clausula irritans receptionem aliter factam [c].

Clemens x, seu Congr. super disc. regul., decreto *Etsi decretis* (1675) (super receptione conversorum) ait: « Etsi decretis S. Congr. super statu regulari, de mandato SS. PP. Innocentii x et Alexandri vii iam pridem editis[d] pro novitiis recipiendis, statutum sit ut omnes, qui ad habitum probationis se recipi postulaverint, diligenter examinentur, nec quisquam censeatur habilis ad huiusmodi habitum recipiendum ut clericus, nisi annum aetatis suae decimum quintum, nec ut conversus, nisi annum vigesimum expleverit;... idcirco eadem S. Congr... ex speciali mandato SS. D. N. Clementis x, hoc praesenti decreto, in virtute s. obedientiae, praecipit... ut de caetero neminem pro tertiariis vel oblatis,... nec pro hospitibus seu postulantibus, vel cantoribus, aut alio quoque nomine nuncupatis, aut quovis habitu indutis... recipiant seu admittant ad habitandum inter claustra, nisi vigesimum aetatis suae annum expleverit, omnesque sic receptos seu admissos (iis tantum exceptis, qui completa aetate annorum quindecim pro clericis seu choristis, in habitu novitiorum annum probationis agunt), a monasteriis seu domibus regularibus omnino amoveant et eiiciant » [e].

Pius ix, aut Congr. super statu regularium, decreto *Neminem* (19 *mart.* 1857), de professione votorum simplicium post

---

(c) Et n. 23: « Tempore probationis elapso, ii tantum qui non solum religiosae perfectionis capaces, sed ad corporalem laborem apti... reperti fuerint, dummodo aetatis annum, quoad clericos decimum sextum, quo vero ad conversos vigesimum primum excesserint, ad professionem admittantur ».

(d) Haec decreta nec in Bullario, nec apud Bizzarri, nec apud alios AA. inveni.

(e) P. Vermeersch, t. i, n. 164 huius decreti auctoritatem in dubium ponit, tum quia a pluribus AA. ignoratur, tum quia Pius IX, decreto *Neminem* (19 *mart.* 1857) (de votorum simplicium emissione) non ad ipsum sed ad decretum Clementis viii remittat. Insuper censet in Religionibus, quae duos annos novitiatus habent, recipi posse ad novitiatum anno decimo quarto expleto. Sed hae rationes non videntur sufficientes ad infirmandam authenticitatem decreti. Decretum citatur a Bizzarri, p. 305, et ibi notatur fuisse rite promulgatum. Vide praeterea infra n. 22, ubi habetur pro Societate Iesu dispensatio ab hoc decreto.

novitiatum, § 3 haec habet : « Peracta probatione et novitiatu... novitii vota simplicia emittant, postquam expleverint aetatem annorum sexdecim ab eodem Trident. Concilio statutam, vel aliam maiorem, quae forsan a statutis proprii Ordinis a S. Sede approbatis requiritur : et quoad laicos et conversos postquam ad eam pervenerint aetatem quae in Constit. Clementis VIII *In suprema* (f) praefinita est ».

In normis a. 1901, art. 61, dicitur : « Sine dispensatione S. Sedis admitti non possunt in Institutum.... 4° minores quindecim annorum aetate ».

Ex his omnibus concludendum videtur, pro admissione in Institutum seu ad novitiatum (nisi ex privilegiis peculiaribus aliud indulgeatur) requiri annum decimum quintum expletum, et pro conversis annum vigesimum expletum (g). Utrumque habetur ex decreto Clementis X ; habetur pro conversis etiam ex decretis Clementis VIII et Pii IX.

Agitur autem de sola liceitate ingressus, nullibi est clausula irritans adversus contravenientes.

5. Matrimonium. — Iuncti matrimonio statum religiosum, exceptis casibus quibusdam a iure expressis, ingredi nequeunt. Ratio est quia per votum castitatis, imo per solum ingressum in Religionem, coniuge contradicente, illius ius violarent, disponendo de re in quam ius amplius non habent, iuxta verbum Apostoli : « Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir ; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier » (1 Cor. VII, 4). Ideo non tantum illicita, sed invalida esset professio, imo et admissio ad statum religiosum.

Tres casus in iure excipiuntur :

Primus casus. Si quis statum religiosum ingrediatur, antequam matrimonium consummaverit ; sed debet ingredi Religionem stricte dictam, in qua solemniter profiteatur. Solemni autem professione, et ea sola, solvitur vinculum praecedentis

---

(f) Decretum *cum ad Regularem* in Bullario citatur statim post Const. *In suprema*, et quasi eius appendix ; inde est quod hic indicatur sub primis verbis ipsius Constitutionis.

(g) De conversis est aliqua controversia apud AA. an recipi possint anno vigesimo incoepto : vide Piat, t. I, p. 81 et Vermeersch, t. I, n. 164, 4°. Sed ex decretis clarum est requiri annum vigesimum expletum.

matrimonii rati, sed non consummati ; tunc, facta professione, compars libera remanet, aliudque matrimonium contrahere potest. Et sic ei non fit iniuria [a].

De hoc privilegio divinitus concesso ita docet TRIDENT. *sess.* XXIV, *can.* 6: « Si quis dixerit matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius coniugum non dissolvi, anathema sit ». Praeiverat ALEX. III c. *Verum,* 2, *de Conv. coniug.* III, 32: « Verum post consensum legitimum de praesenti, licitum est alteri, altero etiam repugnante, eligere monasterium, dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos, et alteri remanenti (si commonitus continentiam servare noluerit) licitum est ad secunda vota transire ; quia cum non fuissent una caro simul effecti, satis potest unus ad Deum transire et alter in saeculo remanere ». Idem ait INNOC. III, c. 14 eiusdem tit. ; in quo insuper declarat, non per solum votum continentiae in saeculo factum sed per professionem religiosam dirimi matrimonium ratum. CONGR. SUPER STAT. REGUL. in responsione ex audientia Sanctissimi 25 *ian.* 1861, declaravit: « nonnisi per solemnem votorum professionem matrimonium ratum et non consummatum dissolvi, non vero per professionem votorum simplicium » [b].

Datur bimestre post contractum matrimonium, intra quod neuter coniugum tenetur solvere debitum, si de ingredienda Religione stricta cogitat. Probabilius est autem, quolibet tandem elapso a contracto matrimonio tempore, si non fuerit consummatum, semper licere alterutri coniugum Religionem intrare, etiamsi post primum bimestre iniuste negaverit debitum reddere. Ita ex c. *Ex publico,* 7. *de Conv. coniug.* III, 32 [c]. Cf. PIAT, t. I, p. 56, q. 8 ; — SUAREZ, tr. VII, l. IX, c. 25, n. 1, 2, 13.

---

5. (a) Notandum est tamen iura civilia moderna has leges ecclesiasticas non agnoscere, et ideo compars derelicta non admitteretur ad contrahendum novum matrimonium.

(b) Non negatur Ecclesiam posse tribuere votis simplicibus Religionis vim dissolvendi matrimonium ratum non consummatum, sed dicitur de facto non tribuisse.

(c) « Ceterum quia (mulier) licet a praefato viro desponsata fuerit, adhuc tamen ab ipso, ut asserit, est incognita, mandamus, quatenus si praedictus vir ipsam carnaliter non cognoverit et eadem ad Religionem transire voluerit, recepta ab ea sufficienti cautione quod vel ad Religionem transire vel ad virum suum redire infra duorum mensium spatium debeat, ipsam a sententia, qua tenetur, absolvas ». — (Mulier excommunicata fuerat, quia debitum reddere recusabat).

Sponsalia autem de futuro nullum impedimentum vitae religiosae constituunt; et liberi remanent sponsi post sponsalia valida ingredi non solum Religionem formalem, verum etiam Institutum votorum simplicium (WERNZ, n. 628, nota 197).

Secundus casus. Consummato etiam matrimonio potest alteruter Religionem, etiam votorum simplicium, ingredi de consensu compartis, quae tunc ipsa Religionem ingredi debet, nisi sit senex et non suspecta de incontinentia. Haec duo simul requiruntur: ergo si sit iunior, semper Religionem ingredi debet; si autem sit senex et non suspecta, tunc emisso in manibus Episcopi et coram testibus castitatis perpetuae voto, in saeculo remanere potest (Haec ex cc. 4, 8, 9, 13, 18, 20 *de Convers. Coniug.* III, 32).

Semel ac facta fuit a comparte licentia ingrediendi Religionem, et non revocata fuit ante professionem, valida est professio, etiam si conditiones a iure praescriptae ab altera parte servatae non fuerint: nulla est enim clausula irritans professionem in casu (WERNZ, *nota* 196); sed illicitum esset professionem emittere, conditionibus ab alia parte non servatis. Imo si pars in saeculo remanens continentiam non voverit, et licentiam revocet, alter redire tenetur, ac etiam non obstante professione valida debitum reddere debet. (Ita c. *Praeterea,* 1, et c. *Ex parte,* 9, *de Conv. Con.,* III, 32)[d]. Magis particularia apud PIAT (t. I, p. 60, q. 10, — et p. 63, q. 12).

Tertius casus. Si intervenerit adulterium, coniux innocens, comparte etiam conversa et invita, religionem ingredi potest. (c. *Constitutus,* 15, *de Conv. Con.;* III, 32). Ratio est permissio divortii perpetui (vinculo remanente) a Christo D. N. concessa in casu adulterii (Matth. XIX, 9); ex qua sequitur per ingressionem in Religionem non violari ius coniugis adulteri. Attamen ad licitum ingressum, interveniat necesse est sententia episcopalis divortii quoad torum, nisi adulterium sit notorium. Cf. PIAT (t. I, p. 62, qq. 11 et 12) [e].

(d) SUAREZ, tr. VII, l. VI, c. 7, n. 9, 11, 15; SCHMALZG. l. III, tit. 32, n. 36, addit conditionem, quod pars remanens in saeculo conscia fuerit legis prohibentis professionem nisi ipsa saltem votum continentiae emitteret. Sed WERNZ, nota 196 reiicit hanc explicationem.

(e) Adulterio carnali iure assimilatur adulterium spirituale, id est lapsus in haeresim vel in apostasiam. Sed hic etiam, ut alicui propter adulterium spirituale compartis liceat ingredi Religionem, requiritur sententia iudicis ecclesiastici (c. *De illa,* 6, *Qui filii,* IV, 19).

Bene annotat idem auctor, quamvis lex ecclesiastica in his tribus casibus permittat ingredi Religionem, nunc plerumque haec privilegia a lege civili non agnosci, et ideo si recursus ad tribunalia civilia a comparte fieret, cogeretur ille qui Religionem ingressus est eam deserere. Quapropter prudentia suadet ut valde caute aliquis in virtute horum privilegiorum ad statum religiosum admittatur.

6. Servitus, scilicet perfecta, ut existebat olim. — Servi non erant sui iuris, totam suam operam hero debebant; ergo de se et de sua opera valide disponere non poterant. Inde eorum ingressus in Religionem non illicitus tantum, sed et invalidus erat. C. 12 *Causae* XVI, q. 1: « Placet.... et neminem servorum suscipi in monasterium ut sit cum eis monachus, nisi cum domini proprii licentia »; et c. 3 *Causae* XVII, q. 2, statuitur ut si incognitus fuerit receptus, qui postea servus esse cognoscatur, domino requirenti reddatur, intra tamen triennium; nam transacto triennio, dominus, qui requirere potuerit et non requisierit, libertatem amplectendi statum religiosum concessisse censebatur.

7. Parentum necessitas(a) — Communis est DD. sententia filios non posse ingredi Religionem, quamdiu parentes in extrema aut gravi necessitate versentur, aut in talem necessitatem, ipsis in Religionem intrantibus, inciderent. S. Lig. (l. IV, n. 66); Suarez (tr. VII, l. V, c. 5, n. 11). Ideo Clemens VIII, Decr. *Cum ad Regularem* (1603) § 4, de recipiendis praecipit: « Superiores diligenter inquirant.... an eorum parentes ope et subsidio ipsorum indigeant ». — Ratio asserti est naturalis pietas parentibus debita.

Extrema necessitas ea est quae periculum vitae inducit; gravis illa est qua vita molesta et gravis redditur; communis, quae cogit parce vivere. Haec triplex necessitas, saltem gravis et communis, non est tantum absoluta, sed relativa ad statum quem quisque habet: valde grave est decidere a statu opulento et honorifico in statum pauperem et abiectum.

Circa assertum haec notanda veniunt: observant AA. filium non impediri intrare propter gravem parentum necessitatem, si remanens in saeculo ipsis subvenire non posset, aut contra si in Religione positus aequaliter eis subvenire posset.

---

7. (a) Cf. Ball.-Palm. n. 193-197; Piat, t. I, p. 51-56.

Notat S. Lig. l. c.: si filius profiteatur non obstante gravi parentum necessitate, peccat quidem, sed valida est professio. Nam necessitas parentum inducit quidem in filios obligationem eis succurendi, sed filii (puberes) remanent sui iuris et ideo valide de vita disponunt[b].

8. Alia est quaestio. — An parentibus egestate pressis, filius iam professus teneatur egredi ut eis subveniat[a].

(b) S. Thomas quaestionem tractat 2. 2.ae q. 189, a. 6, et q. 101, a. 4, c. et ad 4; — necnon in quodlib. x, art. 9. In neutro loco Summae exacte determinat gradum necessitatis parentum, qua filius Religionem ingredi impediatur. Q. 189 ait: « Dicendum est quod parentibus in necessitate existentibus, *ita quod eis commode aliter quam per obsequium filiorum subvenire non possit*, non licet filiis, praetermisso obsequio parentum, Religionem intrare. Si vero non sint in tali necessitate ut filiorum obsequio *multum indigeant*, filii possunt praetermisso parentum obsequio Religionem intrare, etiam contra praeceptum parentum ». Q. 101 ait: « Si carnalibus parentibus nostra obsequia sint necessaria, *ut sine his sustentari non possint*, nec nos ad aliquid contra Deum inducant, non debemus intuitu Religionis eos deserere. Si autem sine peccato eorum obsequiis vacare non possimus, vel etiam si absque nostro obsequio possunt sustentari, licitum est eorum obsequia praetermittere, ad hoc quod amplius Religioni vacemus ». In resp. ad 4 idem repetit; sed ex modo loquendi videtur obligationem remanendi apud parentes restringere ad casum extremae necessitatis. Nam, relata sententia aliquorum, qui dicebant semper licitum esse relinquere parentes ad ingrediendam Religionem, eorum curam Deo committendo, eam refutat, quia « hoc esset tentare Deum, cum habens ex humano consilio quid ageret, *periculo parentes exponeret*, sub spe divini auxilii ». Eamdem doctrinam tenet in quodlib. x, art. 9. « Si sine eius obsequio parentes *nullo modo* vivere possunt, sic tenetur eis servire et alia opera perfectionis praetermittere. Si vero sine eius obsequio possunt *aliqualiter sustentare non honorifice*, non propter hoc tenetur opera perfectionis dimittere ». Suarez (tr. vii, l. v, c. 5, n. 14) de hac ultima sententia profert eam esse intelligendam de honore statum excedente, nam si parens, propter ingressum filii in Religione deberet pati indecentia suo statui, filius ingredi non posset religionem. Idem Suarez, n. 11 dixerat: « Communis sententia est filium non posse, per se loquendo, dimittere parentem in gravi necessitate ut religionem ingrediatur » (per se loquendo, ait, sc. nisi posset in Religione aequaliter subvenire, aut in saeculo remanens non posset, aut incurreret periculum perversionis). — S. Lig. qui (l. iv, n. 66) citat loca S. Thomae, citat simul « Sanch., Less., Salm., qui cum Suarez, Palao, Bonacina et communi, ea interpretantur de necessitate extrema et gravi etiam, non autem de communi ». Et hoc, ait valet, etiamsi filius votum ingrediendi Religionem emiserit.

8. (a) Dicitur « filius iam professus »; nam si adhuc esset novitius,

Supponitur quod remanens in claustro eis subvenire nequeat et contra quod egrediendo subvenire poterit. Nam secus nulla esset ratio egrediendi, ut patet.

Porro S. Thom. (2. 2.ae q. 101, a. 4, ad 4) simpliciter negat teneri. Hic postquam dixit filium non posse religionem ingredi, in casu quo ingrediendo parentes *periculo exponeret* (vide textum supra), subiungit: « Ille vero qui iam est in Religione professus reputatur iam quasi mortuus mundo; unde non debet, occasione sustentationis parentum exire claustrum, in quo Christo consepelitur, et se iterum saecularibus negotiis implicare. Tenetur tamen, salva sui Praelati obedientia et suae Religionis statu. pium studium adhibere, qualiter eius parentibus subveniatur ».

S. Lig. tamen (l. iv, n. 67) propositae quaestioni respondet: « In necessitate extrema, certum est teneri.... Si necessitas est tantum gravis, triplex est sententia. Prima, teneri filium egredi, quia per votum non extinguitur obligatio naturalis filii erga parentes (est paucorum et AA. minoris auctoritatis). Secunda distinguit: si necessitas parentum antecessit professionem, filius tenetur egredi, quia obligatio iam contracta non extinguitur per professionem, sicut si professionem subsequitur: ita valde probabiliter Elbel; Lessius, Tolet., Navarrus, Suarez, etc. Tertia sententia probabilior docet in tali casu non teneri nec posse filium egredi sine licentia, sive necessitas praecedat professionem sive non; citat S. Thomam (2. 2.ae q. 101, a. 4, ad 4), et Busemb., Sanch., S. Anton., Bonac., Salm., cum aliis. Ergo haec sententia supponit Superiorem posse dare licentiam, sed non teneri. (Dixerat S. Doctor, loquendo de extrema necessitate: si patris necessitas non sit evidens et praelatus licentiam neget, iudicans necessitatem non esse talem, standum esse iudicio superioris).

Suarez quaestionem tractat tr. vii, l. vi, c. 9 per totum; n. 5 ait non agi de extrema necessitate, in quo casu religiosus teneretur subvenire parentibus, etiam deserendo Religionem, et invito praelato; sed tantum de gravi necessitate. Tres refert esse sententias; quas sic exponit: prima sententia dicit filium iam professum solum obligari ad subveniendum parenti, servata obedientia et professione religiosa: tenebitur ergo a suo praelato facultatem petere, et illa obtenta, et habitu, et reli-

---

videtur quod egredi teneatur quoties ingredi non potuisset (Prümmer, q. 25). De Scholasticis Societatis, vide c. v, n. 23, 10°.

gione retenta, ei subvenire prout potuerit; si autem superior facultatem neget excusabitur. Ita, ait S. Thomas (n. 3).

Secunda sententia affirmat filium professum teneri ad subveniendum parenti in necessitate constituto, etiam invito praelato et relicto habitu si necesse sit, quamvis necessitas parentis supervenerit (n. 4).

Tertia sententia distinguit quando necessitas parentum antecessit professionem, vel subsecuta est. Si necessitas praecessit, affirmat filium post professionem (tunc indebite factam, quia debebat non intrare Religionem, ut parenti subveniret) teneri etiam invito praelato, ac relicto habitu et statu, si necesse sit, quantum ad actualem observantiam et obedientiam, subvenire parentibus illum repetentibus (n. 6 et 1)[b]. Si autem necessitas parentum supervenerit professioni iam factae, tum haec tertia sententia concordat cum prima (n. 7). Fundamentum primae partis est, quia filius intrando religionem aut emittendo professionem, quando iam parentes in necessitate versabantur, eorum ius violavit. Fundamentum secundae partis est, quia si necessitas parentum supervenit professioni iam factae, invenit filium iam propter statum impotentem eis subveniendi. Haec tertia sententia, ait Suarez n. 8, mihi videtur probabilissima, multumque rationi consentanea et, si attente legantur Auctores, est communior inter eos. Deinde sic evolvit utramque partem huius tertiae sententiae.

Quando filius professus est Religionem cum iniuria parentis iam existentis in gravi necessitate: 1° tenetur petere facultatem ad subveniendum ei (n. 9); 2° Religio seu Praelatus tenetur eam dare (n. 10); 3° si potest subvenire parenti, servata obedientia et obligatione suae Religionis, non potest Religionem deserere; et Superior tenetur dare religioso media et permittere actiones necessarias ad satisfaciendum suae obligationi, quae Instituto non sint alienae, v. g. eleemosynas quaerere, aut etiam si necessarium sit (et non sit inconve-

---

(b) Notanda est haec clausula, « parentibus illum repetentibus »; nam si parentes cedant iuri suo, et libenter gravem necessitatem potius patiantur quam repetant filium, filius nec tenebitur, nec poterit deserere Religionem, nam sola ratio eam deserendi est ius parentum, cui respondet filii obligatio. — Notetur etiam alia clausula « quantum ad actualem observantiam et obedientiam ». Qua insinuatur suspendi, non tolli obligationem vitae religiosae quam professus est, et proinde ut primum licebit, eum teneri ad Religionem redire. Videtur etiam insinuari Religionem tunc, nisi supervenerint rationes in contrarium, teneri ipsum redeuntem admittere.

niens) vivere extra claustrum retento habitu (n. 11); 4° si aliud remedium non superest, potest et debet huiusmodi religiosus subvenire parenti, etiam sine licentia praelatorum et, relicta Religione, si necessarium medium sit (n. 12), attamen vitato omni gravi scandalo ac sine notabili indecentia religiosi status: nam si nequiret religionem deserere sine scandalo aut indecentia status, non deberet eam deserere; ius parentis enim tunc cederet tanto incommodo.

Quando autem necessitas parentis supervenit post professionem a filio iam emissam, tunc 1° Filius professus tenetur parenti subvenire servato suo statu et substantiali ordine Religionis. 2° Non potest tamen ob eam causam mutare statum sine legitima facultate Pontificis aut suorum praelatorum (nn. 16 et 20). 3° Praelatus autem tenetur praebere religioso media quae ab ipso remanente intra Religionem, decenter et sine notabili gravamine Religionis ac sine morali periculo ipsius religiosi adhiberi possunt (n. 17); non autem tenetur dare facultatem vivendi diu extra claustrum vel dimittendi habitum (n. 18, 19); quid autem si gravamen Religionis esset privari eleemosynis missarum huius religiosi, aut fructibus suae industriae, v. g. ex operibus actis pretio aestimabilibus? — respondet hoc gravamen pro statu conventus divitis aut pauperis posse aestimari grave aut satis leve, et secundum gravitatem huius gravaminis Praelatum posse aut non posse licentiam denegare. 4° Si autem Praelatus facultates petitas indebite negaverit, tunc, pergit Suarez (n. 26), primo supponendum est, nihil esse agendum cum scandalo vel cum offensione Religionis, quia haec maiora sunt mala; et ideo si prohibitio praelati publica sit, ordinarie non licebit publice agere contra illam. Difficultas ergo sola est an occulte et caute possit in eo casu subvenire parenti. In quo ego, ait, absolute et simpliciter censeo, licite posse(c). Attamen statim distinguit duo genera actionum, quas religiosus sine licentia praelati facere posset, alias quae sine licentia essent ex se illicitae, v. g. contra votum paupertatis; alias pro quibus licentia requiritur propter bonum ordinem tantum. Quoad has posteriores actiones certum censeo, inquit, posse fieri in casu vel licentia non petita, si non sit spes moralis eam obtinendi, imo ea petita et denegata (n. 27). Si autem agitur de actionibus pro quibus

(c) Sed in casu prius remanet recursus ad Superiorem maiorem; et hic recursus omitti non debet, per se loquendo.

necessaria est dispensatio ad licite agendum, tunc si ex iudicio prudentum praelatus iniuste agit non concedendo necessarias facultates, potest religiosus subvenire parenti, occulte tamen et sine scandalo. Si vero casus non est talis ut praelatus obligetur ad dispensandum, tunc non censeo posse fieri, ipso denegante, dispensationem (n. 29).

Ex dictis habetur solutio alterius quaestionis connexae, scil. ad quid teneatur Religio, quando parentes unius e religiosis in necessitate versantur. Resp. 1° Si parentes in extrema necessitate versentur, tenetur dare religioso media subveniendi parentibus, aut permittere ut egrediatur. 2° Si parentes versentur in gravi tantum necessitate, tenetur dare religioso media eis subveniendi, si id possit absque gravi onere. 3° Si autem non possit sine gravi onere, tunc si gravis necessitas antecessit ingressum aut professionem, Religio non tenetur quidem grave onus sustinere, sed debet permittere religioso ut extra claustrum et observantiam regularem parentibus subveniat: si autem gravis necessitas parentum supervenerit professioni iam factae et Religio non possit sine gravi suo onere dare religioso media subveniendi parentibus, probabiliter non tenetur grave onus subire, nec dare religioso licentiam exeundi. Alii contradicunt.

Notant praeterea nonnulli, innixi decretis *Tridentini*, sess. XXV, c. 4 *de Regul.*, et *Clementis* VIII (*Nullus omnino*, n. 32) et *Urbani* VIII (*Sacra Congreg.*), quibus Superiores prohibentur ne permittant subditis diu permanere extra claustra, licentiam exeundi petendam esse a S. Sede (PIAT, t. I, p. 54).

9. Parentes eadem imo strictiori obligatione tenentur non deserere filios, ad ingrediendam Religionem, donec eorum educatione et ope indigent. Nam parentes ex iure naturali liberis sustentationem et educationem debent (a).

An eadem sit obligatio fratris erga fratres et sorores? — S. LIG. l. IV, n. 70 respondet: « Fratres aut sorores non licet deserere in necessitate extrema, sed licet in gravi: quamvis

---

9. (a) S. TH. 2. 2.ae q. 189, a. 6: « Parentes habent rationem principii (erga filios) et ideo per se eis convenit ut filiorum curam habeant. Et propter hoc non licet alicui filios habenti Religionem ingredi, omnino praetermissa cura filiorum, id est, non proviso qualiter educari possint ». — De hac quaestione V. SUAREZ, tr. VII, l. V, c. 6.

ratione charitatis posset differre, non autem per longum tempus, si votum Religionis habeat, sed esset ratio ad petendam voti dispensationem ». Notat autem SUAREZ (tr. VII, l. V, c. 6, n. 3), si fratres et sorores eius qui vult ingredi Religionem sint sub cura parentum, maiorem habet obligationem differendi ingressum : tunc enim potius parentibus, quam fratribus subvenit.

Quid autem, post professionem factam, liceat religioso, ad subveniendum fratribus et sororibus? Sic respondet idem SUAREZ (l. VI, c. 9, n. 31) : « Post professionem factam, etiamsi fingamus peccatum aliquod in ea intervenisse (quia eos reliquit, quando subvenire debuisset), nulla potest esse obligatio succurrendi fratribus cum detrimento vel diminutione status religiosi.... Intra religionem vero, servato ordine eius, manebit obligatio charitatis maior quam ad alios proximos, quanto maior est coniunctio ».

10. Debita. — Sane qui debita habet, priusquam vitam religiosam ingrediatur, ea solvere debet. Sed quid, si sit impar solvendo? Primo si nulla esset spes solvendi remanendo in saeculo, nulla esset naturalis obligatio quae a vita religiosa debitorem prohiberet; an ex lege positiva propter extrinsecas rationes sit prohibitio admittendi ad vitam religiosam debitorem solvendo imparem, mox dicetur. — Sed si debitor, qui est nunc solvendo impar, spem fundatam habeat, quod manens in saeculo ea solvere poterit, debetne a vita religiosa removeri? Si brevi tempore solvere poterit, conveniunt DD. ingressum differendum esse. — Quid autem si nonnisi post diuturnum tempus debita solvere possit? S. THOMAS (2. 2.^{ae} q. 189, a. 6, ad 3) : resolvit posse intrare, et sententiam fundat partim in iure naturali, partim in iure civili. « Si aliquis sit obligatus.... ut certum debitum reddat, non potest hoc licite praetermittere ut Religionem ingrediatur. Si tamen debeat aliquam pecuniam et non habeat unde reddat, tenetur facere quod potest, scilicet, ut cedat bonis suis creditori. Propter pecuniam autem persona liberi hominis, secundum iura civilia, non obligatur, sed solum res : quia persona liberi hominis superat omnem aestimationem pecuniae. Unde licite potest, exhibitis rebus suis, Religionem intrare, nec tenetur in saeculo remanere, ut procuret unde debitum solvat ». Ita S. Doctor [a].

---

10. (a) SUAREZ, qui quaestionem tractat l. V, c. 7, ait n. 13 obligatio-

Sed nunc exstant aliae praescriptiones iuris canonici. Hae autem praescriptiones ad plures etiam alios casus, de quibus dicendum remanet, spectant, scilicet ad illegitimos, criminosos, debitores et obnoxios rationibus reddendis. Continentur quatuor constitutionibus SS. PP., quas oportet primum historice exponere ut clare appareat quinam casus in prohibitionibus comprehendantur, an prohibitiones irritent ingressum necne, quae forma in aliquibus candidatis recipiendis praescribatur.

Prima Constit. *Cum de omnibus* SIXTI V (1587). In ea S. Pont. prohibet recipere ad vitam religiosam illegitimos ex incestu vel sacrilegio: alios autem illegitimos non permittit admittere, nisi servata aliqua forma ibidem praescripta. Item prohibet recipere criminosos, oppressos aere alieno, et rationibus reddendis obnoxios: et ne tales ignota eorum conditione forte recipiantur, inquisitionem faciendam praescribit de omnibus qui sexdecim annis maiores admitti petunt [b]. Deinde irritam

---

nem solvendi debitum ante ingressum esse multo minorem, si oriatur **ex mera promissione non ex iure proprio alterius.**

(b) § 2. « Districte interdicimus et prohibemus, ne illegitimi procreati ex incestu aut ex sacrilegio, etiam Apostolica... aut quavis alia auctoritate legitimati... ad aliquam quorumcumque Ordinum... Religionem... recipi vel admitti quoquo modo possint... § 3. Quoad reliquos vero non ex incestu nec sacrilegio, sed ex quovis alio minus legitimo toro natos, spurios vel naturales etiam vel alias legitimatos, qui ob melioris vitae frugem Religionem ingredi cupiunt, statuimus et ordinamus eos ad Religionem admitti non posse ac debere, nisi prius illorum vita et moribus diligenter cognitis et circumstantiis universis,... adeo bonam indolem et speciem virtutis prae se ferant, ac tot merita eis suffragentur, ut defectum natalium suppleant eorumque receptio universae Religioni commodo et utilitati profutura videatur; et super hoc ipso in generali vel provinciali capitulo matura deliberatione habita, generalis vel provincialis Superioris ac definitorum unanimi consensu approbati, et ad habitum regularem admissi extiterint ». (Haec praescriptio unanimis consensus fuit sublata Const. X *Ad Romanum*, § 10). — Deinde § 4 exponit multos ingredi post gravia commissa crimina, et ideo praecipit inquisitionem fieri de omnibus candidatis sexdecim annis maioribus, ita ut ex informatione « compertum et exploratum sit eos neque aliquorum criminum, qualia sunt homicidia, furta, latrocinia, vel alia similia aut graviora, reos vel suspectos existere, ut propterea damnati sint aut ne damnentur formident; neque ingenti aere alieno supra vires facultatum suarum gravatos, vel reddendis ratiociniis ita obnoxios, ut ex huiusmodi causa lis vel molestia eis iam illata vel timendum sit ne inferatur...

et nullam declarat receptionem eorum qui contra suam constitutionem reciperentur, et poenas statuit in contravenientes.

Secunda Const. *Ad Romanum Pontificem* (1588), eiusdem Sixti v, declarat et emollit paululum praecedentem constitutionem.

Tertia Const. *Circumspecta*, Gregorii xiv (1591) modificat praescriptiones Sixti v de illegitimis et circa inquisitionem faciendam.

Quarta Const. *In suprema*, Clementis viii (1602). Pontifex motus incommodis quae ex nimia multitudine casuum, in quibus professio nulla declaratur, ortum habebant, professionem cum impedimentis a Sixto v statutis non amplius fore irritam, sed remanere prohibitam statuit; formam autem praescriptam et poenas adversus contravenientes servat (c).

His positis;

Inter eos, quos Sixtus v recipere prohibet, enumerat « ingenti aere alieno super vires facultatum suarum gravatos ». De modo quo intelligi debeat haec prohibitio plures sunt quaestiones.

1ª An recipi prohibeatur debitor, qui sine sua culpa gravi impotens solvendi factus est? — AA. communiter eum a prohibitione Sixti v eximunt. Ratio est quia ipse Pontifex, eodem § quo aere alieno gravatos recipi prohibet, hanc rationem dederat: « Coeterum, quoniam saepe se vitia ingerunt.... ac multi decoctores, post dilapidatam rem familiarem et contractam ingentem vim aeris alieni, aut interversam alienam pecuniam eorum fidei creditam,... alii post furta, latrocinia,

---

Omnes autem et quoscumque, ut dictum est, criminosos, vel suspectos aut aeri alieno, ut etiam diximus, vel rationibus reddendis obligatos, ad Religionem perpetuo inhabiles declaramus ».

(c) « Constitutiones praedictas Sixti Praedecessoris, quoad eam partem, per quam eorum, qui formam in eisdem Constit. praescriptam de caetero non servaverint, et quoad alios etiam casus ibidem expressos, in quibus receptorum in quibuscumque etiam mendicantium Ordinibus professio nulla declaratur, ad terminos iuris ac sacrorum Canonum, perinde ac si illae Constitutiones in illa parte editae non fuissent, auctoritate Apostolica tenore praesentium reducimus. Caeterum poenas contra Superiores quorumcumque Ordinum, etiam mendicantium, qui in admittendis Regularibus ad habitum et professionem, earumdem Constitutionum formam non servaverint, aut aliter quovis modo contrafecerint, in ipsis Constitutionibus inflictas, salvas esse voluimus et statuimus». (Clem. viii, C. *In suprema*, 1602, § 3 et 4).

rapinas, homicidia, aliave facinora patrata, tunc demum quaerunt a religione auxilium, quando aliunde illud non sperant... ; ut *his* quoque subterfugii et impunitatis spes omnis tollatur,... statuimus et ordinamus.... ». Inde clare apparet constitutionem fuisse latam contra hos tantum debitores qui gravibus criminibus aut dilapidatione prodiga impares solvendo inveniuntur, non autem contra eos qui sine gravi culpa sua debitis onerantur.

2ª AA. notant Sixtum v loqui tantum de iis qui *ingenti* aere alieno sunt gravati : unde concludunt illum qui modicis tantum debitis est gravatus ab ingressu Religionis *eius Constitutione* non prohiberi, sed tantum iuri naturali subiici.

3ª Quid, si nulla sit debitori spes solvendi, remanendo in saeculo? — DD. communiter docent illum, spectato iure naturali, statim posse ingredi etiamsi debita gravi sua culpa contraxerit. Sane, tunc nulla est obligatio iustitiae, qua a Religione prohibeatur. Num autem propter alias rationes, v. g. ad vitandum scandalum, oblocutiones, prohiberi debeat et etiam comprendatur bulla Sixti v, dicetur in responsione sequenti.

4ª An a Religione prohibeantur debitores, quibus quidem, si remaneant in saeculo, adest spes debita solvendi, sed nonnisi post tempus diuturnum? — Multi censent his licitum esse statim ingredi, cedendo bonis quae habent. Haec est sententia S. Thomae, ut dictum est; et S. Lig. (l. iv, n. 71), posita generaliori quaestione, an debitor aere alieno gravatus possit Religionem ingredi, respondet tres adesse sententias. Prima sent. absolute negat. « Secunda, si debitor in saeculo manens, brevi tempore probabiliter et sine magna difficultate acquirere sua industria possit quod debet vel notabilem debiti partem, tunc tenetur expectare : secus, si diu expectare deberet, vel si sine notabili difficultate satisfacere non posset.... Tertia vero absolute docet debitorem statim posse Religionem ingredi, bona sua creditori cedendo. Probabilior mihi videtur secunda (sent.), modo (addit etiam) ex illa brevi mansione in saeculo non immineat probabile periculum incidendi in peccata vel amittendi vocationem ad Religionem ». Hanc sententiam tenet De Lugo (*de Iure et Iust.*, d. xxi, n. 67) (d) cum

(d) Lugo, qui quaestionem longe tractat, ait n. 69: « Probabiliter censetur neque in his debitis (ex delicto) neque in iis quae ex contractu oneroso oriuntur, debere ultra biennium in saeculo exspectare, sed satis

aliis. Contra vero Suarez (tr. VII, l. V, c. 7, n. 12) cum Molina, Schmalzg., Valent., Bonac., Castro-Palao. Deinde difficultatem sibi proponit S. Doctor ex prohibitione facta in Constitutionibus Sixti V et Clementis VIII ac respondet cum Lacroix, quem citat approbando: « Hoc intelligendum est de iis qui aliter non possunt solvere nisi manendo in saeculo, et *a quibus sperari* potest solutio, item si magna sint debita superantia facultates proprias (cum dicatur in Bulla: ingenti aere alieno gravatis); insuper hoc non procedit pro his qui gravantur debitis incertis, nec pro iis qui sine culpa gravi inciderunt in impotentiam: nam Bulla est tantum pro dilapidatoribus ».

Suarez autem, quem s. Doctor affert tamquam huic opinioni contrarium, sic loquitur l. c.: « Omnibus ergo attente consideratis, quamvis haec posterior opinio (sc. relata secundo loco a S. Lig., quam S. Doctor sequitur) pia sit, prima tamen (sc. quae negat debitorem posse ingredi) in rigore iuris videtur vera, si tamen cum debito moderamine, iudicio viri prudentis accipiatur.... Considerando (enim) id quod est per se, videtur pro regula statuendum, ut debitum iustitiae solvatur, si moraliter potest, priusquam per ingressum Religionis homo fiat inhabilis ad illud solvendum; unde si non possit statim solvere, tenetur quam primum possit, et licet actu non habeat, si habet in spe, vel potentia proxima, tenetur suam industriam ponere ut solvat;... nec tunc satisfaceret cedendo bonis quae in praesenti habet, quia esset fraudulenta illa bonorum cessio. Hoc autem ita est moderandum, ut necesse sit spem solvendi debitum esse moraliter certam; oportet etiam ut non cogatur quis illis negotiationibus insistere quae de se implicant ad peccatum; nec etiam cogendus est ad petendum vel mendicandum ut solvat; nec ad exercendas viliores actiones et indecentes suo statui. Unde si aliter solvere non posset, censeretur simpliciter impotens ».

Ergo solutiones Doctorum sic brevi resumi possunt: 1° Qui ingentibus debitis gravatus sine gravi sua culpa, est impotens solvendi, non tenetur ingressum in Religionem ad longum tempus differre. 2° Qui ex gravi culpa ingentia debita contraxit, et remanendo in saeculo nullam spem habet ea, etiam post longum tempus, solvendi, potest statim ingredi. 3° Qui

---

esse si eo tempore (sc. per biennium) expectet, ut integre vel magna ex parte solvantur ». Deinde plures notas magis particulares adiungit.

gravi culpa sua ingentia debita contraxit, quae remanendo in saeculo solvere posset sed nonnisi post longum tempus, de hoc duplex sententia: secundum primam potest statim intrare cedendo bonis suis, secundum alteram non potest.

Sed revera secunda solutio, et in tertia solutione prima sententia, casum ex principiis iuris naturalis, non attenta Constitutione Sixti V, solvere videntur. Nam Sixtus V omnes qui gravi sua culpa ingenti aere alieno sunt gravati prohibet admitti in Religionibus. Nec desunt rationes talis prohibitionis, v. g. ut vitentur scandala, oblocutiones, odium Religionum, ne animus dilapidatoribus detur, si sciunt se recipiendos fore in Religione.

Normae a. 1901, art. 61, sine distinctione decernunt admitti non posse « aere alieno gravatos cui solvendo non sint ». Wernz, n. 628, VI, et Piat, I, p. 68, 5° idem insinuant. Insuper recte notat Lehmkuhl (t. I, n. 514, 4) etiam in casibus, quibus ex iure naturali et ex iure canonico liceret debitis gravato Religionem ingredi, attendere oportet legibus civilibus quae has exceptiones non admittunt, sed huiusmodi debitores ad solvendum aut ad carcerem condemnant. Unde imprudenter ageret Superior qui his legibus neglectis debitores reciperet.

Notanda est observatio S. Cong. EE. et RR. (3 *mart.* 1861, ad 12) ad regulas Congr. presbyterorum Imm. Concept.: « Iuri communi repugnat admittere novitios qui aere alieno gravantur eorumque debita ab Instituto assumi » (e).

Dicit S. Lig. (l. c.): « Si vero quis debitis gravatus iam Religionem professus est, valet professio (propter C. Clementis VIII, qua revocatur in hac parte C. Sixti V); nec Praelatus tenetur tunc de iustitia licentiam illi dare ad laborandum, ut satisfaciat, ut dicit Croix cum Lugo; tenetur tamen ex caritate, si nullum inconveniens obstaret ».

Sed per professionem religiosam professus non absolvitur naturali obligatione solvendi debita, quatenus id valeat. Ideo si illi eveniunt haereditates, legata, dona personalia quaecumque, haec probabilius, saltem ex aequitate, debentur debitoribus (Ferrari, n. 28). Imo id videtur certum, non tan-

---

(e) Iuri communi repugnare videtur dictum propter vetitam Regularibus largitionem munerum. Assumere debita novitii esset aequivalenter munus ipsi largiri.

tum pro religiosis votorum simplicium qui bonorum suorum dominium retinent, pro quibus dubium esse nequit, sed etiam pro solemniter professis (f).

11. Obnoxii rationibus reddendis — Hoc impedimentum a Sixto V statutum fuit C. *Cum de omnibus*. Inter eos qui recipi non possunt enumerat « reddendis rationibus ita obnoxios ut ex eiusmodi causa lis vel molestia eis iam illata, vel timendum sit ne inferatur ».

Ex his verbis merito concluditur: si nec fuit lis aut molestia illata, nec timetur ut inferatur, rationibus reddendis obnoxii admitti possunt (Suarez, tr. VII, l. V, c. 7, n. 20). Eadem conclusio innititur motivis huius legis quae sic exprimuntur: « ne in Religionis opprobrium, in Dei offensam et scandalum plurimorum, lis moveatur contra obligatos ».

Obligatio autem rationes reddendi ex administratione rei vel publicae vel privatae exsurgit. Omnes administratores rei publicae sunt rationibus obnoxii: administratores rei privatae rationibus obnoxii sunt tutores, curatores, procuratores, exsecutores testamentorum, aliique simile munus circa res alienas exercentes.

Normae a. 1901, art. 61, inter eos qui sine dispensatione S. Sedis admitti nequeunt enumerat « reddendae rationi obnoxios, aut aliis saecularibus negotiis implicatos, ex quibus lites et molestias Institutum timere potest. »

12. Crimina graviora. — Ante Sixtum V nulla erat prohibitio recipiendi criminosos. Sixtus V primus hoc impedimentum statuit; et ne tales reciperentur, praecepit inquisitionem fieri de omnibus qui sexdecim annis maiores peterent admitti in Religionem. Ita pronuntiat C. *Cum de omnibus* (1587): « Statuimus et ordinamus iuvenes aut viros adultos maiores sexdecim annis non aliter in aliquam Religionem recipi posse nec debere, nisi prius de eorum parentibus, patria, deque anteacta vita et moribus diligenter inquiratur et ex accurata informatione et fide digna relatione compertum et exploratum sit, eos neque aliquorum criminum, qualia sunt homicidia, furta,

---

(f) Nec obstat lex canonica: quidquid monachus acquirit, monasterio acquirit. Nam lex canonica legem naturalem non tollit, et ideo disponere non potest de re quae est tertio obligata. Porro lex est canonica quae facit solemniter professum dominii incapacem, et disponit monasterium eius loco acquirere; hoc facere nequit in detrimentum tertii.

latrocinia, vel alia similia aut graviora, reos vel suspectos existere, ut propterea damnati sint aut ne damnentur formident;... deque his omnibus in generali vel provinciali capitulo plena et indubitata fide facta, tam Superioris Generalis seu Provincialis quam definitorum consensu approbati et ad habitum regularem admissi fuerint ». (Hanc formam Sixtinam longe explicat SUAREZ, l. v, c. 10, n. 11 et sqq.). Anno sequente, SIXTUS V, C. *Ad Romanum Pontificem,* § 17, correxit quod dixerat de *criminosis et suspectis* criminum, his verbis: « Contra criminosos vero, quorum professio.... irrita declaratur, ac propterea iudicibus et curiis saecularibus procedendi facultas conceditur, tunc demum id locum habere volumus et non aliter, cum actis publicis constiterit ipsos iudices et curiam saecularem ante susceptionem habitus de ipso crimine adversus eos accusationem suscepisse, vel inquisitionem instituisse ».

Ex hac prioris constitutionis correctione, habetur criminosos aut suspectos de crimine tunc tantum vi constitutionum Sixti v a Religione prohiberi, quando accusatio recepta fuerit a curia saeculari aut inquisitio ab ea ex officio instituta fuerit, et de hoc ex actis publicis constiterit. Ergo vi constitutionum sixtinarum non excluduntur criminosi contra quos stat tantum veritas criminis, aut rumor de eo, aut etiam notorietas facti; nec iuxta plures (et ita omnino videtur) criminosi a Religione prohibentur, quando non a curia seculari, sed a curia ecclesiastica accusatio accepta aut inquisitio instituta fuerit[a]. Omnes autem conveniunt non comprehendi eos qui accusati aut inquisiti sententia absoluti fuerint, etiamsi de facto crimen commiserint.

Multi etiam autumant non prohiberi receptionem eorum qui damnati poenam impositam iam luerint. Ita PIAT (I, p. 75, 5°); et hanc sententiam SUAREZ (tr. VII, l. v, c. 7, n. 19) probabilem censet (Contra WERNZ, nota praecedente); addit tamen: nisi infamia perseveret. Haec conditio omnino exigenda est in ista sententia; nam sane inter rationes prohibitionis a Sixto v allegantur « Religionis opprobrium et scandalum plurimorum », quae non tolluntur ex eo quod criminosus poenam impositam iam luerit. Igitur requirendum est ut infamia penitus cessa-

---

12. (a) Contrarium sentit PIAT, I, p. 72, et WERNZ, n. 629, III, secundum quem excluduntur « criminosi et infames, ex actis publicis in foro seculari vel ecclesiastico rei vel suspecti, aut qui propter ea damnati sint, aut ne damnentur formident ».

verit vel ex perfecta emendatione, vel quia in loco, quo ad Religionem admittitur, aut non pervenit aut non remanet fama criminis et condemnationis.

Quaenam autem sunt crimina quae constitutione Sixtina plectuntur? In ea sic indicantur: « homicidia, furta, latrocinia, vel alia similia vel graviora ». Porro his ultimis verbis iuxta plures intelligenda veniunt adulterium publicum, sodomia, haeresis, falsificatio Litterarum Apostolicarum, simonia: ita Piat (I, p. 71, q. 3, nota 4): forsan dicendum, omnia crimina quae infamiam important, ea enim videtur esse ratio legis. « Quibus criminosis generatim adnumerandi sunt, ait Wernz (n. 629, III), omnes irregulares ex delicto, qui sunt admittendi inter novitios postea ad sacros ordines promovendos » [b]. (Vide infra n. 14).

13. Illegitimitas. — (Cf. Wernz, n. 629, III, *Scholion*). Ut vitetur confusio propter contrarias successivas leges contra illegitimos latas, primo hae leges sunt historice exponendae, ut deinde concludatur quodnam sit ius nunc vigens.

Illegitimi ante Sixtum V a statu religioso non prohibebantur, imo per professionem irregularitas cessabat: promoveri poterant ad ordines sacros, non autem ad praelationes tum ipsius Ordinis, tum externas, nominatim electio illegitimorum ad dignitatem episcopalem prohibebatur [a].

Sixtus V, C. *cum de omnibus* (1587), duas illegitimorum classes distinguit: primam, illorum qui ex incestu aut ex sacrilegio nati sint; alteram, eorum qui ex minus legitimo toro, spurii aut naturales, etiamsi fuerint postea legitimati.

De illegitimis ex incestu vel sacrilegio tria statuit: 1° eorum (etiamsi fuerint postea legitimati) tum habitus susceptio tum professio omnino prohibetur, et si nihilominus fiat, irrita, nulla et invalida declaratur; 2° Superiores qui huiusmodi admiserint, excommunicatione R. P. reservata plectuntur;

(b) Attamen si Ordo religiosus gaudet privilegio dispensandi candidatos ab irregularitatibus, eo ipso hos irregulares recipere posset. Ideo provide dictum fuit: quibus *generatim* adnumerandi sunt...

13. (a) C. *Ut filii*, 1, *de filiis presbyterorum* I, 17: « Ut filii presbyterorum et ceteri ex fornicatione nati ad sacros ordines non promoveantur nisi aut monachi fiant vel in Congregatione canonica regulariter viventes; praelationem vero nullatenus habeant ». — Episcopatus eis interdicitur c. *Nimis*, 18, eiusdem tit. et c. *Innotuit*, 20, *de electione*, I, 6.

3° permittitur tamen ut hi illegitimi ad habitum conversorum seu famulorum recipiantur, ea conditione ut nullo modo, nec ad habitum vel professionem religiosorum, nec ad ullos ordines et etiam simplicem tonsuram, nec ad ulla ecclesiastica officia, functiones et gradus admittantur.

Has dispositiones sustulit Greg. XIV, C. *Circumspecta* (1591), ita ut susceptio habitus et professio illegitimorum, etiam ex incestu aut ex sacrilegio natorum, sit non modo valida verum etiam licita. « Volentes, iisdem constitutionibus non obstantibus, eos, qui quovis modo illegitimi procreati fuerint, ad habitum et professionem regulares admitti posse, quemadmodum admitti poterant si supradictae constitutiones editae non fuissent » (b).

Alios illegitimos Sixtus V, in hac C. *Cum de omnibus*, recipere permittit sed duabus positis conditionibus: prima, ut servetur aliqua forma, quam praescribit, et hoc sub poena tum nullitatis professionis (et ita ut eiici debeant qui forma non servata reciperentur), tum etiam excommunicationis S. Sedi reservatae in Superiores qui hos illegitimos forma non servata reciperent: secunda conditio, ut « tamen hi sic recepti ad gradus, honores et dignitates sui Ordinis obtinendos perpetuo inhabiles ac illorum incapaces remaneant ».

In altera sua Const. *Ad Romanum Pontificem* (1558) has dispositiones in pluribus emollit: 1° declarat posthac non habendos esse illegitimos illos, qui illegitime nati ex iis parentibus inter quos, tempore quo ipsi geniti sunt, matrimonium consistere poterat, sequuto postea matrimonio legitimi effecti fuerint, et ideo eos tam ad emittendam professionem quam ad gradus, honores et dignitates sui Ordinis esse habiles (§ 3); sed contra aliorum quorumcumque illegitimorum inhabilitatem ad gradus, honores, et dignitates innovat, non obstantibus quibuscumque antea concessis privilegiis (§§ 4 et 5); 2° formam ad illegitimorum receptionem in prima const. praescriptam temperat et declarat. — Sed Gregorius XIV, C. *Circumspecta*, retenta forma a Sixto V praescripta, quam fideliter vult observari, inhabilitatem absolutam ad gradus, honores et dignitates, a Sixto V statutam, revocatis ab eo contrariis privilegiis Religionum, tollit, « eiusque Constitutione

(b) Inde fit ut irregularitas ex defectu natalium quoad ordines sacros per professionem religiosam tollitur, siquidem sublatis Constitutionibus Sixti V, reviviscit ius commune, quod exprimitur c. *Ut filii* supra citato.

in hac parte reducit ad terminos iuris, ac omnia privilegia et indulta Ordinibus concessa, quae Sixtus V revocaverat, dummodo sint usu recepta et non sub ullis aliis revocationibus comprehensa, in pristinum statum restituit ». Sed ipse tamen expresse prohibet (quamvis non sub poena nullitatis), ne filius illegitimus, in religione in qua pater eius professus fuerit, ipso patre vivente, admittatur.

Tandem CLEMENS VIII, C. *In suprema* (1602), constitutiones Sixti V « quoad eam partem, per quam eorum qui formam in eisdem praescriptam non servaverint, et quoad alios etiam casus ibidem expressos, in quibus receptorum.... professio nulla declaratur, ad terminos iuris et sacrorum canonum reducit » (c).

Ex his omnibus, **ius vigens circa illegitimos** his punctis continetur:

1° Nullus illegitimus iam ab ingressu Religionis prohibetur, excepto casu sane rarissimo a Greg. XIV stabilito.

2° Nihilominus ad illos admittendos aliqua forma servanda est, a Sixto V introducta et a Gregorio XIV confirmata.

3° Receptio facta absque praescripta forma valida est, sed Superiores et alii sic admittentes poenis a Sixto V statutis subiacent, sc. « excommunicationi S. Sedi reservatae, privationi vocis activae et passivae, et omnium officiorum, graduum, honorum, et dignitatum quae obtinuerint perpetuae privationi, ac inhabilitati ad illa et ad alia quaecumque » (C. *Cum de omnibus* § 6).

4° Illegitimi recepti, ex iure communi ad gradus, dignitates et honores promoveri non possunt; sed privilegia variis Ordinibus concessa, illegitimos ad haec habilitandi, ipsis remanent, non obstantibus Const. Sixti V, dummodo non fuerint aliter revocata (d).

(c) Verum est eumdem Clementem VIII, in decreto *Cum ad regularem* (1603) § 2, prohibere ne illegitimi in novitiatum admittantur, sed hoc expresse dicit « de his Monasteriis et Conventibus in quibus ex Apostolica facultate novitiatus fuerint instituti »; ergo haec prohibitio ad alios novitiatus extendi non debet. (De hac quaestione vide c. IV, n. 11).

(d) Ita ex C. Gregorii XIV, ubi dicit illegitimos « ad habitum et professionem regulares admitti posse, *quemadmodum* admitti poterant, si supra dictae Constitutiones editae non fuissent ». Notat ad hunc locum BIZZARRI (p. 897): « Greg. XIV restituit privilegia Religionibus olim concessa, legitimandi etiam ad honores, gradus et dignitates ».

5° Forma autem praescripta ad illegitimos recipiendos haec est [e]: 1° Institui debet diligens inquisitio « de vita et moribus eorum, ac circumstantiis aliis circa idoneitatem ipsorum, item de religionis zelo, pietate, integritate et doctrina » : ex hac inquisitione, testimoniis fide dignis innixa, constare debet « eos adeo bonam indolem et specimen virtutis prae se ferre, ut defectum natalium suppleant, eorumque receptio universae religioni commodo et utilitati profutura videatur » [f]; 2° super hoc ipso in generali vel provinciali capitulo matura deliberatio haberi debet [g].

In Normis anni 1901, illegitimi non rite legitimati recipi nequeunt absque dispensatione S. Sedis (art. 61). Igitur S. Sedes non extendit ad Congregationes votorum simplicium privilegium iure communi Regularibus concessum, ut irregularitas ex defectu natalium per professionem cesset.

14. Irregularitas. — (Cf. Wernz, n. 629, v). Irregulares tum ex defectu tum ex delicto admitti nequeunt inter religiosos ad Ordines promovendos, nisi habita prius dispensatione S. Sedis, aut nisi in his casibus in quibus Religio privilegio gauderet suos alumnos ab irregularitate dispensandi. Ratio patet.

Ideo S. Cong. EE. et RR. in observationibus ad regulas a Congreg. presbyterorum Imm. Concept. praesentatas (5 *mart.* 1861), sub n. 11, animadvertit: « Pro admittendis novitiis, qui statum clericalem suscipere debent, si aliqua irregularitate detineantur, requiritur, S. Sedis dispensatio ».

Ad hoc impedimentum refertur *defectus doctrinae,* de quo Clemens VIII, decr. *Cum ad Regularem* (1603) [a] n. 3: « Quisquis recipiendus (ut ad Ordines postea promoveatur) eam lit-

---

(e) Haec forma a Sixto V C. *Cum de omnibus* praescripta, ab ipso C. *Ad Romanum* et rursus a Greg. XIV C. *Circumspecta* fuit temperata.

(f) Pro conversis sufficit ut inquisitio fiat de moribus et statu personarum (C. *Cum ad Romanum*, § 12).

(g) In C. *Cum ad Romanum*, §§ 7, 8, 9 et C. *Circumspecta*, § 5 peculiares dispositiones sumuntur pro his Religionibus in quibus provincialia Capitula non habentur quotannis, et pro Monasteriis quae non sunt redacta in Congregationes aut provincias. Sixtus V, prima sua Constitutione statuerat ut illegitimi unanimi tantum Capituli consensu admitti possent; sed secunda declarat sufficere « ut hic suffragiorum numerus habeatur qui a iure vel per cuiuscumque Ordinis statuta est praefinitus ».

14. (a) De vi huius decreti, cf. c. XI, n. 17, 18.

terarum scientiam calleat, aut illius adipiscendae spem indubiam prae se ferat, ut minores et suis temporibus maiores Ordines suscipere valeat. Sed si quis annum vigesimum quintum excedens habitum regularem postulaverit talis eruditionis expers, in conversorum tantum numerum referatur. Conversi vero ne recipiantur, nisi saltem praecipua religionis christianae capita noverint ».

15. Episcopatus. — (Suarez, tr. VII, l. VI, c. 8). Episcopi nequeunt absque R. P. licentia transire ad statum religiosum, et hoc videtur esse de iure divino. Unde ingressus et professio absque licentia non tantum illicita, verum etiam irrita dicenda est (Piat, p. 72, q. 4; Wernz, n. 629, 1). Ratio datur a S. Th. 2. 2.ae q. 189, a. 7. (a)

Hac lege ligatur non tantum Episcopus consecratus, sed etiam electus et confirmatus (b). Etiam Episcopus titularis nequit absque beneplacito apostolico Religionem ingredi (Wernz, l. c.). Ratio est quia Episcopus est in statu perfectionis exercendae, a quo illi non licet descendere ad gradum perfectionis acquirendae (Cf. S. Th. 2. 2.ae q. 185, a. 4, ad 1).

---

15. (a) S. Thomas 2. 2.ae q. 185, a. 4, et q. 189, a. 7: « Dicendum quod obligatio voti perpetui praefertur omni alii obligationi. Obligari autem voto perpetuo et solemni ad vacandum divinis obsequiis competit proprie Episcopis et religiosis.... Unde Episcopi praesulatum non possunt desercre quacumque occasione absque auctoritate R. P., ut habetur C. *Licet.* 18, *de Regul.* III, 31 ». — Res magis explicatur C. *Inter corporalia*, 2, *de Transl. Episc.* I, 7: « Cum fortius sit spirituale vinculum quam carnale, dubitari non debet quin Omnipotens Deus spirituale coniugium, quod est inter Episcopum et Ecclesiam, suo tantum iudicio reservaverit dissolvendum, qui dissolutionem etiam carnalis coniugii, quod est inter virum et feminam, suo tantum iudicio reservavit, praecipiens: quos Deus coniunxit, homo non separet. Non enim humana, sed potius divina potestate coniugium spirituale dissolvitur, cum per translationem, depositionem aut cessionem, auctoritate Romani Pontificis (quem constat esse vicarium I. C.) Episcopus ab ecclesia removetur. Et ideo tria haec, quae praemisimus, non tam Constitutione canonica, quam institutione divina soli sunt Romano Pontifici reservata ».

(b) « Sicut Episcopus consecratus sine licentia R. P. suam non debet ecclesiam derelinquere, sic et electus confirmatus: cum non debeat in dubium revocari quin, post electionem et confirmationem canonicam, inter personas eligentium et electi coniugium sit spirituale contractum, cui profecto episcopalis dignitas nihil addit ». C. *Inter corporalia*, 2, *de translatione Episcoporum*, I, 7.

Attamen aliquando dispensatio a S. Sede Episcopis conceditur ut ad vitam religiosam se recipiant: tunc R. P. in iure divino nomine Dei dispensat, sicuti facit quoties in votis dispensat.

16. Clericatus. — Clerici saeculares, etiam curam animarum habentes, non indigent licentia S. Sedis ut statum religiosum amplectantur; nec Episcopus, exceptis particularibus casibus, eos impedire potest, ideoque, eo contradicente, clerici etiam curati et beneficiati vitam religiosam ingredi possunt (Wernz, ibid.).

Ad rem S. Thomas (2. 2.ae q. 189, a. 7): « Archidiaconi autem ac presbyteri curati possunt libere abrenuntiare Episcopo curam eis commissam absque speciali licentia Papae »; rationem dat, quia « non obligantur voto perpetuo et solemni ad curam animarum retinendum, sicut ad hoc obligantur Episcopi ».

Praeiverat Ius, can. *Clerici*, causae 19, q. 1: « Clerici, qui monachorum propositum appetunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos eis ab Episcopo in monasteriis largiri oportet ingressus »; et can. *Duae sunt* (ibid. q. 2): « Quisquis igitur (clericorum beneficiatorum) hoc spiritu ducitur, etiam Episcopo suo contradicente, eat liber nostra auctoritate ».

Totam hanc quaestionem ample tractat Benedictus xiv, C. *Ex quo* (1747) [a]. Primum statuit ius omnium clericorum, etiam archidiaconi transeundi ad vitam religiosam; deinde conditiones a clerico servandas exponit: « Nemo dubitat quin presbyter, ecclesiae regimen aut ministerium dimissurus ante omnia debeat Episcopo consilium suum eiusque capiendi rationes, quantum earum natura fert, aperire (non dicit petere licentiam, sed consilium aperire). In quo non tam officio et honestati quam naturalis legis praecepto satisfaciet.... Si (facultas ab Episcopo) denegetur, huiusmodi dissensus presbyterum non adstringet quominus religionem ingredi valeat ».

Verumtamen, cum in casibus particularibus Episcopus iure possit suum subditum ad tempus saltem retinere, imo ingressum repetere, Pontifex, ut difficultates et dissidia vitentur, consultationem inter Episcopum et Superiorem regularem commendat. — Subdit autem: Huius tamen iuris, quo Epi-

---

16. (a) Haec constitutio est epistola ad Episcopum, qui conquestus fuerat suum archidiaconum Societatem (Iesu) ingressum fuisse sine sua licentia.

scopus clericum saecularem sibi subiectum, qui regulari Instituto sine ipsius assensu nomen dedit, repetere et ad Ecclesiae servitium revocare potest, huius, inquam, iuris persecutio in casibus particularibus non admodum facilis esse videtur. Et varios examinat casus, et quid subditus Episcopo ipsum ex variis causis repetenti merito respondere possit ostendit.

Exstat etiam Epistola Pii IX (20 *dec.* 1859) (b) Episcopo cuidam, qui litteras ad ipsum dederat ad obtinendam prohibitionem, ne clerici saeculares suae dioecesis, infra triennium a die ordinationis sacerdotalis, religionem ingredi possent: Pontifex recusat. Negotium examinandum commiserat S. Congregationi Ep. et Reg. « Visum est magni momenti vulnus infligi ecclesiasticae disciplinae si petita generalis prohibitio concederetur, praesertim cum *pro aliquo urgenti et extraordinario casu* a Benedicto XIV satis provisum sit, nec generalis huius concessionis exemplum habeatur ».

Exstat etiam decisio Leonis XIII (a. 1882), quae infra ponitur, n. 17.

Haec libertas clericorum amplectendi vitam religiosam non coarctatur ad ingressum in Religiones stricte dictas seu votorum solemnium; extenditur etiam ad ingressum in Congregationes votorum simplicium. Ita declaravit S. Congr. EE. et RR., 21 *iul.* 1837, in casu quidem peculiari Oblatorum B. M. V., sed mota ratione omnino generali. Clericus quidam in Congregationem Oblatorum B. M. V. ingredi volebat, Episcopus renuebat; quaesitum fuit a S. Congr. an Oblatis B. M. V. extenderetur facultas deserendi dioecesim ad amplectendam vitam religiosam, « licet Episcopus opponatur, et Oblati emittant vota tantum simplicia ». Responsum fuit: « Affirmative, ne impediatur vocatio ad statum perfectionis » (Vermeersch, t. II, p. 256).

17. Pactum explicitum aut implicitum serviendi dioecesi. — Inter rationes, propter quas Episcopus subditum suum ad tempus retinere posset, est pactum quo clericus forte se obligasset, propter gratuitam in seminario educationem, ad serviendum dioecesi per aliquod tempus. Pactum autem potuit esse explicitum vel implicitum; et quaestio est, an clericus, cui supervenit deinde vocatio religiosa, teneatur hoc

(b) Apud Vermeersch, t. II, p. 256.

pacto, an contra pactum, ex natura rei, censeatur factum sub conditione: nisi forte Deus me vocet ad vitam religiosam.

Sit primo casus quo pactum serviendi dioecesi fuit explicitum. Casus est controversus. Ballerini-Palmieri (t. IV, n. 215) admittit obligationem inserviendi dioecesi per aliquod tempus, non in perpetuum. Eamdem obligationem admittit Piat (t. I, p. 74, q. 5), si clericus est fruitus bursa, et fundator bursae hanc conditionem imposuit; sed extra hunc casum, ait, obligatio reiicienda videtur. Obligatio suaderi potest ex honestate pacti, quod proinde servandum est. Pactum fuit honestum: videtur enim quod dioecesis, quae non tenetur gratuitam educationem alumnis seminarii praebere, possit suo beneficio apponere conditionem, quatenus gratuite educatus operam suam deinde in utilitatem dioecesis conferat, saltem per aliquot annos. Honestas talis pacti confirmari potest ex praxi seminariorum pontificiorum Romae, ubi exigitur ab alumnis iuramentum non transeundi ad vitam religiosam, sine S. Sedis licentia.

Contra obligationem argumentum illud afferri potest: ubi est clara et certa vocatio divina ad vitam religiosam, ei Episcopus non potest contradicere, proinde casus vocationis divinae clarae et certae ex pacto per se excipitur: secus pactum non esset honestum. Confirmatur ex eo quod, si haec exceptio non subintelligeretur, pactum esset contra iuris dispositiones supra allatas, quibus clericis libertas ingrediendi Religionem vindicatur. Aliam rationem dat Prümmer qu. 28, nota 5: « Summus Pontifex, habens dominium altum de omnibus bonis ecclesiasticis, videtur condonare istam restitutionem, cum concedat omnimodam libertatem ingrediendi Religionem ». Insuper aliud argumentum a pari aut a maiori afferri potest: Si aliquis, sic gratuito educatus, vocationem sacerdotalem minime habere deprehendatur, is dimitti debet, quin expensas rependere teneatur (nisi mala fide egerit); item et a fortiori, si quis ad vitam magis perfectam vocatur, liber ab omni obligatione dimittendus est. Haec sententia libertati favens multam vim accipit ex duplici documento: unum est sententia S. Congr. Conc. (26 *febr.* 1695), quae ex statutis dioecesanis Cesenati expungi iussit clausulam qua statuebatur « ut clerici dioeceseos expensis educati, si vel Religionem aliquam aut Congregationem ingredi voluerint, sumptus seminario refundant » [a]. Alterum documentum refert P. Nil-

17. (a) Refert Wernz, n. 629, nota 210, et Piat, t. I, p. 74, q. 5.

res [b]: Episcopus Passaviensis, in Baviera, alumnos sui seminarii ad sacerdotium non admittebat, nisi prius obligationem inserviendi dioecesi per sex annos susciperent, et insuper refundendi expensas suae gratuitae educationis, si postea a dioecesi recederent. Facta reclamatione ad S. Sedem a quatuor diaconis, S. Congr. Negotiorum Extraord., *d.* 18 *mart.* 1883, hoc responsum dedit: « Voluntas es SS. Patris, ut quatuor diaconi scribant Ordinario.... promittentes fideles futuros se esse quoad obedientiam et subiectionem, quam ipsi promittent recipientes ordinem presbyteratus, devovendo se servitio dioecesis cum zelo et perseverantia, *si non placeat Deo, seipsos vocare aliquando ad statum maioris perfectionis* ».

Sane ex hoc duplici documento habetur, S. Sedem non approbare pactum absolutum, quo alumni seminarii, etiam gratuito educati, obligarentur servitio dioeceseos, non obstante vocatione ad vitam religiosam, et hunc casum ab obedientia Episcopo promissa excipi voluit. Argumento autem ex praxi seminariorum Pontificalium allato responderi potest, alumnos horum seminariorum hoc solum promittere, se non ingressuros religionem nisi ex venia S. Sedis: ergo non se obligant absolute ad serviendum dioecesibus aut missionibus, sed ad hoc tantum, ut si ipsi ad Religionem vocatos sese censeant, suam vocationem iudicio S. Sedis submittant [c].

Concludi posse videtur, salvo meliori iudicio, casum vocationis religiosae excipiendum esse a pacto quo quis operam suam promittit navaturum esse dioecesi in qua gratuite fuerit educatus; nihilominus difficile esse negare Episcopo ius retinendi aliquandiu subiectum, donec probationes vocationis ad vitam religiosam fiant manifestae. Igitur tunc maxime valet commendatio Benedicti XIV, ut tota res consultatione inter Episcopum, subditum et Superiores Ordinis religiosi peragatur.

(b) In dissertatione de libertate Clericorum Religionem ingrediendi (in opera *Selectae disputationes Academiae Iuris ecclesiastici*, 1886).

(c) Ad illustrandam hanc quaestionem attendendum est ad naturam et varios gradus vocationis religiosae. Certe si manifesta et urgens appareat vocatio divina, huic cedere debet quodcumque pactum prius irritum, et Episcopus non posset tali vocationi pactum obiicere. Sed plerumque vocatio non est ita manifesta, et maxime ita urgens: nam vocatio ad vitam religiosam non est praeceptum, sed invitatio « Si vis perfectus esse ». Inde apparet quomodo possit Episcopus, quin se opponat voluntati divinae, inducias per aliquod tempus ponere, donec manifestior appareat vocatio divina, et interim dioecesis aliquam utilitatem ex expensis pro educatione gratuito concessa percipiat.

Alius casus est quando nullum intercessit pactum explicitum inter dioecesim et alumnum in seminario gratuito educatum, sed tali alumno Religionem ingredi volenti opponitur pactum implicitum quod ex natura rei intercedit, ut gratuito a dioecesi educatus ei operam suam saltem per aliquot annos navet.

Plures, qui obligationem stare in casu pacti expliciti agnoscunt, eam non admittunt in hoc casu, quia, aiunt, nisi pactum expressum intercesserit, asserenda est libertas naturalis, a iure canonico confirmata, Religionem ingrediendi. Ita Piat, t. I, p. 74, q. 5. — Bouix, *de iure regul.* t. I, p. 550. Vide Besson, n. 42. — Diffuse quaestionem tractat Nilles, *Selectae disputationes iuris ecclesiastici* (1886) disp. 2, et Civiltà Catt., serie XIII, vol. V (anno 1887), p. 480.

Alumni collegiorum pontificiorum, et Ordinati titulo missionis promissionem iuratam emittunt, se non ingressuros Religionem nisi accedente dispensatione pontificia.

Alexander VII, C. *Cum circa* (1660), pro alumnis collegiorum pontificiorum statuit: « Prohibemus ne, elapso etiam triennio, quovis tempore, possit quilibet alumnus ad Religionem admitti nisi de expressa nostra seu R. P. pro tempore existentis, vel Congregationis de Prop. Fide in scriptis habenda licentia, sub poena nullitatis professionis ipso iure, si aliter fuerint ingressi ». (d)

Idem est statutum pro omnibus clericis, qui titulo missionis ordinantur, in Instructione S. Congr. de Prop. Fide 27 *apr.* 1871 (apud *Collect. de Prop. Fide,* n. 1369) (e).

(d) Formula iuramenti est: « .... Insuper spondeo et iuro, quod dum in hoc Collegio permanebo et postquam ab eo quocumque modo, sive completis sive non completis studiis, exiero, nullam Religionem, Societatem aut Congregationem regularem, sine speciali Sedis Apostolicae licentia vel S. Congr. de prop. Fide, ingrediar, neque in illarum aliqua professionem emittam ».

(e) Haec Instructio est de variis titulis Sacrae Ordinationis, inter quos est titulus Missionis. Pro iis qui maioribus Ordinibus initiari cupiunt ut Apostolicarum Missionum servitio sese devoveant, § 8 Instructionis dicitur: « Non secus ac alumni Collegiorum Pontificiorum, ii omnes qui titulo Missionis inter Sacros ministros cooptari cupiunt, tenentur prius iuramentum emittere, quo spondeant Missioni cui destinati sunt vel destinabuntur se fore perpetuam operam daturos ». — et § 10. « his qui hoc titulo sunt ordinati, vi praestiti iuramenti interdicitur in Religionem ingredi absque venia S. Sedis. Eiusnamque iudicio reservatum est, praevia

Ergo non denegatur his alumnis ingressus in Religionem, sed tantum requiritur ne ingrediantur absque licentia S. Sedis, quae iudicium de vocatione sibi reservat.

18. Professio religiosa in alia Religione. — Quoniam per professionem in aliqua Religione professus ei obligatur, iam non sine eius iniuria temere in aliam transiret et in ea reciperetur. Verumtamen fieri potest ut aliquis ex priore Religione in aliam non temere, sed prudenti vitae perfectioris consilio transire velit, et tunc huic sancto consilio obstaculum poni non debet, et ideo Superior prioris Religionis consensum denegare non potest, aut iniustae denegationi lege providendum est. Propterea variae sunt iuris dispositiones, quibus determinatur quando et quibus conditionibus transitus ad aliam Religionem licite fieri queat.

Quoniam difficultas praecipue invenitur ex parte Religionis quae deseritur, ne nocumentum subeat, haec quaestio melius tractabitur capite VII, ubi de egressu ex Ordine.

Hic tantum notandum est, in NORMIS a. 1901 inter impedimenta ingressus quae S. Sedis dispensatione indigent, enumerari illud : « Qui in alio Instituto vota perpetua, sive etiam temporalia emiserint, iis perdurantibus ».

19. An liberi ad ingrediendam Religionem consensu parentum indigeant? [a]. — 1° Liberi puberes consensu parentum non indigent, impuberes autem sunt sub potestate parentum, etiam quoad electionem vitae religiosae. Habetur ex c. *Cum virum*, 12, *de Regul.* III, 31, ubi in fine dicitur de puella in nubili aetate constituta (et idem valet de iuvene) : « Quia liberum habet arbitrium, in electione propositi sequi parentum non cogitur voluntatem ». Fuit etiam declaratum a *Conc. Toletano* X (apud S. LIG. l. IV, n. 68). Ideo constanter S. CONGR. EE. ET RR. in appprobandis constitutionibus novorum Institutorum, si invenit clausulam de consensu parentum, eam expungi iubet ; et in NORMIS a. 1901, *art.* 59 : « Non est exprimenda in Constitutionibus necessitas consensus parentum vel tutorum postulantis ». Sane haec doctrina fundatur in Evan-

---

Ordinarii cui intererit relatione, iudicare, utrum Missionum, quarum Servitio sunt addicti, necessitas id patiatur. Scilicet publicum bonum privato antecellat oportet ».

19. (a) Vide BALL.-PALM., t. IV, tract. IX, c. I, nn. 191, 198 et 199.

gelio, tum in exemplo D. N. duodennis, tum in eius sententia (Luc. IX, 59, 60 et XIV, 26): « Si quis venit ad me et non odit patrem suum et matrem... non potest meus esse discipulus ». — S. TH. (2. 2.ae q. 88, a. 9): « Puer et puella post annos pubertatis possunt iam se voto Religionis obligare absque voluntate parentum ». Idem repetit q. 189, a. 5 (b).

2° Nihilominus, ait WERNZ (nota 226), Ecclesia omnino probat ut in praxi consensus parentum intercedat. Et ideo filii sub parentum potestate constituti non debent, nisi peculiares rationes contrarium suadeant, relinquere parentes quin eos monuerint et abeundi licentiam petierint. Hoc requirunt tum pietas, tum obedientia parentibus debita. Ex eo quod parentes licentiam dare debeant non sequitur non esse necessarium eam petere (c).

3° Parentes ius habent vocationem filiorum eiusque firmitatem explorandi, et cavendi ne vitam religiosam imprudenter amplectantur. Ideo aliquam moram, si est necessaria, praescribere possunt (d).

4° Non possunt autem se ipsos intromittere ut de vocatione liberorum ipsi iudicent; nam iudicium illud, utpote de rebus conscientiae, ad eos non pertinet; et insuper affectus naturalis eos huic negotio minus aptos efficit.

5° Parentes, si vocationi filiorum vi aut deceptione sese opponunt, graviter peccant contra iustitiam. Si tantum precibus, suasionibus, consiliis (quae tamen vi aut deceptioni relate ad filios non aequivaleant) eos a Religione avertant, peccant qui-

---

(b) Notat bene BALLERINI, n. 198, ad vitanda scandala et inutiles contentiones, habendam esse quoque rationem legum regionis, quae auctoritatem patrum in filios definiunt.

(c) « AA. advertunt, ait S. LIG. l. IV, n. 68, si filius facile et tuto possit parentum consensum obtinere, par esse ut non discedat absque eorum benedictione ». — Hoc intelligendum, pergit, nisi probabile sit periculum quod parentes iniuste illi impediant executionem suae vocationis. Ideo ut plurimum in praxi filii excusantur, si insciis parentibus domum relinquant.

(d) S. LIG. l. c. multum restringit ius parentum, « Recte dicit P. Pinamonti quod circa electionem Status religiosi, nec tenentur, nec expedit quod filii genitorum consilium expetant.... Ex his omnibus concluditur non solum non peccare filios Religionem assumentes parentibus inconsultis, sed ordinarie loquendo valde errare, si participes eos faciant de sua vocatione, ob periculum cui se exponunt, se ab illa averti; et hoc utique confirmatur ab exemplo tot Sanctorum, quorum discessus parentibus invitis, Deus etiam approbavit et benedixit ».

dem; an graviter, controvertitur. Affirmat S. Lig. (l. iv, n. 77). Suarez (tr. vii, l. v, c. 9, n. 9) censet non excedere veniale. Eius ratio est quia ipsi filii per se non peccant graviter si vocationi non respondeant: vita religiosa enim est res consilii, non praecepti (si vis perfectus esse); ergo non peccant etiam graviter parentes qui filios ab ea meris precibus, suasionibus aut consiliis absque vi aut deceptione avertunt. Peccant tamen aliquo modo contra caritatem, privando filios maiori bono.

Nota. — Praeter praedicta impedimenta iuris communis, quisque Ordo religiosus impedimenta specialia, constitutionibus Ordinis approbatis aut specialibus S. Sedis diplomatis statuta habere potest; quae sint aut mere prohibentia aut etiam irritantia.

Quamnam facultatem in eis dispensandi Superiores habeant ab iisdem constitutionibus edoceri oportet.

SECTIO II.

20. Ius particulare Societatis quoad impedimenta in admissione novitiorum ex duplici capite oritur: 1° ex privilegiis circa impedimenta iuris communis; 2° ex impedimentis ab ipso Instituto stabilitis.

Porro Societas privilegiis gaudet quoad illegitimos, quoad irregulares, et circa aetatem.

1° **Privilegia quoad illegitimos.** — Societas privilegium habet recipiendi quoscumque illegitimos, eos ad quaecumque officia et dignitates Societatis promovendi, et in eis recipiendis formam in Constitutionibus Societatis stabilitam adhibendi.

Paulus iii, C. *Licet debitum* (1549), facultatem fecit Societati quoscumque illegitimos recipere, ad ordines promovere et ad quaecumque Societatis officia promovere; item recipere et ad sacros ordines promovere irregulares post vota biennii, nonnullis casibus exceptis[a].

---

20. (a) « Generali et de eius licentia Provincialibus praepositis.... et illorum Vicariis et loca tenentibus, ut cum eiusdem Societatis personis defectum natalium ex adulterio, sacrilegio, incestu et quovis alio nefario et illicito coitu provenientem patientibus, necnon cum iis qui ex quavis causa, praeterquam homicidii voluntarii, bigamiae et mutilationis membrorum, irregulares fuerint, postquam in Ordine ipso vota emiserint, ut defectu et irregularitate huiusmodi non obstantibus, ad quoscumque etiam

Sublatam a Sixto v facultatem recipiendi illegitimos ex incestu et sacrilegio, et alios illegitimos ad gradus, honores et dignitates Ordinis promovendi, Gregorius xiv (ut dictum est n. 13) restituit secundum antiqua privilegia per Constitut. *Circumspecta* (15 *mart.* 1591), sed formam a Sixto v statutam in recipiendis illegitimis servari voluit. — Verum eodem anno Brevi *Exponi nobis* (30 *aug.* 1591) Societati dato, confirmata facultate recipiendi quosvis illegitimos eosque ad gradus et dignitates Societatis promovendi, Societatem a forma Sixtina in recipiendis tum illegitimis tum aliis novitiis quibuscumque dispensavit.(b) Cf. Comp. Privileg. nn. 168 et 170. (Vide etiam c. iii, n. 2 et 8).

21. Privilegia quoad irregulares. — Societas diversis concessionibus SS. PP. gaudet circa admissionem irregularium et eorum ad ordines promotionem.

1° Ex concessione Pauli iii, C. *Licet debitum* (1549) facultatem habet dispensandi suos, *qui vota in Societate iam emiserint,* ab irregularitatibus, exceptis illis quae ex homicidio voluntario, mutilatione membrorum et bigamia proveniunt. Haec facultas exerceri debet per Generalem et de eius licentia per Provinciales et eorum Vicarios (Vide textus supra n. 20 a).

2° Leo xii, Br. *Plura inter* (1826) concessit ut « irregulares *qui Societati dant nomen,* nisi irregularitas sit ex homicidio voluntario, bigamia, mutilatione membrorum, defectu animi et infamia iuris vel facti, possint promoveri ad sacros ordines et ad quaecumque Societatis officia ».

Notetur hic non dari facultatem dispensandi ingredientes, sed ipsum Pontificem dispensare et declarare ipso facto in-

---

sacros et presbyteratus ordines promoveri et in illis etiam in altaris ministerio ministrare, et irregulares defectum natalium patientes praedicti ad quoscumque administrationes et officia Societatis eligi, recipi et assumi, illaque gerere et exercere libere et licite valeant, dispensare possent,... concedimus et indulgemus ».

(b) « Nos igitur.... Societati ut ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus, tam in novitiis, etiam cuiusvis generis illegitimis, admittendis, quam in dispensationibus ad quaelibet officia, gradus et dignitates in Societate obtinenda ipsis cuiusvis generis illegitimis concedendis, formam et rationem omnimodam in illius apostolicis diplomatis ac privilegiis quibusvis, necnon in constitutionibus, decretis et regulis expressam, libere et licite prosequi et retinere valeat, apostolica auctoritate decernimus, et quatenus opus sit, de novo concedimus et indulgemus ».

gressus dispensatos esse ab irregularitate omnes qui nomen dant Societati, ita ut sine ulla alia dispensatione admitti possint in Societatem atque admissi ad ordines sacros et officia Societatis promoveri.

3° Ex variis autem concessionibus factis aliis Ordinibus et per communicationem privilegiorum participatis, Praepositi Societatis aliis facultatibus gaudent. Ex concessione S. Pii V Theatinis facta, C. *Ad immarcescibilem* (1567) possunt dispensare quoscumque Religionem intrantes ab irregularitate « alias quomodolibet contracta »[a], non tamen ex homicidio voluntario proveniente. Ex concessione Congregationi Cassinensium ab eodem facta C. *Dum ad congregationem* (1571), dispensare valent, sed in foro conscientiae tantum, etiam ab irregularitate ob homicidium voluntarium seu membri mutilationem, dummodo haec duo non commissa fuerint post ingressum in Religionem; eosdemque possunt redintegrare contra quamlibet poenam, privationem et inhabilitatem, atque eorum favore quamcumque infamiae maculam abolere valent. — Cf. Comp. priv. n. 164.

Ergo nulla est irregularitas (a delicto), a qua Societas dispensare non possit cum suis alumnis, excepto homicidio voluntario (a quo tamen in foro interno dispensare potest, dummodo homicidium post ingressum non fuerit commissum). Sed P. Generalis sibi reservat, et aliis non communicat facultatem dispensandi in irregularitate ex homicidio voluntario, mutilatione membrorum et bigamia; in cacteris concedit facultatem Provincialibus et quibus ipsi commiserint (Comp. priv. n. 165). Insuper dispensati huiusmodi, si non ingrediantur mox Societatem, aut ingressi non perseverent, eo ipso reincidunt in irregularitatem (Comp. priv. *ibid.*).

22. Privilegia circa aetatem. — N. 4 dictum est decreto Clementis X (1675) prohiberi receptionem ante annum decimum quintum expletum eorum novitiorum qui ingrediuntur ut ad ordines postea promoveantur; quoad conversos plura esse documenta quae prohibent eos recipere ante annum vigesimum expletum. Porro ab his decretis Societas fuit exempta et illi licitum est sequi suas Constitutiones, dummodo observet le-

---

21. (a) Ex verbis « irregularitate *contracta* » constat non agi nisi de irregularitatibus ex delicto, non autem de irregularitatibus ex defectu. Et sic intelligi debent aliae concessiones.

gem Tridentinam de professione non facienda ante annos sexdecim expletos. — Dicendum ergo primo quodnam sit ius Societatis ex Constitutionibus, et deinde quaenam privilegia eam a communi Iure eximentia habeat.

In Constitutionibus, P. I, *cap.* 2, enumerantur ea quae requiruntur in admittendis; n. 12 dicitur requiri « aetas, quae ad ea quae dicta sunt conveniat; quae quidem, ut admittantur ad probationem, excedere debet decimum quartum annum ». Sed *cap.* 3, *litt.* K « Quod ad aetatem attinet quatuordecim annis minorem, ut quis ad probationem admittatur, si in quibusdam, peculiaribus de causis antevertendum esse id tempus, ad finem maioris divini servitii nobis praefixum, videretur, penes Praepositum Generalem facultas erit prudenter ac circumspecte dispensandi ».

Congr. viii, *d.* 35 constituit « ut Provinciales sine Generalis dispensatione non habeant facultatem admittendi ad probationem ante quindecim, nec ad vota Societatis ante septemdecim expletos annos; ita ut irritum sit, defectu potestatis, quidquid contra fuerit factum ».

Congr. xii, *d.* 13: « ut omnis dubitatio tollatur circa eum qui, absque dispensatione Praepositi Generalis fuisset, sive bona fide, sive defectum aetatis dissimulans, ante decimum quintum annum ad probationem admissus », declaravit « biennium novitiatus fuisse tunc solum quidem valide inchoatum, quando ille annum aetatis suae decimum quintum explevit ».

Post decretum Clementis x, 16 *maii* 1675 (supra n. 17), eodem anno, Fagnanus, secretarius S. Congr. Conc., litteris 19 *oct.* datis ad procuratorem Societatis, declaravit Societatem posse sequi suum morem in receptione scholasticorum et FF. coadiutorum secundum Constitutiones (Comp. Privil. n. 423).

Benedictus xiv autem, Brevi *Exponi nobis* (1753), ad petitionem P. Ignatii Vicecomitis (probabiliter quia responsio Fagnani ex non usu iverat in oblivionem, quamvis ipse P. Generalis de Societatis iure non dubitaret) concedit « ut ipse (P. Vicecomes), enuntiato decreto (Clementis x) minime obstante, facultate sibi a Constitutionibus dictae Societatis auctoritate apostolica pluries confirmatis attributa, admittendi ad habitum et novitiatum illos qui decimum quartum suae aetatis annum huiusmodi non expleverint — dummodo tamen ad illam professionem per eos emitti solitam (sc. vota biennii) nisi completa aetate a Conc. Trid. praescripta minime admit-

tantur, — libere, licite et absque ullo poenarum ecclesiasticarum incursu (uti) valeat et possit »[a].

Leo xii, rescripto ad P. Fortis, 2 *mart.* 1827, illi concedit facultatem recipiendi novitios scholasticos, postquam duodecim annos expleverint, dummodo ad vota non admittantur nisi aetate a Constitutionibus sive pontificiis sive Societatis praescripta. (Bullarium S. I.).

Ex his documentis habetur, scholasticos post annos duodecim, et coadiutores incepto anno decimo quarto a P. Generali recipi posse, dummodo vota non emittant ante annum decimum sextum absolutum; utrique autem a Provinciali anno decimo quinto expleto, non prius, admitti possunt.

23. Impedimenta ex iure Societatis. — Alia sunt essentialia, alia secundaria, unum indispensabile.

Quinque sunt impedimenta essentialia (Exam. gen. c. ii. — Const. P. i, c. iii), « a quibus nec Generalis nec Societas universa dispensare potest » (Const. l. c. litt. G), quae « eos qui vellent ingredi omnino excludunt » (ib. n. 2). Congr. vii, *d.* 42 declaravit: « e mente Constitutionum et Cong. v (d. 52) illa primi generis et ordinis impedimenta quinque *irritantia* esse et pro talibus ab omnibus haberi debere: inhabilesque atque incapaces ipso facto ad Societatis ingressum omnes eos ab illa haberi et esse, qui aliquo talium impedimentorum tenentur ».

Si tamen e servitio Dei iudicaretur, ut aliquis uno ex his impedimentis primariis innodatus in Societatem admitteretur, via aliqua remaneret, scilicet, ut « ille summo Pontifici, vel eius nuntio, vel summo poenitentiario supplicaret sibi concedi

---

22. (a) Vox *uti* deest in textu, sed ea aut similis omnino suppleri debet. — Notari potest concessionem fieri his verbis: « Concedimus et indulgemus, dictamque facultatem illi confirmamus et innovamus, et quatenus opus sit, de novo tribuimus et assignamus ». Ex hoc modo loquendi Benedicti xiv et ex declaratione Fagnani, merito deduci potest decretum Clementis x non fuisse derogativum nostrarum Constitutionum. Etenim si decretum Clementis x Societatis Constitutionibus derogasset, Pontifex dicere non posset se *confirmare* facultatem quam Societas habet et *quatenus opus sit* tribuere; nam omnino opus esset. Item, Fagnanus non dicit Pontificem Societatem a suo decreto dispensasse, sed simpliciter Societatem, non obstante decreto, suum morem sequi posse; et tum Bened. xiv, tum Fagnanus rationem repetere videntur ex Constitutionibus saepius confirmatis.

ut in Societatem, non obstantibus Constitutionibus, admitti posset, Praeposito eius Generali non repugnante : posset idem Praepositus consensum ad eum admittendum praestare » (Const. P. 1, c. 3, litt. G).

24. Primum impedimentum essentiale : apostasia a fide, haeresis, schisma [a]. — Notentur duo : primum, non incurrere hoc impedimentum illum qui nascitur in infidelitate, haeresi, schismate, et postea convertitur ; nam ille *non recedit* a gremio S. Ecclesiae. Porro tum in Const. tum in Exam. impedimentum sic exprimitur : *recessisse* a gremio S. Ecclesiae.

Insuper in Const. (l. c. litt. B) declaratur tunc haeresim et schisma esse impedimentum, quando « peccatum sit particulare personae, et non generale nationis aut patriae ». Et idem de infidelitate certo dicendum est [b].

Alterum notandum : si quis recessit a gremio Ecclesiae et deinde conversus fuit et cum Ecclesia reconciliatus, remanet tamen a Societate exclusus hoc impedimento, ut probant verba « aliquando recessisse » ; et insuper quaestio moveri non potest de admittendo in Societate aliquem qui adhuc est infidelis, haereticus, schismaticus ; ergo impedimentum illum, qui iam conversus est, ligat.

1° **Apostasia a fide.** — In Examine dicitur recessisse a gremio S. Ecclesiae, « fidem abnegando » ; in Const. : « fidem abnegando inter infideles ». Haec ultima verba inter infideles non adduntur ut impedimentum limitetur, sed ut apostasia a fide distinguatur ab haeresi. Qui fidem negat inter fideles, plerumque non totam fidem negat, sed aliquos fidei articulos

---

24. (a) Const. P. I, c. 3, n. 3 : « Aliquando a gremio Ecclesiae abscessisse, fidem abnegando inter infideles, vel incidendo in errores contra eam, in quibus reprobatus fuerit per publicam sententiam ; vel se, more schismaticorum, ab Ecclesiae unitate seiunxisse ». — Exam. c. 2, n. 1 : « Primus (casus) est, recessisse a gremio Sanctae Ecclesiae, fidem abnegando ; vel in errores contra ipsam sic incurrendo, ut damnatus propter aliquam propositionem haereticam quis fuerit ; vel ut suspectus haeresis per sententiam publicam declaratus ; vel si infamis ob excommunicationem, tamquam schismaticus spreta auctoritate et providentia Sanctae Matris Ecclesiae extiterit ».

(b) Suarez, tr. X, l. II, c. 1, n. 14, *circa finem ;* qui tamen non absolute affirmat ; de his enim ait : « Non videntur esse inhabiles ad Societatem ».

et sic fit haereticus, sed semper hoc primum impedimentum incurrit [c].

Requiritur ut apostasia a fide, sive totalis sive partialis, fuerit externe manifestata, imo publica [d]. Qui enim interne tantum, aut etiam externe, sed non publice fidem abnegat, is a gremio seu corpore Ecclesiae non recedit. Sufficit tamen delictum, ait Suarez (tr. x, l. ii, c. 1, n. 14); non requiritur condemnatio, nec sententia publica, nec infamia.

2° **Haeresis.** — Ut incurratur impedimentum non requiritur haeresis proprie dicta, scilicet error contra fidem cum pertinacia coniunctus; sufficit ut quis in errorem contra fidem inciderit, propter quod condemnatus fuerit, quamvis ipse errorem non sustinuisset animo haeretico. Imo incurrit impedimentum is qui tantum haeresi suspectus fuerit; sed in utroque casu oportet ut per sententiam publicam condemnatus fuerit aut suspectus declaratus: hoc aperte in l. c. Const. et Exam. dicitur. Ideo si sententia publica non fuerit pronuntiata, impedimentum essentiale non adest.

Nihilominus, si quis suspectus fuerit de sententia erronea et suspicio adhuc remaneat, aut si quis in errorem publicum inciderit, etiamsi suspicio non remaneat, sed timeretur ne in iudicium conveniri posset, in utroque casu admitti non deberet: scilicet impedimentum est secundarium. In casu dubii ad Praep. Generalem esset recurrendum [e].

(c) Si quis serio coram pluribus declararet se amisisse fidem nec amplius revelationi divinae credere, aut in societate massonica abiurasset omnem fidem Christianam, videtur hoc impedimentum incurrere, dummodo talis apostasia sit vere publica.

(d) Id est, quae probari possit, quamvis notoria non sit. — Requiritur autem ut apostasia sit simul interna; nam, qui externe tantum negat, fingit negare, non vere negat fidem. Ita Suarez, l. c. Confirmatur ex communi doctrina super prima excommunicatione R. P. specialiter reservata.

(e) Exam. c. ii, B.: « Qui suspectus esset de opinione aliqua erronea in re ad catholicam fidem pertinente, constat, quamdiu suspicio manet, eum non esse admittendum ». — Const. l. c., A: « Quamvis per publicam sententiam quis condemnatus non fuerit, si tamen error eius publicus exstitisset ac vehementer suspectus esset, et quod in iudicio conveniri posset timeretur, admitti non debet. Verum hoc iudicium Pr. Generali relinquetur ». « Ibi (ait Suarez, l. c., n. 3), non dicitur in eo casu recipi *non posse*, sed *non debere;* et ideo sola notitia publica sine sententia non videtur facere impedimentum irritans, sed tantum impediens »; nisi tamen adsit infamia, quia tunc incurreretur impedimentum secundum.

3° **Schisma.** — Impedimentum incurrunt non tantum schismatici proprie dicti, sed etiam illi qui iure schismatici habentur, quia excommunicati non curant intra annum absolvi. Tales ius statuit haberi uti schimaticos, c. *Cum contumacia*, 7, *de Haereticis*, v, 2, in 6°; et C. Trid. *sess.* xxv, c. 3 *(in fine) de Reform.*; et hos comprehendi in hoc impedimento non est dubium propter verba Examinis. Nam sic schisma describitur in Constit. l. c.: « se, more schismaticorum ab Ecclesiae unitate seiunxisse »; et in Exam.: « vel si infamis ob excommunicationem, tamquam schismaticus, spreta auctoritate et providentia sanctae Matris Ecclesiae, exstiterit »(f).

Ratio fundamentalis huius primi impedimenti est « aliquando a gremio S. Ecclesiae recessisse ». Cum Societas ad defensionem et propagationem fidei, necnon ut S. Sedi speciali devotioni inserviat, sit fundata, omnis defectio ab Ecclesia est illi maxime opposita et auctoritatem necessariam suis ministeriis auferret (Suarez, l. c., n. 5).

25. Secundum impedimentum essentiale: homicidium et infamia. — Sic exprimitur in Const. (P. I, c. 3, n. 4): « Perpetrasse homicidium, vel esse propter enormia peccata infamem ». — Idem dicitur in Exam. c. II, n. 2.

Ergo duo in hoc impedimento continentur:

1. **Perpetrasse homicidium.** — Homicidium tunc est impedimentum quando est simul voluntarium et peccaminosum: hoc enim significatur expressione « perpetrasse homicidium ».

Unde non est impedimentum essentiale homicidium quod fit ex officio, v. g. a iudice poenam mortis pronuntiante, a testibus, ab advocato, nec a milite in bello iusto, nec a quocumque ad legitimam defensionem: quia non est peccaminosum. Contra qui procuravit abortum, impedimentum incurrit, quia vere commisit homicidium voluntarium et peccaminosum. — Mandans homicidium, effectu sequuto, incurrit impedimentum, ut declaratur in Const.(a).

(f) Schismatici hodie C. *Apostolicae Sedis*, olim Bulla *Coenae*, ipso facto sunt excommunicati: excommunicatio autem infamiam iuris adiunctam habet, quando est publica; ergo schisma, si fuerit publicum, importat notas alias in Examine expressas. Cf. Suarez, l. c., n. 5.

25. (a) « Qui cum deliberatione homicidium perpetrari iussisset, si effectus est consequutus, quamvis manu sua non occiderit, inter homicidas erit existimandus » (Const. P. I, c. 3, litt. C).

Non autem requiritur ut homicidium sit publicum (Suarez, tr. x, l. ii, c. 1, n. 12); homicidium enim non propter infamiam, sed propter seipsum est impedimentum.

In dubio facti, recurrendum est ad Praep. Generalem (b).

De homicidio casuali peccaminoso, an sit impedimentum essentiale, diu fuit controversum; sed nunc tenendum est non esse essentiale. Ita enim mentem suam declaravit S. Ignatius, quamvis nihil de hoc in Constitutionibus inveniatur. Cui S. Parentis declarationi Congregatio xi (actione 31) omnino standum esse unanimi consensu pronuntiavit ut refert Epitomes Instituti, P. i, n. 8 (c). — Ideo reiicienda est sententia

---

(b) « Num autem sit homicidium necne si dubitaretur, discernant Praepositi Generales » (ibid.).

(c) Rem refert Epitomes Instituti, P. i, n. 8; sed infeliciter duo miscet, scilicet ea quae acta fuerunt in Congr. xi, actionibus 30 et 31 (*Iun.* 1661), et epistolam P. Olivae 25 *Mart.* 1662. In Actis Congr. xi sic legitur: « Reductum est iam semel alias Congregationi propositum postulatum Provinciae Romanae, et ab eadem Congregatione, ad explorandam eorum quae continet fidem, Deputatis pro constitutionibus et decretis commissum, tenoris qui sequitur: « De impedimento homicidii decernat Congregatio an sit standum declarationi Patris nostri S. Ignatii, qui interrogatus de quodam homicidio casuali peccaminoso, sequuto praeter intentionem ex percussione qua quidam fuste cecidit alterum, qui ex ictu inflicto mortuus est: respondit non esse impedimentum iuxta mentem suam. De qua declaratione fidem faciunt suis autographis P. Polancus et P. Natalis testes omni exceptione maiores; quod idem ferme scripsit S. P. Noster ad P. Salmeronem 7 *Oct.* 1553, ut est in regestis litterarum, et refert etiam P. Polancus in historia manuscripta Societatis, tom. 2, fol. 495; et credibile est quod si haec testimonia exhibita fuissent Congregationi viii generali, quando de hoc impedimento, deliberavit, aliquid certi statuisset ». Porro audita a Deputationis praeside, P. Dominico Langa, relatione de explorata a Deputatis inspectaque veritate scriptorum quae in eo adducuntur, suffragata Congregatio « censuit consensu unanimi standum omnino iudicio S. Patris nostri, utpote optimi legum a se conditarum interpretis. Et quia res ista homicidii casualis, ob materiae vastitatem et intercurrentium circumstantiarum varietatem, rationes habet plerumque valde perplexas et ancipites, recurrendum in istiusmodi dubiis et perplexitatibus ad Generalem, iuxta eiusdem S. Patris declarationem, Const. P. i, c. 3, litt. C ». — Posita deinde quaestione « An vero Congregationis haec sententia peculiari decreto consignanda esset »: Congregatio, actione 31, « censuit sufficere ad intentum suum litteras encyclicas ad Provinciales missas, quibus Congregationis hac in re sensus communicetur insinueturque Provincialibus et aliis quorum interierit Superioribus moderatio

Lugonis, quando in *Resp. moral.* (l. iv, *dub.* xvii, n. 3) de homicidio casuali peccaminoso pronuntiat (cum Suaresio, tr. x, l. ii, c. i, n. 9) esse impedimentum essentiale. Hi auctores scripserunt ante Congr. xi [d] et ignorabant declarationem S. Patris nostri; de ea enim nihil dicunt.

Epitomes Instituti, l. c. addit: « Voluit tamen (Congregatio) id esse impedimentum secundarium, in quo solus Praepositus aut Vicarius generalis dispensare possit; ita ut admissio sine eius dispensatione nulla sit (P. Oliva, 25 *mart.* 1662) ». — Revera P. Oliva in dicta epistola, postquam retulit congregationem unanimi consensu, propter allatas rationes, sensisse homicidium casuale peccaminosum non esse impedimentum primarium seu essentiale, addit: Voluit tamen Congr. id esse impedimentum secundarium, in quo soli Praepositi vel Vicarii generales poterunt dispensare.... Sciantque omnes, admissionem huiusmodi candidatorum absque mea licentia vel successorum, irritam futuram atque nullam » (scilicet ex defectu potestatis in recipiente infra Generalem).

2. **Infamia.** — Alius casus continetur in impedimento secundo: « esse propter enormia peccata infamem ». — In Const. (P. i, c. 3, litt. D) sic declaratur hic casus: « Infamia propter enormia peccata ibi impedimentum esse intelligitur, ubi qui sic peccavit infamiam contraxisset. Si procul esset ab eo loco, tamque serio resipuisset ut de eo nihil timendum videretur, posset in Domino admitti [e]. Qualia vero sint vel non sint huiusmodi enormia peccata, iudicet Pr. Generalis ». — Similia habentur in Exam. c. ii, litt. C.

Sed prae oculis habenda est Const. Sixti v, quae prohibet recipere criminosos (vide n. 12): ab hac prohibitione Societas non eximitur. Prohibitio autem Sixti v, post Const. Clementis viii, non est amplius irritans admissiones contra ipsam factas; insuper non extenditur ad omnes criminosos.

---

in utramque huius materiae partem tenenda, qua et facilitas nimia ac nimius etiam rigor in admittendis dimittendisque e Societate huiusmodi notae hominibus declinetur ».

(d) Lugo mortuus est anno 1660; Congreg. xi habita fuit anno sequenti.

(e) Quid si infamia olim contracta in aliquo loco ibi cessasset prorsus: an in hoc loco admitti posset? — Ex citata declaratione videtur respondendum negative; nam duo requiruntur: ut qui fuit infamis procul sit a loco, et ut resipuerit.

26. Tertium impedimentum essentiale. — 1° Gestatio habitus alicuius Religionis. — In Exam. c. II, n. 3: « Tertius (casus) est, habitum sumpsisse alicuius Religionis fratrum vel clericorum, vitam aliquandiu in obedientia cum eis agendo, sive emissa sive non emissa professione, vel eremitam cum vestibus monachalibus fuisse ». — Const. (P. I, c. 3, n. 5): « Assumpsisse Religionis habitum vel eremitam cum veste monachali fuisse »; et litt. E sic declaratur: « Non solum si professionem emisisset, sed si vel unum diem habitum Religionis gestasset, admitti, propter rationes in Examine dictas, non potest ». Additur: « Intelligendum est autem, quod habitum eo animo ut sit religiosus, non propter aliam causam quae posset accidere, induisset ».

Tres rationes huius impedimenti in Exam. c. II, n. II, 6 afferuntur: 1° quia bonus christianus firmus esse debet in sua prima vocatione, maxime tam sancta; 2° ut maior sit proximorum aedificatio; 3° ut omnes homines Societatis melius conserventur velut unius coloris et similitudinis (a).

Duae quaestiones maxime super hoc impedimento poni possunt: prima, an cuiusvis Ordinis aut Congregationis votorum simplicium habitum sumpsisse inducit impedimentum? In Examine, c. II, n. 3 dicitur: « Tertius (casus) est habitum sumpsisse alicuius Religionis *Fratrum* vel *Clericorum* ». Congr. I, d. 129 declaravit: « Saeculares qui emittunt vota in Ordine militari vocato Christi, ad Societatem admitti posse ». Nota vocem « saeculares »; nam qui clerici in hoc ordine fuissent, admitti non possent, ut declaravit Congr. XIII, d. 7.

An autem nomine *Religionis* intelligenda sunt Instituta votorum simplicium, affirmandum videtur, maxime si in eis vota perpetua emittuntur; quia tunc nihil his Institutis deest ad essentiam status religiosi (ut dictum est c. I, n. 13).

Ratio asserti est quia rationes a S. Patre allatae ad constituendum hoc impedimentum omnino verificantur, si quis horum Institutorum habitum gestaverit. Et ideo non valet ratio in contrarium, quod odiosa sunt restringenda et proinde quod non debet extendi ad Instituta votorum simplicium id quod de Religionibus dictum est (b).

---

26. (a) Hanc ultimam rationem, quam existimat praecipuam, bene evolvit Suarez, l. II, c. 1, n. 20. — (In ordine Praedicatorum, qui in alia religiosa Congregatione habitum portaverunt recipi nequeunt absque licentia Magistri Generalis: secus nulla esset receptio. Prümmer, q. 29).

(b) Confirmatur *responsione R. P. Beckx* ad Provincialem Marylandiae

Idem videtur dicendum, propter eamdem rationem, de eo qui ingressus fuisset Religionem clericorum, in quo non est habitus particularis: is, « si vitam aliquamdiu in obedientia cum eis egerit » post admissionem ad novitiatum, quae aequivaleat sumptioni habitus, impedimentum incurreret.

Altera quaestio est: *Quanto tempore* necesse est gestasse habitum, ut quis impedimentum incurrat? Certe sufficit unum diem gestasse, cum id expresse dicatur in Const. l. c., litt. E. — An sufficiat tempus minus, v. g. aliquas horas gestasse? Videtur respondendum negative. Nam in Const. dicitur incurrere impedimentum is qui « vel unum diem habitum religionis gestasset »: verba « vel unum diem » videntur determinare tempus minimum ad contrahendum hoc impedimentum necessarium; secus S. Ignatius addidisset « vel aliquas horas » vel « unam horam » aut quid simile. Ita resolvit Natalis in *Scholiis* ad Constitutiones. — Sed sciendum est *Congr.* VIII noluisse definire hanc quaestionem, et *Congr.* XI Patri nostro, cui recurrendum est in casibus singulis, rem diiudicandam remisisse (Epitomes, P. I, n. 9). — Tempus, quod aliquis transit in conventu etiam sub aliqua obedientia et quod praecedit sumptionem habitus, etiamsi longum fuerit, non constituit impedimentum. Impedimentum enim per solam habitus sumptionem incurri dicitur.

Const. P. II, c. 4, litt. B dicitur: « Qui a Societate discedunt, quamvis ad eam idonei videantur, si aliam Religionem ingressi et eius habitu induti fuissent, nec litigandum esse Societati, nec procurandum videtur ut eos reducat ». Sed quaeri potest an isti impedimentum contraxerint, et ideo an propterea, si sponte redierint, admitti iam nequeant. Videtur respondendum: si discesserunt a votis non soluti, hi proprie non rursus admitterentur in Societatem, cum numquam eius alumni esse cessaverint, et ideo non est locus impedimento. Et confir-

---

d. 21 Octobr. 1869 (apud Besson, n. 26): « Probabilius est Congregationes tales, quae et certam regulam et vota etsi simplicia habent, Constitutione nostra, quae impedimentum constituit, comprehendi. Huic sententiae eo magis nobis inhaerendum est, quod Societas illam Constitutionem semper sensu magis stricto interpretata fuerit. Praeterea sequendus est a nobis spiritus, non solum littera Constitutionum: porro certe in iis, qui eiusmodi Institutum professi sunt, omnes illae rationes, propter quas S. Ignatius impedimentum statuit, reperiuntur ».

matur ipsis verbis Constitutionum, in quibus non dicitur tales non posse recipi, sed non videri procurandum ut Societas eos reducat (quo loquendi modo supponitur eos recipi posse). — Si autem aliquis votis solutis a Societate discessisset et alterius Religionis habitum gestasset, is sane impedimentum incurrisset et ideo *admitti non posset* (Cf. Besson, n. 28).

2° **Fuisse eremitam.** — Idem impedimentum tertium alium casum continet, « eremitam cum vestitu monachali fuisse ». Hic etiam assumptio vestitus monachalis essentialis est.

Natalis, in *scholiis* ad Examen c. II, n. 3, ait mentem S. Patris fuisse, ut hos tantum eremitas excluderet, qui dependentiam habent ab aliqua Religione eiusque habitum assumunt.

27. Quartum impedimentum essentiale: matrimonium et servitus. — Const. P. I, c. 3, n. 6: « Matrimonii vinculo vel servitutis legitimae ligatum esse ». — Exam. c. II, n. 4: « Quartus (casus) est vinculo matrimonii consummati vel servitutis legitimae ligatum esse ».

In Const. l. c., litt. F dicitur: « Quando hoc vinculum solutum esset, quod a domino vel a coniuge facultas concederetur, observatis aliis circumstantiis, quae iuxta sanam doctrinam et usum Ecclesiae solent observari, impedimentum esse desinet ». Quaenam sint circumstantiae ex Ecclesiae praescripto servandae, dictum fuit n. 5; sed simul observatum fuit has circumstantias requiri ad liceitatem tantum, non ad validitatem ingressus et professionis. Suarez (tr. X, l. II, c. 2, n. 22, et l. III, c. 6, n. 10) tamquam rem certam ponit, in Societate adesse impedimentum irritans, si circumstantiae praescriptae non serventur: quia haec duo dicto loco requiruntur, ut facultas concedatur et circumstantiae serventur. Hoc sane est probabile, sed non videtur certum; quia quamvis S. Ignatius requirat observari circumstantias a iure praescriptas, non liquet eum voluisse ingressum, si omittantur, esse invalidum, dum eum ius illicitum tantum habet.

Praeter casum consensus compartis, duo sunt alii casus, ut dictum est n. 5, in quibus licet coniugatis ingredi Religionem. An canditati qui in uno ex his casibus inveniuntur, a Societate nihilominus excluduntur per impedimentum quartum? 1. Matrimonium ratum, non consummatum non excludit; clare dicitur in examine: « Quartus (casus) est vinculo matrimonii *consummati* esse ligatum ». Ergo si quis ligatur

vinculo matrimonii rati tantum, impedimentum non incurrit, saltem absolute[a].

Idem dicendum videtur de casu adulterii. Ratio est quia in hoc casu vir mulieris adulterae non est amplius *ligatus*, siquidem ius commune tunc ingressum Religionis permittit. Ergo locus non est impedimento. Confirmatur ex EXAMINE (c. III, litt. C) ubi dicitur: « Cum quo (quarto impedimento) nemo in Societatem admitti potest, nisi adsint conditiones illae quae exigi solent ut coniugatus Religionem ingredi possit ». Ergo explicite admittitur, quoties conditiones adsunt iure requisitae ut aliquis coniugatus Religionem ingredi possit, posse in Societatem recipi[b].

Notandum est praeterea matrimonium, etiam in casibus quibus non est impedimentum primarium, esse impedimentum secundarium Generali reservatum (Vide infra n. 31, 3°)[c].

---

27. (a) Suarez rem sic explicat (t. X, l. IV, c. 2, n. 11 et 12): « An vero vinculum matrimoni rati sit impedimentum essentialiter impediens, invita coniuge, in dubium verti potest; mihi tamen probabilius videtur absolute non esse impedimentum, oportere autem ut Societas in aliquo iure suo dispensare velit ». Utrumque probat, et addit fortasse hoc modo concilianda esse duo loca Examinis ac Constitutionum. « Nam, absolute loquendo, solum matrimonium consummatum est impedimentum, cum quo nemo recipi possit invita coniuge ullo modo, nec interveniente dispensatione ipsius Societatis; et ideo priori loco Examinis, consummati matrimonii mentio facta est. Quia vero matrimonium ratum aliquo modo impedit, servato iure ordinario, ideo forte, ad hoc insinuandum, in 2ª parte Constit. absolute matrimonium positum est ».

Ergo, secundum Suarez, matrimonium ratum est impedimentum essentiale, nisi Societas velit dispensare, sc. admittendo cum hoc proposito ut post novitiatum admissus statim ad professionem solemnem, qua dissolvatur matrimonium, admittatur. Unde, iuxta eum, si quis admitteretur, *non declarato suo matrimonio rato, nulla esset admissio.*

(b) In eodem loco Examinis fit haec declaratio: « Si (quis) spopondisset per verba de praesenti, matrimonium consummando vel aliquo modo pari, duceretur is quartum habere impedimentum ». Hoc dictum est secundum doctrinam vigentem ante Trid., scilicet promissionem de praesenti, adiuncta consummatione, efficere verum matrimonium. Sed post Trid. et decretum *Tametsi*, obstat matrimonio clandestinitas in locis ubi decretum fuit promulgatum. Nunc autem attendendum est novae legi de validitate matrimoniorum (decr. *S. Congr. Conc.* 2 aug. 1907), necnon *decreto S. Officii*, 15 febr. 1892, quo tollitur praesumptio veri matrimonii copulae carnali supervenienti post promissionem de futuro. S. Ignatius nihil amplius voluit nisi ut, quoties Ecclesia matrimonium agnoscit, tunc adsit impedimentum.

(c) Quaeri potest cur S. Ignatius hoc impedimentum, quod est iuris

28. Quintum impedimentum essentiale : infirmitas capitis. — « Capitis infirmitatem pati, unde accidat obscurari et parum sanum esse iudicium », aut etiam notabilis ad illud dispositio (Const. P. I, c. 3, n. 7).

Ex iure naturali et ecclesiastico irritatur tantum professio in amentia facta (supra n. 3). Inde patet hic multum addi impedimento naturali [a].

Haec quinque impedimenta sunt substantialia et irritantia tum ingressum, tum vota simplicia et quamcumque sequentem professionem; quicumque aliquo horum tenetur, est inhabilis et incapax ipso facto ad Societatis ingressum. Ita Congr. VII, d. 42. Ergo receptio alicuius cum uno ex his impedimentis est invalida non tantum ex defectu potestatis in recipiente, sed ex inhabilitate candidati.

Hoc punctum est inter substantialia Instituti (Congr. V, d. 58). Et S. Ignatius voluit ut ab eis nec Praep. Generalis nec universa Societas dispensare posset (P. I, c. 3, litt. G).

29. Impedimentum originis ex Hebraeis vel ex Saracenis. — Impedimentum hoc fuit statutum a Congr. V, *decr.* 52 et 53; declaratum et moderatum a Congr. VI, *decr.* 28.

Congr. V statuit « ut nullus omnino ex eiusmodi hominibus, qui ex Hebraeorum aut Saracenorum genere descendunt, deinceps in Societatem recipiatur. Quodsi eorum quispiam errore admissus fuerit, cum primum de hoc impedimento constiterit, quocumque tempore ante professionem id detegatur, admonito prius Praeposito Generali, et expectato eius responso, dimittatur ».

Congr. VI, d. 28, « per modum sive declarationis, sive moderaminis », hanc praxim in posterum servandam statuit: quod, exclusis iis qui Morisci in Hispania vocantur, vel aliis quibuscumque qui Christiani quasi specie tenus habentur, et etiam iis qui hoc nomine generationis Hebraeorum seu Saracenorum infames habentur, qui etiam iuxta Constitutiones

---

naturalis et ecclesiastici, referat, quin illi quidquam addat. — Responderi forsan debet rationem esse, ut fiat diligens inquisitio status liberi. Propterea inter casus quo aliquis iam admissus dimitti debeat, comprehendit : « Si detegeretur vinculum matrimonii » (P. II, c. 2, n. 5).

28. (a) Tota difficultas quoad hoc impedimentum est practica; scilicet an talis sit infirmitas capitis aut dispositio ad illam, ut impedimentum primarium constituat.

titulo infamiae admitti non possunt: in caeteris, qui alioquin honestae familiae essent, aut vulgo nobiles vel boni nominis haberentur, informationes fierent usque ad quintum gradum inclusive; ultra hos vero gradus, nisi sit talis infamia quae publice constet, non esse censendum impedimentum aliquod, aut ulterius inquirendum. De Tartaris autem et Mahumetanis aliis sive in Polonia, sive alibi, committitur Patri nostro Generali ut possit dispensare intra praedictos hos gradus, cum cesset in his ratio infamiae et dedecoris ».

Ex huius decreti verbis, et responsis PP. Generalium quae eius intellectum declararunt [a], haec videntur tenenda:

1° Distingui debent Saraceni et alii Mahumetani: fit enim oppositio in decreto inter Hebraeos et Saracenos ex una parte, et ex alia Tartaros et Mahumetanos alios.

Saraceni sunt Arabes Mahumetani Hispaniae et forsan etiam Mauritaniae [b]. His assimilantur, ratione impedimenti originis, Morisci Hispaniae aliique specie tantum Christiani. Alii Mahumetani, qui non sint stirpe Arabes et habitant sive in Polonia sive alibi (praeter Hispaniam) non veniunt nomine Saracenorum.

2° Hi omnes, ubi laborant publica infamia ratione originis, admitti nequeunt.

3° Ubi non est publica infamia, oriundi ex Saracenis, si sint ex honesta familia, aut nobiles vel boni nominis, tunc tantum impedimentum habent, si descendunt ex Saracenis intra quinque primos gradus. Igitur inquisitio ultra quintum gradum fieri non debet. Quodsi intra hos gradus non sit probatio certa, testimoniis fide dignis firmata, adesse maculam originis, impedimentum non existit, etiamsi certa inveniretur origo saracena ultra hos gradus; contra si intra hos gradus certo probatur, impedimentum existit, et est indispensabile a Generali. Alii, qui non sint ex honesta familia, aut nobiles aut boni nominis, admitti non debent, donec dubium de origine remanet, etiam ultra quintum gradum.

4° Oriundi ex aliis Mahumetanis, si non adest infamia, ex dispensatione Patris Generalis admitti possunt, etiamsi constet de origine Mahumetana intra quinque gradus.

---

29. (a) Vide plura responsa apud Besson, n. 31.

(b) Attamen a. 1638 responsum fuit: « Nomine Saracenorum, in decreto 52 Congr. v, veniunt etiam Turcae et omnes circumcisi (V. Besson, l. c.).

5° **Oriundi ex Hebraeis,** quamvis ex decreto 28 Congr. VI videantur assimilari oriundis ex Saracenis, attamen ex multiplicibus PP. GG. responsis, in Societatem admitti nequeunt donec dubium permanet, scilicet subiacent decreto Congr. V et non valet pro eis temperamentum Congr. VI.

Nota. Oriundi ex aliis infidelibus aut hereticis et schismaticis impedimentum non habent. Eos S. Ignatius, quamvis rogatus, e Societate excludere noluit. Hoc testati sunt Polancus et Ribadeneira. Ita responsum PP. GG. a. 1647.

Heretici conversi in Societatem admitti non debent nisi post quinquennium ab eorum conversione si in scholasticos, post triennium si in coadiutores admittuntur. Hanc legem statuit P. Claudius (1614) et confirmavit P. Mutius Vitelleschi (1618) (c). Attamen si aliquis ante quinquennium satis videretur firmus et valde dignus, de eo monendus esset Generalis.

30. De valore huius impedimenti. — Est indispensabile, non autem essentiale. Ita expresse CONG. V, d. 53. Differentia est quod nemo, ne quidem Generalis, aliquem hoc impedimento innexum licite admittere potest; sed si quis admittatur, valida est admissio.

Confirmatur haec interpretatio ex dispositione d. 52. Congr. V circa eum qui per errorem cum hoc impedimento fuisset admissus; statuitur ut is, « quocumque tempore *ante professionem* id detegatur, admonito prius Praep. Generali et expectato eius responso, dimittatur ». Si invalida esset admissio, etiam invalida esset professio, et professus etiam dimitti deberet. Etiam vox ipsa « dimittatur » improprie usurparetur, nisi valida fuisset admissio: non enim dimittitur nisi qui prius fuit admissus; qui fuit invalide admissus cum impedimento essentiali, non proprie dimittitur, sed de errore moneri debet ut recedat. Eadem sententia confirmatur etiam eo ipso quod Congregatio noluit dicere hoc impedimentum esse essentiale aut irritans, sed tantum indispensabile. Adsunt insuper plura responsa PP. GG. (a). Ad rem etiam faciunt ea quae leguntur in *Actis manuscriptis* Congr. VIII, act. 84.: producuntur litterae

---

(c) Hoc statutum, utpote non ab aliqua Congregatione generali sed tantum a Patribus Generalibus latum, non ligat eorum successores.

30. (a) Vide aliqua apud BESSON n. 31. Inter caetera, duo sunt responsa anni 1640 et 1660, tenoris sequentis: « Recte deducit R. V. ex decreto 52 Congr. V, origine ex Hebraeis etiam nota, non irritari professionem ».

Provinciae Goanae quibus, « post gravia quaedam obiecta habentibus originem ex Iudaeis, propter quae omni conatu et contentione videntur arcendi a sacris ministeriis, obsecrat ut decernatur hanc maculam originis a sanguine iudaeorum esse impedimentum essentiale, saltem in ea provincia. Responderunt Patres unanimi consensu nihil esse innovandum aut addendum ad ea quae in Congr. v et vi ea de re decreta sunt ». Ex his satis apparet aliquos ex origine hebraea admissos fuisse, quorum admissio, facta professione, valida habita fuit. Igitur impedimentum non reddit invalidam admissionem. — Haec est sententia Lugonis (*Responsa Moralia*, l. iv, dub. 21, n. 5)[(b)]; eamdem sententiam tenent Oswald, n. 72, Besson, n. 30, nec dubium movent. Suaresius autem (tr. x, l. ii, c. 2, n. 4) contrariam sententiam tenet: ratio eius est, quia Religio non vult praebere suum consensum ad admissionem horum hominum; et ideo nullus Superior, ne Generalis quidem, defectu potestatis, eos admittere debet. Hoc est argumentum validius ad probandum impedimendum, si est indispensabile, esse irritans, scilicet ex defectu potestatis in recipiente.

Sed haec ratio facile dilui potest. Verum est quidem principium generale, Societatem posse constituere impedimentum irritans, negando Provincialibus et etiam Generali facultatem admittendi eos qui certo aliquo vitio laborant. Sed quaestio est an de facto Societas in Congreg. v et vi abstulerit omnibus, etiam Generali, facultatem admittendi oriundos ex Hebraeis et Saracenis, aut tantum prohibuerit prohibitione indispensabili, scilicet ita ut in nullo casu liceret eos admittere; porro argumenta allata probant Societatem tantum prohibuisse. Unde, cum facultas talis recipiendi non sit ablata Provincialibus, Provinciales qui tales admittunt in Societatem, valide admittunt, quamvis illicite si scienter facerent.

An sit impedimentum origo ex sola matre hebraea, patre Christiano? — Casus resolvi debuit a. 1886. Leo xiii, postulante A. R. P. Anderledy in audientia habita d. 27 *ian.* 1886, vivae vocis oraculo declarare dignatus est: « eiusmodi filios censendos esse impedimento originis liberos; si qua vero sa-

(b) « Si aliquis, ait, etiam per dolum, cum ea macula Societatem ingreditur, quamvis quocumque tempore ante professionem defectus detegatur, dimittendus sit; si detegatur tamen post professionem, dimitti non potest, ut constat ex verbis eiusdem decreti: *quia nimirum supponitur adhuc valide professus* ».

natione opus esset hac in re, eam se etiam benigne concedere » (Ita in Archivio P. Generalis. — Referunt Besson, n. 31 et Oswald, n. 72). Eadem responsio data fuit a Patre Generali a. 1908, innitendo praecedenti resolutioni.

In ea responsione notandum est posteriorem partem nihil detrahere priori: videtur addita ad maiorem conscientiarum tranquillitatem; unde simpliciter dicendum est, ex hac declaratione impedimentum non existere in casu.

31. Impedimenta secundaria. — Eorum natura.

1° Haec impedimenta secundaria non sunt ex se irritantia, nec proprie prohibentia; sed efficiunt ut quis difficilius admittatur aut etiam penitus admitti non debeat. Hoc ex pluribus locis capitis 3 primae partis Constit. habetur, ubi distinguuntur inter se impedimenta primaria et secundaria. N. 2: « Ex his impedimentis ad admissionem, nonnulla eos qui vellent ingredi omnino excludunt »; n. 8: « Caetera impedimenta, quamvis singula a Societate non excludant, reddunt tamen minus idoneum eum qui admitti exoptat »; et n. 16, post enumerata haec impedimenta secundaria: « Quo huiusmodi defectibus quis magis est obnoxius, eo minus est idoneus ut Domino Deo nostro in hac Societate ad animarum auxilium serviat; et qui facultatem habet admittendi, videat ne charitatis particularis affectus universali noceat ».

2° Dicitur haec impedimenta non esse *ex se* irritantia; sed possunt esse indirecte irritantia ex defectu facultatis in recipiente: non quidem in Generali, qui ex Constitutionibus habet facultatem recipiendi omnes qui impedimento primario non laborant[(a)]; sed in aliis inferioribus Praelatis, in Provincialibus, Rectoribus. Nam inferiores Praelati non habent nisi facultatem quam Generalis eis concedit, ut dicitur P. I, c. 1, n. 1. Porro in c. 2, litt. C. dicitur de iis qui habent impedimentum secundarium: « Dispensare cum eo Praepositus Generalis poterit, vel etiam alii, *quatenus* eis communicata ab ipso facultas se extendet ».

3° Ergo distingui debent impedimenta secundaria in quibus facultas admittendi reservatur Generali, et impedimenta in quibus facultas admittendi Provincialibus aut aliis communicatur. Porro regula 36ª Provincialis haec habet: « In se-

---

31. (a) Ita Const., P. I, c. 1, n. 1; P. IX, c. 3, n. 1. Haec potestas fuit restricta a Congr. V, in casu originis ex Hebraeis et Saracenis.

cundariis impedimentis dispensandi facultatem habebit, praeterquam in difformitate magna aut defectu insigni, qualem habent eunuchi, et in aetate infra quindecim et ultra quinquaginta annos, et in coniugatis, etiam in casu in quo non est impedimentum essentiale. — Addi debet casus homicidii casualis voluntarii ex dictis n. 25 (b).

32. De impedimentis secundariis in specie. — Haec in CONST. P. I, c. 3, n. 9-15, coll. EXAM. GEN. c. 3, enumerantur hoc modo:

1° « Passiones vel affectus qui domari non posse videantur, vel peccatorum habitus de quibus non magna emendatio speretur ». Ad hoc impedimentum referuntur ea quae scribit A. R. P. Beckx in sua epistola 12 *mart.* 1861 de custodia castitatis: « Vocationi nostrae idonei non sunt putandi, qui ad carnis vitia ipsa natura et indole procliviores sunt. Ii vero qui iis vitiis aliquando implicati erant, etsi habita naturalis indolis et educationis ratione spem solidae et constantis emendationis nunc forte praebere videantur, non sunt tamen admittendi, nisi propositum vitae melioris re et opere iam probaverint, atque notabili temporis spatio extra Societatem ab omni labe purgati vixerint. Qui autem iam sacerdotes huic vitio inhaerebant, etiamsi ab aliquo tempore relapsi non sint et emendati videri possint, nullo modo admitti debent ».

2° « Intentio minus recta ».

3° « Inconstantia vel remissio animi notabilis ».

4° « Indiscretae devotiones ».

5° « Litterarum ignorantia, vel ingenii aut memoriae ad eas addiscendas, vel linguae ad explicandum defectus », in illis qui recipiuntur ut ad Ordines promoveantur. Consonant haec

---

(b) Ex Constitutionibus, Generali reservatur tantum admissio ante annum decimum quartum, aut in provecta aetate (et etiam dubitari potest an ita reservetur ut irrita sit receptio a Provincialibus facta); sed CONGR. VIII, d. 35 constituit « ut Provinciales sine Generalis dispensatione non habeant facultatem admittendi ad probationem ante quindecim, nec ad vota Societatis ante septemdecim annos, ita ut irritum sit defectu potestatis quidquid contra fuerit factum ». Confirmavit Cong. XII, d. 13. — Pro aliis reservationibus in regula 36 Provincialis contentis, non existit in Instituto declaratio, qua admissiones sine Praep. Generalis dispensatione factae haberi debeant irritae; sed pluries PP. Generales in suis responsis declararunt ita esse et sententiam contrariam non posse sustineri (Cf. Responsa mnsc. Generalium, p. 445).

prohibitioni a Clemente VIII factae, ne admittatur post annum 25 expletum aliquis litteris ignarus, si uti clericus admittitur (cf. supra n. 16).

6° « Iudicii defectus, vel notabilis in sensu proprio obduratio ».

7° « Defectus in integritate corporis, morbus, debilitas vel notabilis deformitas » ; nisi aliis eximiis virtutibus ac donis Dei compensetur (cf. l. c., litt. I).

8° « Aetas valde tenera vel plus satis provecta ». In declaratione, Generali reservatur facultas dispensandi ad admittendum aliquem 14 annis minorem, aut provectioris aetatis. Sed deinde CONGR. VIII, d. 35 statuit Provinciales non posse admittere ante 15 annos completos, et admissionem antea factam irritam declaravit ex defectu potestatis in recipiente. Nihilominus CONGR. XII, d. 13 declaravit, quamvis invalida fuerit admissio ante annum 15 expletum facta, eam tamen validari quum candidatus iam hanc aetatem attigerit, et tunc valide inchoari novitiatum. Privilegia autem, iuris communis derogativa, Societati concessa sunt, quibus P. Generalis candidatos post annum 12 expletum ad probationem admittere potest. Ita ex concessione Leonis XII, 2 *mart.* 1827. — Aetas provectior, ultra quam facultas dispensandi Generali reservatur, est 50 annorum (Reg. 36 Prov.).

9° « Aes alienum vel civiles obligationes ». Recole quae dicta sunt n. 10 et 11: iuris communis praescriptiones, quae ibi indicantur, Societatem obligant.

33. Quid de illo qui cum impedimento ignoto aut celato admissus fuerit? — 1° Si impedimentum est essentiale, invalida fuit admissio; tunc regulariter dimitti debet e Societate: « Quod si aliquod ex quinque impedimentis dissimulasset, tunc non est aequum ut in Societate maneat » (P. II, c. 2, B).

Dicitur *regulariter;* nam, quemadmodum cum uno ex his primariis impedimentis aliquis cum dispensatione S. Pontificis admitti potest, ut dicitur P. I, c. 3, G, item cum eadem dispensatione iam admissus retineri posset.

De caetero, si admissus cum uno ex impedimentis primariis professionem solemnem iam emisisset, dimitti non posset nisi servata lege Tridentina et Constitutione Benedicti XIV de causis invalidae professionis (cf. c. V, n. 8), ut expresse declaratur in Const. *Si datam* (1748) n. 4. — Si cum impedimento originis aliquis admissus esset, iam dictum fuit n. 29 quid faciendum sit ex Congr. V, d. 52. — Cf. etiam n. 30, nota b.

2° Si impedimentum est secundarium, valida aut invalida fuit admissio, pro facultate quam admittens habebat [a].

3° Si impedimentum detegitur decursu probationum, scilicet ante ultima vota, pro circumstantiarum varietate dimitti aut retineri poterit. Ita P. II, c. 2, n. 3, ubi inter causas, propter quas aliquis dimitti potest, enumeratur: « Si in probationum decursu aliqua impedimenta vel insignes defectus, quos antea in examine tacuisset, detegerentur ». Et in *declaratione B:* « Si in ingressu quis aegritudinem aliquam celasset, cum ea detegeretur, constat liberius et iustius eum dimitti posse. An autem revera sit dimittendus necne.... prudentiae Superioris relinquitur. Tantumdem sit dictum, si deprehenderetur quod in aliqua re alia in examine veritatem suppressisset » [b]. Haec autem solum de impedimentis secundariis esse dicta, patet ex phrasi sequenti eiusdem loci: « Quod si aliquod ex quinque impedimentis dissimulasset, tunc non est aequum ut in Societate maneat ».

Cum facultas dimittendi post vota biennii ad Generalem spectat, sequitur recurrendum esse ad Generalem, si quis admissus cum impedimento secundario iam vota biennii emisisset.

Patet si quis fuit invalide admissus propter impedimentum

---

33. (a) Non desunt qui censeant, etiamsi Superior facultatem dispensandi in impedimentis secundariis habuerit, si tamen non habuit intentionem saltem implicitam dispensandi, admissionem fuisse invalidam; hoc autem maxime valere, si candidatus malitiose impedimentum celaverit. Sed haec opinio reiicienda est, quia haec impedimenta, ut dictum est, dispensatione non indigent, et etiamsi indigerent, cum non sunt irritantia, admissio sine dispensatione facta esset valida, dummodo fiat a Superiore facultatem cum his impedimentis admittendi habente (Vide SUAREZ, tr. X, l. II, c. 3, n. 5). — Non autem dicendum est admissionem cum impedimento ignoto et maxime celato esse invalidam ex defectu voluntatis in admittente. Quamvis enim, si cognovisset impedimentum non admisisset, attamen simpliciter admisit: ita est in omni contractu, ubi consensus semper validus habetur, si error non est substantialis, nisi consensus explicite fuerit alligatus alicui conditioni. — Si tamen persona esset prorsus inhabilis ad Societatem et celasset haec impedimenta, admissio probabiliter esset invalida propter errorem substantialem in contractu (sc. in admissione), non autem propter ipsa impedimenta. Ita SUAREZ l. c., qui addit: « Hoc tamen certum non est ».

(b) « Si talis deceptio sit in re gravi, etiamsi non annullet actum, peccatum esset mortale, propter quod posset praelatus expellere talem personam » (SUAREZ, ibid.).

secundarium, ex defectu facultatis in admittente, et P. Generalis eum retinendum censeat, ab eo tempore tantum eum in Societatem admitti.

Notandum est praeterea S. Ignatium, cum de dimittendo illo, qui cum impedimento secundario fuit admissus, agit, semper supponere quod celaverit malitiose impedimentum. Unde, si malitiose non egisset, videtur lege generali non esse dimittendus, nisi aliae adsint causae dimissionis.

4° Si impedimentum secundarium detegitur post ultima vota, etiam Coadiutoris, tunc is videtur non esse dimittendus. Hoc sequitur ex loco supra allato, in quo, inter causas cur aliquis dimitti possit, enumeratur : « si in *probationum decursu* aliqua impedimenta detegerentur » ; unde consequens est, si post ultima vota detegerentur, dimitti non debere (c).

34. De parentum consensu. — In Instituto nihil dicitur de parentum consensu. Sed S. Ignatius in quadam epistola (3 *mart.* 1554) ad totam Societatem, sub praecepto obedientiae vetuit ne reciperentur ad Societatem *nostri scholares* absque parentum consensu. — Et P. Claudius sapienter scribebat (a. 1584) : « In suscipiendis filiis magnatum et eorum qui multum obesse possunt Societati, habenda est ratio eorum offensionis non solum iustae, sed etiam iniustae ».

(c) Si ultima vota fuerunt professionis solemnis, patet non posse dimitti nisi cum forma Benedictina (Vide c. V, n. 8). Si ultima vota fuerunt coadiutoris, ratio cur dimitti non debeat, videtur esse firmitas vinculi quod inter Societatem et coadiutorem formatum existit. — Obiici tamen potest, quod si invalida fuerit prima admissio ex defectu facultatis in admittente cum impedimento, invalida etiam fuit professio aut emissio votorum coadiutorum, cum nullus praecesserit novitiatus. Verum intentio S. Ignatii videtur esse, quod nihilominus in tali casu retineatur qui fuerit cum impedimento receptus.

CAPUT III.

DE REQUISITIS AD INGRESSUM IN RELIGIONEM

Sectio I. — 1. Enumerantur varia requisita. — 2. Informatio de postulante iuxta formam Sixtinam. — 3. Litterae testimoniales Ordinarii. — 4. Receptio ubi et a quo facienda. — 5. Domus novitiatus. — 6. Duplex scrutinium in Italia et insulis praescriptum. — 7. An aliquid accipi vel exigi possit ab ingredientibus.

Sectio II. — 8. Privilegia Societatis circa admissionem; variae exemptiones a iure communi. — 9. Informatio qualis ex Instituto facienda. — 10. Obligatio candidati sincere respondendi. — 11. De Superiore competenti in Societate ad novitiorum admissionem. — 12. De secunda alicuius admissione.

SECTIO I.

1. Ad licitum ingressum in Religionem, praeter exemptionem ab impedimentis tum irritantibus tum prohibentibus (de quibus in capite praecedenti), requiruntur aliae quaedam conditiones ex iure positivo, scilicet: informatio praevia de postulante, necnon epistolae testimoniales Ordinarii candidati et admissio in Capitulo provinciali aut generali iuxta formam statutam; requiritur etiam domus novitiatus a S. Sede ad novitiatum approbata, in quo novitius recipiatur: ita ex lege generali, cui exceptiones fiunt. — Insuper in Italia et insulis requiritur duplex scrutinium, ut explicabitur, iuxta decretum Pii ix *Regulari disciplinae* (25 *iun.* 1848).

2. Informatio de postulante. — Haec informatio, praescripta a Sixto v, confirmata est a Clemente viii, innovata a Pio ix.

Sixtus v, C. *Cum de omnibus* (1587) § 4, statuit: « Iuvenes aut viros adultos maiores 16 annis non aliter in aliquam Religionem recipi posse nec debere, nisi prius de eorum parentibus, patria, deque anteacta vita et moribus diligenter inquiratur, et ex accurata informatione et fide digna relatione compertum et expertum sit eos (non esse obnoxios impedimentis quos statuit), et constet ipsos non humana aliqua ratione, sed tantum devotionis et pietatis fervore, vitam religiosam sponte et ex animo elegisse; deque his omnibus in generali seu pro-

vinciali Capitulo plena et indubitata fide facta, tam Superioris Generalis seu Provincialis, quam Definitorum unanimi consensu approbati et ad habitum regularem admissi fuerint ».

Haec est forma receptionis Sixtina. Duo complectitur: 1, informationem praeviam ac eiusdem in generali aut provinciali Capitulo fidem factam; 2. admissionem candidati in Capitulo a Generali seu Provinciali cum Definitoribus.

Hanc formam ad validitatem esse necessario adhibendam Sixtus v statuit tum in eadem Const. (§ 5), tum clarius C. *Ad Romanum Pontificem* (1588), et poenas contra contravenientes decrevit.

Sed Clemens viii, C. *In suprema* (1602), retentis ad licitam receptionem forma Sixtina necnon poenis contra Superiores eam non servantes statutis, clausulam irritantem abrogavit: « Constitutiones praedictas Sixti praedecessoris, quoad eam partem per quam eorum, qui formam in eisdem Const. praescriptam de caetero non servaverint, et quoad alios etiam casus ibidem expressos, in quibus receptorum.... professio nulla declaratur, ad terminos iuris et sacrorum canonum, perinde ac si praedictae Const. in illa parte editae non fuissent, auctoritate Apostolica tenore praesentium reducimus. Caeterum poenas contra Superiores qui, in admittendis Regularibus ad habitum et professionem, earumdem constitutionum formam non servaverint.... salvas esse volumus et statuimus » (§§ 3 et 4).

De quibus rebus fieri debet praevia informatio? — Praeter ea quae a Sixto v determinantur C. *Cum de omnibus* et supra sunt recitata, Clemens viii, per decretum *Cum ad regularem* (19 *mart.* 1603), a S. Congr. Reformationis Apostolicae datum, sequentia super praevia informatione statuit § 2: « Quod attinet ad novitiorum recipiendorum formam, ultra diligentem inquisitionem, quae habenda erit de uniuscuiusque natalibus, corporis habitudine, moribus, et vita anteacta, ac praecipue eorum qui sextum decimum aetatis suae annum excedent, an criminosi, an aere alieno gravati, vel reddendae alicuius administrationis rationi obnoxii sint, iuxta formam Constit. f. r. Sixti v et moderationum subsecutarum; illud etiam Superiores, ad quos spectabit, sedulo perquirant, ut.... ad Religionem nullus imposterum admittatur qui ex honestis parentibus natus non sit et conditiones a sacris Canonibus, Summorumque Pontificum Constitutionibus praescriptas non habeat » ; — et § 4 : « Demum Superiores diligenter exquirant quo spiritu, qua

mente ac voluntate id regularis vitae genus elegerint, quem sibi finem proposuerint, num zelo melioris frugis ac perfectioris vitae, et ut Deo liberius famulari possint, an potius levitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animo ducantur, et an eorum parentes ope et subsidio ipsorum indigentes destituantur ».

Pius IX, in decreto *Romani Pontifices*, 25 *ian.* 1848 (de quo n° sequenti), mandat ut Superiores informationem ab Ordinariis accipiant; Ordinarii autem inquisitio fiat de postulantis « natalibus, aetate, moribus, vita, fama, conditione, educatione, scientia, an sit inquisitus, aliqua censura, irregularitate aut alio canonico impedimento irretitus, aere alieno gravatus, vel reddendae alicuius administrationis rationi obnoxius » [(a)].

Omnia haec, quae in diversis documentis interroganda statuuntur, facile ad tria capita reducuntur: 1. An candidatus detineatur aliquo ex impedimentis sive irritantibus sive prohibentibus, de quibus capite praecedenti; 2. an sit statui religioso idoneus, et ideo an necessariis animi et corporis dotibus sit instructus; 3. quo spiritu ducatur in vitam religiosam amplectendam. Et haec sunt fere verba quibus utitur Pius IX in alio decreto *Regulari disciplinae* (25 *iun.* 1848): « Provincialis diligenter inquirat circa illius (candidati) qualitates, utrum nempe ab omni defectu et impedimento immunis sit, et necessariis dotibus praeditus, religioso statui idoneus, ac etiam, an amore perfectioris vitae et Deo liberius in Religione serviendi, seu potius levitate, aut necessitate, vel alio inordinato fine ductus admitti postulet ».

3. Litterae testimoniales Ordinarii. — Ad hanc praeviam inquisitionem spectant litterae testimoniales Ordinarii, quas Pius IX, decreto *Romani Pontifices*, e S. Congr. super statu Regul., d. 25 *ianuarii* 1848 emanato, praecepit: « Nemo ad habi-

---

2. (a) Extat aliqua *Instructio ad examen personale postulantium*, data a S. Congr. super statu Regul. et adnexa declarationibus 1 *maii* 1851 (apud Vermeersch, t. II, pag. 290; cfr. etiam p. 287), in qua ea repetuntur quae in citatis documentis continentur, et haec insuper adduntur: informatio fiat, 1° de scientia pro clericis, pro conversis de cognitione praecipuarum veritatum fidei, pro aetate provectioribus de eorum fide orthodoxa; 2° an postulans alicui Instituto religioso nomen dederit; 3° an sit valetudinis sat firmae; 4° interrogetur tandem de his quae in respectivis Constitutionibus exquirenda praescribuntur.

tum admittatur absque testimonialibus litteris tum Ordinarii originis, tum etiam Ordinarii loci in quo postulans, post expletum decimum quintum annum aetatis suae, ultra annum moratus fuerit » (§ 1).

Hac lege teneri voluit omnes Ordines, Congregationes et Instituta, sublatis omnibus privilegiis; observantiam huius decreti omnibus Superioribus, in virtute S. Obedientiae, sub gravibus poenis [a] districte praecepit (§ 3); eiusque lectionem in publica mensa omni anno die 1 *ianuarii* statuit (§ 5).

Attamen ex harum litterarum testimonialium omissione nec receptio habitus, nec subsequens professio irritantur (*Declar.* 1 *maii* 1851, ad 8 et 9) [b]. S. Congr. EE. et RR., in *Normis a.* 1901, *art.* 58, hanc Pii IX legem omnino servandam memorat.

Ex quibus omnibus haec habentur:

1. Gravis est obligatio pro Superioribus omnibus religiosis praeviam informationem de candidatis sumendi.

2. Haec obligatio tamen non est sub poena nullitatis: valida est receptio, omissa informatione.

3. Informatio ab Ordinario candidati petenda est, qui ipse inquisitionem faciet et litteras testimoniales dabit.

4. Materia huius inquisitionis praescribitur.

4. De ipsa admissione, a quo facienda. — Ex antiquo iure receptio candidati, pro diversa diversorum Monasteriorum

---

3. (a) « Sub poena privationis omnium officiorum, vocis activae et passivae, et perpetuae inhabilitatis ad alia in posterum obtinenda ».

(b) Variae datae sunt huius decreti *Romani Pontifices* declarationes ab eadem Congr., 1 *maii* 1851, 3 *nov.* 1852, 29 *maii* 1857, 25 *febr.* 1863 (Vermeersch, tr. II, p. 275 et ss.). Praecipuae sunt: Sufficit ut Ordinarii dent litteras in forma privata, et etiam ut in eis in genere tantum de qualitatibus postulantis testificentur. — Quando Ordinarii non possunt dare litteras testimoniales, licitum est Superioribus postulantem recipere, sed per tres menses debent eum detinere, priusquam ad habitum admittant. — Quando postulantes ex aliis Congregationibus veniunt, si in eis erant novitii, aut saecularizati fuerint, litterae ab Ordinario dioecesis petendae sunt; si sint professi et in priore Congregatione actu permaneant, ab eorum Superioribus sive Generalibus sive Provincialibus; et si Provinciales non existunt, a Superioribus localibus litterae sunt petendae. — Quando postulans est in Ordinibus sacris constitutus, sufficiunt litterae testimoniales Episcopi qui eum legitime ordinaverit, necnon et Ordinariorum dioecesum in quibus deinde ultra annum commoratus fuerit.

lege, spectabat vel ad Abbatem solum, vel ad Abbatem simul cum conventu, ut constat ex c. 6, *de Regul.* III, 14, in 6°.

Sixtus V, C. *Cum de omnibus* (1587), praescripsit ut receptio non fieret, nisi habita super meritis candidati in generali vel provinciali Capitulo matura deliberatione, Generalis vel Provincialis ac Definitorum unanimi consensu (§ 3); sed deinde in C. *Ad Romanum* (1588), corrigens hanc unanimis consensus praescritionem, statuit sufficere ut is habeatur suffragiorum numerus, qui a iure vel per cuiuscumque Ordinis statuta est praefinitus (§ 10).

Notandum est formam Sixtinam in ipso actu admissionis non requiri, nisi pro iuvenibus sexdecim annis maioribus, et quidem si a saeculo ad Religionem transeunt, ergo non pro transeuntibus ab una ad aliam Religionem. Ita clare C. *Cum de omnibus,* § 4: « Statuimus et ordinamus iuvenes aut viros adultos maiores sexdecim annis non aliter in aliquam Religionem recipi posse nec debere, nisi.... »; et § 5: « Quare volumus ut cuiusque iuvenis aut viri, maioris sexdecim annis, a saeculo ad Religionem transeuntis, approbatio, admissio et receptio in generali vel provinciali Capitulo, ut supra ordinatum est, pro tempore fiant ».

Sed praevia inquisitio de omnibus fieri debet iuxta formam a Pio IX praescriptam, et de omnibus litterae testimoniales ab Ordinariis sunt expetendae.

5. De domibus novitiatus. — Plerique Ordines et Congregationes non possunt recipere novitios, in Italia et insulis adiacentibus, nisi in domibus specialiter approbatis a Sede Apostolica ceu domibus novitiatus. Extra Italiam et insulas adiacentes, omnes Ordines et Congregationes (exceptis recentibus, in quorum constitutionum approbatione apponitur conditio specialis approbationis Sedis Apostolicae ad erigendas domus novitiatus), novitios in quibuscumque suis domibus recipere possunt. Eodem iure gaudent etiam in Italia et insulis adiacentibus nonnulli Ordines excepti in constitutionibus Pontificiis.

Haec quaestio satis est intricata propter varia decreta, de quorum extensione multa dubia extiterunt.

Clemens VIII, C. *Regularis disciplinae* (1596), praescripsit omnibus « Superioribus conventuum intra Italiae et insularum adiacientium fines existentium quibuscumque, et quorumcumque Ordinum mendicantium, ut de caetero neminem ad habitum

regularem admittant, nisi in conventibus auctoritate nostra propediem in una quaque Provincia designandis » (§ 1); et addit § 4: « Receptiones vero et professiones quaslibet eorum, qui contra huiusmodi decretum nostrum admissi fuerint, nullas et irritas esse nunc decernimus et declaramus ».

Deinde prodierunt varia decreta S. Congr. de Reformatione, in quibus de eadem re agitur.

1° Decretum *Sanctissimus* (20 *iun.* 1599), in quo § 6: « Nunc denuo districte praecipit omnibus Generalibus, Provincialibus.... caeterisque Superioribus conventuum, monasteriorum ac domorum, quocumque nomine appellentur, intra Italiam et insularum adiacentium fines existentium, quorumcumque Ordinum mendicantium aut non mendicantium, exceptis..., ne quemquam ad habitum regularem suscipiendum, nec etiam conversos, nisi in conventibus, monasteriis et domibus auctoritate eiusdem SS. D. N. propediem in unaquaque provincia designandis, recipere aut receptos ad professionem admittere ullo modo audeant »; et § 8 irritat et annullat receptiones et professiones aliter factas. Verum a decreto plures Ordines excipiuntur: Carthusiani, FF. Minores de strictiori observantia, Capuccini, Reformati S. Dominici, Societas Iesu, Barnabitae, et alii.

2° Decretum *Nullus* (25 *iun.* 1599), in quo § 33 dicitur, absque ulla restrictione ad Italiam et insulas, ac etiam quin fiat ulla exceptio cuiuscumque Ordinis: « Nulli imposterum ad habitum aut professionem admittantur nisi in conventibus per Sedem Apostolicam in qualibet provincia deputatis ».

3° Deinde Decretum: *Cum ad Regularem* (19 *mart.* 1603), in quo § 2: « Illud etiam Superiores, ad quos spectabit, sedulo perquirant, ut quibus in monasteriis et conventibus *ex Apostolica facultate novitiatus fuerint instituti,* in iis ad Religionem nullus imposterum recipiatur, qui ex honestis parentibus non fuerit natus et.... »

4° Praeterea Urbanus viii, dec. *Sacra Congregatio* (1624) a S. C. C. emanato (de Regularibus apostatis et eiectis), primo « innovat constitutiones et decreta generalia sanct. mem. Clementis viii ad Regularium reformationem, *ad novitiorum receptionem,* professionem atque institutionem spectantia, districteque praecipit Generalibus atque aliis omnibus Ordinum Superioribus, ut illa exacte observent ». Factis postea variis circa eiiciendos praescriptionibus, pergit § 12: « Ne qua vero difficultas in supradictis decretis et ordinationibus exsequendis suboriatur, S. Congr., SS. D. N. annuente atque appro-

bante, universis Generalibus, Provincialibus et quibuscumque aliis Superioribus *quorumcumque Ordinum* vel Congregationum.... ac locorum regularium *ubique locorum* existentium, iniungit serioque mandat, ut illa diligenter observent atque observari procurent in *omnibus* coenobiis ac monasteriis, collegiis ac domibus *quorumcumque* monachorum ac Regularium *ubique locorum* existentibus, efficiantque ut *tam decreta supradicta* fel. rec. Clementis VIII, quam praesentes ordinationes, in singulis eiusmodi locis, bis saltem in anno legantur in publica mensa ». Deinde § 13 statuit quod si quis contra fecerit, poenas incurrat, « et nihilominus sit irritum et inane quidquid secus a quoquam actum extiterit ». Et amplissimae sequuntur derogationes.

Igitur ob duo decreta *Nullus* et *Cum ad Regularem* Clementis VIII, et maxime ob decretum *Sacra Congregatio* Urbani VIII, nempe propter eorum verba omnino generalia, dubitari incoeptum est, an sublata esset duplex limitatio in praecedentibus decretis posita, sc. in d. *Regularis disciplinae*, quod solam Italiam et insulas adiacentes obligat, et d. *Sanctissimus* in quo praeterea non paucae Religiones, etiam in Italia eximebantur. Et revera AA. in diversam abierunt sententiam.

Adhuc subsistere limitationes censent Schmalzg. et Reiffenstuel (in titulo *de Regularibus*, III, 31); Pignatelli et Fagnani (locis infra citandis); inter modernos Bouix, t. I, p. 579, Vermeersch (t. II, Suppl. IV, pag. 57), Wernz, qui § 636 ait: « Quae lex (sc. de novitiatu in solis conventibus designatis peragendo, a duobus prioribus Clementis decretis inducta) ad alias regiones omnesque Ordines religiosos postea *certo* decreto apostolico non fuit extensa ». Item sentit Piat (t. I, pag. 105 et sq.), qui hanc sententiam multis et validis argumentis propugnat, et confirmat responsionibus S. Congregationis Conc. 4 *febr.* 1648 et 13 *iun.* 1722, necnon S. Congregationis EE. et RR. 22 *apr.* 1796; eamdem defendit Prümmer, q. 47 (quem videas).

De duobus posterioribus decretis Clementinis minor est difficultas. Nam primo, postquam duplex praedicta limitatio in decreto *Sanctissimus,* die 20 *iunii* 1599 edito, apposita fuerit, omnino improbabile est eam, quinque post diebus, scilicet d. 25 *iunii* eiusdem anni (quo decretum *Nullus* prodiit) fuisse sublatam. Decretum *Cum ad Regularem* etiam difficultatem non habet, nam nihil aliud dicit nisi « quibus in monasteriis et

conventibus ex Apostolica facultate novitiatus fuerint instituti, nullus admittatur, etc. ». Ergo praescriptio ad hos conventus restringitur, et nullo modo dicitur non posse alibi novitiatus erigi absque facultate Apostolica. Nec inde aliquis moveri debet quod hoc decretum sit generale : nam etiam in decreto generali aliqui articuli possunt interponi, qui ad aliquos tantum, non ad omnes diriguntur.

Maiorem difficultatem facit decretum Urbani VIII. Sed responderi potest ipsum *innovare* tantum, ut ipsemet profert, decreta Clementis, non autem ea extendere. Praescriptio autem facta § 12 observandi et legendi *ubique* decreta Clementis et praesentes ordinationes, quoad eorumdem observationem nullam novam obligationem affert, sed iam existentem et prout existebat, sc. cum suis limitibus, confirmat.

Plura alia afferri possunt, quae hunc esse sensum huius decreti comprobant. Nempe FAGNANI, qui, ut S. Congregationis secretarius, decretum Urbani obsignaverat, nihilominus (ad c. *Insinuante*, 7, *qui Clerici vel voventes*, IV, 6, n. 41) refert decreta Clementis, sed ut ad Italiam et insulas adiacentes restricta. Examinat an valeat professio alicuius qui extra conventum habitum accipit et tempus novitiatus agit, et ait non valere propter aliquas rationes ; deinde pergit : « Quod multo clarius *hodie* procedit *in Italia et insulis adiacentibus*, quoniam ex supradictis decretis Clementinis ad novitiorum receptionem, institutionem et professionem spectantibus, irritae decernuntur novitiorum receptiones ad habitum et professionem extra conventus designatos ». — Si decreto Urbani decreta Clementis fuissent extensa extra Italiam, non apposuisset hanc limitationem « rem multo clarius hodie procedere in Italia et insulis adiacentibus ».

Idem FAGNANI (ad c. *Cum virum*, 12, *de Regularibus*, III, 31, n. 49) memorat plures Ordines esse ab hac lege exceptos : « In singulis Religionibus, ait, aliquibus tantum exceptis, designavit aliquot conventus.... ».

PIGNATELLI magis explicita habet (t. I *Consultationem canonicarum*, Cons. 282) : « Occasione decreti a S. Congr. Conc. editi iussu sanctae memoriae Urbani VIII, die 17 *nov.* 1635 [a] fuit firmatum decreta sanct. mem. Clementis VIII sub die 12 *mart.* 1596

5. (a) Hoc incisum referri debet ad sequentia, non ad decretum Urbani VIII, quod d. 21 *sept.* 1624 prodiit.

et 20 *iun.* 1599, de novitiis ad habitum regularem et professionem admittendis in conventibus tantummodo designatis, restringi ad conventus intra fines Italiae et insularum adiacentium. Hodie Regulares extra Italiam, pro quiete conscientiarum, quaerunt an decreta generalia eiusdem Clementis VIII postea die 25 eiusdem mensis iunii edita absque aliqua restrictiva, necnon confirmatio eorumdem ab eodem Urbano VIII pariter facta sine restrictiva, in decretis de Regularibus apostatis et eiectis, extendantur ad conventus etiam extra fines Italiae existentes. Respondeo : non comprehendere Regulares extra Italiam ; *ita declaravit S. Cong. Conc.* die 4 *feb.* 1648 (in una Regularium S. Dominici in Gallia) ».

Praeterea die 18 *iulii* 1695 prodiit decretum INNOCENTII XII, *Sanctissimus,* a *S. Congr. super disciplina regulari* datum. In eo S. Congr., « de mandato Sanctitatis suae, praesentis decreti tenore denuntiat omnium et singulorum Ordinum Regularium, — *iis dumtaxat exceptis* qui in praefatis Clementis VIII decretis excepti inveniuntur, — Superioribus.... ut, in unaquaque provincia *per Italiam et insulas adiacentes* quamprimum deputent aliquos conventus, quos magis aptos censuerint, aut unum saltem, ibique auctoritate apostolica omnimodam observantiam regulae instituant.... Tunc Sanctitas sua licentiam, quam hactenus distulit, novitios ibi recipiendi, benigne concedet » [b].

(b) Hoc decreto Innocentius gratias facere intendit iis Ordinibus quibus novitios recipere prohibitum fuerat a Clemente VIII ; et gratia est ut conventus aliquos ad novitiatum destinent a S. Sede approbandos. Si autem prohibitio Clementina, recipiendi novitios extra domos designatas, extensa fuisset per decretum Innocentii ad omnes Ordines et extra Italiam, certe non fuisset concessa gratia, sed maior restrictio apposita.

Verum est fieri difficultatem, quoad exceptionem aliquorum Ordinum, propter Const. *Debitum* (4 *aug.* 1698), qua idem Pontifex novam Congr. super disciplina regulari instituit, cum facultatibus pro Italia et Insulis; facultatem ei facit « inter finem Italiae et Insularum adiacentium, designandi ac deputandi pro novitiatibus et professoriis conventibus monasteria, collegia ac domos quorumcumque monachorum et Regularium virorum, *cuiuscumque* Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti, tam mendicantium quam non mendicantium, etiam necessario exprimendi ». Sed notari debet ex facultate S. Congregationi facta designandi domus novitiatus, non sequi sublatam esse Ordinibus, qui ea fruebantur, facultatem eas erigendi propria sponte, nisi hanc sibi potestatem S. Congr. reser-

Insuper Benedictus xiv, C. *Si datam* (1748), ubi normam in causis nullitatis professionis servandam praescribit, haec de casu nostro habet: « Cum vero inter capita nullitatis professionem religiosam irritantia, unum etiam adnumeretur, si nempe aliquis professionem emiserit in caenobio ad novitiorum institutionem minime destinato, *in iis tamen locis,* in quibus rec. mem. praedecessor noster Clemens viii decreta de Regularibus a se edita vim habere mandavit, etc. ». Haec Benedictus xiv; ex qua restrictiva « in iis tamen locis » clare patet eum sentire decreta Clementina nec ab ipso Clemente nec ab Urbano viii aut Innocentio xii, nec a quocumque alio Pontifice extensa fuisse ad Ecclesiam universam.

Tandem Leo xiii, C. *Romanos Pontifices* (1880), supponit non existere obligationem specialis approbationis ad erigendam extra Italiam domum novitiatus. Etenim in hac Constitutione (ad Episcopos Angliae data, quae ergo Italiam non respicit) docet exigi quidem beneplacitum apostolicum ad erigendam ubicumque domum religiosam, sed si agitur de mutanda domo iam existente, ita ut in eam novitiatus inducatur, ad hoc nec beneplacitum Apostolicum nec Episcopi consensum requirit [c]. |Unde patet Leonem xiii non agnoscere necessitatem specialis approbationis Sanctae Sedis ad erigendam domum novitiatus extra Italiam.

Ex his omnibus *concludendum omnino videtur,* obligationem non recipiendi novitios nisi in solis conventibus ad hoc ab Apostolica Sede designatos, non fuisse extensam nec ad monasteria extra Italiam et insulas adiacentes sita [d], nec, intra

---

varet. Et revera haec Congr. in quodam decreto eiusdem anni d. 2 *oct.*, super designatione domorum novitiatus, expresse eosdem Ordines excipit quos exceperat Clemens viii.

(c) « Fieri solet subtilior inquisitio, an duplex ea venia sit impetranda, si non prorsus novum opus regularis familia moliatur, sed ea quae sunt instituta velit in alios usus convertere.... Pressius rem urgere oportet et accurate dispicere utrum haec inductio alterius usus ad interiorem administrationem disciplinamque domesticam spectet, *velut si tirocinium* aut collegium studiorum causa iunioribus sodalibus in caenobio constituatur:... (tunc enim) suo certe iure Regulares utentur ». (C. *Romanos Pontifices*, 1881, § 22).

(d) S. Cong. EE. et RR. interrogata, respondit monasteria Sabaudiae subiici decreto *Regulari disciplinae* (Declar. 1 *maii* 1851, ad 8). Sed ratio est, quia tunc Sabaudia regimine tum civili tum ecclesiastico Italica erat, quamvis trans montes sita.

Italiam, ad Ordines a Clemente VIII exceptos (inter quos, ut dictum est, Societas Iesu recensetur).

Notandum est tamen S. Congr. EE. et RR., in observationibus ad regulas novarum Congregationum tum virorum tum feminarum, semper exigere speciale beneplacitum Apostolicum S. Sedis aut S. Congregationis ad erectionem domorum novitiatus, ubicumque fiant. BIZZARRI (pag. 830 et seq.) octo animadversiones huiusmodi refert. Et in NORMIS a. 1901 pro approbatione novorum Institutorum, *art.* 272 dicitur: « Pro erectione aut translatione novitiatuum exigitur approbatio S. Congr. EE. et RR. ».

6. De duplici scrutinio in Italia et insulis adiacentibus a Pio IX praescripto. — PIUS IX, d. 25 *iunii* 1848 decretum *Regulari disciplinae* [a] per S. Congr. super statu Regul. edidit « pro Italia et insulis adiacentibus », ut expresse in decreto dicitur; quo quoscumque Ordines, Congregationes, Societates, Instituta, sive in eis vota solemnia emittantur, sive simplicia, in admittendis tum ad habitum postulantes, tum ad professionem novitios, subiecit isti legi, ut non admitterentur nisi probati duplici scrutinio examinatorum provincialium primum et deinde generalium (Pars prima decreti, n. 1).

Primum examen a quatuor examinatoribus instituitur, scilicet a Provinciali cum aliis tribus inter septem a Capitulo Provinciali electos, quorum duo saltem sint ex Definitoribus vel consiliariis Provincialis (*art.* 2); in hoc primo examine expenditur informatio de postulante prius accepta, iuxta formam ibidem descriptam, et postulans ipse examinatur (*art.* 3) [b]. Secundum examen similiter a Generali, vel Procuratore generali (si ipse Generalis Romae non residet), instituitur cum tribus aliis examinatoribus, inter septem aut saltem quatuor a generali Capitulo (quorum duo saltem sint Definitores seu consiliarii Generalis) electos (*art.* 6): Procurator autem generalis semper adest vel ut praeses vel ut examinator (*art.* 6 et 11); in hoc secundo examine definitur « an approbatio facta in primo scrutinio confirmanda sit vel revocanda » (*art.* 10). Utrumque scru-

---

6. (a) Variae deinde datae sunt ab eadem Congr. huius decreti declarationes, 1 *maii* 1851, 16 *ian.* 1852, 12 *ian.* 1855, 24 *febr.* 1860. (Apud VERMEERSCH, t. II, p. 287 et ss.).

(b) Peculiares sunt dispositiones pro Ordinibus in quibus examinatores a Capitulis eligi non possunt, aut in quibus non sunt Provinciales (art. 4 et 5; item 8 et 9).

tinium fit per secreta suffragia; examinatores autem, tum provinciales tum generales, praemisso iuramento se, « quacumque humana affectione postposita, fideliter munus suum executuros, officium exequantur »; quod iuramentum toties quoties examen habendum est praestari debet (12 *ian.* 1855). In utroque examine requiritur in favore candidati unum suffragium supra medietatem (a. 3 et 10). « Generalis poterit candidatum, ex iustis et rationabilibus causis, reiicere, licet fuerit ab examinatoribus in utroque scrutinio probatus, numquam vero admittere eum qui fuerit ab examinatoribus reprobatus » (a. 12).

Die 16 *ian.* 1852 declaratum fuit professionem factam, non servata prius forma decreti *Regulari disciplinae*, « esse tantum illicitam, non vero nullam ».

7. An aliquid exigi aut accipi possit ab ingredientibus Religionem. (a) — *Resp. 1°.* Pro ipso ingressu, nihil accipi potest: esset simoniacum.

Resp. 2°. Ex bonis novitii tempore novitiatus nihil exigi aut accipi aut retineri potest, nisi quod est necessarium ad victum et vestitum ipsius, tempore quo remanet in novitiatu, sive postea professionem faciat sive e Religione discedat. Ita Trident. sess. xxv, c. 16, *de Regul.*: « Neque ante professionem, excepto victu et vestitu novitii vel novitiae, illius temporis quo in probatione est, quocumque praetextu a parentibus vel propinquis vel curatoribus eius, monasterio aliquid ex bonis eiusdem tribuatur, ne hac occasione discedere nequeat ». Ideo si novitius aut eius parentes iam dederint aliquid pro sustentatione tempore novitiatus, et novitius egrediatur ante completum novitiatum, monasterium non potest retinere nisi pro rata temporis quo remansit. Si autem aliquid pro sustentatione fuit pactum et nondum solutum, monasterium quidem ius habet illud exigendi, non tamen potest retinere novitium donec solvat, ne violetur eius libertas discedendi. Si autem novitius aut eius parentes nihil pro sustentatione novitii pacti fuerint, monasterium nihil a novitio recedente exigere potest, nisi animo ficto novitiatum ingressus fuerit. Conveniens tamen est ut monasterio solvantur sumptus quos fecit pro sustentatione novitii. Ita AA., quos vide apud Piat, t. I, p. 89, q. 15, et p. 119, q. 3.

Resp. 3°. Pro sustentatione religiosi post professionem, si monasterium sit pauper, illud quod est necessarium accipi et

---

7. (a) Cf. Piat, t. I, p. 89, q. 15, et Vermeersch, t. I, n. 180.

etiam exigi potest, nisi peculiari iure monasterium ex emendicatis eleemosynis vivere debeat (b).

Si monasterium sit dives satis ut ex suis bonis novum religiosum sustentare possit, communis sententia est monasteriis virorum non licere sustentationem exigere. Ratio est quia bona, quae monasterium habet, sunt ecclesiastica et ad hoc praecise, ex institutione Ecclesiae, permittitur ea habere, ut in religiosorum sustentationem impendat; religiosus ergo post vota ius ad sustentationem ex his bonis habet; nihil ergo ab eo pro sustentatione exigi potest: ei enim quasi suum bonum venderetur. Ita SUAREZ, *de Relig.* t. I, l. IV *(de Simonia)*, c. 17, n. 6 et 16; — BENED. XIV, *de Synodo*, l. XI, c. 6 (c).

Resp. 4°. Quod autem ultro monasterio ab ingredientibus datur, monasterium, nisi id a peculiaribus Ordinis constitutionibus prohibeatur, accipere potest, sive sit pauper sive dives, dummodo nihil ex bonis novitiorum tempore novitiatus accipiat, nisi ad eorum sustentationem.

Resp. 5°. Licet pactum facere cum familia, qua religiosus iuri suo haereditario renuntiet, ea conditione ut summa pecuniae monasterio solvatur, dummodo non solvatur ante professionem, propter decretum Tridentinum.

SECTIO II.

8. Societas variis privilegiis gaudet circa admissionem. — 1. Eximitur a decreto Clementis VIII circa domorum novitiatus approbationem. Etenim in decr. *Sanctissimus* (20 *iun.* 1599) adnumeratur inter Ordines qui, etiam in Italia, ipsi decreto non subiiciuntur.

(b) Ita S. THOMAS, 2. 2.ae q. 100, a. 3, ad 4: « Pro ingressu monasterii non licet aliquid exigere vel accipere quasi pretium. Licet tamen, si monasterium sit tenue, quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum monasterii exhibere, sed accipere aliquid pro victu personae quae in monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiunt monasterii opes ».

(c) Monasteriis autem feminarum non tantum licet, sed saepe obligatio est, exigere dotem ab omnibus professis, sive monasterium sit pauper, sive sit dives. Ratio differentiae inter monasteria virorum et feminarum est, quod lege ecclesiastica sola bona monasteriorum virorum sunt ordinata ad eorum sustentationem; contra eadem lege ecclesiastica praecipitur ut ad sustentationem sanctimonialium per dotem provideatur, et bona monasterii propria ad hoc non destinantur, nisi quatenus dos esset insufficiens.

2. Eximitur a forma Sixtina, scilicet qua praescribitur ut receptio non fiat nisi in Capitulo generali aut provinciali, et cum suffragio Definitorum. Nam, postquam Gregorius xiv, C. *Circumspecta* (15 *mart.* 1591), confirmavit obligationem formae Sixtinae, R. P. Aquaviva Pontifici exposuit difficultates quas Societas in hac forma observanda experiretur, et quantum vulnus Constitutiones ex ea acciperent. Quibus auditis S. Pontifex, Br. *Exponi nobis* (30 *aug.* 1591), Societati concessit « ut tam in novitiis, etiam cuiusvis generis illegitimis recipiendis, quam..., *formam et rationem omnimodam* in illius apostolicis diplomatis ac privilegiis quibusvis, necnon in Constitutionibus, decretis ac regulis expressam libere et licite prosequi et retinere valeat ».

3. Eximitur tum a litteris Ordinarii testimonialibus requirendis, tum a duplici scrutinio Constitutionibus Pii ix *Romani Pontifices* et *Regulari disciplinae* praescriptis. Ita Pius ix, rescripto d. 28 *ian.* 1850 (Bull. Soc. Iesu, p. 376). P. Roothaan, exposita methodo qua Societas ad novitios recipiendos utitur, a S. Pontifice suppliciter petebat « ut Societas, ea quae superius sunt exposita rite et sancte servans, secura pergere posset in hac sua agendi ratione; qua in tuto ponitur finis decreti S. Congr. super statu Regul., quin ad novas normas a suo Instituto alienas adigatur. Supplici libello S. Pontifex rescripsit: « Attentis peculiaribus circumstantiis, benigne annuimus pro gratia ». Sed inde fit, ut notat P. Beckx in aliqua sua epistola d. 6 *ian.* 1870, § 5 (intra Epistolas selectas PP. Generalium ad Superiores), ut forma in Constitutionibus praescripta, et a P. Generali Summo Pontifici exposita, religiosius nunc observari debeat.

9. Ex Instituto informatio a Candidato accipienda est. — Haec Instituti lex etiam ex praescripto Constitutionum Pontificiarum servanda est. Clemens viii, C. *Cum ad regularem* (1603) « praecipit omnibus et singulis ad quos spectat, ut in recipiendis novitiis,... praeter alia quae in sacris canonibus ac decretis, praesertim C. Tridentini, pontificiis et *cuiuscumque Ordinis aut Instituti constitutionibus* continetur.... haec quae sequuntur inviolate observari curent ».

Eadem stricta obligatio sequitur ex superius dictis de exemptione a forma Sixtina et a decretis Pii ix [a].

---

9. (a) Haec enim exemptio, ut dictum est, fuit a Pio ix impetrata exponendo in libello supplici quidquid Constitutiones praescribunt circa candi-

Modus informationis accurate describitur in Constit. P. I, c. 2, et maxime in Examine generali capitibus 3, 5, 6, necnon in regulis Magistri novitiorum 11-22 et in regulis Examinatoris.

10. Obligatio Candidati sincere respondendi. — Gravis est obligatio Candidati respondendi secundum veritatem, propter gravia damna quae Societati evenirent, si deciperetur.

Exam. Gen. c. III, A: « Obligatio vera dicendi in examine, ad peccatum esse debet; et quidem ei, cui quod celatum est operiendum erat vel qui eius locum tenet, reservatum ». Et c. II, A: « Admoneri confessarium oportet, ut si quis non vere respondisset, eius conscientiam de ea re exstimulet » (Vide Congr. VII, d. 43). Septimus casus reservatus in Societate est « impedimentum excludens a Societate reticuisse in examine, vel in eo mentitum esse, unde grave aliquod incommodum oriri possit ».

Verum est neminem teneri ad se diffamandum. Sed Candidatus, si non vult aliqua revelare, quibus diffamari timet, non se praesentet aut conditionem acceptet.

Suarez, tr. X, l. II, c. 3, quaerit: An gravis deceptio, ex eo quod Candidatus in examine occultet impedimenta (non quidem primaria, quia tunc Candidatus est inhabilis ad Societatem, sed secundaria) reddit nullam receptionem. Rem relinquit incertam; sic loquitur n. 5.: « Tantam esse censeo hanc obligationem (respondendi iuxta veritatem), ut si quis nimium in falsitate excederet et deciperet Religionem in rebus gravioris momenti, et quae redderent personam prorsus inutilem, fieret receptio nulla;... quia Religio decepta in re substantiali

---

datorum informationem: « Qui se praesentat ad Societatem ingrediendam testimoniis munitus circa anteactam suam vitam, primo minutatim examinatur a tribus aut quatuor patribus circa praeteritam vitam, circa motiva cur Societatem ingredi petat, et circa qualitates eius naturales ac talentum, necnon super animi dispositione ad vitam religiosam servandam, cuius illa potissima ei aperiuntur quae difficultatem facessere possunt. Hi examinatores Provinciali tradunt quidquid ex tali examine observaverunt, ac praeterea proprium suffragium favens aut contrarium. Provincialis ipse, si praesens est, candidatum examinat, et eum ad domum novitiatus mandat pro prima probatione, ubi Magister novitiorum in omni casu pergit ipsum examinando et observando per 10, 12 et usque ad 20 dies, antequam vestem concedat et ad vivendum cum novitiis admittat ». (Bull. S. I., p. 376).

non videtur consentire receptioni ; talis ignorantia involuntarium causat ». Sed difficultas est in determinando an deceptio sit in re substantiali.

In P. II, c. 2, *litt.* B, inter rationes propter quas aliquis dimitti possit, computatur « si comprehenderetur quod in aliqua re in examine veritatem suppressisset ».

11. De Superiore competente ad novitiorum receptionem. — 1. *Praep. Generalis*, ut patet, et dicitur in Constit. P. I, c. I, n. 1, et P. IX, c. 3, n. 1, pleno iure gaudet.

2. *Caeteri Superiores* hanc habent facultatem quem Praep. Generalis eis communicat (P. I, c. 1, n. 1) [a]. Ibidem *litt.* B.: « Qui ordinarie admittere possunt in absentia (id est, eos qui sint absentes) sunt Praepositi Provinciales, extraordinarie vero quivis Commissarius Praepositi Generalis vel Provincialis. At Rectoribus Collegiorum et Praepositis domorum magis consuetum erit committere, ut quos idoneos iudicabunt, domi suae vel in collegio possint admittere cum praesentes fuerint » (sc. cum uterque, Rector et Candidatus in collegio praesentes fuerint).

Ita quidem Constitutio. Sed postquam particulares domus probationis (post Congr. II) constitutae fuerunt [b], haec facultas ordinaria recipiendi praesentes non conceditur nisi harum domorum probationis Rectoribus. Etenim in *regula Praepositi* 79 *et Rectoris* 77 dicitur: « In Societatem neminem admittat, nisi a Generali vel Provinciali id ipsi committatur; sed de iis qui admitti petunt ad Provincialem referat vel scribat quales illi sint et quibus donis Dei praediti ». Ergo Rectores et Praepositi iam non habent facultatem ordinariam, scilicet vi officii, admittendi etiam praesentes.

3. *Facultas Provincialis* ita suis regulis exprimitur (*reg.* 32): « Eos ad probationem per se vel per alios admittere poterit, quos ad Institutum nostrum idoneos in Domino iudicaverit ». Ergo Provincialis habet facultatem ordinariam admittendi praesentes et absentes, eamque delegare potest. — *Reg.* 35 monetur quod non possit dispensare in quinque impedimentis primariis; sed in casu impedimenti dubii, aut si qui impedimento primario detinetur magnis donis ornatus sit, recurrat

---

11. (a) « Facultas admittendi ad probationem quorum et quanta sit, iudicio Praep. Generalis relinquatur, qui in ea communicanda considerabit quid ad maius servitium Dei ac Domini nostri conveniat ».

(b) Vide CONGR. II, d. 14.

ad Generalem. — *Reg.* 36 dicitur in quibus impedimentis secundariis possit, in quibus non possit dispensare (Vide c. II, n. 31).

Notandum est autem, tum Praep. Generalem tum Provinciales facultatem admittendi habere independentem ab omni capituli aut consultorum suffragio. Hoc iam satis exprimitur in secunda *Formula Instituti* (C. *Exposcit debitum* IULII III, 1550) (c), magis explicite in C. *Ecclesiae Catholicae* GREGORII XIV (28 *iun.* 1591), in qua confirmatur ratio gubernandi Societatis: « Novitios etiam, tam in eorum admissione ad Societatem, quam ad scholasticorum vota post biennium novitiatus, iuxta Societatis morem, per Superiores admittendos esse ». Notetur autem hanc Constitutionem posteriorem esse tum C. *Cum de omnibus* SIXTI V (1587), tum C. *Circumspecta* (15 *mart.* 1591) eiusdem GREGORII XIV, quibus forma admittendi in capitulo et cum Definitorum votis decisivis statuitur: derogat ergo istis constitutionibus.

12. Si **de secunda alicuius admissione** agitur, nempe eius, qui prius admissus, aut sponte sua recessit aut dimissus fuit a Superioribus, haec habent Constitut. P. II, c. 4, n. 1: « Qui dimittuntur vel iniussi discedunt, si ad alium locum Societatis se conferant, videntur nobis in Domino admittendi non esse, nisi prius qui dimisit, vel qui loco praeest unde discessit, vel Praepositus Generalis, aut qui eius vices gerit, admonitus suum praestiterit assensum; ne defectus cognitionis rerum aut personarum, alicuius erroris in Dei offensam causa sit ».

Ex hoc loco ad praxim duplex casus est distinguendus, dimissi scilicet et libere discedentis.

1. *Dimissus* vel post emissa vota vel ante vota intra novitiatum discessit. Post vota, etiam biennii, solus Generalis dimittit, aut si, in casu urgente, Provincialis dimisit, Generalis moneri debet, ut dimissionem ratam habeat: ergo solus etiam denuo admittere debet. Et ideo si Provincialis, inconsulto Generali, dimissum post vota rursus admiserit, invalida erit

---

(c) « In aliis quae non ita magni momenti sunt, idem Praepositus, adiutus, quatenus ipse opportunum iudicabit, fratrum suorum consilio, *per se ipsum* ordinandi et iubendi quae ad Dei gloriam et commune bonum pertinere in Domino videbuntur, *ius totum habeat*, prout in Constitutionibus eisdem explicabitur ».

admissio defectu potestatis in admittente. Ita fuit pluries responsum a Generalibus (Besson, n. 53).

Si quis e novitiatu dimittitur, quoniam tunc dimissio a Provinciali pendet *(Reg. 40 Prov.)*, ab alio Provinciali aut Rectore admitti nequit, nisi cum assensu Provincialis qui dimisit (aut Generalis): hoc enim clare dicitur in l. c. Constit., ubi requiritur assensus eius qui dimisit. Videtur autem requiri, etiamsi iam sit officio defunctus: ratio ibidem data, « ne defectus cognitionis rerum aut personarum alicuius erroris causa sit », probat ita esse intelligendum.

An si quis denuo reciperetur, inconsulto illo qui eum dimisit, invalida esset receptio ex defectu potestatis in recipiente: nullibi dicitur, et ideo non videtur affirmandum, nisi in casu quo reciperetur in eadem provincia ab aliquo Superiore locali: nam tunc, cum Superior localis non habeat potestatem ordinariam recipiendi, sed delegatam tantum a Provinciali, haec potestas non censenda est sese extendere ad recipiendos eos quos ipse Provincialis (aut etiam eius praedecessores) dimisit. In reliquis casibus Besson, n. 53, fatetur rem esse satis obscuram, et ideo, si quis receptus fuisset indebite, sine assensu eius qui eum dimiserat, tutius fore ad Praep. Generalem recurrere.

2. Si quis *sponte discessit,* sive ante vota sive post vota,[a] non debet admitti nisi cum assensu eius qui praeest loco unde discessit (l. c.), id est Superioris localis, aut etiam Provincialis, ut videtur (is enim etiam loco praeest, quamvis non immediate). Ratio assignari potest, quia recedens, etiamsi non fuerit dimissus, attamen forsan parum satisfaciebat, aut contra tantum ex violenta tentatione discessit, et aptus ad Societatis officia Deique donis ornatus erat. Has circumstantias certe melius novit aut nosse potest Superior localis; cuius igitur sententia exquirenda est. Ex verbis Constitutionis, « cum assensu eius qui praeest unde discessit », si Superior localis fuit mutatus, videtur solus consensus novi Superioris necessarius: is enim ab aliis qui domi cum discesso conversati sunt, circumstantias opportunas cognoscere potest. Nihilominus prudenter etiam requiretur sententia Superioris praecedentis, qui loco praeerat, dum discessit.

---

12. (a) Qui sponte, id est Superiore non consentiente, post vota discedit est fugitivus aut apostata.

CAPUT IV.

DE NOVITIATU

Sectio I. — 1. De natura et necessitate novitiatus. — 2. De duratione novitiatus. Annus novitiatus a Tridentino statutus. Vota in articulo mortis ex privilegio S. Pii V. — 3. Novitiatus debet esse integer et continuus. — 4. Quando interrumpitur. — 5. Quando non interrumpitur. — 6. Interruptio et suspensio: quando novitiatus suspenditur. — 7. An per militiam interrumpatur? — 8. Quid si, completo tempore novitiatus, novitius votis non emissis recedat et deinde poenitens redeat? — 9. Quandonam incipit novitiatus? Habitus susceptio. — 10. Prorogatio novitiatus. — 11. De loco novitiatus. — 12. De disciplina novitiatus. Statuta Clementis VIII. — 13. De novitiorum obligationibus: quoad habitum. — 14. Quoad obedientiam. — 15. De iurisdictione Praelatorum regularium in novitios. An incurrant casus reservatos? — 16. Cui novitii confiteri possint aut debeant. — 17. De novitiorum iuribus. Libertas discedendi. — 18. De novitiorum privilegiis. — 19. Bonorum renuntiatio. Lex Tridentina. — 20. Qui actus circa sua bona prohibeantur aut permittantur novitio. — 21. De tempore quo renuntiatio fieri possit et de licentia Episcopi ad renuntiationem requisita. — 22. Renuntiatio effectum non sortitur nisi sequuta professione. — 23. De formalitatibus legis civilis in renuntiatione. — 24. Renuntiatio post professionem. — 25. Novitiorum ordinatio.

Sectio II. — 26. Tempus novitiatus in Societate: eius duratio, initium, finis, prorogatio, contractio, continuitas. Vota in articulo mortis. Habitus gestatio. — 27. De domibus probationis. — 28. Novitiorum institutio ex Constitutionibus. — 29. Superiorum Societatis in novitios iurisdictio. Confessarius novitiorum. Casus reservati. — 30. Dispensatio ab irregularitate, a votis. Absolutio a censuris. — 31. De votorum cessatione per ingressum in novitiatum. — 32. Communicatio gratiarum novitiis Societatis. — 33. Renuntiatio bonorum in Societate. — 34. Vota devotionis.

SECTIO I.

1. De natura et necessitate novitiatus. — Novitiatus aliquando pro domo aut pro tempore quo quis probatur accipitur; sed proprie est status probationis ad vitam religiosam (Wernz, n. 633).

Probatio intelligitur mutua, scilicet, qua tum ille qui Religionem ingredi petit, vitae religiosae (et quidem in hac Religione quam vult ingredi) regulam et asperitates experiatur, tum Religio candidati mores, ingenium, propositum ac aptitudinem exploret, ipsum ad vitam religiosam informet ac ad professionem praeparet (Vide paulo infra textum Innocentii III).

Ex hac definitione sequitur novitiatum ea ratione esse peragendum, ut revera fiat mutua probatio. Hoc habetur per actiones et exercitia quibus revera Religio experimentum de candidato sumat, et candidatus de obligationibus vitae religiosae in hac Religione practice edoceatur.

Nihilominus non invalidus censeri debet novitiatus, etiamsi actualis probatio in eo valde remissa habeatur, dummodo novitius sit sub dependentia Superiorum (Wernz, n. 634). [a] S. Cong. Conc. validum habuit annum novitiatus alicuius novitii, qui decem menses morbo a communibus observantiis fuerat impeditus (Bouix, *de Iure Regul.* t. I, p. 577).

Novitiatus necessitas. — Olim non tanta habebatur necessitas novitiatus, ut, ex communi candidati et Religionis consensu, non posset multum restringi aut etiam penitus supprimi; quod apparet ex variis iuris canonici capitibus, titul. *de Regularibus,* III, 31. — Sic Innocentius III, c. 16, *Ad apostolicam,* postquam praemisit quod « monachum fieri ante unius anni probationem, regularis institutio interdicat », subiungit: « Licet tempus probationis a sanctis Patribus sit indultum non solum in favorem conversi [b], sed etiam monasterii: ut et ille asperitates istius, et istud mores illius valeat experiri (quod utrumque diligenter est observandum, praesertim cum ab utroque de reliquo [facta] certa notitia non habetur): si tamen ante tempus probationis regulariter praefinitum, is qui converti desiderat, habitum recepit et professionem emittit, Abbate, per se vel per alium, professionem recipiente monasticam et monachalem habitum concedente, uterque renuntiare videtur ei quod pro se noscitur introductum. Ideoque obligatur, per professionem emissam pariter et acceptam, ad observantiam regularem, et vere monachus est censendus. Quia multa fieri prohibentur, quae si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem ». — Et capite 17, idem Innoc. III decernit vere esse canonicum regularem et ad vitam regularem esse compellendum aliquem clericum, qui tempore gravis infirmi-

---

1. (a) Suarez (tr. VII, l. V, c. 14, n. 8): « Nulla actualis probatio est de substantia anni probationis, praeter voluntariam permanentiam in praedicto statu (sc. novitii) cum sufficiente exteriore significatione eius ». Rationem dat, quia nulla specialis probatio indicari potest quae sit de substantia.

(b) *Conversus* in iure vocatur quicumque a saeculo ad vitam religiosam transit.

tatis habitum canonicorum regularium petiverat et acceperat, quamvis nullus novitiatus praecessisset. Item pronuntiaverat CLEMENS III, c. *Porrectum*, 13, h. t.: « Cum monachum non faciat habitus, sed professio regularis, ex quo a convertendo votum emittitur et recipitur ab Abbate, talis ut fiat monachus et reddat Domino quae promisit, erit utique compellendus ».

2. De duratione novitiatus. — Quamvis olim non exigeretur cum rigore certum novitiatus tempus, attamen singuli Ordines suum, diversum pro diversis Ordinibus, praefinitum habebant, unum, duo, tres annos (WERNZ, nota 242).

1. Primum Innocentius IV et deinde Alexander IV annum novitiatus ad validitatem professionis pro Ordine Praedicatorum et Minorum omnino esse necessarium statuerunt; quam legem Bonifacius VIII ad omnes alios Ordines mendicantium communem fecit, confirmata pro aliis Religionibus licentia professionem intra annum probationis faciendi (c. *Constitutionem*, 3, *de Regul.* III, 14, in 6°). [a]

2. TRIDENTINUM autem statuit absolutam necessitatem anni integri novitiatus pro omnibus Religionibus, cum sanctione nullitatis eius professionis quam non praecessisset annus integer novitiatus (*sess.* XXV, c. 15, *de Regul.*): « In quacumque Religione tam virorum quam mulierum professio non fiat ante decimum sextum annum expletum; nec qui minore tempore quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicuius Regulae vel Religionis vel Ordinis observationem aut ad alios quoscumque effectus ».

Haec lex per se non obligat nisi Religiones proprie dictas, sc. votorum solemnium, sed ex praxi S. Cong. EE. et RR. indubitanter viget, per quamdam extensionem, in omnibus Congregationibus et Institutis votorum simplicium (WERNZ, n. 633).

In NORMIS a. 1901 (art. 72) dicitur: « Unius vero anni continui

---

2. (a) « Constitutionem Innocentianam, quae prohibet conversorum professionem recipi ante annum probationis elapsum, p. m. Alexander P. IV, praed. noster, ad fratrum Praedicatorum et Minorum Ordines dumtaxat declaravit extendi. Ita paris similitudine rationis inducti, declarationem eamdem ad aliorum mendicantium Ordines prorogamus. In aliis autem Religionibus professio expresse vel tacite fieri potest licite infra annum ».

et integri tempus absolute requiritur pro quolibet Instituto ad validitatem professionis ».

3. Ex peculiaribus nonnullorum Ordinum constitutionibus tempus longius, v. g. duorum annorum, pro novitiatu constituitur. An tum Superiores licite et valide hoc tempus longius contrahere possint (ita tamen ut legem tridentinam servent), ex horum Ordinum constitutionibus eruendum est.

4. Novitiatus integer necessario in ea Religione perfici debet, in qua quis profitetur. Unde si quis transit ex una Religione in aliam, etiamsi in prima professus fuerit, novitiatum integrum rursus facere tenetur. Ita ex Conc. Trid. eruitur et natura rei postulat: nam variae sunt obligationes diversarum Religionum; ita etiam fuit saepe declaratum a SS. Congregationibus [b] (Piat, t. I, p. 101, q. 12).

5. Novitiatus item integer rursus perfici debet ab eo, qui penitus ab aliqua Religione discessit aut ab illa fuit dimissus, votis solutis, si rursus in eadem recipiatur (Wernz, n. 633). Ratio est quia ille de novo admittitur, ergo legi Tridentinae subiacet.

6. Qui autem saecularizatus fuerit ad tempus aut in perpetuum, a votis non absolutus, ex lege canonica non tenetur novitiatum iterare. Ita decisum fuit a S. Cong. Epp. et Reg. d. 30 *ian.* 1824 (apud Bizzarri, p. 52) [c] et rursus 31 *aug.* 1824 et 28 *iun.* 1832 (apud Piat, I, p. 175, nota 3). Attamen consuetudo Ordinis servanda est, si in tali casu exigitur nova probatio (d. 30 *ian.* 1824).

7. In recentibus Congregationibus, ante novitiatum proprie dictum statuta fuit aliqua prima probatio, quae *postulatus* dicitur, et est quidam status praeparatorius ad novitiatum; in eo nondum datur habitus religiosus, et aliquod candidati experimentum sumitur, priusquam inter novitios recipiatur [d]. Eius

---

(b) *S. Congr. Ep. et Reg.* 26 *iun.* 1817, 11 *nov.* 1836, et *sept.* 1842; *S. Congr. Conc.*, ut refert Fagnanus (in C. *Ad apostolicam*, 16, *de Regular.* III, 31, nn. 63 et 67), qui ait S. Congr. respondisse illum, qui ex licentia S. Sedis transit etiam ad Religionem laxiorem eiusdem Ordinis, debere annum integrum novitiatus rursus peragere.

(c) Illud responsum, a S. Pontifice approbatum, est generale: « Ad 3, professionem religiosam non infirmari per rescripta de quibus agitur (scilicet saecularizationis), ac proinde non teneri indultarios professionem et novitiatum iterare, quando petunt ad claustra redire, salva tamen consuetudine legitime introducta ac praescripta singulorum Ordinum ».

(d) Iam Clemens VIII, C. *Cum ad regularem* (1603), n. 24 praescripsit: « ut omnes, etiam conversi, priusquam ad habitum regularem admittan-

duratio varia est apud diversas Congregationes ; ferme est trium aut sex mensium. — Aliquod simile statutum invenitur in aliquibus antiquis Ordinibus, maxime pro conversis [e].

Vota in articulo mortis. — Non obstante lege Tridentina, in articulo mortis, vota Religionis a novitio emitti possunt, quamvis novitiatum nondum integre perfecerit, dummodo aetatem requisitam habeat. Concessit S. Pius V novitiis monialibus S. Dominici, et per communicationem privilegiorum caeteri Ordines hanc gratiam participare videntur (COMP. PRIVIL. SOC. IESU, n. 428) [f]. De hoc privilegio vide PRÜMMER, q. 41.

Haec vota in articulo mortis non videntur facere verum religiosum illum qui ea nuncupat, sed solummodo dant illi omnes gratias et indulgentias professioni religiosae adnexas. Si novitius, votis emissis, convalescat, debet complere tempus novitiatus eoque finito professionem facere, perinde ac si vota non nuncupasset in articulo mortis. Ita S. CONGR. CONC., 20 *mart.* 1649 (COMP. PRIV., l. c.). Unde sequitur, ait PRÜMMER, ut novitius, si convalescat, non obstantibus his votis, libere discedere possit; idem dicit PIAT, I, p. 96, q. 5. Sed hoc non videtur satis verum. Licet enim haec vota non sint vota Religionis, et ideo novitium non faciant verum religiosum, attamen valent uti vota privata, et consequenter servari debent,

---

tur, ab iis quibus munus hoc incumbit, de regula, quam professuri sunt, tribus votis essentialibus, statuque regulari, et aliis cuiusque Ordinis peculiaribus institutis et constitutionibus diligenter instruantur ». — NORMAE, *a.* 1901, *art.* 64: « Puellarum aspirantium probatio praevia, quae *Postulatus* appellatur, congruentius fit in domo novitiatus, in loco tamen a novitiis separato ».

(e) Vide v. g. recursum Carthusianorum et responsionem S. Congr. 24 febr. 1860 (apud VERMEERSCH, II, p. 289).

(f) S. PIUS V, C. *Summi Sacerdotis* (1570): « Eisdem monialibus novitiis.... ut quando et quoties aliqua ex eis nondum professa, de alicuius medici consilio, ab hoc saeculo transitura conspicitur, ipsa pro consolatione animae suae, professionem ante tempus requisitum, quatenus tamen aetate legitima constituta sit ad illam emittendam, in manibus abbatissae,.... (ita tamen quod ipsae moniales novitiae sic decedentes indulgentiam et alias gratias, quas moniales vere professae decedentes consequuntur, consequi possint) emittere in articulo mortis libere et licite valeant,... concedimus et indulgemus ». Deinde eisdem indulgentiam plenariam peccatorum suorum in forma Iubilaei indulget. FERRARIS (v. *Annus novitiatus*, n. 49). — PIAT, I, p. 96, PRÜMMER, q. 41, aiunt hoc privilegium communiter non haberi uti revocatum.

nisi adsit ratio gravis ab eis dispensandi. Novitius autem promisit tria vota substantialia in ipso Instituto, ubi est novitius, servare; ergo ab eo, nisi gravis ratio superveniat, discedere nequit.

3. Annus novitiatus debet esse integer et continuus, et hoc sub poena nullitatis.

1° **Integer:** ita ex Trident., l. c. Annus rigorose computatur de momento in momentum, ut declaravit S. Cong. Conc. 1 *feb.* 1631 (FERRARIS, V. *Annus probationis,* n. 25); ita ut invalida declarata fuerit professio alicuius, cui duae horae ad annum integrum deerant (S. C. C., 21 *ian.* 1617); imo licet una hora tantum deesset (8 *ian.* 1886). Anno bissextili requiruntur 366 dies integri (S. C. C. 4 *iun.* 1627, et rursus a. 1633).

2° **Continuus,** scil. non interruptus. Ita communiter et certo apud AA. ex multiplicibus responsis infra dandis, quamvis non habeatur lex explicita de continuitate. Si novitiatus fuit interruptus, debet de novo incipi et integer perfici. Haec continuitas etiam absolute requiritur in NORMIS a. 1901, art. 72 pro quolibet Instituto, ad validitatem professionis.

Deficiente aliqua lege explicita, qua determinetur quomodo novitiatus debeat esse continuus et quando interrumpatur, res tum ex natura rei tum ex SS. Congregationum stylo determinanda est [a].

4. Quando novitiatus interrumpitur. — Interrumpitur:

1° Si novitius dimittitur a Superiore, sed solum post egressum e domo. Et hoc valet etiamsi ex errore dimissus fuisset: nam valida esset dimissio. Ita LUGO, *Resp. moral.* l. IV, dub. 2, n. 1 [a]. Attamen in hoc casu novitius recurrere potest ad S. Congreg. et impetrare restitutionem in integrum: per sententiam tollitur effectus interruptionis (PIAT, I, p. 99, q. 7, 3°, et p. 116, q. 7).

2° Si novitius exeat e conventu cum animo deliberato Religionem deserendi, etiamsi post brevissimum tempus poeni-

---

3. (a) Notandum est autem ipsum Congregationum stylum, in appreciatione rei de se indeterminatae, decursu temporis mutari posse; et mutatione huiusmodi forsan explicanda est aliqua diversitas responsionum.

4. (a) Hic casus confundi non debet cum casu dimissionis per errorem religiosi post vota simplicia: tunc enim invalida esset dimissio, nam post vota religiosus dimitti nequit nisi ex iusta causa (LUGO, ib. dub. 3, n. 5).

tens redeat. Ita resolvit S. Congr. Conc. 21 *iulii* 1663 (apud Ferraris, l. c. n. 10) pro novitio qui abierat et per duas tantum horas in alio conventu moram traduxerat: iudicavit hunc teneri incipere novum annum probationis ab eo die quo recesserat. Idem sentiunt Lugo (*Resp. moral.* l. iv, d. 2, n. 1), Suarez (tr. vii, l. v, c. 15, n. 6), Sanchez, Palao.

Notandum est, non sufficere ad interrumpendum novitiatum meram voluntatem deserendi Religionem, etiam a Superiore acceptatam, sed requiri ut voluntas ipso egressu e domo novitiatus compleatur: nec vicissim sufficere egressum realem, si non adsit firma voluntas penitus deserendi Religionem; sed requiri duo simul. Si autem haec duo adfuerint perfecte, tunc minimam interruptionem sufficere. Sic S. C. C. (29 *aug.* 1772, *in Mediol.*) validam iudicavit professionem alicuius, qui tempore novitiatus dimissionem a Superiore obtinuerat, quam tamen opere non compleverat; et 11 *aug.* 1626, resolvit non interruptum novitiatum alicuius novitii, qui e monasterio, dimisso habitu, aufugerat et per spatium 20 horarum extra monasterium remanserat: quia deerat animus firmus Religionem deserendi [b]. Ergo requiritur tum animus firmus Religionem deserendi, tum realis egressio e domo novitiatus.

Non pauci tertiam conditionem requirunt ut novitiatus interrumpatur, scilicet dimissionem habitus. Ita (apud S. C. C. in *Amfuriensi,* 20 *ian.* 1787) relator causae: « Ut egressus e conventu novitiatum interrumpat, tria requiri docent DD., nempe dimissionem habitus, egressum e monasterio et deliberatum animum Religionem deserendi; unaque ex his deficiente, probationis annum non interrumpi docent Tamburini, Barbosa, Schimièr ». Cf. Wernz, n. 635 et nota 259. Sed anno 1772 scribebat secretarius eiusdem Congregationis: « Communior magisque recepta opinio est, quod annus probationis interruptus censeatur, quando novitius, *cum habitu aut sine habitu religioso,* e novitiatu exierit, deliberato animo deserendi Religionem, etsi postea poenituerit et statimr evertatur » (apud Piat, t. i, p. 98, *nota* 5).

Verum hae duae sententiae forte minus differunt, quam prima fronte apparet. Nam dimissio habitus signum saepe erit magis deliberati animi Religionem deserendi, et contra habitus conservatio, quando dimitti poterat, signum est voluntatis adhuc imperfectae. Ideo dimissio aut conservatio habitus

---

(b) Apud Piat, t. i, p. 98, nota 2; Ferraris, l. c. n. 13.

non consideratur in se, ut nova conditio, sed tantum ut signum firmi aut nondum firmi propositi. Consequenter, si praesumptio e conservatione aut dimissione habitus ostenditur falsa, ei amplius non attenditur, aut saltem res dubia remanet. Sic accipi potest illud quod a. 1734 testabatur secretarius Congregationis, scilicet S. Congr. pluries rescripsisse « annum probationis interruptum non esse a religioso qui, retento habitu, aufugerat a novitiatu et extra illum per breve tempus commoratus fuerat » (apud Piat, l. c.).

Ergo ut interrumpatur novitiatus, quando novitius sponte egreditur e novitiatu, duo tantum requiri videntur: egressus realis, et firmum propositum deserendi Religionem. Si alterutrum desit, non interrumpitur, dummodo tamen brevissima sit mora extra domum novitiatus.

3° Interrumpitur novitiatus per egressum sine licentia e novitiatu, etiamsi adsit propositum redeundi, quando protrahitur mora extra novitiatum. Ita communiter AA. — Sed dissentiunt, quando determinandum est quanta mora requiratur et sufficiat ut novitiatus interruptus censeri debeat. Nihilominus satis conveniunt sufficere moram paucorum dierum. Ratio esse potest, quia si mora extra novitiatum sine licentia protrahitur ad aliquos dies, hoc signum est voluntatis firmae deserendi Religionem, aut saltem talis novitius a Superiore dimitti debet. Vidimus autem ex sententia S. Congr. EE. et RR. novitiatum iudicatum fuisse non interruptum per moram 20 horarum extra novitiatum.

5. Quando novitiatus non interrumpitur. — Non interrumpitur, 1° Si novitius cum licentia Superiorum exit ad piam peregrinationem, ad visendos parentes, ad reficiendam valetudinem, dummodo remaneat sub obedientia Superiorum (S. Congreg. Conc., 21 *aug.* 1717). — Interrumperetur autem, si Superior novitium plane dimitteret et sui iuris relinqueret donec sanatus rediret (Vide Ferraris, voce *Annus novitiatus*, nn. 14, 15 et 16) [a].

---

5. (a) Attamen S. Congr. Conc. ab hoc casu alium sat similem distinguit. Die 27 *febr.* 1596, de novitio qui *finito* novitiatu ad parentes fuerat dimissus ut infirmam valetudinem curaret, et hoc tempore sui iuris remanserat, iudicavit eum, post triennium reversum, « posse statim emittere professionem, non expectato alio probationis anno, nisi Religionis aut

Plures sunt resolutiones S. Congr. Conc. de hoc casu: Die 28 *sept.* 1743, *in Gratian.* valida declarata fuit professio religiosi, qui per duos fere menses extra monasterium cum licentia versatus fuerat. Relator referebat de interruptione in hoc casu varias quidem esse AA. sententias: « Sacra tamen Congr., aiebat, non semel adhaesit sententiae neganti interrumpi in casu novitiatum, etiamsi novitius per plures menses extra monasterium, concedente Superiore, victitaverit »; citabat causam 1 *dec.* 1668, in qua resolutum fuit novitiatum non esse censendum interruptum, « licet annum probationis agens per tres menses, ex Superiorum licentia, extra claustra mansisset »; alias duas 18 *nov.* 1696 et 16 *iun.* 1700 afferebat, notando has resolutiones datas fuisse post decreta Clementis VIII circa novitiorum institutionem, quae eorum praesentiam in domibus novitiatus requirunt (b).

---

personae conditio sit immutata (Ferraris, l. c. n. 20). Ratio est quia in hoc casu, finito iam novitiatu, patet eum non interrumpi, sed tantum interponitur medium tempus inter novitiatum et professionem.

(b) Nota: in his casibus iudicatum est non tantum novitiatum non fuisse interruptum per absentiam duorum aut trium mensium extra domum novitiatus et quamcumque domum religiosam, sed nec suspensum fuisse; siquidem valida habita est professio post annum computatis his mensibus facta. — Wernz, *nota* 260, has decisiones refert, et approbat sententiam, quae tenet non interrumpi novitiatum per moram alicuius temporis extra novitiatum, ob iustam causam, cum licentia Superiorum. Hanc quaestionem sat ample et solide tractat Vermeersch, t. II, *suppl.* XI, n. 51; plures resolutiones SS. Congregationum affert et varios auctores citat, Fagnani, Schmalzgr., Reiffenst., Passerini. Eamdem quaestionem rursus tractat in « *Periodica* » p. 8, ubi refutat sententiam quae propugnat novitiatum interrumpi per absentiam unius diei. Quam sententiam, ex Nervegna desumptam, Wernz (nota 259) veluti nimis rigidam et erroneam reiicit. Piat, t. I, p. 98, ait: « Si Superior novitio facultatem dat, vel causa infirmitatis curandae vel pro negotiis Religionis, adeundi sive domum paternam sive hospitium, novitiatum non interrumpi pluries declaravit S. Congr. Conc. et docent auctores ». Vide Ball.-Palm., n. 55; Bouix, t. I, p. 577; Prümmer, q. 42, *nota* 2.

Nihilominus fatendum est afferri aliquas decisiones S. Congr. Epp. et RR. valde severas. Sic, d. 16 *maii* 1903, « necessarias et opportunas facultates P. Ministro Generali (Capuccinorum) benigne tribuit, quarum vi indulgere valeat, ut novitii sui Ordinis in Gallia existentes e domibus novitiatus (mutato etiam in alium decentem habitu religioso, si necessitas id exigat) alio extra Galliam transferri possint,... *quin per praemissa interruptus censeri debeat;* facta vero a singulis novitiis ante professionem declaratione in scriptis, sese hoc indulto uti velle » (A. S. S.

2° Nec interrumpitur novitiatus, si novitius fugit e monasterio, sed ei desit propositum firmum non amplius redeundi, dummodo brevi redeat. Ita S. Congr. Epp. et Reg. 11 *aug.* 1626, ut paulo supra dictum est de uno qui per 20 horas extra monasterium, etiam deposito habitu manserat (Ferraris, l. c., n. 13). S. Congr. Conc., d. 5 *iun.* 1779, *in Avenion.*, non dissimilem resolutionem dedit: Religiosus invalidam suam professionem contendebat ex interruptione novitiatus, quia durante probationis anno pluries nocturno tempore, religioso habitu dimisso ac vestibus saecularibus indutus, e conventu aufugisset suumque animum amicis suis aperuisset se nolle professionem emittere. Non admissa fuit ratio huiusmodi; scilicet exitus huius religiosi, dimisso habitu, etiam cum proposito non perseverandi in statu religioso, non reputatus est sufficiens ad interrumpendum novitiatum; quia eiusdem reditus ad monasterium arguebat ipsum non habuisse firmam voluntatem Religionem saltem tunc deserendi (Cf. Suarez, l. v, c. 15, n. 7).

3° Nec interrumpitur, saltem probabiliter, si novitius deposuit habitum cum animo deserendi Religionem, sed nondum ex conventu exivit; nec si dimissio fuit a Superioribus pronuntiata et novitius ab habitu spoliatus, sed deinde Superior, antequam novitius e conventu exeat, mutato consilio, eum retinet (Ferraris, l. c., n. 24).

4° Nec interrumpitur per violentam e novitiatu expulsionem, sed tunc novitiatus suspenditur tempore dispersionis. Ita S. Congr. EE. et RR., 8 *mart.* 1816, respondit in casu huiusmodi: « Iis qui probationis tempus inchoarunt ante nefandam eorum expulsionem a suis coenobiis, tempus idem prodest usque ad diem expulsionis ab iis passae; quod autem iisdem tum deerat tempus, illud tenentur et debent adimplere, incipiendo a die quo ad coenobium sunt reversi, usque ad terminum a constitutionibus praefinitum ».

6. Suspensio et interruptio novitiatus. — In praecedenti responsione iudicatur, praeter interruptionem, locum esse me-

---

t. xxxvi, p. 18). Ultima clausula addi videtur, quia per se ex tali transmutatione novitiatus interrumperetur; per gratiam conceditur ut in casu non censeatur interruptus: gratia autem non fit invito. — Similes facultates concessae fuerunt 8 *aug.* 1905 Magistro Generali Praedicatorum, adhuc cum clausula « emissa a singulis novitiis, qui *pro translatione probationis annum interrumpere debent,* declaratione, etc. ut supra. (Notetur Capuccinos ac Praedicatores reformatos esse exemptos a lege Clementina de domibus novitiatus, et insuper hic non agi de Italia, sed de Gallia).

rae suspensioni novitiatus, et declaratur discrimen inter utrumque [a]: ubi habetur interruptio, novitiatus de novo incipi et integre peragi debet, nec prodest tempus quod interruptionem praecessit; ubi contra habetur mera suspensio, non computatur quidem tempus quo novitiatus suspenditur, sed coniungi potest tempus praecedens tempori suspensionem subsequenti, ad conflandum totum tempus novitiatus.

Quando novitiatus suspendatur? — Quaestio est maxime, an suspendatur quo tempore novitius extra domum novitiatus, ex iusta causa, cum Superiorum licentia et sub eorum obedientia vivit. — Respondetur:

1° Si vivit extra novitiatum ad experimenta ipsa novitiatus, ad piam peregrinationem, ad serviendum in hospitiis: negative, nam eo ipso quod haec experimenta in Constitutionibus approbatis praevidentur ipso tempore novitiatus facienda, satis patet per haec novitiatum non suspendi. Quod si haec experimenta non fierent ex ipsis Constitutionibus, de his iudicandum esset ut in casu sequenti.

2° Si novitius tempore novitiatus mittitur in aliam Ordinis domum, et ibi sub obedientia vivit, difficultas tantum esse potest pro Ordinibus et locis quae subiiciuntur Constitutionibus Clementis VIII circa domos novitiatus. Pro his dicendum esset suspendi novitiatum: siquidem pertinet ad validitatem ut fiat in domo designata; non autem interrumpi (ex dictis n. 5).

3° Si novitius alias mittitur, v. g. ad valetudinem reficiendam, ad visendos parentes, nihil definitum invenitur. Res videtur prudenter resolvenda ex tempore longiore aut breviore quo extra domum absens manet (nam tempus breve negligendum videtur), et ex maiore minoreve dependentia a Superiore, qua ibi vivit. In dubio, prudens consilium erit non computare tempus extra domum regularem transactum.

7. An novitiatus interrumpitur per militiam, scilicet si novitius, ante finem novitiatus, cogitur militiae per annum aut longius tempus vacare? — S. CONGR. SUPER DISC. REGUL., *in mandatis de lege militari in Italia* (d. 27 *nov.* 1892), exigit ut alumni, qui militiae vacare coacti sunt, nec ad professionem solemnem nec ad ordines sacros admittantur, nisi post redi-

---

6. (a) De suspensione, Vide VERMEERSCH, t. I, n. 88; FERRARIS, n. 33.

tum annum integrum in professorio transegerint ». Verum est hic non agi de novitiis et de votis simplicibus post novitiatum, sed de professione solemni; attamen sat probabile argumentum a pari ex hoc S. Congr. mandato sumi potest, et dicendum: a novitiis post militiam annum integrum adhuc exigendum esse, priusquam ad vota admittantur. Forsan, in contrarium, eis applicari posset solutio S. Congr. EE. et RR. 8 *mart.* 1816 (supra n. 5, 4°) pro violenter dispersis; scilicet tempore militiae suspendi quidem non autem interrumpi novitiatum, dummodo (quod natura rei exigit) post reditum, eorum mores et vocatio sufficienter probentur, ut tuto ad vota admitti possint. Res igitur incerta remanet [a].

8. Alia est quaestio: quid, si *completo* tempore novitiatus novitius e Conventu, votis non nuncupatis, recedit cum animo Religionem deserendi, et deinde poenitens redeat, et admittatur? utrum scilicet rursus novitiatus incipi et integer peragi debeat, an contra illi computari possit novitiatus iam peractus.

---

7. (a) R. P. Anderledy, in epistola ad unum ex Provincialibus Galliae, 3 *aug.* 1890 (apud Besson, n. 55), interrogatus an iuvenes, qui post unum novitiatus annum vocantur ad militiam, debeant postea rursus novitiatum integrum facere, aut possint tantum complere novitiatum incoeptum: respondit novitiatum non censeri interruptum, et ideo sufficere ut compleatur biennium. Idem responsum datum fuit a R. P. Martin 5 *apr.* 1894. — Notari debet quod in utroque responso quaestio est de novitio qui post integrum novitiatus annum ad militiam vocatus est, non de illo qui primo anno vocaretur. Sunt enim qui putent, si vocaretur intra primum annum, tunc totum novitiatum fore de novo incipiendum. Ratio discriminis est, quod primus annus novitiatus est de iure communi, et debet ex iure esse continuus; secundus annus est ex Constitutionibus Societatis, ergo non necessario debent ei applicari quaecumque ius commune statuit de continuitate anni unici novitiatus. Nihilominus R. P. Wernz, epistola 12 *ian.* 1907 ad Provinciales Galliae, utrumque casum contemplans, scribebat: « 1° Qui ad militiam vocantur *antequam* primum annum novitiatus compleverint, post reditum biennium nostrum probationis, per militiam saltem suspensum, in ipso novitiatu compleant.... 2° Quicumque ad militiam proficisci debent *postquam* primum novitiatus annum iam legitime compleverant, ex militia reduces reassumant biennium nostrum per militiam saltem suspensum, et.... rursus per integrum annum in ipso novitiatu probentur, priusquam ad religiosa Societatis vota admittantur». Exigitur ideo ut post militiam unum integrum saltem annum in novitiatu utrique transeant.

atque satisfactione data et voluntate prudenter explorata, novitius ad vota admitti valeat?

Ex principiis, quoniam is discessit, et rursus admittitur, rursus etiam novitiatum integrum peragere debet: (intelligendum est, quod ad tempus spectat; non necessario, quoad novitiatus exercitia: nam poterit studiis aut alicui muneri applicari). Et ita resolvit Lugo, *Resp. moral.* (l. iv, dub. 1, nn. 2, 3 et 6); item Suarez (tr. vii, l. v, c. 15, n. 8), qui tamen hanc sententiam nonnisi uti probabiliorem habet (ibid. n. 10). Sed Fagnanus [a] refert S. Congr. Conc. saepius contrarium declarasse; et S. Congr. Epp. et Reg. eodem sensu respondit, d. 8 *nov.* 1619 (cf. Piat, ii, p. 100). Prümmer, q. 43, censet primam sententiam veriorem, quamvis consultius sit in casu ad S. Congr. recurrere.

9. Initium novitiatus. — Tridentinum ait: « Nec qui minore tempore quam per annum *post susceptum habitum* in probatione steterit, ad professionem admittatur » (*sess.* xxv, c. 15). Unde novitiatus a susceptione habitus incipit, nec computandum est tempus quod prius candidatus in monasterio, etiam in variis probationibus, transegisset.

S. Congr. Conc., 23 *maii* 1608, declaravit annum novitiatus incipere a momento susceptionis habitus, non a die ingressus in monasterium, et pluries S. Cong. EE. et RR. eamdem sententiam tenuit in approbandis constitutionibus nonnullarum Congregationum. In normis a. 1901, art. 71: « Postulantes induunt habitum Congregationis in domo novitiatus; a momento susceptionis habitus decurrere incipit tempus pro novitiatu praescriptum [a].

Sed quid pro Religionibus quae proprium habitum non habent? — Ad solutionem praenotandum est, Tridentinum non praescribere susceptionem habitus novitiis, sed illam supponere ut factum, et quidem consuetudine introductum [b] (nam nulla invenitur lex habitum novitiis praescribens); facto praesupposito, Concilium decernit novitiatum a susceptione habitus incipere. In Religionibus autem quae habitum proprium monachalem non habent, sed utuntur habitu clericali, initium novitiatus a constitutionibus approbatis aut a consuetudine definiendum est (Wernz, n. 635, *nota* 252). In genere dici

---

8. (a) In C. *Insinuante*, 7. *Qui clerici et voventes*, iv, 6.

9. (a) Vide Piat, t. i, p. 94, nota 7.

(b) Conf. C. *Statuimus*, 23, *de Regular.* iii, 31.

potest, initium novitiatus computandum esse ab eo momento quo aliquis in experimentum, ex intentione Religionis amplectendae, inter caeteros novitios admittitur, nisi, ut dictum est, aliud initium novitiatus in aliquo Ordine ex constitutionibus approbatis aut legitima consuetudine assignetur (SUAREZ, t. VII, l. V, c. 13, n. 6) (c).

Quid igitur censendum est de candidato, qui admittitur a Provinciali, et ab eo ad domum novitiatus mittitur? an initium novitiatus ab hac acceptatione Provincialis computare potest? — Negat FAGNANUS (n. 44 in cap. *Insinuante*. 7, *Qui clerici*, IV, 6), propter duplicem rationem, scilicet quia novitiatus a susceptione habitus incipit, et quia novitius admitti nequit nisi in domibus ad novitiatum destinatis, ut dictum est cap. praec. n. 5 (d). Sed neutra ratio valet pro Religionibus quae habitum sibi proprium non habent, et non subiacent decretis Clementinis de domibus novitiatus. Ergo non clare apparet cur in his Religionibus novitiatus computari non posset a momento quo Provincialis candidatum acceptat, nisi aliud ex legibus peculiaribus huius Religionis statuatur. Quandonam incipit novitiatus in Societate, dicetur infra, n. 26.

10. Novitiatus prorogatio. — Novitiatus prorogari non debet ultra tempus unius anni aut aliud tempus a constitutionibus praefixum. TRID. *sess.* XXV, c. 16, ait: « Finito tempore novitiatus, Superiores novitios quos habiles invenerint ad profitendum admittant, aut e monasterio eos eiiciant. Hac Tridentini lege Superiores obligari, S. CONGR. EE. ET RR. tamquam indubium proponebat in quodam rescripto, d. 12 *iul.* 1793 (a). Eamdem legem Tridentinam memorat PIUS IX (C. *Neminem*, 1857, § 3): « Peracta probatione et novitiatu, ad praescriptum S. Conc. Tridentini, constitutionum Apostolicarum et statutorum Ordinis a S. Sede approbatorum, novitii vota simplicia

---

(c) PRÜMMER, q. 39, testatur in Ordine Praedicatorum novitiatum non incipere a susceptione habitus.

(d) Ergo etiamsi a Provinciali habitu vestiretur, nondum valet admissio, quia fieri debet in ipsa novitiatus domo. Nihilominus invalida censeri non debet illa ad habitum receptio, dummodo tempus Novitiatus non ab ea, sed a momento, quo habitu indutus in domo novitiatus recipitur, computetur (FERRARIS, V. *Annus probationis*, nn. 40 et 41).

10. (a) « Ita ut, *iuxta praescriptum* Tridentini, finito tempore novitiatus, Superiores novitios quos habiles invenerint, ad professionem admittant, aut a monasterio eos eiiciant » (apud BIZZARRI, p. 443).

emittant, postquam expleverint aetatem annorum sexdecim. ab eodem Trid. Conc. statutam, vel aliam maiorem, quae forsan a statutis proprii Ordinis a S. Sede approbatis requiritur, et quoad laicos et conversos, postquam ad eam pervenerint aetatem quae in Const. Clementis *In suprema* praefinita est ».

Haec obligatio non prorogandi novitiatum exceptiones aut explicationes admittit.

1. Ex verbis Const. *Neminem* recitatis, ratio (et quidem necessaria) prorogandi habetur, si quis, finito novitiatu, aetatem ad vota Religionis nuncupanda nondum attigisset. — An autem quis admitti possit ad novitiatum ea aetate ut, finito novitiatu, aetatem ad professionem requisitam nondum attigerit, dictum est capite II, n. 4.

2. Ille, qui ius habet admittendi ad primam professionem, potest eam iusta ex causa per aliquod tempus differre. Dicitur S. Pius V ita interpretasse legem Tridentinam (apud FERRARIS, V. *Annus novit.*, n. 33); ita insuper respondit S. CONG. EE. ET RR., 12 *ian.* 1731 (apud BIZZARRI, p. 359): quaerebatur « Utrum, absque dispensatione et periculo nullitatis, possit aliquando differri professio tam clericis quam laicis, qui finito anno ac die novitiatus, attigerunt aetatem pro professione requisitam, si ad prudens iudicium Vicarii Generalis aut PP. conventualium Capituli conventualis, adsint causae graves differendi professionem? — Resp. Affirmative et amplius ». Ita etiam censent Suarez, Navarrus, Sanchez, Lessius et alii, quos refert et sequitur Ferraris (V. *Annus novitiatus*, n. 32). NORMAE a. 1901, art. 75: « Ex iusta causa tempus novitiatus prorogari potest in casibus particularibus, sed non ultra tres menses ».

FERRARIS (l. c. n. 33) censet posse differri ad sex menses; ultra quod tempus, esset recurrendum ad S. Sedem: ita ex responsione aliqua S. Congr. Conc. (ib. n. 34) [b]. Concordat WERNZ, n. 644: « Decretum (Tridentini) non excludit moderatam delationem, v. g. per 3 aut 6 menses, ex iusta causa factam ». Attamen in responsione S. CONGR. EE. et RR. a. 1731 (supra data) nullum

---

(b) Agebatur de novitia infirma. Responsio est: « S. Congr. censuit agendum cum Sanctissimo, ut concedatur prorogatio ultra menses sex a finito anno, donec duret spes recuperandae salutis ». Ergo S. Congr. reputavit necessarium recursum ad S. Pontificem, ut novitiatus ultra sex menses post annum expletum prorogaretur, etiam in casu gravis infirmitatis. — Apud Praedicatores Praelatus, iuxta Ordinis constitutiones, non potest propria auctoritate differre professionem ultra sex menses post annum novitiatus completum (PRÜMMER, q. 44).

praefigitur tempus, ultra quod ex gravi causa novitiatus prorogari non possit.

Insuper prorogatio indebita, scilicet aut sine causa sufficienti aut diuturnior, esset quidem illicita, sed non officeret validitati professionis; nullibi enim invenitur lex irritans professionem in casu.

11. Locus novitiatus. — Distingui debent Religiones et regiones quae subiacent decretis Clementinis de domibus novitiatus a S. Sede designandis (iuxta dicta capite praecedenti n. 5), ab aliis Religionibus et locis qui non subiacent.

Pro Religionibus et locis quae decretis Clementinis subiacent, novitiatus, sub poena nullitatis, in domibus designatis peragi debet. Quamvis enim in his decretis, verbo tenus, de sola admissione ad habitum et de professione agatur, dubitari nequit praecipi ut novitiatus in his ipsis domibus peragatur. Et hoc indubium est ex decreto *Cum ad regularem* (19 *mart.* 1603), in quo plura de ipso loco novitiatus, de eius clausura et separatione a parte monasterii in quo professi degunt, statuuntur. — Quamvis vero verum sit, pro his Religionibus et locis novitiatum, sub poena nullitatis, in domo novitiatus esse peragendum, hoc non impedit quominus novitius possit, iusta ex causa, per aliquod tempus extra domum novitiatus mitti, quin novitiatus interrumpatur aut suspendatur, ut dictum est supra, n. 5.

Pro Religionibus et locis decretis Clementinis non subiectis, novitiatus perfici potest in domo religiosa, quam Superiores elegerint. Imo censet Suarez (tr. VII, l. V, c. 14, n. 13) annum integrum posse transigi extra domum religiosam, dummodo vera habeatur et mutua probatio, in qua novitiatus formaliter consistit: quam tamen sententiam Wernz (nota 260) non probat.

In Congregationibus recentioribus votorum simplicium, S. Congr. EE. et RR. pluries animadvertit probationem in solis domibus, quae a S. Sede tamquam domus novitiatus approbatae fuerint, posse peragi; ita ut etiam valetudinis causa in aliis domibus sine indulto apostolico fieri nequeat [a]. Ex Normis a. 1901, probatio in solis domibus novitiatus approbatis est peragenda; si tamen duo anni novitiatus ex constitutionibus praescribuntur, secundus annus ex gravi causa extra domum novitiatus transigi potest (art. 74, 76, 88, 89).

---

11. (a) S. Cong. EE. et RR. 26 *iun.* 1870, *ad* 14; — 8 *iun.* 1873, *ad* 13; — 12 *aug.* 1891, *ad* 3 (Wernz, nota 264).

Probatio in una domo incoepta in alia perfici potest, dummodo utraque sit domus novitiatus: ita S. C. Conc. 16 *iul.* 1663 [b]. Vide tamen supra n. 5, nota *b*.

12. De disciplina novitiatus. — Multa fuerunt a Clemente VIII statuta in decreto *Cum ad regularem* (19 *mart.* 1603), quod Urbanus VIII alio decreto *Sacra Congregatio* (1624) innovavit, volendo ut simul cum suo proprio decreto publici iuris fieret. Sed decreta Clementis VIII, etiam post confirmationem Urbani VIII, non videntur esse generalia, verum in sola Italia et insulis adiacentibus obligare [a]; imo ex titulo et ex ipsis verbis n. 1, decretum *Cum ad regularem* non respicit nisi monasteria ad novitios recipiendos designata vel designanda.

Nihilominus in eo regula traditur ad informandos novitios, ad quam omnes Ordines suam novitiorum institutionem conformare valde conveniens est, etiamsi non ex stricta obligatione. Ecce brevis decreti synopsis:

Art. 1-4, agitur de inquisitione candidatorum ante eorum receptionem. — Art. 5, praescribitur ut bene instituantur ante ingressum de regula, de constitutionibus, de votis religiosis, etc.; et art. 6, ut statim ab initio confessionem generalem peragant. — Art. 7-12, de loco novitiatus agitur eiusque a reliqua domo omnimoda separatione: « Ad huiusmodi locum novitiatus nemini eiusdem vel alterius Religionis Regulari, ullo umquam tempore, sub quovis praetextu, aditus pateat, praeterquam Magistro eiusque socio. Eum etiam Superior monasterii nonnisi cum socio ex gravioribus Patribus ingrediatur » (a. 11): — et rursus art. 20 eadem praescriptio repetita invenitur.

Art. 13, 14, 15, de Magistro novitiorum eiusque socio tractatur. Magister non eligatur, nisi qui per decennium a professione emissa in Religione perstiterit; plenam et absolutam potestatem circa novitiorum instructionem et novitiatus regimen exerceat, servata tamen auctoritate Superiorum maiorum et etiam localium. — Art. 16, 17, praescribitur novitiorum instructio circa vitam spiritualem, orationem, sacramentorum receptionem, studium solidarum virtutum, praxim mortificationum, exercitium in vilioribus ministeriis; commendatur quotidiana aperitio motuum internorum cordis, et tentationum manife-

---

(b) Prümmer (q. 47, nota), eamdem decisionem refert, et addit: ita communiter AA.

12. (a) De hac quaestione vide caput XI, n. 17.

statio, oratio mentalis bis quotidie, pluries in die conscientiae examen.

Art. 17: « Ipsi autem Magistro soli novitiorum confessiones audiendi cura committatur. Liceat tamen Superiori, etiam locali, vel per seipsum vel per alium ab eo deputandum, semel aut bis in anno novitiorum confessiones audire ».

Art. 22, specialis FF. conversorum commendatur institutio. Insuper qui ad conversorum habitum fuerunt recepti, ad clericorum statum transire, etiam durante tempore novitiatus, non possunt. — Art. 23, praescribitur ut admissio novitiorum ad professionem nonnisi post diligens examen fiat, et « dummodo aetatis suae annum, quoad clericos decimum sextum, quo vero ad conversos vigesimum primum excesserint ». — Art. 28, post novitiatum et professionem, per triennium saltem in loco separato, scilicet professorio, retineantur, « in quo sub regulis ac modo vivendi arctiori, quam servent antiquiores patres, degant » et litterarum studiis vacent. Professorium in ipsa novitiatus domo, nisi fieri nequeat, constituatur [b].

Haec sunt praecipua decreti capita.

In Normis a. 1901, art. 86 providetur: « Multo minus in eisdem septis (novitiatus) concludantur sorores professae, quae correctione vitae indigent, vel culparum poenas luere debent ». Id etiam de Institutis virorum intelligendum est: Normae enim ad Instituta tum virorum tum feminarum spectant.

13. Obligationes novitiorum. — 1. **Habitum regularem, si Ordo habet proprium, deferre debent.** Eruitur e Tridentino (*sess.* XXV, c. 15), ubi prohibetur admitti ad professionem « qui minore tempore quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit ». Hic quidem de sola habitus susceptione agitur, sed evidenter supponitur habitum susceptum non esse dimittendum; gestatio tamen habitus hic supponitur, potius quam praescribitur. Novitiatum in habitu saeculari fieri non posse expresse declaravit S. Congr. EE. et RR. 17 *aprilis* et 25 *octobris* 1602 (apud Ferraris, V. *Habitus* nn. 2 et 3). Sed non videtur admittendum quod ait ibidem idem Ferraris: aliter professionem fore invalidam, ex Trid. *sess.* XXV

(b) Huic Clementinae dispositioni, sc. de triennio in professorio post novitiatum transigendo, Pius IX novum robur adiecit, Const. *Neminem* (1857) et decreto *Sanctissimus* (12 *iun.* 1858), a. 10. Sed de hoc vide c. V, n. 2.

c. 15. Hanc severitatem improbat Wernz (*nota* 252): saltem, ait, deduci non potest ex Tridentino: « Conc. Trid. l. c. profecto susceptionem et gestationem habitus *innuit* ut factum et consuetudinem; at expressis verbis hanc circumstantiam novitiatus non requirit cum clausula irritante professionem. Quare id tantum ex iure consuetudinario et citata declaratione S. C. C. (1602) deduci potest »[a]. — Bouix, t. I, p. 582: « Non videtur rigorose probari posse religiosi alicuius habitus necessitas, ad hoc ut legitimus sit novitiatus et valeat secuta professio ». Ita etiam Vermeersch, n. 191. — Piat, I, pag. 94, q. 3, 3° [b] necessariam dicit habitus gestationem. Schmalzg. (in l. III, tit. XXXI *de Regul.* n. 57) quaestioni, an necessario probatio peragenda sit in habitu Religionis, respondet: negativam sententiam tenent Suarez (t. VII, l. V, c. 13, n. 6) [c], Palao, Pirhing; sed probabilius tenenda est affirmativa sententia. Neque Piat, neque Schmalzgr. dicunt clare utrum loquantur de necessitate ad validitatem, an ad solam liceitatem. — Attamen S. Congr. EE. et RR., d. 20 *ian.* 1908, « professiones in radice sanat atque convalidat » sororum, quae in Oceania, « tempore novitiatus numquam habitum gestaverant aut frequenter dimiserant pro temporum et locorum opportunitate » (A. S. S. vol. XLI).

14. Quoad obedientiam. — 2. Novitii *obedire* suis Superioribus et disciplinam regularem servare debent. Ad hoc non obligantur quidem ex voto et traditione perfecta: ita enim non ligantur; — sed ex natura rei et quasi-contractu. Nam obligatio huiusmodi communis est omnibus qui aliquam societatem ingrediuntur: quippe necessaria est ut quaevis societas subsistere possit. Insuper finis novitiatus hanc obedientiam exigit: sine ea enim locum non habet haec probatio mutua, ad quam novitiatus est institutus [a]. Eam supponunt Decreta de novitiis; v. g. in decreto *Cum ad regularem* (1603), n. 16 dicitur: Magister novitiorum « curam adhibeat diligentem ut novitii omnes in regulari disciplina sedulo exerceantur ». Cum autem novitii ad obedientiam non tenentur vi regulae (quam nondum professi sunt); ideo, etiamsi regula sub peccato obligat, ipsi ad obedien-

---

13. (a) Non dicit: deducitur, sed, deduci potest; scilicet non affirmat novitiatum fore invalidum, si habitus non deferatur.

(b) Ubi alios AA. citatos invenies et duas decisiones.

(c) Sed Suarez non agit de hac quaestione.

14. (a) Prümmer, q. 50, resp. 2. — Cf. Suarez, tr. VII, l. V, c. 16.

dum non tenentur per se et directe sub peccato WERNZ, n. 637: SUAREZ, l. c., c. 16, n. 18.

15. De iurisdictione Praelatorum regularium in novitios. — Praeterea Superiores potestate iurisdictionis donati eam erga novitios exercere possunt. Imo communis est sententia, novitios in Religionibus exemptis esse exemptos, et proinde transire a iurisdictione Episcopi in iurisdictionem Praelati regularis. Is igitur iurisdictionem in eos habet in foro tum interno tum externo, in omnibus in quibus Episcopus habet. Ita WERNZ, n. 638, II, d; PIAT, t. I, p. 116, q. 1 (ubi citantur AA.); PRÜMMER, q. 50, resp. 1 [a]. In Religionibus non exemptis, qua iurisdictione Superior gaudeat tum in professos tum in novitios, ex earum constitutionibus approbatis et ex privilegiis aut ex concessione Episcopi pendet.

Praelatus regularis potestate iurisdictionis gaudens novitios censuris plectere et poenis etiam corporalibus punire potest.

---

15. (a) SUAREZ, tr. VII, l. V, c. 16, n. 18, hanc doctrinam tenet his verbis: « Etiam animadverto Praelatum Religionis, respectu novitii et durante illo statu, sustinere curam proprii parochi et Episcopi, et ideo, quamvis non possit illum sub praecepto obligare ad opera consiliorum, posse tamen ea omnia praecipere, etiam sub censuris si necesse sit, quae parochus vel Episcopus praecipere possunt; quia tale praeceptum non fundatur in voto obedientiae, sed in iurisdictione ecclesiastica per summum Pontificem concessa ». (Eamdem doctrinam, fere iisdem verbis expressam tenet SCHMALZG. in l. III, t. 31, *de Regul.*, nn. 88 et 89). Idem Suarez in tr. X, l. X, c. 5, n. 9, paulo aliter loquitur: « De novitiis eadem est ratio Societatis quae aliarum Religionum; non enim habet in illos propriam iurisdictionem involuntariam (ut vocant), id est directivam qua possit eos specialiter obligare in conscientia, vel coactivam qua possit eos simpliciter repugnantes cogere, quia obedientiam non voverunt.... Quoad iurisdictionem autem voluntariam, subduntur aliquo modo Societati, et sunt capaces gratiarum spiritualium ». Sed haec minus recte dicta videntur. Etenim iurisdictio in novitios est voluntaria eo sensu quod novitii, libere ingrediendo novitiatum, libere transierunt a iurisdictione Episcopi sub iurisdictionem Praelati regularis, et libere remanent sub ea quatenus possunt novitiatui valedicere; sed posito quod in novitiatu remaneant, subiacent iurisdictioni etiam involuntariae Praelati regularis, qui censuris eos cogere potest, ut dicebat in tr. VII. — Verum quidem est, uti in hoc priori loco observabat, Praelatum regularem non posse novitios obligare absolute ad ea ad quae non obligabuntur nisi vi votorum, quia deest fundamentum obligationis, et ea quae sunt mera consilia, antequam adsit obligatio voti, non cadunt sub praecepto; sed non propterea negari debet iurisdictio Praelati regularis in novitios etiam involuntaria.

An novitii casibus in Ordine reservatis subiaceant? — Responsio haberi debet ex constitutionibus et consuetudinibus uniuscuiusque Ordinis (vide c. XXI). PIAT. t. I. p. 117, ait novitios communiter non subiacere casibus reservatis Ordinis: quem sequitur PRÜMMER q. 50, resp. 1° (b).

16. Confessarius novitiorum. — Novitii confiteri debent, si Ordo sit exemptus, sacerdoti a Superiore designato.

Ex decreto *Cum ad regularem* CLEMENTIS VIII, art. 17, confessarius eorum ordinarius est eorum Magister (Vide textum supra, n. 12, art. 17). Obligatio quidem orta ex hoc decreto probabiliter non extenditur extra Italiam et insulas adiacentes: nihilominus communiter ex statutis proprii Ordinis Magistro confiteri tenentur. Si autem constitutiones Ordinis ita Magistro curam audiendi confessiones novitiorum committant, ut simul aliis confessariis Ordinis iurisdictionem erga illos denegent, novitii nec licite nec valide apud eos confiterentur, ex defectu iurisdictionis in confessario.

An valida essetcon fessio novitii apud quemlibet sacerdotem ab Episcopo approbatum sine licentia facta, controvertitur. — Sententia affirmativa, scilicet validam fore confessionem, innititur principio, quod in favorabilibus novitii Religiosorum nomine veniunt, non autem in odiosis. Porro odiosa est restrictio libertatis. Ergo circa confessionem novitii etiam veluti saeculares haberi possunt, et proinde confiteri valent apud quemlibet sacerdotem approbatum. Eam tenet FERRARIS (V. *Novitius*, n. 14).

Sententia negans nititur principio, quod confessio fieri debet proprio sacerdoti. Porro novitii, in Ordinibus exemptis, per ingressum transeunt a iurisdictione Episcopi sub iurisdictionem Praelati regularis; proprius autem sacerdos non est iam Episcopus aut parochus, sed Praelatus regularis: ei proinde aut alii, quem designaverit, confiteri debent. Hanc secundam sententiam WERNZ (nota 275) censet praeferendam. Est Suarezii, Castro Palao, Tamburini et aliorum, quos citat PIAT (t. I, p. 121,

---

(b) Sed admitti nequit doctrina FERRARIS (v. *Novitius*, n. 13) dicentis: Novitii non possunt innodari censuris nec ab Episcopo nec a Superiore Religionis, quia sunt in statu neutro, id est, nec vere subditi Episcopi nec Superioris Religionis, sed sunt in statu medio, per abnegationem extremorum in odiosis. Haec doctrina est opposita doctrinae communi, et verum esse non potest novitios nulli immediatae iurisdictioni subiacere.

nota 7). Ipse Piat in hanc secundam sententiam inclinat, et saltem illicitam habet confessionem a novitio extra Ordinem sine licentia factam. Prümmer (q. 50, resp. 5) eam veriorem habet, aliam tamen non improbabilem dicit.

17. De novitiorum iuribus. Libertas discedendi. — Per se novitii plenam retinent libertatem discedendi, et ad pristinum aut alium statum transeundi. — Est res ex se satis clara.

Ut haec libertas novitiis integra servetur, Concilium Tridentinum, *sess.* xxv, c. 16 *de Regul.* [a] tria statuit: 1° prohibuit ne novitii renuntiarent bonis suis tempore novitiatus, nisi modo ab ipso praescripto (infra n. 19); 2° prohibuit etiam ne eorum parentes aut curatores, tempore novitiatus, quidquam ex eorum bonis, excepto victo et vestitu, monasterio tribuerent; 3° praescripsit « ut abeuntibus ante professionem omnia restituerentur quae erant sua » (Vide c. iii, n. 7).

Dictum fuit novitium *per se* servare integram recedendi libertatem. Nam peccaret, si motivo minus honesto ductus recederet, v. g. si ex socordia, ex inconstantia, ex solo affectu liberioris vitae, ex iracundia [b].

A fortiori peccaret recedendo, si votum hanc religionem ingrediendi fecisset; tunc enim, nisi adsit rationabilis causa non perseverandi, propter votum remanere tenetur. Nam votum ingrediendi Religionem, promissionem perseverandi in ea nisi sit gravis ratio in contrarium comprehendit; secus esset merus iocus. Si autem experiretur vitam religiosam, qualis in hac Religione servatur, sibi non convenire, voto sufficienter satisfecisset, nec teneretur aliam ingredi: hanc enim, non aliam vovit (S. Th. 2. 2.ae q. 189, a. 4). Si autem in genere Religionem vovisset, et hanc, quam ingressus est, ipsi non convenire

---

17. (a) Textus affertur infra, n. 19.

(b) « Existimo, ait Suarez (tr. vii, l. v, c. 11, n. 4), intervenire ingratitudinem Dei negativam, potius quam privativam, per se loquendo; negativam, quia homo non correspondet beneficio divino, quantum posset et deberet; non privativam, quia in rigore non se privat honestate nec est culpa per se loquendo. Neque etiam aliud genus culpae hic necessario intervenit, dummodo servetur generalis ratio operandi propter honestum finem »: (ratio est quia vocatio ad vitam religiosam non est nisi consilium, non praeceptum). Notat deinde (n. 5) Religionem non posse sine iusta causa dimittere novitium.

experiretur, videtur quod aliam explorare teneretur, nisi specialia adessent impedimenta, v. g. si alium Ordinem extra suam patriam quaerere deberet. De caetero, suprema lex in quaestione huius generis est intentio voventis, scilicet ad quid sese obligare voluit (c).

18. De novitiorum privilegiis. — Principium generale est quod in favorabilibus novitii nomine Religiosorum veniunt. Ita communissime AA. (quos vide apud PIAT, 1, p. 119, nota 5). Unde gaudent omnibus privilegiis sui Ordinis, nisi speciali dispositione excludantur.

Plures AA. aliud principium generale enuntiant: in odiosis novitios non venire nomine Religiosorum. Sed hoc principium caute est accipiendum. Nam, quod odiosum est novitiis, erit Religioni favorabile: et insuper, ex regula 55 Iuris in 6°, qui commodum sentit, et onus sentire debet. — Duas praecipue consequentias ex hoc secundo principio eius sequaces deducunt: 1° novitios non subiacere casibus reservatis Ordinis, et 2° eos posse confiteri extra Ordinem. De his dictum est nn. 15 et 16.

Ex primo principio deducuntur plures consequentiae.

1. Novitii privilegio Canonis fruuntur, quamvis non sint clerici. Hoc privilegium in ipso Iure agnoscitur, c. *Religioso,* 21, *de sent. excomm.* v, 11, in 6° (a).

Item gaudent privilegio fori. Ita AA. (PIAT, 1, p. 119, q. 4; SUAREZ, tr. VII, l. V, c. 11, n. 12; SCHMALZG. l. III, tit. 31, n. 82), quin ullum textum Iuris afferant, sed ex principio generali deducunt.

2. Indulgentias sui Ordinis participant. Ita S. LIG. *de Privilegiis,* n. 9; Vide PIAT, 1, p. 120, q. 4, c. — Indulgentiam plenariam consequuntur die ingressus in novitiatum: ita Paulus V, C. *Romanus Pontifex* (1606), in qua indulgentias omnibus Regularibus largitur; plenariam concedit « omnibus Christi fidelibus, qui canonice et iuxta ordines cuiuslibet Religionis et Constitutiones apostolicas habitum regularem a legitimis Superioribus, causa profitendi in illo, susceperint, die primo ingressus in ipsam Religionem, si vere poenitentes et confessi S. Eucha-

---

(c) Magis particularia videri possunt apud BALLERINI-PALMIERI, n. 220.

18. (a) « Quamvis autem is qui Religionem ingreditur religiosus censeri cum effectu non possit, donec sit tacite vel expresse professus; si quis tamen violentas manus in eum iniiciat, excommunicationis latae a canone vinculum non evadit ».

ristiae Sacramentum sumpserint ». Notari debet susceptionem habitus non exigi nisi secundum Ordinis constitutiones; ubi ergo constitutiones non exigunt susceptionem habitus regularis, indulgentia nihilominus lucrari potest, et eo quidem die qui a constitutionibus habetur tamquam dies ingressus: indulgentia enim conceditur die primo ingressus in ipsam Religionem. (*Summarium Indulgentiarum S. I.*, Parte I, n. 1).

3. Exempti sunt a iurisdictione Episcoporum, et ideo quoad absolutionem peccatorum suorum et censurarum ab Ordinis Superioribus pendent.

4. A Superioribus Ordinis dispensari possunt in votis non reservatis, et in praeceptis ecclesiasticis, ut professi (Piat. I, p. 120, q. 4, e). Contradicit Suarez, *de Relig.* tr. VI, l. VI, c. 11, n. 9; quem refert et refutat Schmalzgr. l. III, tit. 31, n. 82, hac solida innixus ratione, quod Praelati regulares iurisdictionem in novitios habent: et ideo dispensare in votis, quod est actus iurisdictionis, possunt.

Superiores non possunt irritare directe vota novitiorum: nam voluntas novitii nondum voluntati Superiorum obligatur per votum obedientiae et traditionem; sed possunt ea irritare indirecte, in quantum haec vota probationi aut disciplinae religiosae opponuntur (Suarez, tr. VI, l. VI, c. 7, nn. 11 et 12)[b]. Vota autem dispensata aut indirecte irritata videntur reviviscere, si novitius non perseverat (Piat, t. I, p. 118, q. 12). Ratio est quia dispensatio et irritatio fiunt intuitu Religionis, et proinde conditionem includunt; ita Suarez, l. c. Prümmer (q. 50, p. 3) ait Superiorem posse saltem suspendere ea vota tempore novitiatus.

5. Novitii, si sint beneficiati, beneficia sua toto novitiatus tempore retinent, usque ad professionem. Ita ex c. *Beneficium*, 4, *de Regul.* III, 14, in 6°: « Beneficium illius qui Religionem ingreditur, non est infra probationis annum alicui conferendum ». Ita etiam Bened. XIV, C. *Ex quo dilectus*, § 15: « De beneficiorum vacatione in Iure statutum habetur, eam non induci per solum ingressum in Religionem, sed per profes-

---

(b) Sed tr. VII, l. V, c. 11, n. 9, paulo aliter loquitur: « Tertius effectus ingressus in Religionem esse potest liberatio ab omni priore voto. Asserimus haec vota non proprie auferri, sed suspendi; unde post tempus illud obligare possunt, si Religionis habitus dimittatur. Asserimus etiam hanc suspensionem non fieri ipso facto, sed per modum commutationis, vel a Praelato aut a confessore factae, vel etiam propria voluntate, quia est commutatio in bonum evidenter melius ».

sionem regularem dumtaxat ». Deinde quid Episcopus in casu facere debeat quoad beneficia curata exponit.

19. De Bonorum renuntiatione. Lex Tridentina.[a] — Ante Tridentinum liberum erat monasteriis ab ingredientibus, non quidem aliquid exigere, sed ea accipere quae « pure et sponte et plena liberalitate omnique pactione cessante dare et offerre ecclesiis et monasteriis voluerint » (*Extrav. comm.*, c. *Sane, de Sim.* v, 1).

Tridentinum (*sess.* xxv, c. 16, *de Reg.*) novum ius introduxit his verbis: « Nulla quoque renuntiatio aut obligatio antea facta, etiam cum iuramento vel in favorem cuiuscumque causae piae valeat, nisi cum licentia Episcopi sive eius vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem, ac non alias intelligatur effectum suum sortiri nisi sequuta professione; aliter vero facta, etiamsi cum huius favoris expressa renuntiatione, etiam iurata, sit irrita et nullius effectus.... Sed neque ante professionem, excepto victu et vestitu novitii vel novitiae illius temporis, quo in probatione est, quocumque praetextu a parentibus vel propinquis aut curatoribus eius monasterio aliquid ex bonis eiusdem tribuatur, ne hac occasione discedere nequeat, quod totam vel maiorem partem substantiae suae monasterium possideat, nec facile si discesserit id recuperare possit. Quin potius praecipit S. Synodus sub anathematis poena dantibus et recipientibus, ne hoc ullomodo fiat, et ut abeuntibus ante professionem omnia restituantur quae sua erant »[b]. Finis legis, ut aperte declaratur, est sartam tectamque servare novitiis omnimodam libertatem recedendi ante professionem[c].

Instituta a Pio ix, a. 1857, professione votorum simplicium post novitiatum in omnibus Ordinibus religiosis, S. Congr.

---

19. (a) Hanc quaestionem accurate tractat Schmalzg., in l. iii, tit. 31, *de Regular.* n. 96-148.

(b) Quid ab ingredientibus accipi possit, dictum est c. iii, n. 7.

(c) Haec lex Tridentina proprie ad solas Religiones formales spectat; attamen eam Congregationes votorum simplicium servare debent. Ita ex praxi S. Congr. EE. et RR. — In Normis a. 1901, art. 84 : « Ut cautum sit libertati tum candidatae tum etiam Instituti, non probantur actus donationis, quibus candidata dominium rerum suarum transferat ad Institutum antequam prefessionem votorum emiserit ». Et art. 83 : « Pecunias, indumenta, supellectilem, et res alias, quas postulans secum affert, praefecta diligenter annotet et custodiat, ut omnia reddantur ipsi postulanti, si exeat ab Instituto non emissa professione ».

SUPER STATU REGULARIUM, d. 1 *aug.* 1862, hoc decretum generale dedit: « Sanctitas sua Apostolica auctoritate statuit atque constituit renuntiationem, quam in c. 16, sess. XXV, C. Tridentinum respicit, pro professis votorum simplicium locum habere infra duos menses proximos ante professionem votorum solemnium; contrariis quibuscumque non obstantibus ». Servatur igitur lex Tridentina, et declaratur renuntiationem non ante simplicem, sed ante solemnem professionem esse faciendam.

20. Actus per dictam legem Tridentinam permissi aut prohibiti novitio circa dispositionem bonorum. — 1. Prohibetur novitiis renuntiatio aut obligatio bonorum, nisi facta cum duabus enuntiatis circumstantiis, sc. intra bimestre ante professionem, et cum licentia Episcopi; sive fiat in favorem monasterii vel Religionis, sive in favorem cuiuslibet: quia alias, in utroque casu, minueretur novitio libertas recedendi. Verba Tridentini sunt omnino generalia; et excluditur etiam quaecumque causa pia: ita declaravit S. CONGR. CONC., *aug.* 1589 (SCHMALZG., l. III, t. 31, n. 143, 3°).

2. Renuntiationis vel obligationis nomine veniunt renuntiationes tum bonorum, tum iurium, officiorum publicorum, remissiones, liberationes aliis concessae, donationes, contractus etiam onerosi sed quibus notabiliter minuitur fortuna novitii, fideiussiones (SCHMALZG., *ibid.* n. 101).

3. Non autem prohibentur alii contractus onerosi, nec parvae donationes, quibus non notabiliter minuantur bona novitii, nisi fiant monasterio (propter Tridentinam prohibitionem quidquam dandi monasterio); nec prohibentur testamenta, quia sunt revocabilia. Ita SCHMALZG. nn. 99 et 100; WERNZ, nota 279; PIAT, I, p. 123, q. 3, et q. 7. Ratio est, quia haec fieri possunt quin minuatur libertas egrediendi.

4. An novitius renuntiare potest bonis quae nondum re sed tantum in spe habet, v. g. haereditati parentum? Controvertitur. Vide PIAT, I, p. 125, q. 4, qui probabilius censet renuntiationem huiusmodi comprehendi sub prohibitione Tridentina, propter declarationes S. Congr. Conc. in hunc sensum; ita etiam FERRARIS, v. *Novitius,* n. 57 [a]. Sed citantur contra gravissimi AA. (apud PIAT).

---

20. (a) FERRARIS citat (ex FAGNANO) aliquod responsum S. C. C.; verum in eo non agitur de simplici renuntiatione, sed de donatione monasterio facta, quam, ut dictum est, specialiter a Trid. prohibetur.

5. An novitius beneficiis, quae forte habebat, renuntiare potest? Controvertitur; sed videtur negandum tum ex pluribus S. C. C. declarationibus, tum maxime ex doctrina Bened. XIV, Const. *Ex quo* (1747) (b).

21. Conditiones ad renuntiationem requisitae. — **Tempus** quo renuntiatio fieri potest est bimestre ante professionem.

1. Hoc bimestre stricte computatur de die in diem. Vide PIAT, I, p. 128, q. 11, qui multos citat AA. SCHMALZGRUEBER, n. 112, refert S. C. C., 21 *ian.* 1627, invalidam declarasse renuntiationem factam una die ante bimestre.

2. Si professio retardetur, controvertitur an valeat renuntiatio facta intra bimestre ante diem, qua professio fieri potuisset; sed probabilius valet, et afferuntur resolutiones S. Congr. Conc. (PIAT, I, p. 129, q. 13; SCHMALZG., n. 106; FERRARIS, v. *Novitius*, n. 83).

3. Donationes aut quaecumque renuntiationes factae ante ultimum bimestre novitiatus irritae declarantur.

4. Sed quid de renuntiationibus factis ante ingressum in novitiatum? — Si factae sunt sine intuitu ingressus, certe validae sunt, dicunt SCHMALZGRUEBER, n. 127, PIAT, p. 125, q. 5, FERRARIS, v. *Novitius*, n. 37. — Si factae sunt intuitu ingressus, valde controvertitur; communitus AA. censent valere. Ita SCHMALZG. n. 128 (qui rem ample tractat), FERRARIS, n. 38 et sq., WERNZ, nota 280 (a). — PIAT, I, p. 125, q. 5, et *A. S. S.*, t. XII, p. 582 (b) sententiam contrariam tenent. Argumentum praecipuum prioris sententiae est, quod Trid. non loquitur nisi de donationibus et

---

(b) « Si (quis) tempore novitiatus, huiusmodi (beneficii) dimissionem expleret, servatis omnibus quae ex praescripto S. Tridentini Conc. tam in bonorum temporalium, quam *in beneficiorum ecclesiasticorum renuntiationibus servari debent;* nihilominus omnia in suspenso remanere deberent, neque posset Episcopus ad beneficii sic dimissi collationem devenire, nisi post factam a dimittente solemnem professionem » (n. 15). Ergo S. Pontifex censet renuntiationem beneficii tempore novitiatus non posse fieri nisi inter bimestre ante professionem, nec valere nisi facta professione: ut Tridentinum statuit de quacumque renuntiatione propriorum bonorum.

21. (a) WERNZ affert responsum S. Congr. EE. et RR. 20 *dec.* 1878; sed revera hoc responsum datur in casu valde particulari, et ex eo argumentum sumi non potest pro casu generali, ut dicit Editor A. S. S., t. XII, pag. 582.

(b) A. S. S., in *Appendice,* in qua tota ista quaestio ample discutitur.

renuntiationibus tempore novitiatus factis. Argumentum sententiae posterioris sumitur ex fine legis, qui est integram relinquere libertatem novitio ad egrediendum; porro libertas novitii non minus restringitur renuntiationibus factis ante ingressum quam factis tempore novitiatus. De caetero non est clarum S. Synodum loqui de solis renuntiationibus tempore novitiatus factis; nam dicit: « Nulla quoque renuntiatio aut obligatio *antea* facta valeat ».

5. Quid de renuntiationibus factis post ingressum domus novitiatus, sed ante susceptionem habitus? — Plerique AA. prioris sententiae respondent valere, quia nondum inceptus est novitiatus; ita Schmalzg., n. 133. Notant patroni huius sententiae, si ille qui renuntiavit bonis intuitu Religionis, non ingreditur novitiatum, aut ingressus ante professionem egreditur, ipsi remanere remedium restitutionis in integrum, et ideo non imminui libertatem egrediendi, etiamsi valeat renuntiatio ante ingressum facta (Schmalzg., n. 128). Sed haec ratio parum valet; et insuper nunc cum iuribus modernis, haec restitutio in integrum paucis admodum in causis, a Iure civili non dependentibus, fieri posset.

Licentia Episcopi aut eius vicarii, est secunda conditio necessaria ad validitatem renuntiationis. — Episcopus ille est Episcopus dioecesis, ubi situs est novitiatus; ita declaravit S. C. C., 13 *ian.* 1677 (apud Piat, I, p. 127, q. 8). Nihil prohibet quin Episcopus alium deleget ad dandam licentiam. Eam dare potest Vicarius capitularis (Ferraris, v. *Novitius,* 76).

22. Praeterea **renuntiatio, etiam legitime facta, non sortitur effectum nisi sequuta professione.** — Ita expresse Tridentinum, l. c. Unde si novitius, post factam renuntiationem, ante professionem vitam religiosam deserit, omnia sua bona servat, et ei reddi debent quae forte attulerat, ut etiam Trid. statuit.

Si autem moritur ante professionem, multi ex verbis Tridentini deducunt renuntiationem effectum non sortiri et bona haeredi tribui debere: Ferraris, l. c., n. 47; et ita decisum habetur a S. Congr. Conc. (apud Fagnanum, in c. *Statuimus,* 23, *de Regularibus,* III, 31); Schmalzg. (n. 116) hanc sent. probabiliorem habet, cum multis AA., quos citat. Contra stat Suarez, t. VII, l. V, c. 16, n. 11; qui validum pro sententia contraria profert argumentum, sc. caducitatem renuntiationis, professione non sequuta, statutam fuisse ad salvandam omnimodam no-

vitii libertatem : ergo non adesse rationem, ut renuntiatio legitime facta invalidetur, si professio propter mortem novitii non sequatur.

Quamvis dispositio bonorum non sortiatur effectum nisi sequuta professione, non inde sequitur liberum esse novitio mutare ante professionem dispositionem prius factam et acceptatam. Nam de se talis dispositio est irrevocabilis, et circumstantia licentiae Episcopi requisitae adhuc maiorem firmitatem ei tribuit : Piat, I, p. 130, q. 16; Schmalzg. n. 120, qui hanc restrictionem ponit: nisi novitius sibi reservaverit ius revocandi donationem.

Clausula nullitatis donationis aut renuntiationis, casu egressus e Religione post professionem, est saltem dubii valoris: ius enim, quod professus sibi reservaret, recuperandi bona, voto solemni paupertatis adversari videtur. Vide Piat, p. 131, q. 18, qui refert duplicem decisionem S. Congregationis EE. et RR. 18 *mart.* 1841 et 7 *ian.* 1845 [a].

Hic locum haberet quaestio, an ad renuntiationem faciendam novitius indigeat licentia Superioris Ordinis. Sed haec quaestio melius tractabitur c. viii, *de Paupertate*, n. 26.

23. De formalitatibus legis civilis in renuntiatione. — Iuxta praxim S. Congr. EE. et RR., renuntiatio aut dispositio bonorum ante professionem fieri debet cum formalitatibus legis civilis, et non per merum actum privatum. (Piat, p. 122, q. 1, 5°); attamen actus privatus est validus, ut declaravit eadem S. Congr., 17 *mart.* 1843 (apud Bizzarri, p. 539) [a]. Unde,

---

22. (a) S. Congr., d. 18 *mart.* 1841, iussit scribi ad Generales Barnabitarum et Cisterciensium litteras, in quibus eiusmodi reservationes uti *fortasse nullius valoris* habentur. Die autem 7 *ian.* 1845, permisit Generali Clericorum regularium Matris Dei declarare « conditionem regressus ad primaeva iura uti non appositam haberi posse ». Die 7 *iulii* 1843, eadem S. Congr. censuerat *non expedire* hac de re decretum generale edere (apud Bizzarri, p. 114).

23. (a) « Proposito in Congr. generali dubio: Utrum ad validitatem renuntiationis, quae fit a novitiis minoribus occasione professionis, sufficit forma conciliaris (sc. praescripta a Trid. sess. xxv, c. 16), an contra necessariae sint solemnitates a statuto civili praescriptae; Em.mi Patres rescripserunt affirmative ad primam partem, negative ad secundam ». In quaesito de solis novitiis *minoribus* agebatur, quia pro ipsis erat specialis difficultas in observando statuto civili (minores enim ad contractus non admittuntur nisi sub conditionibus); sed ex responso habetur formalitates Iuris civilis in genere non requiri ad validitatem.

si quando renuntiatio secundum leges civiles fieri nequit, (quia, v. gr., lex non permittit renuntiare successioni nondum apertae), sufficiet actus privatus. Adest responsio S. C. EE. et RR. (16 *sept.* 1885): P. Procurator Ordinis Minorum de observantia difficultatem proposuerat, circa modum renuntiationis in Gallia; ex Trid., aiebat, renuntiatio facta suspensa remanet et vim non habet nisi professione sequuta; porro iuxta legem civilem quicumque actus cessionis, venditionis aut donationis est irrevocabilis et absolutus; insuper ad hos actus inhabiles sunt minores. Proponebat ergo P. Procurator ut renuntiatio fieret coram Superiore regulari, de Ordinarii licentia, per actum privatum, postea suo tempore ratificanda in forma a lege praescripta post professionem solemnem. S. Congr. rescripsit: « Cum agatur de renuntiatione super illis bonis quibus ius certum haberi potest, parte nempe haereditatis paternae vel maternae, emissa suo tempore iuxta C. Trid. renuntiatio ipsa renovetur, quando opus est, quin tamen illa immutari possit. Si vero agatur de renuntiatione eorum quae accidentaliter evenire possunt, in singulis casibus recurrendum ad hanc S. Congr. » (apud VERMEERSCH, t. II, p. 319). Ergo S. Congr. non requirit renovationem renuntiationis cum formalitatibus, nisi quando opus est, v. g. ad legalem dominii translationem. — Quod additur de renuntiatione eorum quae accidentaliter evenire possunt, videtur intelligendum de his quae accidentaliter post professionem evenirent; nam de iis quae ante professionem eveniunt, fas est novitio disponere intra bimestre; de his autem quae post professionem accidentaliter evenirent, novitius ante professionem disponere nequit, siquidem nullum adhuc ius ad ea habet nec sit umquam habiturus (b).

24. Renuntiatio post professionem. — Post professionem votorum solemnium (aut aliorum, quibus omne dominium bonorum amittitur), professus iam factus incapax cuiuscumque dominii, de nullo bono disponere potest, nec ulli bono renuntiare, in favorem cuiusquam. Si ergo ante professionem de bonis suis non disposuit, bona evenient cui de iure, et ideo monasterio, si monasterium est capax succedendi professo (a);

(b) Haec quaestio tractabitur c. IX, n. 6.

24. (a) WERNZ, nota 371. — Habetur declaratio Iuris (c. 7, *causae* XIX, q. 3): « Quia ingredientibus monasterium, convertendi gratia, ulterius

si monasterium est incapax succedendi, bona evenient cui de iure, si religiosus mortuus fuisset intestatus ante professionem: si ante professionem de bonis suis disposuit, dispositionem prius factam, post professionem iam immutare nequit, nisi ex indulto apostolico[b]: sed potest declarare sensum dubium dispositionis a se prius factae, dummodo eam nullo modo immutet (Ferraris, v. *Novitius*, 55).

Quid possint Religiosi Institutorum votorum simplicium, qui bonorum suorum dominium etiam post professionem votorum perpetuorum retinent, dicetur c. viii, n. 6.

25. De Ordinatione novitiorum. — Novitios posse a proprio Episcopo promoveri ad ordines sacros, si beneficium vel patrimonium et alia a iure requisita habent, non est dubium: nihil enim est in iure quo ab ordinatione removeantur; nec minus certum est eos non posse promoveri titulo paupertatis aut mensae communis. Ita ex C. *Romanus Pontifex* S. Pii v (1568), ubi, relato decreto Trid. (sess. xxi, c. 2, *de Reform.*) de non promovendis clericis ad ordines sacros sine beneficio, illud extendit « ad omnes et singulos, etiam cuiusque Ordinis, clericos regulares, sive saeculares more religiosorum viventes in communi, *non professos;* et religiosis et aliis praedictis *non professis*, ut ad sacros ordines promoveri non valeant (necnon Episcopis ut eos non promoveant), nisi observata forma dicti decreti, virtute sanctae obedientiae » interdicit et prohibet.

Ita etiam ex decreto *Auctis* (1892), § i, ubi: « Firmis remanentibus Constitutione S. Pii v, *Romanus Pontifex,* et declaratione s. m. Pii P. ix, edita die 12 *mensis iunii a.* 1858, *quibus Superioribus Ordinum regularium prohibetur ne litteras dimissoriales concedant novitiis* aut professis votorum simplicium triennialium, ad hoc *ut titulo paupertatis* ad SS. ordines promoveri valeant, eaedem dispositiones extenduntur etiam ad Instituta votorum simplicium... Revocatis ad hunc effectum omnibus indultis ac privilegiis iam obtentis a S. Sede, necnon dispositionibus contrariis in respectivis constitutionibus contentis, etsi tales constitutiones fuerint a S. Sede Apostolica approbatae ». — Additur § ii: « Hinc notum sit oportet, de generali regula haud in posterum dispensatum iri, ut ad maiores ordi-

---

nulla sit testandi licentia, sed *res eorum eiusdem monasterii iuris fiant*, aperta legis definitione decretum est ». Item dicitur c. *Quia ingredientibus*, 2, *de Testam.* iii, 26.

(b) Vide Piat, t. i, p. 132, q. 20; et Cf. q. 18 et 19.

nes alumnus Congregationis votorum solemnium promoveatur, quin prius solemnem professionem emiserit; vel per integrum triennium in votis simplicibus perseveraverit, si alumnus Instituto votorum simplicium sit addictus». — Et § VI: « Haec de expresso Sanctitatis suae mandato praefata S. Congr. constituit atque decernit, contrariis quibuscumque, etiam speciali individua mentione dignis, minime obstantibus». — Igitur novitii titulo paupertatis aut mensa communis, revocatis quibuscumque privilegiis, ad sacros ordines promoveri non possunt. Sed nihil prohibet quin promoveantur sicut caeteri clerici, ut clare innuitur; quod confirmatur decreto S. Congr. Ep. et Reg. mox citando.

Hoc posito, remanet duplex quaestio:

Prima, *quisnam censeri debeat proprius novitii Episcopus,* a quo ordinandus sit? utrum Episcopus originis, an potius Episcopus loci, in quo situm est monasterium? — De hoc AA. dissentiebant: alii dicentes novitium domicilium acquirere in loco novitiatus, alii illud negantes.

Altera quaestio: utrum in casu Superiores regulares novitiis *litteras dimissoriales* dare possint aut debeant; an contra, aut ab Episcopo proprio, sine litteris dimissorialibus Superioris, aut ab alio Episcopo, cum dimissorialibus proprii Episcopi, sint ordinandi? et adhuc AA. in diversas partes ibant.

Utraque quaestio videtur resoluta responsione S. Congr. EE. et RR., 9 *ian.* 1895, ad episcopum Cenomanensem, qui S. Congr. interrogaverat de ordinandis novitiis Capuccinis ad subdiaconatum. Quamvis enim sit responsio ad privatum quaesitum, attamen suo tenore est omnino generalis. « Cum agatur de novitiis, qui non sunt adhuc Regulares, iuxta notissimum iuris praescriptum, quod sola professio religiosa facit aliquem Regularem, minime vero probatio, a qua novitii pro lubitu recedere et a Superioribus dimitti valent: exinde sequitur quod enuntiati novitii, relate ad sacram ordinationem, considerandi sunt veluti pertinentes ad respectivas dioeceses, non autem uti vere Regulares. Idcirco, antequam novitii vota nuncupent, nequit Episcopus eos nisi tamquam suos subditos ad sacros ordines canonice promovere, ad formam notissimae Const. Apost. *Speculatores.* Nec praetereundum erit sacram hanc Congr. haud permittere ad sacros ordines, uti viros religiosos, ascendere nisi illos qui solemnia vota nuncupaverint; quem ad effectum dispensare quandoque iu-

iustis de causis solet a praescripto integri triennii tempore votorum simplicium ».

Ex qua responsione habetur :

1. Novitios non posse ordinari tamquam Regulares, sed solum velut quoslibet clericos saeculares, a proprio Episcopo : (« nequit Episcopus eos, nisi tamquam suos subditos, ad sacros ordines promovere »),

2. Superiores regulares non posse illis dare dimissoriales : dimissoriales enim non dantur ad proprium Episcopum suum subditum ordinantem.

3. Proprium Episcopum non esse Episcopum loci, in quo situm est monasterium, sed esse Episcopum originis, aut Episcopum loci in quo novitius domicilium habebat priusquam novitius fieret (« considerandi sunt velut pertinentes ad *respectivas* dioeceses »); hoc non diceretur si domicilium in loco novitiatus acquisiverint.

4. Si novitii ordinandi sunt ab alio, quam ab Episcopo originis aut alio proprio Episcopo, dimissoriales esse dandas non a Superiore regulari, sed ab Episcopo originis.

SECTIO II.

IUS PARTICULARE SOCIETATIS CIRCA NOVITIATUM

26. Tempus novitiatus. — I. Novitiatus durat per **integrum biennium.** Ita Exam., c. I, n. 12 : « Antequam quisquam admittatur ad professionem, vel simplicia vota coadiutorum vel scholasticorum,... biennium integrum ad probationem habebit »; — et Const., P. V, c. 1, n. 3 : « Tempus ad admittendum, modo superius dicto (ad quemcumque Societatis gradum), in universum loquendo, ultra biennium erit ». Ita etiam in pluribus aliis locis. – Iulius III, C. *Exposcit debitum* (1550), ait de coadiutoribus et scholaribus, quod vota pronuntiabunt « post sufficientes probationes et tempus in Constitutionibus expressum ». Greg. XIII, C. *Ascendente Domino* (1584) : « Quibus Constitutionibus .... statutum est ut novitii in Societate biennio probentur ; quo expleto.... tria vota emittunt ».

Rationes cur biennium novitiatus fuerit a S. Ignatio introductum, videri possunt apud Suarez, tr. X, l. II, c. 4, nn. 4 et 5.

II. **De novitiatus initio.** — 1. Prima probatio in Societate pertinet ad biennium novitiatus. Hoc satis clare habetur, in

Exam., c. I, n. 13 [a], et in Constit. P. I, c. 4, per totum, et P. II, c. 1, litt. A, ubi S. Ignatius sex diversos modos coniunctionis distinguens, ait: primus gradus est eorum « qui in domum primae probationis admissi sunt antequam cum aliis versentur »: et addit: « Ii facilius quam alii possent dimitti ».

Haec dispositio videtur contraria Tridentino (*sess.* XXV, c. 15), statuenti annum integrum novitiatus computari debere ex quo quis habitum susceperit, — quod fit post primam probationem, — et contra decretum Congr. Conc. 13 *mai* 1608, quod declaravit annum probationis incipere a momento susceptionis habitus, non a die ingressus in monasterium. — Ad hoc respondetur primo, Tridentinum et S. Congregationem non requirere nisi annum novitiatus: cum autem Societas biennium exigit, et prima probatio non durat plus 12, 15 aut ad summum 20 diebus (Exam. c. I, nn. 13 et 14; — Const. P. I, c. 4, n. 1), nullus est novitius qui in novitiatu, post susceptum habitum, non multo plus quam annum integrum permaneat. Respondetur, secundo approbatas fuisse a S. Sede Constitutiones, quae hanc primam probationem intra tempus novitiatus computant.

Sed initium novitiatus multo magis fuit determinatum Congr. VII, d. 98, quae, proposita quaestione « a qua die biennium novitiatus inchoari censeri debeat? » censuit: « a die qua quis in Societatis domum a Provinciali, probationem inchoaturus, in sociorum numerum admittitur, in quacumque demum domo et collegio id fiat »; atque ita regulam 26 Magistri novitiorum intelligendam esse voluit.

Circa hoc decretum plura veniunt observanda:

1° Quod dicitur « a Provinciali », non debet intelligi ita ut Rector aut alius, ex delegatione particulari aut generali non possit admittere, iuxta dicta c. III, n. 10.

2° Dicitur: « a die qua quis in Societatis domum, probationem inchoaturus, admittitur »; ergo non a die qua Provincialis forte aliquem recipit et ad domum novitiatus mittit, sed a die qua in ipsam domum admittitur (Vide supra, n. 9).

3° Dicitur: « probationem inchoaturus, admittitur ». Unde si aliquis veniat ad domum novitiatus, nondum determinatus ut

---

26. (a) « Hoc medio tempore duorum annorum.... videre unusquisque et considerare oportet diplomata apostolica Instituti Societatis, et Constitutiones et regulas.... et id non semel. Primum enim id fiet, dum in domo primae Probationis erunt ». Ergo prima probatio computatur intra medium tempus duorum annorum.

Societatem ingrediatur, sed ut vocationem suam examinet, et deinde ingredi resolvat, non videtur posse ei computari tempus quod forte in Exercitiis et in examinandis Constitutionibus egit, sed dies ingressus erit dies qua, ingredi petens, admittitur, etiamsi statim tunc in secunda probatione cum reliquis novitiis admittatur. Et hoc ipsum non obscure significatur in Const. P. I, c. 4, B: « Si aliquis.... in domum reciperetur, qui nondum obsequio divino in hac Societate se dedicare omnino statuisset: perinde ut hospes, et non ad primam vel secundam probationem admittetur ».

4° Quid autem de illo qui ficte Religionem ingrederetur, aut cum voluntate adhuc ancipiti perseverandi, et deinde mutato consilio perseveraret? An novitiatus revera pro ipso inciperet momento quo fuit ad primam probationem admissus? Suarez, tr. X, l. II, c. 5, n. 15 et 16, probabilius censet valere novitiatum ab hac prima admissione, per quamdam sanationem in radice: nam in se deest conditio essentialis ad vitam religiosam incipiendam, scilicet propositum firmum. Sed cum hic defectus sit fori interni et admissio fori externi, conveniens est ut ius suppleat defectui. Haec ratio autem locum non habet in casu praecedenti.

III. **De fine novitiatus.** — Quemadmodum ex Iure annus novitiatus computatur de momento in momentum, eodem modo in Societate biennium computatur; ita ut invalida sint vota emissa ante integrum completum biennium (b).

Ut autem nullus relinquatur dubius de completo biennio, usus invaluit (quamvis nullibi in Instituto praescribatur), ut vota non emittantur ipso anniversario die quo quis ingressus est, sed non ante diem sequentem; ita ut saltem inceptus sit unus dies supra duos annos. Sic fieri debere saepe rescripserunt PP. Generales (apud Besson, n. 54).

IV. **Prorogatio biennii.** — Tempus novitiatus prorogari potest.

Ita ex Exam. c. I, n. 12, et Const. P. V, c. 1, n. 3: « Prorogari

---

(b) Hoc quidem non censet, aut saltem non certum habet Suarez tr. X, l. II, c. 4, n. 9; quia, ait, nullibi in Instituto invalida dicuntur vota ante completum biennium facta. Sed haec sententia opponitur decreto 22 Congr. VIII (post mortem Suarezii habitae), quo statuitur renovatione votorum emendari vitia, quae forte in prima nuncupatione contigerint « ob defectus aetatis, *biennii* »; et ideo iam admitti nequit.

hoc tempus (biennii) poterit, ut in Examine dictum est, cum Societas, vel qui ab ea hanc curam haberet, plenius sibi satisfieri desideraret ». Hanc novitiatum prorogandi facultatem integram reliquit Trident. ipso capite 16, quo statuebat « finito tempore novitiatus, Superiores novitios quos habiles invenerint ad profitendum admittant, aut monasterio ejiciant » ; nam continuo pergit : « Per haec tamen S. Synodus non intendit aliquid innovare aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis Iesu, iuxta pium eorum institutum a S. Sede Apostolica approbatum, Domino et eius Ecclesiae inservire possit ».

V. **Contractio biennii.** — In Const. P. v, c. 1, litt. C, relinquitur Generali facultas biennium ex gravi causa contrahendi : « Ut prorogari, ita et contrahi hoc spatium, quibusdam in casibus, ex causis tamen non levis momenti, iudicio Praep. Generalis, cuius erit dispensandi ius, licebit : raro tamen id fiet ».

Verum Congr. v, dd. 12, 13 et 63 voluit ut Generali hac facultate uti non liceret, nisi ad admittendum ad professionem solemnem. Valida quidem esset dispensatio aliter data [c], sed illicita. Ita Lugo, *Resp. moral.* l. iv, dub. 2, n. 2 ; ac Suarez, tr. x, l. ii, c. 4, n. 9 : et clare habetur ex verbis decreti 12 : « Per hoc tamen (decretum) non intenditur hanc declarationem (P. v, c. 1, litt. C) abrogari, sed solum facultatis, quae in ea conceditur, *usum prohiberi* ». — Sed Provincialis invalide admitteret ante finitum biennium, quia facultas dispensandi reservatur Generali.

Non autem esset valida post Tridentinum contractio novitiatus ad tempus uno integro anno minus ; nam exceptio facta in favorem Societatis, capite 16 Tridentini, non potest extendi ad caput 15, ubi praescribitur pro omnibus Religionibus annus integer novitiatus (V. Suarez, l. c., n. 7).

(c) Imo peti posset, an post C. *Neminem* Pii ix (1857), qua constituit professionem solemnem fieri non posse nisi triennio post prima vota, et C. *Universalis* (1862), de nullitate professionis aliter facta, Praep. Generalis adhuc dispensare posset ad faciendam professionem post unicum novitiatus annum, aut ante triennium expletum post prima vota. — Videtur respondendum affirmative, quia hae Constitutiones Societatem non comprehendunt ; nam datae sunt ad introducendam et urgendam professionem votorum simplicium post novitiatum in his Ordinibus in quibus statim professio solemnis post novitiatum emittebatur (Besson, n. 56).

VI. **Continuitas biennii, eiusque interruptio.** — Non est dubium quin Societas iuri communi subiaceat, quoad continuitatem prioris anni novitiatus omnibus Ordinibus a Trident. praescripti. Sed quaeri potest, an continuitas eodem rigore pro secundo anno intelligenda sit, et quoties ex decretis SS. Congregationum interruptio existimatur haberi in anno novitiatus, censeri debeat etiam haberi in secundo. — Respondendum videtur: 1° per se biennium debere esse continuum; 2° stylum SS. Congr. non esse necessario admittendum pro continuitate secundi anni; et ideo in casu dubii, rem esse iudicio Praep. Generalis relinquendam; 3° qui facultatem habet contrahendi biennium, facultatem habere dispensandi a continuitate secundi anni. Porro prohibitio facta Praep. Generali a Cong. v d. 12, contrahendi biennium, non videtur hunc casum comprehendere, ita ut a continuitate secundi anni dispensare non possit (V. Suarez, tr. x, l. ii, c. 4, n. 11). Lugo tamen (*Resp. moral.* lib. iv, dub. 2, n. 2) est severior: censet quoties est vera interruptio, etiam in secundo anno, P. Generalem non posse licite dispensare.

VII. **De votis in articulo mortis.** — Comp. Priv., n. 428, admittit pro Societate privilegium concessum a S. Pio v monialibus dominicanis (vide n. 2).

VIII. **De habitu tempore novitiatus.** — In Exam. c. i, n. 13, dicitur: tempore novitiatus « habitus ullus certus Societatis non sumitur »; sed S. Ignatius iudicium discretioni Superioris committit (ibid., litt. F, et Const., P. i, c. 4, n. 4). Quomodo hoc non sit contra Tridentinum, vide n. 9. Attamen etiam in Societate novitiatus transigi non solet in vestibus saecularibus.

Cur conveniens fuit in Societate habitum novitiis non imponi, vide apud Suarez, tr. x, l. ii, c. iv, n. 6.

27. De domibus Probationis. — S. Ignatius domos probationis separatas esse voluit. Exam. c. i, n. 4: « Quamvis habeat Societas collegia et domos probationis, reditibus dotatas ad scholasticorum sustentationem, antequam in Societatem professam vel eius domos recipiantur.... ». Hic tria distinguuntur: collegia, domus probationis, et domus Societatis professae. — Et litt. B: « Huiusmodi domus probationis velut membra sunt collegiorum, ubi admitti et probari ad tempus solent qui postmodum in collegiis sunt constituendi ». — Sed totus novitiatus non erat in his domibus probationis peragendus: « Antequam

ingrediantur in secundum probationis annum, quae fit in domibus vel collegiis.... » (Exam. c. IV, n. 16). — Nihilominus primo hoc tempore, domus novitiatus collegiis coniunctae erant. Unde in Congr. I petitum fuit: « An domus probationis sint seiungendae a nostris collegiis? » (d. 127); sed res non ulterius progressa est. Congr. II, d. 14, voluit ut curaretur in singulis provinciis domos probationis institui vel separatas vel, si coniunctae essent alicui collegio, in distincta habitatione, in quibus « novitii biennio suo exercerentur » [a].

Societas autem non est adstricta decretis Clementis VIII (de domibus novitiatus a S. Sede approbandis); in decreto enim *Sanctissimus* (1599) explicite cum pluribus aliis Ordinibus ab hac lege excipitur, ut dictum est c. III, n. 8.

28. De institutione Novitiorum. — Si omnia perpenduntur quae in Examine (maxime c. IV), in Constitutionibus (P. I, c. 4), in decretis Congregationum (Congr. IV, d. 67, Congr. V, d. 50, 1°, Congr. VI, d. 34, Congr. VII, d. 17), necnon in regulis Magistri novitiorum, pro ipsorum institutione praescribuntur, manifestum fiet eos plene informari secundum decretum Clementinum (supra n. 12), quod de caetero non videtur spectare nisi ad domos novitiatus a S. Sede designatas. — Institutio novitiorum incipit in prima probatione, in qua 12, 15 aut 20 diebus et etiam amplius detinentur in domo distincta aut saltem in loco separato. Toto hoc tempore examinantur, et ipsis Examen, Bullae approbationis (in quibus duplex Formula Instituti) et regulae Societatis traduntur legendae. Praecipuae etiam difficultates vitae religiosae in Societate eis proponuntur, ut expendant an ad omnia sint dispositi (cf. Congr. IV, d. 67). Postea admittuntur ad cohabitandum cum aliis, et incipit secunda probatio. In ea praecipuum locum sibi retinent sex experimenta, de quibus in Examine, c. IV, n. 9-24, et Const. P. IX, c. 3, litt. E. Durante probationis biennio habetur quater examen semestre (de quo in Examine, c. I, n. 13), cuius scopus est perpendere suam vocationem et vitae religiosae, quam amplecti volunt, praecipuas obligationes (Suarez, tr. X, l. II, c. 5, n. 2).

---

27. (a) Iam hic statuitur ut novitii non primum tantum annum, sed totum biennium in domo probationis exerceantur. Si cum aliquibus dispensetur, sive sint scholastici, qui mittantur in collegia ad studendum, sive novitii sacerdotes, aut coadiutores, non sunt educendi e domo probationis, nisi annum integrum in ea degerint (Congr. II, d. 14, Cong. XX, d. 12, n. 2, 3, 4. Ordin. Gen. c. I, n. 16).

29. Superiorum Societatis iurisdictio in novitios; eorum exemptio, confessio. — Dictum fuit (n. 15), in Religionibus exemptis, ex communi DD. sententia, novitios esse exemptos, sed eos iurisdictioni Praelatorum Religionis, non modo voluntariae, sed etiam coercitivae subiici; proinde eos non posse confiteri nisi confessariis ad eorum confessiones audiendas a Praelato constitutis. Haec doctrina (ab aliquibus in controversiam posita, quoad validitatem confessionis factae sacerdoti ab Episcopo approbato), confirmationem accepit a decr. *Cum ad regularem* (1603), in quo, n. 17, dicitur: « Ipsi autem Magistro *soli* novitiorum confessiones audiendi cura committatur; liceat tamen Superiori etiam locali, si ita expedire iudicaverit, vel per se vel per alium ab eo deputandum, semel vel bis in anno eorumdem novitiorum confessiones audire ». Eadem facultas deinde specialiter Societati concessa fuit ab Urbano VIII, ut statim dicetur. — Contra hoc privilegium Magistri novitiorum, audiendi confessiones suorum novitiorum, difficultas aderat, ubi Magister novitiorum simul existebat Superior domus, propter legem latam ab eodem Clemente VIII (26 *maii* 1593), ne Superiores audiant confessiones subditorum. Sed idem Clemens VIII, vivae vocis oraculo, Societati concessit « ut cum prohiberetur Superiores audire subditorum confessiones, non intelligantur Superiores qui sunt Magistri novitiorum ». — Revocatione facta oraculorum vivae vocis per Gregorium XV et per Urbanum VIII, idem Urbanus VIII, Br. *Exponi nobis* (1635), concessit et indulsit, « quod in novitiatibus Societatis ipsi Magistro soli novitiorum confessiones audiendi cura committatur, quamvis Magister novitiorum sit etiam Superior novitiatus. Teneantur tamen Superiores maiores et quilibet eorum, semel in anno, etiamsi novitii non instent, alium seu alios deputare confessarios pro iisdem novitiis, ut eorum confessiones cum effectu audiant; et nihilominus liceat iisdem Superioribus maioribus et cuilibet eorum,... vel per seipsum vel per alium ab eo deputandum, semel aut bis in anno eorumdem novitiorum confessiones audire ».

Existit quidem alterum Breve Urbani VIII (23 *aug.* 1641), quo conceditur « ut singuli presbyteri, clerici, coadiutores et novitii S. I. confessario pro tempore deputato et non aliis peccata sua sacramentaliter confiteri debeant », sed ea lege ut « quinque aut sex vicibus in anno ipsis offeratur confessarius extraordinarius, cui omnes singulis vicibus confiteri teneantur ». Verum hoc Breve est gratia: fuit enim concessum, ut in ipso dicitur, ad supplicationem P. Generalis; sed gratia

nemo uti tenetur. Ideo, non obstante hoc Brevi, licet uti altera concessione anni 1635, et sic revera fit [a]. — Cf. CONGR. XXIII, d. 30, et CONGR. XXIV, d. 25 (in quo prius decretum explicatur), necnon COMP. PRIVIL. n. 125.

LEO XII, Brevi *Plura inter*, in perpetuum concessit « ut tironum Magistri nequaquam ei decreto sint obnoxii, quod vetat ne Praesules sacras excipiant alumnorum confessiones ». (Cf. COMP. PRIV., ibid.).

Quoad **casus reservatos,** non videtur dubium, quod Societas possit eis subiicere novitios, cum reservatio non sit nisi restrictio facultatis confessariis concessae. Quod de facto subiiciat, non potest quidem probari ulla constitutione aut decreto: sed regula 7 *maii* novitiorum rem clare supponit: « Habeat potestatem ordinariam absolvendi a casibus reservatis novitios qui sub eius cura degunt ».

Existit aliqua epistola P. Aquavivae ad Provinciales Societatis (24 *maii* 1614), in qua refert adesse in aliquibus locis dubium, an novitii subsint reservationi casuum; affirmat ita esse in Societate, ac statuit et prohibet ne quis in Societate contrariam sententiam in posterum tueatur aut sequendam ulla ratione consulat. — Ratio cur novitii reservatis casibus subiici debeant, haec esse ibidem dicitur, quia communis est illis, sicut caeteris, causa reservationis, scilicet ut ab iis, quae nocitura sint, praeserventur. — V. BESSON, n. 339, OSWALD, n. 169, VILLADA, n. 73.

30. Aliae facultates circa novitios. — Ex eodem principio, quod iurisdictio Praelatorum regularium etiam ad novitios extenditur, sequitur Superiores cum eis, sicut cum caeteris religiosis, dispensare posse in votis, in legibus Ecclesiae, in irregularitatibus (cf. n. 18).

Sed insuper Societas, quoad novitios aut ingredientes, speciales facultates habet, sive immediate sibi concessas Const. *Li-*

---

29. (a) Ex his duobus Brevibus confirmatur pro Societate id quod generaliter dictum fuit de quacumque Religione exempta, sc. non videri novitios posse nec licite nec valide confiteri sacerdoti ab Episcopo approbato. Nam in primo Brevi dicitur etiam novitios confessario a Superiore deputando, et non aliis, peccata sua confiteri debere ; et in altero, eadem novitiis, quae aliis presbyteris, clericis et coadiutoribus fit obligatio : sed hi non possunt confiteri apud sacerdotem saecularem aut extra Ordinem; ergo nec novitii id possunt.

cet debitum, Pauli III (1549) et Brev. *Plura inter*, Leonis XII (1826), sive per communicationem privilegiorum participatas, scilicet ut Superiores eos a defectu natalium vel ab irregularitate absolvant, tam ad effectum ordines suscipiendi, quam gerendi quamcumque praelaturam aut quaevis officia Societatis. (V. cap. II, n. 20 et 21).

Dicitur tamen in Comp. Privil., n. 165: « Admoneantur sic dispensati, Societatem ingressuri, nisi mox Societatem ingrediantur, atque Societatem iam ingressi in ea perseverent, eo ipso in pristinas inhabilitates et irregularitates illos reincidere ». — Haec conditio quidem apponitur in C. *Licet debitum* Pauli III, non autem in pluribus aliis Constitutionibus. Ergo dicendum videtur Societatem, aliqua lege prudentiali, nolle communicare privilegium dispensandi suos ab irregularitate, nisi sub conditione perseverantiae in Societate.

Similis conditio apponitur in regula 23 Magistri novitiorum circa absolutiones a censuris et votorum dispensationes [a].

31. De votorum cessatione. — In Congreg. I, posita fuit quaestio « An vota quae Nostri, cum adhuc in saeculo essent, emiserunt (non agitur de voto Religionis determinatae) censeantur, ipso facto commutata in vota simplicia nostrae Societatis, simul atque illa emiserint »: — et decr. 132 responsum fuit: « In nostra Societate suspensa esse alia vota, etiamsi per

---

30. (a) Reg. 23 Magistri novitiorum est: « Si (Novitius) ab aliqua censura, virtute nostrorum privilegiorum, absolutus fuerit, admoneatur quod si non perseveraverit, in eamdem reincidet. Declaretur etiam illi, si quae vota, cum adhuc esset in saeculo emisit (praeterquam Religionis determinatae), in nostra Societate tamdiu suspensa esse, dum ipse in Societate manserit; quod si recesserit, eadem obligatione teneri qua ante ingressum tenebatur ». — Quae de reincidentia in censuram hic dicuntur, manifeste referuntur ad privilegium Pauli III (C. *Licet*, 1549), ut omnes Societatem ingredientes aut mox ingressuri a Superioribus absolvi possint ab omnibus suis peccatis et censuris (gravioribus tantum quibusdam exceptis) necnon ab irregularitatibus quae propter violationem censurae incurrerint, sed sub expressa conditione reincidentiae in easdem, si mox ingressi non fuerint aut ingressi recesserint. — Sed si novitius absolveretur vi aliorum privilegiorum, quae non fuerint concessa in solum favorem ingredientium aut Sociorum, sed in favorem omnium fidelium (ut sunt plura privilegia a Leone XII, Br. *Plura inter*, concessa), nulla est alia ratio cur dicatur novitius, si recesserit, in censuras reincidere, nisi quia Societas limitat confessariis novitiorum usum facultatum sibi concessarum.

professionem non tollantur, et sic obligationem eorum cessare dum in Societate manent ». Ideo in *regula* 23 Magistri novitiorum, ipsi praescribitur declarare novitiis quod eorum vota suspensa sunt dum in Societate manent. (Vide nota n. 30).

Notari debet hic dici vota suspensa existere non iam per professionem (primorum votorum), sed etiam per solum ingressum in novitiatum. Porro triplici modo intelligi potest, vota in saeculo facta suspendi per ingressum in Societatem: scilicet, vel ipso facto ingressus, vel ex commutatione facta ab ipso vovente, vel ex commutatione aut dispensatione concessa a Praelato aut a confessario iurisdictionem et facultatem habente.

Quaeritur ergo, an vota facta in saeculo suspendantur ipso facto ingressus in Societatem? — Si agitur de votis cum vita religiosa incompossibilibus, non potest dubitari ea per ingressum suspendi: nam cum vita religiosa sit certe melior quam horum votorum adimpletio, non debet impediri his votis; ergo qui talia vota fecit, potest nihilominus vitam religiosam ingredi, et eo ipso cessant ista vota cum eo incompossibilia. Posset etiam explicari cessatio votorum in hoc casu per implicitam voluntatem ingredientis Religionem, qui commutat haec vota in vitam religiosam. Manifestum est autem hanc commutationem non esse absolutam, sed sub conditione perseverantiae; et, si ipse non perseverat, reviviscere primam votorum obligationem.

Si vota in saeculo facta non sunt incompossibilia cum vita religiosa, tunc non est cur dicantur cessare ipso facto ingressus, nulla antecedente positiva voluntate; sed possunt commutari in vitae religiosae obligationem, sive commutatio sola ingredientis voluntate, fiat sive a confessario aut Praelato facultatem commutandi vota habente, vel etiam ab ipso iure sive generali sive particulari. — Commutatio potest fieri ab ipso ingrediente: nam votum quodcumque semper mutari potest in aliud maioris boni. Potest etiam fieri a Praelato aut a confessario, sive ex eadem ratione per simplicem declarationem, sive propter facultatem quam habuerint dispensandi aut commutandi vota. Requiritur autem dispensationis acceptatio: nam gratia non fit nisi volenti. — Commutatio tandem fieri potest ab ipso iure positivo. An autem de facto vota facta in saeculo cessent iure positivo per solum ingressum in Religionem: si agitur de iure communi, non videtur affirmandum; nam controvertitur an vota facta in saeculo per professionem solemnem ipso iure commutantur in vitam religiosam (nullibi enim invenitur

scriptum in iure); multo magis igitur dubium est an cessent per solum ingressum in novitiatum. Sed haec commutatio fieri potest iure speciali Societatis: nam si Praelatus dispensare potest in votis, vi facultatum Societati concessarum, Societas ipsa, vi earumdem facultatum, dispensare poterit per legem generalem. Et revera ita fit[a]: hic est sensus regulae 23 Magistri novitiorum, qui debet eis *declarare* eorum vota esse suspensa.

Sed si Praelatus regularis aut confessarius, facultatem habens non tantum commutandi vota sed in illis dispensandi, absolute novitium a votis in saeculo factis (supposita causa sufficienti absolutae dispensationis) dispensasset, non est cur ea censeantur per egressum reviviscere. (De tota hac doctrina vide SUAREZ, *de Relig.* tr. X, l. III, c. 4, n. 24 sqq. — Cf. etiam COMP. PRIV., nn. 111, 112, 113, 115, 116, 178, 179).

32. Communicatio gratiarum. — In CONST. P. V, c. 1, litt. A declaratur novitios esse capaces communicationis gratiarum[a].

---

31. (a) Sic intelligi debet *decretum* 132 CONGR. I. Quaerebatur: « An vota quae Nostri, cum adhuc in saeculo essent, emiserunt (praeterquam votum Religionis determinatae) censeantur *ipso facto* commutata in vota simplicia nostrae Societatis simul atque illa emiserint; quod difficultatem habet, cum illud caput *Scripturae (de voto et voti redemptione)* intelligatur a Doctoribus de ingressu per professionem ». Responsum fuit: « In nostra Societate suspensa esse alia vota, etiamsi per professionem non tollantur, et sic obligationem eorum cessare, dum in Societate manent ». Verum est in quaestione agi de commutatione in vota simplicia Societatis quando illa emittuntur; sed in responsione principium ponitur, hanc esse mentem Societatis eiusque voluntatem quod vota cessent, dum in Societate remanent. Quod autem non cessent tantum nuncupatione votorum simplicium, sed etiam primo ingressu in Societatem, habetur ex regula 23 Magistri novitiorum. Quod tandem vota suspendantur tantum, et in casu egressus reviviscant, hoc evenit quoniam haec dispensatio rationem habet commutationis: et quidem non absolutae sed conditionatae; quia non videtur votum perpetuum commutari posse nisi in aliud votum perpetuum. Vota autem simplicia tum Societatis, tum Ordinum formalium non habent hanc perpetuitatem ex parte Ordinis, qui ex iustis rationibus dimittere potest. Et haec eadem ratio ostendit vota non posse commutari ab ipso vovente in vota simplicia Religionis, nisi sub eadem conditione reviviscentiae in casu egressus. SUAREZ tamen censet commutationem absolutam fieri posse a vovente (tr. X, l. III, c. 4, n. 25 et 26).

32. (a) In hac declaratione exponitur Societatem, quoad membra ipsius attinet, quatuor modis intelligi posse; primus: « Societas, ut eius nomen

Debet autem intelligi cum hac restrictione: dummodo specialis exceptio de his non fiat in concessione alicuius gratiae. Est autem intentio manifesta huius loci Const., eas concedendi novitiis gratias, quas Societas a S. Sede accepit et Praepos. Generalis potest eis communicare.

Verum est in Constitutionibus Apostolicis tum Iulii III, *Sacrae Religionis* (1552), tum Gregorii XIII, *Decet Romanum* (1575), hanc gratiarum communicationem solis concedi personis Societatis qui tria vota emiserint; et sic excluduntur novitii. Gregorius XIII quidem, vivae vocis articulo, concesserat ut haec gratiarum communicatio novitiis etiam fieri posset, « quatenus capaces sint, nec specialis exceptio pro eis adsit »; sed revocatis vivae vocis oraculis per Gregorium XV et Urbanum VIII, videtur revocata haec concessio. Nihilominus hoc privilegium concessum est aliis Religionibus (supra, n. 18), et Societas eo fruitur saltem per communicationem. — Est de caetero sententia communis, ut dictum est, novitios participes esse gratiarum suae Religionis, nisi specialiter excludantur. Eam tenet S. Lig. *de Privilegiis,* n. 9; necnon Comp. Priv. nn. 106 et 107, ubi habetur: « Praedictam privilegiorum et gratiarum participationem poterunt concedere Superiores novitiis sicut et caeteris ».

Quod statuit Trid. *sess.* XXV, c. 16, « Abeuntibus ante professionem omnia restituantur quae sua sunt », hoc iam praescriptum erat in Exam. Gener., c. IV, n. 4 et litt. B: « Quidquid unusquisque feret, (Superior) scribendum curabit, ut id sciri possit, si quando scitu opus fuerit », et litt. B: « Si accideret hunc e Societate dimitti, et Societati quid dedisset, ei restitui debet »; Const., P. II, c. 3, n. 5, de dimisso dicitur: « Secum omnia sua ferat ». (Cf. ib. litt. B et Congr. V, d. 8. Vide etiam Comp. Priv. n. 483).

Quamvis Trident., l. c., permittat accipere ex bonis novitii compensationem pro victu et vestitu tempore novitiatus (supra n. 19, et c. III, n. 7), et de hoc pacisci liceat, tamen hac facultate Societas non utitur. In Instr. VI, n. 6, dicitur: « Neque toto hoc

---

latissime accipitur, omnes eos qui sub obedientia Praep. Generalis vivunt, etiam novitios..., complectitur ». Deinde additur: « Quocumque ex his quatuor modis aliquis in Societate sit, capax est communicationis gratiarum spiritualium, quas in ea Praepositus Generalis, secundum concessionem Sedis Apostolicae, ad maiorem Dei gloriam potest concedere ».

tempore (novitiatus) quidquam exigatur in usum collegii vel domus Societatis ab eorum tutoribus aut parentibus, quamdiu non sunt scholastici approbati: ut cum maiori libertate in Domino possint iuvari et corrigi cum oportuerit ».

33. Renuntiatio bonorum. - Exceptio facta a Trid., *sess.* xxv, c. 16 [a], circa Societatem, non refertur tantum ad statutum immediate praecedens de non prorogando novitiatu, sed ad alia initio capitis statuta, de renuntiatione bonorum non facienda, nisi intra bimestre ante professionem et cum licentia Episcopi, atque ea conditione quod non habeat effectum nisi sequuta professione. Ita bis declaravit S. C. C., ut dicitur in Comp. Priv. n. 482 et refertur a Ferraris, v. *Novitius*, n. 43 et 44. Hoc valet etiam de resignatione beneficii (Comp., ibid.).

Nec huic privilegio quidquam derogatum est per declarationem Pii ix, 1 *aug.* 1862, qua statuit renuntiationem a Trident. praescriptam faciendam esse intra bimestre ante professionem votorum solemnium. Nam haec declaratio, ut patet, ad hos solos spectat qui decreto Tridentino tenebantur, et determinat renuntiationem ibi praescriptam non ante professionem simplicem, sed ante professionem solemnem esse faciendam.

Ideo, in renuntiatione bonorum, Societas ea, quae in Examine, Constitutionibus, et decretis Congregationum statuta sunt, observare potest. Cum autem renuntiatio non fit communiter nisi post vota biennii, ideo de ea dicetur c. ix, ubi de voto Paupertatis in Societate.

34. Vota Devotionis. — Quoniam tempus novitiatus in Societate est integri biennii, S. Ignatius (in Exam. c. i, *litt.* E. et Const. P. iii, c. i, *litt.* T, ac P. v, c. 4, n. 6) permittit novitiis intra biennium vota emittere; quae vota Devotionis vocantur.

Hoc permittit ut illis « non adimatur utilitas illa spiritualis vel meritum, quod consequi solent qui Christo Domino nostro se adstringunt » (Exam. l. c.).

Ad haec vota nemo ullo modo compelli debet, sed ea facere poterit « qui sponte ex sua devotione ad ea emittenda moveretur »; et tunc « nec in manibus cuiusquam ea admitti, nec solemnitas adhiberi debet, sed quisque in secreto animi

---

33. (a) « Per haec tamen S. Synodus non intendit aliquid innovare aut prohibere quin Religio Clericorum Societatis Iesu, iuxta pium eorum Institutum a Sede Apostolica approbatum, Domino et eius Ecclesiae inservire possit ».

sui ea offerat Domino » (Const. l. c.). Convenit tamen ut novitii in eis emittendis formula assueta utantur, et unum exemplar voti sui scripti Superiori tradant, alterum penes se retineant, ad memoriam suae obligationis conservandam. (Const., locis cit.). Ea statutis temporibus renovare debent, sed seorsim ab aliis qui biennium absolverunt (Congr. II, d. 14), quamvis simul inter se (Congr. IV, d. 62).

Haec vota sunt privata; per ea novitius non fit religiosus. Hoc sufficienter ex verbis citatis Constitutionum habetur et explicite fuit declaratum a P. de Noyelles, in *Epist. 7 aug.* 1683 (apud Besson, n. 65). Cf. Epit. Inst. P. I, n. 93.

Inde fit, ut per haec vota Societas nullum ius in novitium, qui ea emisit, acquirat. Ergo Superiores ei in virtute S. obedientiae *directe* praecipere non possunt. Sed ipse contra suum votum peccaret, si Superiorem ut talem contemneret, v. g. respondendo Superiori praecipienti: Nolo; aut etiam (ut dicetur c. X) simpliciter non obediendo; quia Deo promisit se fore Superioribus obedientem. — Inde etiam sequitur, illum, qui sine facultate post vota devotionis e Societate discederet, peccare contra sua vota, speciali modo contra quartum votum ingrediendi Societatem; attamen eum apostatam aut fugitivum censeri non debere. (Epitome Inst. P. I, n. 94).

Haec vota devotionis non debent emitti sine facultate Superioris (Exam. c. I, E); facultas ea permittendi fuit reservata Provinciali a Congr. XVI, d. 37. Si dispensatio ab his votis aliquando esset concedenda, consequenter ab eodem Provinciali danda esset. Quamvis Societas nullo modo ligetur erga eos, difficilius dimitti debent quam alii novitii, et a solo Provinciali aut Generali (P. II, c. 1, litt. A et C) [a].

---

34. (a) « Qui iam votis se obstrinxerunt in domibus aut collegiis, et scholastici praeterea biennio probationis exacto approbati, si dimittendi essent, Praepositus localis, nisi re communicata cum Provinciali, id facere non deberet ». Hic per verba « qui iam votis se obstrinxerunt » manifeste designantur novitii qui vota devotionis emiserint, nam deinde enumerantur scholastici post biennium probationis approbati, necnon postea coadiutores et professi, qui a solo Generali dimitti possunt.

CAPUT V.

DE PROFESSIONE RELIGIOSA

Sectio I. — 1. Quid sit professio religiosa. — 2. Professio solemnis et professio votorum simplicium. — 3. Requisita ad validitatem professionis, ex parte profitentis; — 4. ex parte Superioris admittentis; — 5. ex parte formae, seu ipsius actus professionis. Professio tacita. — 6. De forma professionis. Ritus servandus. — 7. De loco professionis. — 8. Revalidatio professionis invalidae. — 9. An revalidatur tacita professione? An renovatione votorum? — 10. Reclamatio contra validitatem professionis. — 11. De effectibus professionis votorum simplicium in Religionibus proprie dictis. — 12. De effectibus professionis solemnis.

Sectio II. — 13. Varii gradus et varia vota in Societate Iesu. — 14. Vota simplicia tum scholasticorum tum coadiutorum formatorum sunt perpetua, sed conditionata. — 15. Dimissio sine causa fieri nequit. — 16. Vota scholasticorum et coadiutorum sunt substantialia Religionis. — Qui ea emittunt sunt vere et proprie Religiosi. — 17. Explicatur locus obscurior Constitutionum (P. V, c. 4, n. 3). — 18. De facultate admittendi ad varios gradus. — 19. Requisita ad professionem quatuor votorum: aetas, tempus Societatis, sacerdotium, doctrina, annus tertius probationis. — 20. Ritus professionis. Quaenam in ritu sint essentialia. — 21. Requisita ad professionem trium votorum et ad gradum coadiutoris formati. — 22. Requisita ad vota biennii. — 23. Effectus votorum biennii. — 24. Renovatio votorum. Eius vis in Societate.

SECTIO I.

1. Quid sit professio religiosa. — Professionis religiosae nomine olim veniebat sola incorporatio Religioni proprie dictae per vota solemnia in ea emissa. Non enim existebant alia Instituta religiosa nec alia vota Religionis.

Nunc autem sensu generaliori dicitur de omni incorporatione Instituto religioso cuicumque, seu de actu quo quis publice statum religiosum assumit, sive vota solemnia sive simplicia emittendo, sive in Religione formali aut proprie dicta sive in quacumque Congregatione seu Instituto religioso, sive in eo vota perpetua sive etiam temporanea emittat [a].

---

1. (a) Sic Pius IX, C. *Neminem* (1857), professos vocat eos, quos in Ordinibus proprie dictis vota simplicia post annum novitiatus emittere iubet, quamvis postea vota solemnia et professionem solemnem sint emissuri:

Professio, quaecumque illa sit, solemnis aut simplex, perpetua aut temporalis, quamvis semper coniuncta sit cum tribus votis religiosis substantialibus, re tamen a votis differt, aut potius illis aliquid superaddit [b]. Vota enim sunt promissio Deo facta; professio votis addit traditionem sui a vovente factam Instituto religioso, et ab eodem legitime acceptatam [c]. Dicitur traditionem debere esse *legitime* acceptatam: scilicet ab eo qui auctoritatem ab Ecclesia habeat ad illam admittendam, secundum dicta c. I, nn. 6 et 7.

Professio includit ergo contractum bilateralem, quo vovens Instituto se tradit, et promittit vivere secundum regulas ac Superioribus obedire; et quo vicissim Institutum voventem in familiam religiosam admittit, ac consequenter obligationem ipsum sustentandi nec pro lubitu dimittendi, sed servandi, sub certis tamen conditionibus, suscipit.

Haec duo, traditio et vota religiosa, ita semper sunt coniuncta, ut sint inseparabilia. Si invalida est traditio, v. g. ex defectu potestatis in admittente, vota (saltem ut religiosa) sunt nulla [d]. Ratio huius unionis est institutio Ecclesiae, quae tra-

---

« *Professi*, post triennium a die qua vota simplicia emiserint computandum, ad professionem votorum solemnium admittantur ». — Leo XIII, C. *Conditae* (1900), professas vocat sorores, quae in Instituto dioecesano prima vota, etiam temporalia emiserint: « Episcopo alumnas sodalitatum dioecesanarum *professas* dimittendi potestas est, votis perpetuis aeque et temporaneis remissis ». — S. Congr. EE. et RR., in Normis a. 1901, art. 103 dicit: post vota annualia per tres annos repetita, indicitur « professio triennalis. »

(b) Suarez, tr. VII, l. VI, c. 2, n. 26. « Ex dictis concludendum est, quamvis traditio et tria vota substantialia secundum se et formaliter diversa sint, ex illis coalescere professionem quoad substantiam suam, per modum unius moralis contractus perfecti et consummati ». Cf. etiam Wernz, n. 640.

(c) Haec professionis et votorum distinctio clare exprimitur in aliquibus formulis professionis, v. g. in professione solemni Societatis Iesu: « Ego professionem facio, et promitto Deo Omnipotenti.... et tibi, Reverende Pater.... ». Hic exprimitur primo professio, et explicatur per duplicem promissionem, unam Deo factam (sunt vota), alteram homini; ex quibus duabus coalescit professio.

(d) Dicitur vota, saltem *ut religiosa;* quia si vovens intenderet sese Deo obligare, etiamsi professio esset nulla, Deo obligatus remaneret; sed haec vota, utpote ab Ecclesia non acceptata, non essent religiosa. Generatim haec vota erunt irrita, quia haec est voluntas voventis ut non voveat nisi quatenus in Instituto admittitur. Voluntas contraria supponi non debet, sed probari; et si non probatur, vota nulla erunt.

ditionem professionis religiosae non agnoscit, ubi vota non sint, nec vota accipit ut religiosa, nisi simul sit traditio alicui Instituto facta (Vide c. I, n. 10).

Professio solemnis hoc proprium habet, quod ex utraque parte est absoluta et irrevocabilis; et ideo nec ipsa eiectione nec saecularizatione perpetua plene solvitur (ut postea dicetur), sed vota remanent.

2. Professio votorum simplicium et professio solemnis. — Ante Societatis Iesu institutionem, in omnibus Religionibus, statim post novitiatum emittebatur professio solemnis; innovatio fuit S. Ignatii admittere post novitiatum vota simplicia Religionis, quae per dimissionem solverentur, et servare in Religione facultatem dimittendi eos qui vota simplicia tantum emiserint. Haec innovatio a Paulo III, CC. *Iniunctum nobis* (1544) et *Licet debitum* (1549) approbata, nihilominus vehementer fuit impugnata [a]; sed a Gregorio XIII contra impugnantes fuit vindicata et confirmata duabus Constitutionibus *Quanto fructuosius* (1583) et *Ascendente* (1584).

Postea eamdem professionis votorum simplicium legem amplexae sunt pleraeque Congregationes religiosae.

Pius IX, C. *Neminem latet* (19 *mart.* 1857), eamdem omnibus Ordinibus virorum, in quibus solemnia vota emittuntur, sub obedientiae praecepto imposuit. Praescripsit: 1°, ut peracto novitiatu, novitii vota simplicia emitterent; 2°, ut in hac professione votorum simplicium per triennium ad minus perseverarent, priusquam ad professionem votorum solemnium admitterentur; 3°, ut professio solemnis post triennium posset a Generali vel a Provinciali iustis de causis differri, non autem ultra aetatem 25 annorum completorum [b]. — In alia autem

---

2. (a) Cf. Suarez, *de Relig. S. I.* seu tr. x, l. III, proaemio et c. I.

(b) C. *Neminem:* « Peracta probatione et novitiatu, ad praescriptum S. Conc. Tridentini, Constitutionum Apostolicarum et Statutorum Ordinis a S. Sede approbatorum, novitii vota simplicia emittant, postquam expleverint aetatem annorum sexdecim ab eodem Tridentino Conc. statutam, vel aliam maiorem, quae forte a statutis proprii Ordinis a S. Sede approbatis requiratur, et quoad laicos et conversos, postquam ad eam pervenerint aetatem quae in C. *In suprema* Clementis VIII praefinita est (id est in decreto *Cum ad regularem*, a Clemente VIII post Constitutionem suam *In suprema* publicato). — Professi, post triennium a die qua vota simplicia emiserint computandum, si digni reperiantur, ad professionem votorum solemnium admittantur, nisi forte pro aliquibus locis, uti non-

Constitutione, *Ad universalis* (7 *febr.* 1862), decrevit nullam et irritam fore professionem solemnem, quam non praecesserint professio votorum simplicium et integrum post eam triennium; a qua nullitate ne ignorantia quidem excusaret [c].

Eadem professio simplex ante solemnem imposita fuit Ordinibus monialium votorum solemnium a Leone XIII, C. *Perpensis* (1902).

Congregationes et Instituta religiosa, in quibus vota simplicia tantum emittuntur, nihilominus duplicem habent professionem, primam in qua plerumque vota temporalia tantum, alteram in qua perpetua emittuntur [d].

S. Congr. super statu Regul., decreto *Sanctissimus* (12 *iunii* 1858), varias declarationes magni momenti de professione votorum simplicium in Religionibus proprie dictis dedit [e]. Sunt sequentes:

---

nullis Institutis indultum est, professio votorum simplicium ad longius tempus iam concessa fuerit. — Poterit vero Superior Generalis, ac etiam Superior Provincialis, ex iustis et rationabilibus causis, professionem votorum solemnium differre, non tamen ultra aetatem annorum viginti quinque expletorum ». — *S. Congr.*, 16 *aug.* 1866, declaravit: Si quis annos 25 suae aetatis expleverit ante finem triennii, huic professio solemnis differri nequit expleto triennio. Ergo, aut admitti debet ad professionem solemnem aut ab Ordine dimitti.

(c) Revocatis quibuscumque Contrariis, decernitur: « Quoad religiosas virorum familias cuiuscumque Ordinis, Congregationis et Instituti, in quibus solemnia vota emittuntur.... nullam omnino, irritam et nullius roboris fore professionem votorum solemnium, tam scienter quam ignoranter, quovis modo, praetextu et colore factam, a novitiis quibuscumque, etiam laicis et conversis, qui licet probationem et novitiatum prout de iure expleverint, non emittant prius professionem votorum simplicium et in ea per triennium integrum non permanserint ». — In prima Const. *Neminem*, nullitas non statuebatur. Et ideo S. Congr., interrogata de validitate professionis alicuius Religiosi, qui ante secundam Const. *Ad universalis*, professionem solemnem, non emissa simplici, fecerat, respondit 16 *aug.* 1866 validam fuisse professionem.

(d) In Normis a. 1901, art. 103: « Vota ad annum fiant ad minimum per tres annos; deinde fieri possunt vota perpetua, aut adhuc per tres annos vota annualia aut professio triennalis ». — Art. 104: « Post sex annos omnino vota perpetua fieri debent ».

(e) Hae declarationes « precibus Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum », et « pro eodem Ordine Praedicatorum » datae sunt; sed postea fuerunt extensae ad alios Ordines « qui expostulaverint ». Ita in fine decreti *Sanctissimus*.

1. Haec vota simplicia sunt perpetua ex parte voventis.

2. Eorumdem dispensatio R. P. est reservata.

3. Solvi tamen possunt ex parte Ordinis in actu dimissionis, et data dimissione professi isti eo ipso ab omni vinculo liberi fiunt (f).

4. Haec facultas dimittendi ad Magistrum Generalem cum suo generali consilio spectat (g). Potest tamen eam in casibus extraordinariis delegare tribus religiosis.

5. Ad eam decernendam neque processus neque forma iudicii requiritur; procedi potest sola facti veritate inspecta.

6. Professi votorum simplicium participes sunt omnium

(f) Eadem facultas fuit semper negata Institutis Fratrum, ut apparet ex animadversione 13 super Constitutionibus a Societate Parvorum Fratrum Mariae propositas (apud BIZZARRI, p. 851); imo Congregationibus sacerdotum, v. g. SS. Redemptoris (vide cap. VII, n. 15). In Const. *Conditae* (1900) et in *Normis* a. 1901, non conceditur Superioribus facultas dispensandi a votis dimittendo.

(g) Die 7 *feb.* 1862, ad dubium Mag. Generalis O. P. *S. Congr.* respondit: reiectionem a Capitulo alicuius professi votorum simplicium, ne ad professionem solemnem admittatur, non esse causam sufficientem ut ab Ordine a Generali eiusque consilio dimitteretur, nulla alia intercedente inquisitione aut informatione; et, pro admissione audiri quidem debere Capitulum conventuale, non autem standum esse necessario eiusdem Capituli resolutioni, sed admissum a Capitulo posse dimitti, servatis artic. 4 et 5. — Haec responsio duplicem habet partem: prima pars est reiectum a Capitulo non posse dimitti ab Ordine sine nova inquisitione et proportionata causa. Consequens est, ut reiectus a Capitulo possit a Generali et suo consilio admitti ad professionem solemnem, imo necessario admittendum esse, si non est causa dimissionis et agatur de religioso annos 25 excedente (ultra quam aetatem professio solemnis differri non potest). Et praecise erat casus a Mag. Generali propositus, qui interrogabat: quid faciendum in casu?

Solutio data non est contraria decreto Pii IX, 25 *iun.* 1848 (2ª parte, art. 5), ubi Generali facultas datur revocandi vel confirmandi approbationem datam a Capitulo, de admissione alicuius ad professionem, « quin tamen umquam permittere possit professionem novitii qui ab examinatoribus provincialibus reprobatus fuerit ». Nam in decreto 25 *iun.* 1848, agitur de admissione *novitii* ad professionem; in responsione 7 *febr.* 1862 agitur de admissione *professi* votorum simplicium ad professionem solemnem. Status professi valde differt a statu novitii. — In secunda parte responsi dicitur, admissum ad professionem per Capitulum conventuale posse dimitti a Generali cum suo consilio, scilicet non tantum posse non admitti ad professionem, sed etiam dimitti ab Ordine; imo dimitti deberet, si iam annum 25 aetatis suae attigisset et ad professionem non admitteretur.

gratiarum et privilegiorum Religionis, ut professi votorum solemnium.

7. Non possunt praesentari ad ordines sacros, sed tantum ad tonsuram et ordines minores.

8. Anni professionis computantur a die professionis votorum simplicium; et professi votorum simplicium suffragium habent in capitulis sui conventus, uti solemniter professi (h).

9. Professi votorum simplicium retinent dominium radicale bonorum suorum; sed eis omnino interdicta est eorum administratio, et reddituum erogatio et usus. Debent ergo ante professionem votorum simplicium cedere administrationem, usumfructum et usum quibus eis placuerit, ac etiam suo Ordini (i).

10. Debent remanere in domo professorii et studiorum, ac vitam communem perfectam observare.

11. « Ad valide emittenda vota solemnia post vota simplicia, requiritur professio expressa, et ideo professio tacita omnino abrogata est ».

Notari debent aliquae aliae declarationes aut responsiones.

1. Triennium professionis simplicis ante professionem solemnem mathematice est computandum, ut annus novitiatus: *die* 8 *ian.* 1886, Summus Pontifex sanavit professionem solemnem, quae emissa fuerat una hora ante expletum triennium.

2. Proposito dubio, an matrimonium ratum et non consummatum ab hac professione votorum simplicium dissolveretur, « SSmus in audientia habita *die* 25 *ian.* 1861, per S. Congr. super statu Regul., ad quam dictum postulatum remittendum jusserat, eidem dubio respondendum mandavit, nempe nonnisi per solemnem votorum professionem matrimonium ratum et non consummatum dissolvi, non vero per professionem votorum simplicium ».

3. Requisita ad validitatem professionis. — Ut professio sit valida, aliqua requiruntur ex parte subiecti profitentis, aliqua ex parte Superioris admittentis, aliqua ex parte formae seu ipsius actus professionis.

Ex parte subiecti profitentis requiritur:

1. Carentia cuiuscumque impedimenti essentialis, sive iuris communis, sive iuris specialis Instituti in quo vovet.

(h) De iuribus professorum votorum simplicium datae sunt variae declarationes, quae n. 11 referentur.

(i) De paupertatis ratione dicetur cap. VIII.

2. Aetas legitima, ut fuit dictum c. II, n. 19: scilicet requiritur pro professione simplici post novitiatum, ut novitius expleverit sexdecim annos, aut aetatem maiorem quam forte constitutiones Ordinis exigunt, aut si de converso agitur, ut annos viginti et unum expleverit; pro professione votorum solemnium, ut insuper triennium a professione simplici expleverit.

3. Annus completus et continuus novitiatus, aut etiam tempus longius forte a constitutionibus Ordinis pro novitiatu tamquam essentiale praescriptum (c. IV, n. 2 et 3), quando de prima professione agitur; quando de solemni, ut insuper triennium integrum in professione simplici permanserit.

4. Voluntas profitendi; — de qua hic aliquid dicendum est.

Voluntas deficere potest vel ex malitia profitentis, qui dum externe profitetur consensum internum denegat, vel ex errore substantiali circa professionem, vel ex metu gravi iniuste incusso.

a) Defectus malitiosus assensus interni certe nullam reddit professionem in foro interno; sed donec probetur et nullitas professionis in forma statuta pronuntietur, in foro externo professio valet (Vide infra, n. 10).

b) Cur solus error substantialis circa professionem eam irritet, explicat Lugo, *de iure et iust., disp.* XXII, n. 88: « Ratio est, quia in iis quae statum constituunt ex natura sua firmum et irrevocabilem, quales sunt professio et matrimonium, voluntas iuxta naturam rei de qua agitur accommodat se, et consentit sine restrictione vel conditione, sed omnino absolute et independenter ab aliis conditionibus praeter ea quae sunt de substantia eiusdem contractus. Ex iis enim conditionibus manerent incerta matrimonia et professiones, atque adeo status: quod non est iuxta naturam rei de qua agitur ».

Error substantialis esset, qui versaretur super naturam votorum, aut super traditionem, aut super ipsum Ordinem religiosum in quo quis profitetur; ideo difficile inveniri potest. (Suarez, tr. VII, l. VI, c. 5).

c) Metus, ut irritet professionem, debet esse gravis, iniustus et incussus in ordine ad professionem (Wernz, n. 642, III; Suarez, ibid. c. 4); saltem ita est, si de professione solemni agitur [a]. Hoc habetur ex principiis communibus de con-

---

3. (a) Haec restrictio ponitur, quia iura, quae afferuntur, de professione solemni agunt. — Evidenter metus, qui professionem solemnem irritam et

tractu, de matrimonio, de voto; et praeterea ex iure positivo: « Nullus tondeatur (sc. tonsura monachali), nisi in legitima aetate et spontanea voluntate » (c. 1 *de Regul.* III, 31). TRIDENT. *sess.* XXV, c. 19, inter causas reclamationis contra validitatem professionis primo loco ponit vim et metum: « Quicumque Regularis praetendat se per vim et metum ingressum esse Religionem,... velitque habitum dimittere, etc. ». In c. *Insinuante* 7, *Qui clerici vel voventes,* IV, 6, metus levis insufficiens iudicatur ad invalidandam professionem. Est communis. (Vide apud FERRARIS, V. *Professio regularis,* nn. 24-39). — Metus ab intrinseco, quantumvis gravis, v. g. ex morte imminente, ex timore inferni, non reddit invalidam professionem (Cf. SUAREZ, l. c., n. 7). — Metus reverentialis, si praecesserunt minae graves, invalidat professionem, non autem simplex metus reverentialis (FERRARIS, l. c. 32-35, SUAREZ, l. c., nn. 16 et 17). Blanditiae, preces importunae non reddunt invalidam professionem (SUAREZ, l. c., c. 5, n. 7).

4. Ex parte Superioris admittentis. — Debet esse legitimus, scilicet, habere ex approbatione Ecclesiae et constitutionibus Ordinis auctoritatem ad admittendum. Res ex se patet, et exprimitur in pluribus locis iuris [a]. BENED. XIV, C. *Quamvis iusto* (1749), § 18, necessitatem auctoritatis competentis in admittente memorans, ait: « Quae regula apud omnes ecclesiastici iuris auctores sine contradictione recepta, desumpta est ex capite *Consuluit* ».

Porro, dupliciter accipi potest locutio *Superior admittens:* per eam exprimi potest vel Superior a cuius sententia pendet admissio ad professionem, vel ille qui in actu professionis eam accipit nomine Religionis. Uterque debet esse legitimus.

Utrum Superior legitimus, qui admittit ad professionem, sit solum Generalis, an etiam Provincialis, aut alius; utrum

---

nullam redderet, a fortiori irritaret professionem simplicem. In casu dubii an aliquis metus invalidam redderet professionem simplicem, minor est difficultas practica, quia in casu dubii, dispensatio obtineri potest.

4. (a) V. g., c. *Consuluit,* 4, *Qui clerici vel voventes,* IV, 6, ubi dicitur nullam esse professionem quae non facta fuerit in manu alicuius Episcopi, Abbatis vel Abbatissae, aut super altare; — c. *Ad Apostolicam,* 16, *de Regularibus,* III, 31: pronuntiatur professionem faciendam esse « Abbate per se vel per alium professionem recipiente »; — et c. *Porrectum,* 13, *eiusdem tituli,* declaratur aliquem fieri monachum, « ex quo votum emittitur et ab Abbate recipitur ».

requiratur consensus Capituli, annon, haec ex constitutionibus, statutis ac prescriptis cuiusque Ordinis, vel ex receptis consuetudinibus repetendum est [b].

Legitimus erit Superior qui actu accipit professionem, si sit ipse Superior habens facultatem admittendi ad eam, aut alius ab eo delegato, secundum constitutiones Ordinis.

Quoad admissionem novitii ad professionem, Pius IX, decreto *Regulari disciplinae* (25 *iun.* 1848), 2ª parte [c], pro Italia et Insulis adiacentibus tantum, formam ab omnibus Ordinibus servandam statuit:

1. Soli Generali tribuitur facultas admittendi ad professionem.

2. Duobus mensibus ante professionem, Provincialis per se vel per alium diligens examen novitii instituit; circa eum interrogantur secreto omnes conventus religiosi, etiam novitii et conversi.

3. Idem Provincialis sententiam Capituli conventualis super admissione exquirit per secreta suffragia; de omnibus relationem conficit, eamque tribus examinatoribus provincialibus ad hoc electis examinandam communicat; audito Magistro novitiorum, Provincialis ac tres examinatores, praemisso iuramento, per secreta suffragia decernunt utrum sit admittendus necne.

4. Si novitius probatus fuerit [d], Provincialis de omnibus instructum reddit Generalem, qui aliis, si videbitur, acceptis informationibus ultimo decernit an sit admittendus. Potest autem Generalis reiicere novitium a Provinciali et examinatoribus approbatum, non autem admittere ab eisdem reprobatum.

Haec lex imponitur omnibus Ordinibus in virtute s. obedientiae (§ 4).

(b) V. Prümmer, q. 56; — ac responsum S. Congr. EE. et RR. 18 *aug.* 1905 (A. S. S., t. XXXVIII, p. 71).

(c) Hoc decretum duplicem partem habet: prima pars est de lege servanda in probandis iis qui ad habitum religiosum admitti postulant: (de ea dictum est c. III, n. 6); secunda pars de novitiis ad professionem admittendis. Decretum quoad utramque partem non respicit nisi Italiam et insulas adiacentes.

(d) Quot suffragia habere debeat ut admittatur hic non exprimitur, sed videtur valere quod in prima parte explicite dicitur: « Is probatus dumtaxat intelligatur, qui saltem unum suffragium supra medietatem obtinuerit », ergo tria ex quatuor.

Die 1 *maii* 1851 prodierunt variae eius decreti declarationes. Die 16 *ian.* 1852 declaratum fuit ex huius legis neglectu professionem illicitam quidem reddi, non autem nullam. — Post decretum *Neminem* (1857), quo professio votorum simplicium instituta fuit (supra n. 2), ea quae statuta sunt pro admissione ad professionem debent applicari ad solam votorum simplicium professionem, ut explicite dicitur in § 5 huius decreti *Neminem* [e].

Extra Italiam et Insulas adiacentes non existit lex ecclesiastica specialis quoad admissionem ad professionem; ideo admissio iuxta statuta cuiuscumque Ordinis fieri debet [f].

5. Ex parte ipsius actus professionis. — Olim praeter professionem expressam admittebatur *professio tacita;* quae locum habebat, cum novitius, nullo impedimento essentiali irretitus, aetatem requisitam et tempus novitiatus habens, exercebat sciens et volens ac Superiore conscio actus proprios professi; v. g. habitum professorum deferebat, vocem in Capitulis habebat. Talis professio tacita iure canonico ceu legitima habebatur [a], nec a Tridentino fuit reprobata. Ideo Sixtus v, C. *Ad Romanum spectat Pont.* (1588), formam in receptione illegitimorum praescribens, et professionem non servata hac forma emissam declarans irritam, ait: « Sed cum eadem ratio vigeat in tacita professione emittenda, quae vigeat in expressa, statuimus.... quod neque etiam tacita professio induci possit nec inducta intelligatur, nisi in receptione Constitutionis forma servata sit »; — et Benedictus xiv, C. *Anno vertente* (1750), § 9:

(e) « Decreta S. Congr. super statu Regul., incipientia *Romani Pontifices,* et *Regulari disciplinae,* anni 1848 promulgata, omnino serventur in receptione ad habitum, novitiatum et professionem votorum simplicium ».

(f) Quaeri potest an Superior qui facultatem ordinariam ad admittendum habet, eam delegare possit. — R. Affirmative, nisi obstent aut lex specialis Ecclesiae aut Ordinis statuta. Nam, ex reg. 68 iuris in 6°, potest quis per alium quod potest per seipsum. (Ita Piat, t. I, p. 141, q. 5). Nulla autem citatur lex Ecclesiae, qua prohibeatur Generali delegare, imo habetur incidenter verbum, quo haec facultas supponitur, in resp. ad 3, in *Declarationibus* 7 *febr.* 1862, ubi: « Pro admissione ad vota solemnia post expletum triennium votorum simplicium, minime a Superiore Generali, vel *ab eius delegato,* standum erit resolutioni eiusdem Capituli.... ». Standum est igitur statutis cuiuscumque Ordinis.

5. (a) Cf. cc. 8, 9, 22 *de Regul.* III, 31.

« Nemo est qui ignoret duobus modis religiosam professionem fieri; vel, ut melius dicamus, duplicem esse professionem religiosam, unam expressam, alteram vero tacitam. Expressa fit quum, debitis servatis solemnitatibus, tria vota castitatis, paupertatis et obedientiae conceptis verbis emittuntur, quae in constitutionibus Ordinis, in quo quis se velle vivere profitetur, praescripta sunt; tacita autem in eo posita est, quum quis ea exercet et operatur, ex quibus arguitur ad vivendum in aliqua Religione se obligare voluisse, etsi solemniter et expresse eam professus non fuerit. Tacita professio a sacro Tridentino concilio, iuxta communiorem sententiam, sublata non est ».

An adhuc valeat tacita professio post decretum *Sanctissimus* Pii ix (12 *iun.* 1858), controvertitur. Nam *art.* 11 dicitur: « Ad valide emittenda vota solemnia post vota simplicia, requiritur professio expressa, et ideo professio tacita omnino abrogata est ».

Sententia videtur peremptoria. Nihilominus ratio gravis dubitandi est, scilicet quod hae declarationes non sunt lex aliqua generalis, sed responsiones ad Magistrum Generalem O. P. directae, quae deinde ad alios Ordines id petentes fuerunt extensae. Insuper, ex contextu, de sola professione votorum solemnium sententia intelligenda videtur. — Contra est quod, etiamsi haec sententia proferatur in declarationibus quae vim legis generalis non habent, attamen sententia « Professio tacita omnino abrogata est », videtur enuntiari tamquam lex omnino absoluta.

Piat, t. i, p. 142, q. 7, censet hac declaratione abrogatam fuisse professionem tacitam in Religionibus virorum et pro professione solemni [b]; idem censet Wernz, n. 644, in *scholion:* « Cum solemnis professio, ex disciplina vigente, in Religionibus virorum valida non sit nisi fuerit expressa.... » [c]; idem Baller.-Palm., n. 63, et Ferrari, n. 43 (ad finem).

Haec de tacita professione; nunc de expressa.

(b) Non autem ita certo in Ordinibus monialium, nec in Congregationibus votorum simplicium, vel pro professione simplici in Ordinibus virorum; quia declarationes dictae respiciunt unice Ordines stricte dictos virorum, et art. 11 de sola professione solemni agit. Ius commune autem correctum censeri non debet, nisi per explicitam derogationem.

(c) Minus affirmative loquitur in nota 301; dicit « S. Congr. EE. et RR. tacitae professioni non multum favere; unde, vel in ipsa convalidatione professionis expressae sed invalide emissae, tacita professio ad ratihabitionem vel sanationem prioris professionis nunc habet exiguam vim ».

6. De forma professionis, seu, ut ait Bened. XIV, l. c., de solemnitatibus requisitis ad eius validitatem. De utraque professione, simplici et solemni, agitur. Requiritur:

1. **Ut sit externa et aliquo modo publica, facta coram eo qui facultatem admittendi habeat.** — Ratio est, quia professio est actus quo quis in aliquam societatem, scilicet in Institutum religiosum admittitur. Necesse est igitur ut sit actus fori externi, de quo constare possit, atque ut intentio tum profitentis, tum admittentis externe appareat [a].

2. **Ritus.** — Nullus ritus specialis usque ad hos ultimos annos praescriptus erat; cum inde varia exorta fuerint dubia de validitate professionis in variis casibus, quae non unam eamdemque acceperunt solutionem: ideo die 14 *aug.* 1894 prodiit *Decretum generale* S. CONGR. RITUUM, a Leone XIII die 27 eiusdem mensis approbatum, quod deinde die 5 *iun.* 1896 declaratum fuit vim habere obligandi, *ubi vota intra missam nuncupantur*. Relatis dubiis et variis responsis, decretum pronuntiat: « Quapropter, ad omnem ambiguitatem de medio tollendam et uniformitatem inducendam, eadem S. Congregatio, cunctis mature perpensis, atque iis praesertim quae in Bulla s. m. GREGORII XIII *Quanto fructuosius*, data *Kal. feb.* 1583 pro approbatione Constitutionum Soc. Iesu, hac de re continentur,... sequentem methodum servari posse constituit: Cele-

---

6. (a) Cf. SUAREZ, tr. VII, l. VI, c. 12, n. 1, et tr. X, l. III, c. 7, nn. 1 et 3, ubi loquens de votis scholasticorum, ait: « Commune est his votis cum quacumque alia professione, ut non possint fieri ab ipso vovente solitarie aut omnino secreto: talia enim vota non sunt vota Societatis, neque habebunt vim incorporandi in illa, et consequenter nec statum religiosum constituent. Oportet ego ut fiant coram aliquo, qui potestatem habeat incorporandi in Societate in tali gradu, et consequenter ad illum effectum illa acceptet et ipsam Religionem obliget modo debito et proportionato ».

CLEMENS VIII, C. *Cum ad regularem,* ad professionem solemnem requirit praesentiam duorum testium: « Superior cuiuslibet conventus, in quo novitiatus fuerit constitutus, particularem librum habeat, in quo novitii professio registretur, illamque novitius professus propria manu, et *duo testes, qui praesentes fuerint,* subscribant » (n. 24). — Sed haec praescribuntur ad liceitatem, non ad validitatem, ut apparet ex ultimo §, in quo poenae contra contravenientes statuuntur, sed invaliditas non pronuntiatur. Insuper haec Constitutio (ut dictum est c. III, n. 5) probabilius, imo certo non obligat nisi in Italia et insulis; et praeterea in ea agitur de sola professione solemni, quia tunc non agnoscebatur alia in Ordinibus Regularium, Societate excepta.

brans profitentium vota excepturus, sumpto SS. Eucharistiae sacramento, absoluta confessione et verbis quae ante fidelium communionem dici solent, sacram hostiam manu tenens ad profitentes sese convertet; hi vero singuli alta voce professionem suam legent, ac, postquam quisque legerit, statim SS. Eucharistiae sacramentum sumet.... Non obstantibus quibuscumque particularibus decretis in contrarium facientibus, quae prorsus revocata atque abrogata censeantur ».

In hoc decreto ritus enuntiatus permittitur, non imponitur. Sed deinde proposito dubio, an decretum « vi obligandi polleat penes *quaslibet religiosas utriusque sexus Congregationes* », eadem S. Congr. Rit. respondit die 5 *iun.* 1896: « Affirmative ubi vota nuncupantur vel renovantur intra missam ». Quamvis in hoc responso adhibeatur vox « Congregationes », comprehenduntur certe in decreto etiam Ordines votorum solemnium. Etenim sic incipit decretum: « Non semel a S. R. C. exquisitum fuit, utrum et quomodo *solemnis professio* aut votorum renovatio.... peragi valeat ».

3. **Formula** nulla, iure communi, nec ad validitatem nec ad liceitatem professionis praescribitur; sed formula, quaecumque sit, debet exprimere saltem implicite [b], melius explicite, tria vota substantialia Religionis, secundum determinati Instituti constitutiones intellecta, et traditionem voventis eidem Instituto (Wernz, n. 644, III; Suarez, tr. VII, l. VI, c. 12, nn. 6 et 7).

Haec formula debet proferri viva voce, sive legatur, sive memoria recitetur [c], et non videtur sufficere sola traditio formulae, quam profitens admittenti consignaret. Haec vero formula convenienter Superiori admittenti post recitationem traditur.

Patet non posse apponi formulae ullam conditionem substantiae professionis contrariam; imo professio absolute fieri debet absque ulla conditione [d]; item personaliter, non per procuratorem.

(b) In aliquibus Ordinibus, v. g. Cisterciensium, Praedicatorum, promittitur tantum obedientia secundum regulam: quum regula obligationem aliorum votorum continet, implicite alia vota in hac formula continentur. Apud Carthusianos nullum votum exprimitur, sed sola conversio secundum regulam.

(c) Nisi forte Constitutiones expresse praecipiant ut legatur. Et ita censet de Societate Piat, t. I, p. 144, nota 4; Sed vide infra n. 20, 6°.

(d) Disputant quidem AA. an conditio in professione apponi possit,

7. Locus professionis. — CLEMENS VIII, decreto *Sanctissimus* (1599), *art.* 6, statuit ut in Italia et insulis adiacentibus, exceptis aliquibus Ordinibus (inter quos Societas Iesu), receptio ad habitum et professionem non fieret nisi in domibus novitiatus approbatis; et, *art.* 8, poenam nullitatis contra contravenientes decernit: «Receptiones vero et professiones quaslibet eorum, qui contra huiusmodi decretum admissi fuerint, nullas et irritas esse ad quemcumque effectum Sanctitas sua et nunc decernit et declarat». In decreto *Nullus* (1603), *art.* 33, eamdem prohibitionem, quae in articulo 6 praecedentis decreti invenitur, rursus inseruit: «Nulli imposterum ad habitum aut professionem admittantur, nisi in conventibus per sedem Apostolicam in qualibet provincia designatis» [a]; hic tamen non indicitur poena nullitatis.

Instituta a Pio IX professione votorum simplicium ante professionem solemnem, ortum est dubium de loco quo professio solemnis esset emittenda; sed idem Pontifex, per *decretum* S. CONGREGATIONIS SUPER STATU REGUL. 9 *dec.* 1859 «statuit atque constituit ut, litteris Apostolicis Clementis VIII aliisque contrariis quibuscumque non obstantibus, professi votorum simplicium licite et libere professionem votorum solemnium suo tempore emittere possint in conventu seu domo in qua reperiuntur, servatis tamen aliis de iure servandis, quin teneantur profiteri in domo peracti novitiatus».

Quoad locum professionis votorum simplicium, nihil explicite post decretum *Neminem* (1857) fuit statutum. Nihilominus in Italia et insulis adiacentibus, si de Ordinibus non exceptis agitur, professio simplex videtur omnino facienda in domo novitiatus, secundum praescriptionem Clementis VIII. Nam PIUS IX, Constit. *Neminem* sic pronuntiat, n. 3: «Peracta probatione et novitiatu ad praescriptum S. C. Trid., Constitutionum Apostolicarum, et statutorum Ordinis a S. Sede approbatorum, novitii vota simplicia emittant». Ergo, ubi ex Const. Apost. novitiatus in domo a S. Sede approbata fieri debet, consequens est ut professio, quae immediate ex Tridentino sequitur, et ipsa fiat in eadem domo; imo obligatio statuta a

---

sive de praesenti, sive de futuro, quae professionem incertam redderet aut suspenderet. De hac quaestione, vide WERNZ, n. 644, III, et nota 333; — PIAT, t. I, p. 144, q. 11, 4°, et PRÜMMER, q. 58. — Quidquid teneatur speculative de appositione conditionis, practice admitti non debet.

7. (a) De vi decreti *Nullus*, vide c. XI, n. 18.

Clemente VIII sub poena nullitatis nunc videtur afficere professionem votorum simplicium [b].

8. De revalidatione professionis invalidae. — (Vide PIAT, t. I, p. 147, q. 14).

Primo, si professio emissa invalida fuerit, et, detecta invaliditate ac sublato impedimento, Religiosus et Religio professionem convalidare voluerint, certum est quod convalidatio per renovationem professionis habeatur, scilicet si fit professio, quasi prius facta non fuisset. — Si autem Religio aut Religiosus invalide professus, detecta invaliditate professionis, eam confirmare non vult, non ideo, ubi de professione solemni agitur, Religiosus statim recedere potest, quasi nihil factum fuerit; sed debet implorari declaratio nullitatis, ut infra dicetur, n. 10.

Secundo, certum est etiam quod, si professio fuerit invalida ex defectu consensus alterutrius, Religionis scilicet aut religiosi invalide professi, ad hoc ut convalidetur explicite dare debet consensum ille qui prius non consenserat.

Tertio, convalidari etiam potest professio invalida per sanationem in radice a S. Sede impetratam. Sanatio autem in radice requirit aut novum consensum, aut saltem consensum perseverantem tum Religionis tum Religiosi, et remotionem impedimenti, propter quod professio fuit invalida, sive hoc impedimentum ex se cessaverit, v. g. defectus aetatis aut temporis novitiatus, sive S. Sedes dispenset in impedimento iuris ecclesiastici. Convalidatio facta per sanationem in radice, hunc effectum habet, ut (per iuris fictionem) professio valida censeatur a tempore quo prius fuit emissa, quamvis invalide, et omnia iura professo conferat, quae habuisset si prima professio valida fuisset. Hunc effectum non habet simplex revalidatio.

Sed duo ulterius quaeruntur: 1. An professio invalida convalidari possit professione tacita? 2. An convalidari possit renovatione votorum? Sed praemittenda est alia quaestio:

(b) Ita WERNZ sine dubio pronuntiat n. 644, II: « Ratione loci, professio votorum simplicium, saltem in Italia et insulis adiacentibus, ut valida sit, emitti debet in domo novitiatus a S. Sede designata; in aliis regionibus eadem praxis non est lege universali praescripta, sed convenienter servatur ». — Item PIAT, t. II, p. 135, q. 7.

An scilicet ad revalidationem prioris professionis necessaria sit cognitio eius nullitatis? Affirmant Schmalzg., *de Regul.* III, 31, n. 191, Suarez, tr. VII, l. VII, c. 1, nn. 3 et 4, Ferraris, V. *Professio* n. 86, aliique. Piat, qui eamdem sententiam tenet (t. I, p. 147, q. 14), eam tamen multum emollit, dicendo non necessariam fore cognitionem nullitatis ab eo, qui eam ratificare vellet, *si forte a principio fuerit invalida.*

Hanc rationem suae sententiae affert Schmalzg.: quia si nescio invalidam fuisse professionem prius emissam, nequeo eam ratihabere seu ratificare; nam hoc est ipsum obiectum ratificationis atque huc spectat ratificatio, ut velim valere id quod prius fuit invalidum; atqui nequeo id velle, nisi sciam invalidum fuisse. Haec ratio non convincit: negatur enim ratificationem in hoc consistere ut velim valere quod prius invalidum erat; ratificare professionem est simpliciter velle seu consentire in eamdem professionem quam prius (externe saltem) volui.

Suarez alio modo rationem proponit: qui prius consensum invalidum dedit, ait, alium consensum validum dare debet; sed ut det novum consensum, debet prius scire priorem invalidum fuisse; secus permanet in priori invalido consensu, non dat novum validum. Ratio haec non magis convincit: probat quidem, si verum consensum quis prius non dedit, nunc verum consensum debere dare; sed si prior consensus fuerit ex se efficax, et professio sit invalida propter aliquod impedimentum consensui extrinsecum, tunc sublato impedimento, renovatus consensus (aut etiam prior consensus perseverans) suam efficaciam exercet. Et de hoc amplius dubitari nequit, ex quo Ecclesia concedit sanationem in radice matrimonii, quin partes, saltem una de invaliditate matrimonii olim contracti edoceatur, dummodo consensum renovet, aut saltem de consensus perseverantia constet. Et a pari non videtur necessarium ad convalidationem professionis ut cognoscatur eius invaliditas; sufficit ut, remoto quolibet impedimento seu causa invaliditatis, legitimus consensus ex utraque parte habeatur. [a]

9. Soluta hac quaestione, quaeritur ergo:

1. **An professio invalida revalidari possit per tacitam**

---

8. (a) Forsan de hoc perseverante consensu in aliquibus casibus merito dubitari poterit, sive ex parte religiosi, sive ex parte Religionis; sed saepe de consensu perseverante utriusque partis nullum dubium moveri poterit.

professionem ? — Olim responsio affirmativa erat; sed nunc difficultas est ex hac declaratione Pii IX, 12 *iun.* 1858, in decreto *Sanctissimus,* art. 11: « Professio tacita omnino abrogata est ». Rationes pro et contra videri possunt apud Ballerini-Palmieri, nn. 63 et 64. [a] Sed res tandem a voluntate Ecclesiae pendet: quae, sicuti prius admittebat tacitam professionem et nunc eam amplius non admittit; ita ad convalidationem professionis invalidae, ratificationem expressam seu novam professionem exigere potest, quamvis ex natura rei non necessario requiratur. Porro nulla adhuc certa declaratio Ecclesiae emanavit; ideo res dubia remanet. Unde practice, ne professio remaneat dubia, ad convalidandam professionem invalidam aut nova et expressa professio facienda est aut impetranda est sanatio in radice.

Nunc secunda quaestio, maioris momenti:

2. **An professio invalida revalidetur renovatione votorum ?** Ferraris (v. *Professio,* n. 109) respondet negative, et refert plures decisiones *S. Congr. Conc.,* inter quas unam 30 *dec.* 1698, in qua haec ratio datur: quia talis ratificatio (sc. quae fit in renovatione a regula imperata) necessaria existens et ex regula, nequit dici *voluntaria* approbatio [b]. Verum ratio haec indicat quidem rem accurata disquisitione indigere, sed non probat revalidationem per renovationem fieri non posse. Si professio prius emissa fuit invalida ex defectu consensus, sane novus et liber consensus dari debet; et proinde si renovatio imperata fieret eodem animo et consensu quo prior professio, eam non revalidabit; addi etiam potest quod ubi prior consensus fuit coactus, etiam timeri potest ne in renovatione imperata consensus coactus etiam detur. Sed si professio prior invalida fuit ex alia causa, quae cessaverit, v. g. ex defectu aetatis aut integri novitiatus, et consensus prius datus cum plenissima libertate, eadem libertate in renova-

---

9. (a) Recitata fuit supra (n. 5, nota *c*) sententia P. Wernz, qui censet aut non valere aut practice non admitti revalidationem per tacitam professionem, sed requiri expressam.

(b) Refert etiam aliam causam, in Vienn. 1721. Haec causa autem invenitur in *thesauro* resolutionum S. C. C., et hic apparet invocatam quidem fuisse a reclamante contra suam professionem hanc rationem, quod renovatio nullum valorem habeat ad revalidandam professionem; sed nihil de hac re Congregatio ipsa dicit. — Unde, etiam de ratione allata in responsione 30 *dec.* 1698 suspicio movetur.

tione, quamvis ex regula fiat, renovetur et acceptetur, non videtur cur renovatio professionem non revalidaret.

Hoc saltem cum Piat dicendum est: si tum Religio, tum renovans hanc habeant intentionem ut, si prima professio fuit ex aliqua causa invalida, renovatio vim primae nuncupationis habeat, tum certo per eam revalidari professionem. Et hoc est quod fit in Societate, ubi quotannis publice supra mensam legitur decretum 22 Cong. VIII, quo statuitur renovationem votorum habere vim primae nuncupationis, si forte prior votorum emissio, propter causam iam non amplius existentem, nulla fuerit. Posita enim hac lege, certus habetur consensus Religionis et renovantis (c).

An vota in professione invalida emissa valeant tamquam vota simplicia, sc. quae non sint vota Religionis, vide apud Ballerini-Palmieri, n. 74, et apud Piat, t. I, p. 150, q. 16. — Communiter negandum est, quia voluntas voventis non est per se nisi vovere in tali Instituto.

10. Reclamatio contra validitatem professionis. — Religiosus quicumque solemniter professus, si putet aut etiam certo sciat invalidam fuisse suam professionem, non potest ideo ab Instituto recedere, nec Instituto illum dimittere licet; sed praecedere debet sententia, et quidem duplex, de invaliditate professionis. Exstant de hac re *decretum* Tridentini *sess.* XXV, c. 19, *de Regularibus*; — decretum *Ad occurrendum* (1636) Urbani VIII; — Const. *Si datam* (1748) Benedicti XIV; — et C. *Peculiaribus* (26 *ian.* 1856) Pii IX (apud Bizzarri p. 147). — Vide Wernz, nn. 668-673; Piat, t. I, pp. 154-162.

Tridentinum (l. c.) decernit, ut quicumque reclamare voluerit (a) contra suae professionis validitatem, 1° intra quinquen-

---

(c) Sic certo evanescit difficultas mota a Schmalzg., ex conceptu ratificationis: datur enim ex utraque parte novus consensus a priore independente. Et revera renovatio votorum non est mera praecedentis professionis ratificatio, sed est, ut nomen sonat, nova votorum et traditionis emissio: vota de novo emittuntur in tali Instituto, adhibendo eamdem formulam ac prius, aut saltem eius partem essentialem, et de novo ab Instituto accipiuntur. — Nova obligatio tamen obligationi iam existenti non superadditur; sed si forte non praeexistebat obligatio, iam contrahitur.

10. (a) Patet eum solum posse contra professionem reclamare, qui de eius validitate saltem dubius existit. Imo plures auctores putant eum solum

nium tantum a die professionis possit reclamare; 2º causam coram proprio Superiore et Ordinario deducat; 3º habitum sponte non dimittat nec monasterium relinquat; quod si alterutrum fecerit, non prius audiatur quam in monasterium redierit et habitum resumpserit.

Urbanus VIII, decr. *Ad occurrendum*, declaravit eos, qui professionem impugnant propter violationem legis Clementinae, de novitiatu in solis monasteriis designatis faciendo, 1º non posse reclamare nisi intra quinquennium; 2º suam causam apud solam S. C. Conc. prosequi debere, etiam in prima instantia, non autem apud Ordinarium et Superiorem.

Benedictus XIV, C. *Si datam,* ordinem in causis super nullitate professionis servandum praescripsit. In hac Constitutione decreta a Tridentino et Urbano VIII edita confirmat, aliqua dubia resolvit, et novas addit praescriptiones. Hae sunt praecipuae huius Constitutionis dispositiones:

1º Leges, quibus reclamatio subiicitur, non religiosum solum, verum etiam Religionem reclamantem (nam et ipsa reclamare potest) obligant (b).

2º Initium quinquennii semper a die professionis computatur, etiamsi nullitas professionis ex metu adhuc post quinquennium perdurante proveniat.

3º Iudices causae, excepto casu Urbani VIII, sunt simul Ordinarius et Superior reclamantis; hic Superior autem non est Generalis aut Provincialis, sed Superior actualis domus in qua reclamans professus est.

4º Forma iudiciaria stricte servanda est; citandi sunt omnes quorum interest validitatem professionis sustineri; ab Ordinario defensor professionis est constituendus.

5º Si prima sententia confirmat validitatem professionis, et ab ea sententia non fit appellatio, causa finita est. Sed si sententia prima infirmat professionem, de ea appellatio interiici debet a defensore professionis. Et ideo, nullus professus a Religione aut e claustris recedere potest habitumve depo-

---

posse reclamare qui de invaliditate certus sit (Piat, I, p. 154, q. 17). Sed dicendum est eos qui dubitant, saltem posse suum dubium aperire, ut causa examinetur.

(b) Unde Religio dimittere nequit religiosum invalide professum, nisi servando formam praescriptam; v. g. si celaverat in examine impedimentum essentiale. Ita iam declaraverat S. C. C. 13 *apr.* 1720. Cf. etiam Bened. XIV, *de Synodo*, l. XIII, c. 11, n. 2.

nere, nisi duae sententiae conformes pro nullitate professionis emanaverint. Si autem dissentiant Ordinarius et Superior regularis, causa ad S. Sedem devolvitur.

6º Iudices appellationis sunt iudices ad quos communiter tales causae devolvuntur. Sed nisi appellatio fiat apud S. Sedem, Superior regularis, a priore tamen Superiore diversus, quamvis eiusdem Ordinis, etiam ut iudex cum iudicibus aliis appellationis admittendus est (c).

7º Post exactum quinquennium, conceditur reclamantibus beneficium restitutionis in integrum; scilicet, quamvis Tridentinum statuerit post elapsum quinquennium non amplius patere locum reclamationi, et S. C. C., decreto a Greg. XIII approbato (d), statuerit hanc legem etiam valere in casu metus et vis perdurantis toto quinquenni tempore; attamen paulatim iustis de causis introductum fuit ut admitterentur, elapso quinquennio, instantiae pro restitutione in integrum quasi illud elapsum non fuisset. — Haec petitio apud S. Sedem solum fieri potest.

8º Tunc S. Sedes committit Ordinario loci et Superiori locali ut processum conficiant, idque non minus accurate ac si super nullitate professionis conficeretur, et S. Sedi referant (e).

9º Admissa a S. Sede introductione causae restitutionis in integrum, Ordinario et Superiori committitur ipsa causa, scilicet ut de validitate aut nullitate professionis inquirant ac pronuntient. — Cum autem S. Sedes non admittat restitutionem in integrum, nisi gravissimae afferantur rationes pro nullitate professionis, inde fit ut hac restitutione admissa, ut plurimum sequatur sententia nullitatis.

10º In discutiendis causis restitutionis in integrum tum apud tribunalia romana, tum apud tribunalia quibus, admissa restitutione, causae remittuntur, semper constituendus est defensor professionis. Requiritur duplex sententia restitutionis duplexque resolutio conformis iudicum quibus causa commissa fuerit, priusquam professo e Religione discedere fas sit.

(c) Nunc ex praesenti disciplina, istae causae in appellatione, imo et in prima instantia, ut plurimum ad S. Sedem deferuntur; in eis non intervenit iudex religiosus (WERNZ, n. 671).

(d) Vide FERRARIS, v. *Professio regularis*, n. 78.

(e) Committitur Ordinario cura conficiendi simul processum super causis tum restitutionis, tum nullitatis professionis (Cf. duas causas istius generis apud BIZZARRI, unam d. 3 *apr.* 1846, p. 586, alteram d. 14 *iulii* 1848, p. 676).

Si autem prius discesserit, poenas contra apostatas latas incurrit.

11° Monentur tandem Superiores regulares se nullo modo posse deserere defensionem professionis, ex eo quod indignum vitae religiosae censeant illum qui contra professionem suam reclamat.

12° In fine, Pontifex aperit propositum ulterius definiendi an, in variis casibus, quos enumerat, professio ab initio nulla per subsequentes actus convalidetur.

Tandem Pius IX, Br. *Peculiaribus* (26 *ian.* 1856) pro Sicilia dato, praescribit hanc Benedicti XIV Constitutionem omnino servari (f).

Forma Benedictina, in causis nullitatis professionis, non respicit nisi professionem solemnem. Ubi de professione votorum simplicium agitur, quamvis etiam per viam iudiciariam, sc. forma Benedictina servata, causa tractari possit, communiter expeditur per viam dimissionis aut dispensationis (Wernz, n. 673). Per viam dimissionis, si adsit causa sufficiens ad dimittendum; et tunc dimissio pronuntiatur a Superioribus Ordinis, si facultatem dimittendi votis relaxatis habeant (ut habent Superiores Ordinum proprie dictorum, ex decr. *Sanctissimus,* 12 *iun.* 1858, a. 3); aut a S. Congr. EE. et RR., si Superiores hac facultate non gaudent. Per viam dispensationis, si non adsit iusta causa dimissionis; et tunc necessario ad S. Sedem recurrendum est. Superiores enim regulares, etiam Ordinum proprie dictorum, non habent facultatem dispensandi a votis religionis, nisi improprie in actu dimissionis, ubi vota cessant ipso facto.

11. De effectibus professionis votorum simplicium in Religionibus proprie dictis (a). — Praecipui continentur in declarationibus decreti *Sanctissimus,* aliisque documentis n. 2 relatis. Spectant ad participationem gratiarum et privilegiorum Ordinis, vocem activam et passivam, ordinationem, dominium et administrationem bonorum, obligationem chori et divini officii, observationem regulae (b).

(f) Apud Bizzarri p. 146. — Notat tamen idem Bizzarri, p. 679, has causas nunc non raro definiri *summarie et servata tantum in substantialibus Constitutione Bened. XIV.*

11. (a) Wernz, n. 645; — Piat, I, p. 184, q. 6; — Prümmer, q. 54.

(b) Professi votorum simplicium in Congregationibus et Institutis religiosis, certe non sunt Regulares proprie dicti, quibus applicari pos-

1° Professi votorum simplicium participes sunt omnium gratiarum et privilegiorum Ordinis, ut professi votorum solemnium (Decr. *Sanctissimus* art. 6).

2° Suffragium habent in actis capitularibus sui conventus, quatenus et prout habent solemniter professi (ib., art. 8); — non tamen in receptione ad professionem solemnem (declar. 7 *febr.* 1862, ad 1) (c); nec in omnibus Ordinibus in receptione ad professionem votorum simplicium (d), sed singuli Ordines in hoc specialibus legibus a S. Sede approbatis reguntur. Non possunt eligi in Superiores (S. Congr. EE. et RR., 16 *ian.* 1891) (e).

3° Anni professionis requisiti in Ordine ut quis voce activa et passiva gaudeat, et ad officia admitti possit, a die emissionis votorum simplicium computantur (*decr.* 12 *iun.* 1858, a. 8).

4° Professi votorum simplicium in domibus professorii et studiorum remanere debent, et vitam communem perfectam servare (decr. 12 *iun.* 1858, n. 10). Tenentur ad observantiam re-

---

sint aut debeant ea quae in iure communi de Regularibus statuuntur. Iidem in Ordinibus formalibus, an sint Regulares proprie dicti dubium est, excepta Societate Iesu, in qua, ex declaratione Gregorii XIII, certe sunt Regulares (vide c. I, n. 13).

(c) In fine declarationis (quae fuit data Magistro Generali FF. Praedicatorum) additur: « Sanctitas sua ea, quae in hoc responso continentur, etiam ad alios Ordines et Instituta extendit et extensa esse declaravit ».

(d) Ita affirmat simpliciter P. Piat, I, p. 135, et indicat responsionem 1 *sept.* 1875. Verum alio modo respondit S. Congr. EE. et RR. d. 20 *febr.* 1905. Abbati cuidam Cisterciensi, interroganti an in Congregatione Helveto-Germanica huius Ordinis communis observantiae, monachi (et moniales etiam) « simpliciter professi suffragium haberent *a)* in admissione candidati ad novitiatum, *b)* pro admissione ad vota simplicia emittenda post unum annum novitiatus »: responsum fuit: Affirmative; et pro monialibus, etiam ad electionem Abbatissae ad vitam (A. S. S. t. XXXVII, p. 773, ubi vide longam notam Redactoris). — P. Prümmer, q. 54, ait professos votorum simplicium habere « vocem activam limitatam ».

(e) Haec responsio, quamvis data ad instantiam alicuius Procuratoris, videtur esse omnino generalis. Quaerebatur: « Utrum professi votorum simplicium, qui ex allato decreto (scilicet d. *Sanctissimus*, aa. 6 et 8), quoad iura tam gratiarum et privilegiorum quam vocis activae et passivae, professis votorum solemnium aequiparantur, ut professi votorum solemnium in Praelatos seu in Superiores in eodem Ordine licite et valide eligi possint et valeant? — R. Negative ». Voces « in eodem Ordine » nihil aliud videntur significare nisi in eo Ordine, in quo professionem emiserunt.

gulae Ordinis ut solemniter professi, — cum exceptionibus quoad votum paupertatis (6 *aug.* 1858, n. 2).

5° Non tenentur vi professionis simplicis ad privatam officii recitationem ; debent tamen choro interesse ut solemniter professi (6 *aug.* 1858, n. 1) [f].

6° Retinent dominium radicale suorum bonorum, sed ipsis omnino interdicta est eorumdem administratio, et reddituum erogatio ac usus (decr. 12 *iun.* 1558, *a.* 9) [g]. Bonis suis renuntiare nequeunt nisi intra bimestre ante professionem solemnem (decr. 1 *aug.* 1862), cf. c. IV, n. 21. Beneficiorum vacatio non inducitur per professionem votorum simplicium [h].

7° Ad primam tonsuram et ordines minores, non autem ad maiores promoveri possunt. Litterae dimissoriales ab eorum Superioribus dandae sunt (decr. *Sanctissimus*, a. 7, — Responsio 20 *ian.* 1860, *ad* 1) [i]. — Sed deinde decreto *Auctis* (1892) art. 1, statutum est : in Institutis quae ultra triennium differunt perpetuam professionem, Superiores, triennio post prima vota elapso, dare posse litteras dimissoriales ad sacros ordines titulo mensae communis vel missionis (Vide n. 12, 6°).

8° Quoad matrimonium, professio votorum simplicium non dirimit matrimonium praecedens ratum, non consummatum : habetur responsum S. Congr. super statu Regularium, 25 *ian.* 1861, datum ex mandato SSmi [j]. Nec irritat matrimonium contrahendum (S. Congr. EE. et RR. 4 *iul.* 1877, — apud Wernz, nota 351), nisi in Societate Iesu, ex concessione Gregorii XIII, C. *Quanto fructuosius* (1583) et C. *Ascendente* (1584).

9° Quoad vota praecedentia professionem votorum simplicium, haec tenenda videntur : Vota praecedentia et incompossibilia cum professione religiosa suspenduntur ipso facto

---

(f) De obligatione officii et chori, vide c. XI, n. 8.

(g) De hoc dicetur c. VIII, n. 6.

(h) Ita iam censebat pro Societate Iesu Benedictus XIV, C. *Ex quo dilectus* (1747), ubi ait communem esse sententiam vota post biennium facta non inducere vacationem beneficiorum. Nunc habetur rescriptum S. C. EE. et RR. (30 *mart.* 1908) : quaerebatur, an professio votorum simplicium facta a parocho (in Ordine S. Mariae de Mercede) inducat ipso facto vacationem parochiae ? — Resp. Negative (A. S. S., vol. XLI, p. 304 ; — et vide notam Redactoris ad hanc questionem).

(i) De ordinatione professorum votorum simplicium dicetur c. XIV, n. 8.

(j) « Nonnisi per solemnem votorum professionem dissolvi matrimonium ratum non consummatum, non vero per professionem votorum simplicium » (Bizzarri, Wermeersch, t. II, p. 349).

professionis, sed in casu egressus reviviscunt. Vota quae cum professione religiosa sunt compatibilia non videntur cessare aut suspendi ipso facto professionis; possunt vero in eam tamquam in bonum melius commutari, sive ab ipso religioso profitente, sive a Praelato regulari, sive ab ipso peculiari iure Ordinis; sed per egressum ex Ordine reviviscunt. Cf. c. IV, n. 18 et 31; et vide SUAREZ, tr. VII, l. VI, c. 14.

Praelati regulares possunt irritare vota subditorum suorum qui solam professionem simplicem emiserint (v. cap. X, n. 8). Saepe etiam, vi iurisdictionis, donantur facultate dispensandi in eis, saltem ut possunt Episcopi cum subditis.

10° Professus votorum simplicium, dum in Religione manet, est a paterna potestate solutus: non enim potest simul et Superiori et patri subesse (WERNZ, l. c.) (k). Hoc non impedit, quominus possint in favorabilibus paternam potestatem invocare: est enim privilegium, et non debet in dispendium detorqueri id quod fuit in gratiam concessum (*reg.* 61 *iuris in* 6°) PIAT, I, p. 163, *effectus* 4^us^. Notant tamen AA. leges civiles iam non agnoscere exemptionem filiorum minorum a potestate paterna per professionem religiosam (WERNZ, nota 355).

12. De effectibus professionis solemnis (a). — 1° *Professio solemnis facit stricte Regularem,* tum in favorabilibus, tum in odiosis (b).

Inde sequitur quod professus non sit iam sui iuris aut sub paterna potestate, sed transit sub dominium Religionis (c), et proinde Superioribus regularibus obedire tenetur tum ex virtute religionis propter vota, tum ex iustitia propter traditionem. Inde etiam e domo pro lubitu exire nequit. Praeterea quidquid acquirit, monasterio acquirit, iuxta principium Iuris Romani ab Ecclesia adoptatum (c. *Cum ad monasterium,* 6,

---

(k) Hoc privilegium DD. communiter professioni religiosae adnexum habent, et ex eorum rationibus non minus simplici quam solemni professioni competit.

12. (a) WERNZ, n. 646; — PIAT, I, p. 163; — PRÜMMER, q. 64.

(b) C. *Porrectum,* 13, *de Regul.* XXXI, 31. « Cum monachum non faciat habitus, sed professio regularis, ex quo a convertendo votum emittitur et recipitur ab Abbate, talis ut fiat monachus et reddat Domino quae promisit erit utique compellendus ».

(c) V. SUAREZ, tr. VII, l. VI, c. 2, n. 18-25, et c. 13, n. 2, ubi ait effectum formalem professionis esse translationem profitentis in potestatem Praelati seu Religionis.

de statu monachorum, III, 35. — Cf. c. VIII, n. 20). Superior eius actus irritare potest. Ipse autem ius habet ad sustentationem.

2° *Vinculum* inter professum et Religionem ita firmum contrahitur, ut dissolvi nequeat nisi a S. Sede, aut per transitum legitimum ad alium Ordinem et professionem in eo factam (Cf. c. VIII, n. 2; — SUAREZ, tr. VII, l. VI, cc. 15 et 16).

3° *Irregularitas ex defectu natalium* per eam tollitur quoad ordines suscipiendos, non autem quoad praelaturas, nisi ex specialibus privilegiis (c. *Ut filii*, 1, *de filiis presbyterorum* I, 17) (d).

4° *Matrimonium subsequens* irritatur. Ita ex c. *Meminimus*, 3, *Qui clerici*, IV, 6, (e). — *Matrimonium ratum* non consummatum iure ecclesiastico dissolvitur, ex c. *Verum*, 2, *de convers. coniug.* III, 32, et Tridentino (f).

5° *Vota*. Ex sententia communi omnia vota praecedentia, sive personalia sive realia extinguuntur per professionem solemnem: WERNZ, n. 646, V; PIAT, I, p. 167; SUAREZ, tr. VII, l. VI, c. 14, n. 3 (g). Est sententia S. THOMAE, 2. 2.ae q. 88, art. 12, ad 1, et

---

(d) « Ut filii presbyterorum et caeteri in fornicatione nati ad sacros ordines non promoveantur, nisi aut monachi fiant, vel in Congregatione canonica regulariter viventes; praelationem vero nullatenus habeant ». — Cf. dicta c II, n. 15.

(e) « Si quisquam, qui se Religioni devovit et habitu suscepto professionem fecit, postmodum sibi aliquam copulaverit, cogendus est ab ea recedere ».

(f) « Verum post consensum legitimum de praesenti, licitum est alteri, altero etiam repugnante, eligere monasterium, dummodo carualis commixtio non intervenerit inter eos; et alteri remanenti, si commonitus continentiam servare non voluerit, licitum est ad secunda vota transire. Quia, cum non fuissent una caro simul effecti, satis potest unus ad Deum transire et alter in saeculo remanere » (c. *Verum*). — TRID. sess. XXIV, c. 4, *de Matr.* « Si quis dixerit matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius coniugum non dirimi, anathema sit ».

(g) Iam dictum est, c. IV, n. 31, vota facta in saeculo cessare per ingressum in Societatem Iesu; quaestio similis nunc tractatur, quae tamen differt ab illa, 1° quia est generalior: agitur de cessatione votorum per ingressum in quamcumque Religionem; 2° quia agitur de cessatione votorum non per ingressum in novitiatum, sed per professionem religiosam; 3° quia non de cessatione conditionata seu suspensione, sed de absoluta cessatione agitur. Unde etiam in Societate differentia est inter cessationem votorum, quae fit per ingressum et cessationem quae fit per solemnem professionem: illa est conditionata, et vota reviviscunt per egressum e Societate; haec est absoluta, et ideo etiamsi quis eiiceretur aut saecularí-

q. 189, art. 3, ad 3. Fundatur in c. *Scripturae*, 4, *de Voto*, III, 34: « Reus voti fracti non habetur qui temporale obsequium in perpetuam noscitur Religionis observantiam commutare ».

Verum iste textus facit difficultatem, ut notat SUAREZ l. c.: in eo enim agitur de illo qui vota praecedentia ipse commutat in tria vota Religionis; et de hoc non est difficultas, quia commutat in opus evidenter melius: quod semper licet facere propria auctoritate. At quaestio est an haec commutatio fiat ipso facto, sine actu voluntatis voventis. Si vota praecedentia sunt incompossibilia cum professione religiosa, extinguuntur ipso facto. Sed si sunt compatibilia cum ea, non cessant ex natura rei, ergo solum ex dispositione iuris cessare possunt; textus autem iuris, qui affertur, requirit actum voventis ut fiat commutatio. Ideo, ait SUAREZ, l. c. n. 12, « videtur valde probabilis sententia, commutationem hanc non fieri ipso facto, quia nullum est ius cuius virtute fiat »; addit tamen, n. 14: « An tale ius fuerit consuetudine introductum, dubitari potest propter tot et tantorum virorum auctoritatem; sed nihil circa illud definio; et ideo consulo ut qui profitentur, admoneantur semper de huiusmodi commutatione facienda, vel certe ut Superiores statim post professionem factam illa irritent, quod facere possunt ».

Notant AA. quod si profitentes vellent positive retinere vota praecedentia et cum professione compatibilia, ea non commutarentur in vota Religionis: quia haec voluntas, perseverans post professionem, novo voto post professionem facto aequivaleret. Liceret tamen Praelatis irritare tale votum. Insuper quoniam haec commutatio in iure fundatur, posset Ecclesia, ut notat WERNZ, l. c., aliqua vota excipere ab hac commutatione, et tunc commutatio locum non haberet (h).

---

zaretur, vota facta in saeculo extincta remanerent; quod omnino aequum est, siquidem vota solemnia nec per eiectionem nec per saecularizationem cessant.

(h) C. *Qui post votum*, 5, *de voto*, III, 14, in 6°, dicitur: « Qui post votum a se de certa Religione intranda emissum, Religionem aliam, etiam laxiorem ingreditur et profitetur in ipsa, potest, — voto non obstante priore, cui tamquam simplici per secundum solemne noscitur derogatum, — manere licite in eadem. Pro voto tamen non completo erit eidem poenitentia iniungenda ». Haec fuerat sententia S. Thomae, 2. 2.ae, q. 189, ad 3. Suarez (tr. VII, l. VI, c. 14 n. 15) movet difficultatem contra hanc sententiam, et n. 18 concludit: « Potius respondendum censeo, ex vi solius iuris naturalis non auferri priorem obligationem (Religionis arctioris

6° *Beneficia ecclesiastica* non legitime renuntiata ex iure vacant, c. *Beneficium*, 4, *de Regul.*, III, 14, *in* 6°. Hanc iuris dispositionem memorat BENED. XIV, C. *Ex quo* (14 *ian.* 1747), § 15: « De beneficiorum vacatione in iure statutum habemus, eam non induci per solum ingressum in Religionem, sed per professionem regularem dumtaxat ». Deinde dicit vota simplicia Societatis post biennium, ex communi sententia, non inducere beneficiorum vacationem (i).

7° Professus die professionis lucratur *indulgentiam plenariam*. Ita PAULUS V, C. *Romanus Pontifex* (1606), § 6: « Cuilibet novitio, qui poenitens, confessus ac Sacra Communione refectus, post completum probationis annum professionem emiserit, etiam plenariam » (indulgentiam concedimus).

An insuper, independenter ab indulgentia plenaria, professio solemnis remittat omnem poenam peccatis debitam? — Sententia communis affirmat. S. THOM. 2. 2.ae q. 189, a. 3, ad 3; SUAREZ, tr. VII, l. VI, c. 13, n. 4. — Cf. PIAT, t. I, p. 164; PRÜMMER, q. 65.

---

intrandae): iure tamen positivo potuisse ita statui, et ita esse statutum dicto capite in favorem status religiosi ». Ipse tamen textus iuris agnoscit peccasse qui, relicta Religione arctiore quam voverat, intrat laxiorem: si quidem poenitentia ipsi iniungitur.

Alia est quaestio: an vota ante professionem facta, quae potuerunt etiam ante ipsam adimpleri, debeant revera impleri, an contra possint in professionem religiosam commutari (de qua vide SUAREZ, l. c., n. 7).

(i) Sed S. CONGR. EE. ET RR. interrogata: « An in Congr. Missionariorum nuncupata Imm. Cordis B. M. V., professio perpetua vacationem beneficiorum residentialium inducat: respondendum censuit prout respondit: Affirmative (25 *aug.* 1903. — A. S. S. t. 36, p. 287). — Narrabatur in recursu eamdem Congregationem accepisse a S. Congr. EE. et RR., anno 1880, facultatem admittendi alumnos suos ad ordines sacros titulo mensae communis, exceptis « iis qui Societatem ingrediuntur proprio titulo S. Ordinationis gaudentes »; unde merito concludi poterat et debebat eos, qui titulo beneficii fuerant ordinati, retinere suum beneficium. Sed anno sequenti, eidem Congregationi concessum fuit ad decennium a S. Congr. Negotiis extraordinariis praeposita, ut omnes eius alumni titulo mensae communis ordinarentur, et quod gratia valeret « etiam pro iis, qui iam ordinati alio titulo, eamdem (Congregationem Imm. Cordis) ingrediuntur ibique profitentur ». Post expletum autem decennium negata fuit renovatio gratiae. — Inde apparet hanc quaestionem, de vacatione beneficiorum per vota religiosa simplicia perpetua, nondum accepisse generalem solutionem.

SECTIO II.

13. Diversi gradus et varia vota in Societate. — Ante conditam Societatem, vota Religionis apud omnes Ordines erant solemnia; ab omnibus novitiis tum clericis tum laicis, post annum novitiatus, et etiam aliquando citius, ut dictum est (c. IV, n. 1), emittebantur: ita ut nullus alius gradus agnosceretur, quam novitiorum et professorum. S. Ignatius primus varios gradus, post novitiatum vota simplicia, longamque probationem ante gradus ultimos, S. Sede approbante, introduxit [a].

In EXAMINE, c. I, nn. 7 et sq., quatuor classes personarum in Societate enumerantur: professi, coadiutores, scholastici et indifferentes. Paulo aliter in CONSTIT. P. V, c. 1, A, ubi computantur: professi, coadiutores formati, scholastici et novitii [b]. CONGR. IV, d. 52, decrevit ut gradus indifferentium non duraret ultra biennium, sed eo exacto omnibus aliquis ex aliis gradibus assignaretur.

Soli professi vota solemnia emittunt. Praeter solita Religionis vota, quartum votum specialis obedientiae Summo Pontifici circa Missiones faciunt (EXAM. c. I, nn. 5 et 8), et praeterea quinque vota simplicia statim post professionem solemnem emittunt, quae enumerantur CONST. P. VI, c. 2, n. 1 et litt. A, ac P. X, n. 6. Haec vota fuerunt explicite approbata a GREGORIO XIII, C. *Ascendente* (1584).

Praeter hos professos quatuor votorum, « nonnulli ad solemnem professionem trium votorum tantum, iuxta litteras IULII III, admittuntur » (EXAM. c. I, D). Hi non constituunt classem specialem, sed referri debent aut ad classem professorum (ratione votorum solemnium) seu potius ad classem coadiutorum [c]. Notatur in CONST., P. V, c. 2, n. 3, quod « raro

---

13. (a) GREG. XIII, C. *Ascendente* (1584): « Quoniam Societas non solis novitiis et professis, ut reliqui regulares Ordines, constat.... ».

(b) In EXAMINE, cap. I, n. 10, nomine scholasticorum veniunt omnes qui admittuntur ut studiis vacent, et dividuntur in scholasticos novitios et scholasticos approbatos, qui scilicet post experimenta et probationes tria vota emiserunt. In CONST. P. V, c. 1, A, tertia classis est solorum scholasticorum approbatorum; quarta classis comprehendit omnes novitios.

(c) Dicitur professos trium votorum potius referendos esse ad classem coadiutorum. Nam in Societate professi proprie sunt illi, quos tum vir-

tantum et non sine causis peculiaribus alicuius momenti » admittuntur. Hi professi quinque vota simplicia post professionem etiam emittunt (Congr. iv, d. 54).

Coadiutores formati a professis natura votorum distinguuntur, quae sunt simplicia (Exam. c. i, n. 9; Const. P. v, c. 4, n. 1, et 2ª *Formula Instituti*); a scholasticis autem, quia quoad gradum sunt in termino : nam, gradus coadiutorum non ordinatur ad hoc, ut ex eo fiat transitus ad gradum professorum, quamvis aliquando, sed raro, propter specialia merita, coadiutores ad professionem deinde admittantur.

Coadiutores in spirituales et temporales distinguuntur (Exam. c. i, n. 9); quin propter hoc duo gradus diversi habeantur: quemadmodum in aliis Ordinibus, laici professi et clerici professi unicum professorum gradum constituunt.

Scholastici approbati gradum non adhuc definitivum habent, sed eorum quemadmodum et novitiorum gradus ad ulteriorem professorum aut coadiutorum, prout Superiori videbitur, ordinatur. Propterea, votis substantialibus Religionis addunt promissionem (quae est votum) Societatem ingrediendi (Exam., c. i, n. 10).

Scholasticis approbatis adiungi debent, tamquam ad eumdem gradum pertinentes, omnes qui post biennium novitiatus prima vota emittunt, sive sint iam sacerdotes aut clerici et ad studia (quae iam ex integro perfecerunt) non destinentur, sive

---

tus tum doctrina ad omnia Societatis munia, et speciatim, ad missiones etiam difficiliores, aptos efficiunt; alii, qui propter doctrinae defectum minus apti ad finem integrum Societatis inveniuntur, admittuntur tantum ut coadiutores. Sed inter eos qui ita admittuntur fit aliquando specialis exceptio pro aliquibus, quibus vota solemnia permittuntur: sive ut occurratur necessitatibus quibusdam, quae absolutam votorum firmitatem requirunt; sive propter eminentiorem virtutem et eximia merita, propter quae convenit eos strictius et intimius Societati incorporari. Ita Suarez, tr. x, l. vii, c. 1, n. 6, qui de caetero in aliis locis eos professis quatuor votorum adiungit (Vide notam P. de Reverseaux in l. viii, c. 2, n. 14). In 2ª *Formula Instituti*, in C. Iulii iii, *Exposcit debitum* (1550) contenta, professi trium votorum inter coadiutores etiam recensentur: « Immo et ii qui in coadiutores tam in spiritualibus quam in corporalibus, et in scholares admittentur, quorum utrique, post sufficientes probationes et tempus in Constitutionibus expressum, vota sua.... non quidem solemnia (praeter aliquos, qui de licentia Praepositi Generalis, propter ipsorum devotionem et personarum qualitatem, tria vota huiusmodi solemnia facere poterunt), sed quibus teneantur quamdiu Praepositus Generalis in Societate eos retinendos esse censuerit, emittere debeant.... ».

ad officia domestica exercenda admittantur. De his sic habetur in Const., P. v, c. 4, n. 6: « Qui in *domibus* versantur (non iam in collegiis, ut studiis vacent), post biennium vota eadem emittere quae scholastici, et Christo Domino nostro sese obstringere debent; et id quamvis studiis applicandi non videantur, nec expedire ut tam cito in coadiutores formatos vel professos admittantur, existimetur ».

Quarta classis comprehendit « novitios, et quicumque, cum propositum vivendi et moriendi in Societate habeant, in probationibus versantur » (P. v, c. 1, A). — Omnes autem qui Societatem ingrediuntur, quod ad ipsos attinet, indifferentes esse oportet, scilicet ut ad id admittantur ad quod idonei esse temporis successu invenientur (Exam., c. 1, nn. 7 et 11).

Hanc graduum diversitatem forma explicita saepe approbarunt et laudarunt Summi Pontifices: Paulus iii, C. *Exponi nobis* (1546), in qua dat facultatem admittendi coadiutores tum spirituales tum temporales, qui vota simplicia faciant; Iulius iii, C. *Exposcit debitum* (1550) [d]; Gregor. xiii, C. *Ascendente* (1584), ubi sic: « Quapropter Societatis corpus in sua membra et gradus idem Ignatius divino instinctu ita duxit disponendum, ut praeter eos quos Praepositus Generalis ad professionem quatuor votorum idoneos esse censuerit, et nonnullos quos interdum ad professionem trium admittere potest, reliqui, etiam sacerdotes,... in coadiutorum spiritualium formatorum gradum, per tria illa vota similiter publica sed simplicia, in Superioris manus emissa, admitterentur. Quibus emissis, tam hi qui spirituales, quam qui temporales coadiutores formati fuerint, certum in Societate gradum habent ».

Antea de scholasticis dixerat: « Quibus Constitutionibus.... statutum est, ut novitii in Societate biennio probentur: quo expleto, si ipsi perseverare voluerint, et Societati fuerit ab eis satisfactum (quoniam Societas ipsa non solis novitiis et professis, ut reliqui regulares Ordines, constat) tria substantialia vota simplicia.... paupertatis, castitatis et obedientiae in eadem Societate, ex Apostolico indulto ac iuxta vovendi formulam in eisdem Constitutionibus expressam, emittunt, ac, secundum illas promittunt se eamdem Societatem ingressuros, hoc est ulteriorem aliquem illius gradum, prout Praeposito videbitur Generali. Quibus votis emissis, novitii esse

---

(d) Loco in nota praecedente citato.

desinunt, et in Societatis corpus, qui litteris operam dederint vel daturi sunt ut scholares approbati, alii vero ut coadiutores temporales nondum formati, cooptantur ».

14. Vota simplicia tum scholasticorum, tum coadiutorum formatorum, sunt perpetua sed conditionata. — Conditio est: si Societas eos tenere volet.

Ita Const., P. v, c. 4, *litt.* B: « Intelligendum est quod coadiutores emittunt huiusmodi simplicia vota cum tacita quadam, quod ad perpetuitatem attinet, conditione, quae haec est: si eos Societas tenere volet. Quamvis enim illi, quod in ipsis est, se obligent in perpetuum, suae devotionis et stabilitatis gratia, liberum tamen erit Societati eos dimittere.... Quod si accideret, tunc illi liberi ab omni votorum obligatione manent ». Et *litt.* D eiusdem capitis, de votis scholasticorum loquens: « Conditio illa tacita, quae inesse dicta est in voto coadiutorum, quod ad perpetuitatem attinet, etiam in hoc est intelligenda, scilicet: si Societas eos tenere volet ».

Haec conditio tacita circa perpetuitatem, et libertas Societati relicta dimittendi tum scholasticos tum coadiutores, pluries a SS. Pontificibus fuerunt approbatae in forma explicita: primo a Paulo III, C. *Exponi nobis* (1546), qua coadiutores admittere permisit; deinde a Iulio III, C. *Exposcit debitum* (1550); postea a Gregorio XIII, C. *Ascendente* (1584), qui de his, qui vota post biennium emittunt, loquens, ait: « Quantum est ex parte ipsorum perpetuo, ex parte vero Societatis, iuxta Apostolica indulta et Constitutiones praedictas, tamdiu obligati sunt, quamdiu Praepositus Genaralis eos in Societate retinendos esse iudicaverit ».

Ex hac conditione tacita in his votis contenta, optime intelligitur, quomodo vota dimissorum cessant ipsa dimissione, quin necessaria sit ulla dispensatio: cessante conditione, sub qua fuerunt emissa, evanescunt [a].

Non refert quod vovens hanc conditionem explicite non apposuerit; nam vovet, « omnia intelligendo iuxta ipsius Societatis constitutiones ». Etiamsi ipse vellet absolute se obligare, vota eius non admittuntur nisi sub dicta conditione; ideoque ad summum remanere possint tanquam vota privata,

---

14. (a) In *Declarationibus* 12 *iun.* 1858, art. 3, simili modo professi votorum simplicium, legitime dimissi a Superioribus, dicuntur « data dimissione ab omni dictorum votorum vinculo et obligatione *eo ipso liberi fieri* ».

si hoc ipse vovens expresse intendisset, non autem ut vota religiosa.

Ex eadem explicatione sequitur Societatem non posse ita dimittere aliquem, qui solis votis simplicibus obligatur, ut votis obnoxius remaneat: si quidem ipso dimissionis actu cessant vota simplicia tum scholasticorum tum coadiutorum formatorum.

15. Dimissio sine causa fieri nequit. — Quamquam liberum sit Societati dimittere omnes qui vota simplicia tantum emiserunt: attamen eos sine causa iusta dimittere nequit, et haec causa eo gravior esse debet quo quis arctius Societati coniunctus est (Const., P. II, c. I, n. 1 et A). Causa ad dimissionem ita est necessaria, ut invalida esset dimissio absque causa, quemadmodum aperte supponit, imo et declarat Congr. VIII, *decr.* 58, his verbis: « Is qui sine culpa et sine ulla penitus causa e Societate expulsus est, *ita ut invalida sit dimissio,* in pristinum statum absque novitiatu restitui debet.

Haec iustae causae ad dimittendum necessitas satis exprimitur in Exam. c. VI. A: « Nec est iniustum si Societas libertatem ad eos dimittendos, *quando non faciunt quod debent,* retineat....: et alioqui facilius est aliquem ab eo quod debet deficere, quam Societatem vel eius Praepositum Generalem, quorum tantum erit posse dimittere: *nec id sine causis iustissimis, ut in secunda parte Constitutionum videbitur, fieri debebit* ». Item Greg. XIII, C. *Quanto fructuosius* (1583), de scholasticis post vota biennii pronuntiat, quod iniussi a Societate discedere nequeunt, « quamvis *rationabili ex causa,* iuxta Constitutiones easdem, ab ipso Praeposito Generali dimitti et votis huiusmodi liberari possint ».

16. Vota simplicia scholasticorum et coadiutorum Societatis sunt substantialia Religionis, et qui ea emittunt vere et proprie sunt religiosi. — Definivit Gregorius XIII, tum Constit. *Quanto fructuosius* (1583), tum alia *Ascendente* (1584). In hac ultima sic loquitur: « Hac nostra perpetua Constitutione, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus,(a) statuimus ac decernimus tria vota huiusmodi, etsi simplicia,

---

16. (a) Dixerat paulo antea, se *motu proprio ex certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine* laudabile Societatis Institutum eiusque privilegia, exemptiones.... approbare et confirmare.

ex huius Sedis institutione, ac nostra etiam declaratione et confirmatione, *esse vere substantialia Religionis vota*, ac in dicta Societate, tamquam in Religione approbata per Sedem eamdem, admissa fuisse et esse, ac per nos admitti; nec in illis a quoquam, praeter Nos et Sedem huiusmodi, dispensari, nec ea ullo alio modo quam per legitimam dimissionem a Societate cessare posse; et non modo eos qui in coadiutorum formatorum sive spiritualium sive temporalium gradus et ministeria admittuntur, sed et scholares ipsos, ac supradictos alios omnes et quoscumque, qui in ipsam Societatem admissi, biennio probationis a quolibet eorum peracto, tria vota substantialia praedicta, tametsi simplicia, emiserint aut emittent in futurum, *vere et proprie Religiosos* fuisse et esse et fore, et ubique semper et ab omnibus censeri et nominari debere, *non secus atque* ipsos tum Societatis tum quorumvis aliorum regularium Ordinum professos ».

Huius duplicis assertionis paulo ante eam dederat rationem: « tria huiusmodi Societatis vota, tametsi simplicia, ut substantialia Religionis vota ab hac Sede fuisse admissa, illaque emittentes in statu Religionis vere constitui, quippe qui *per ea ipsa se Societati dedicant atque actu tradunt, seque divino servitio in ea mancipant;* in quibus votis nullus, praeter Romanum Pontificem, potest manum apponere ».

17. Hic explicari debent aliqua verba Constitutionum, quae Suarez (tr. x, l. III, c. 1, n. 7) esse obscuriora et explicatione indigere fatetur. Dicitur in Const., P. v, c. 4, n. 3: « Qui, peracta sua priori probatione et experimentis per biennium, in scholasticos approbatos admittuntur, coram aliquibus domesticis, *quamvis non in manibus cuiusquam,* vota sua emittent »; et litt. D: « Ut hoc votum soli Deo offertur *et non homini,* ita *nemo id admittit;* propterea in nullius manibus fieri dicitur ».

Certum est, ait Suarez, l. c., haec vota fieri aliquo modo in manibus Praelati Societatis, multumque differre in hoc a votis quae novitius suo arbitrio facere potest; negari etiam non potest quin haec vota scholasticorum aliquo modo a Societate admittantur: alioquin non vere cum illa unirent, nec essent vota religiosa.

Locum Constitutionum sic declaravit Congr. IX, *decr.* 39, n. 5: « Hoc loco ideo dicuntur vota scholasticorum soli Deo offerri et non homini, et in nullius manus emitti atque a nemine admitti, quia in illorum formula nulla fit hominis mentio, sed ad solum Deum tota promissio dirigitur. Non tamen inde se-

quitur, scholasticos edentes vota illa in Societatem non admitti, seu non incorporari, nec ei obstringi; uti patet ex titulo eiusdem capitis, qui est: De admittendis coadiutoribus formatis et scholasticis; et ex titulo totius illius partis, qui est: De iis quae ad admittendum in corpus Societatis pertinent ». Deinde referuntur aliqua verba Gregorii xiii, C. *Ascendente,* scilicet, scholasticos « cooptari in corpus Societatis », quod fieri nequit sola voventium voluntate; « Societatem in eos ex vi votorum ius acquirere », quod rursus fieri nequit nisi Societas vota admitteret. Ergo, quamvis in sensu a *Congr.* ix declarato haec vota scholasticorum dici potuerint in nullius manibus fieri, a nemine admitti, soli Deo offerri; in alio sensu non minus vero, a Societate admittuntur, ab aliquo facultatem habente recipiuntur, non fiunt sine traditione voventis Societati et reciproca acceptatione.

Nota. Nullibi in Constitutionibus vota post biennium facta, cum traditione ipsis coniuncta, *Professio* appellantur. Haec appellatio in Societate reservatur soli obligationi, qua se adstringunt ii qui vota solemnia emittunt. Ratio est, quia ante Societatis institutionem, professio religiosa semper vota solemnia supponebat. Sed nullo modo est dubitandum, ait Suarez (tr. x, l. iii, c. v, n. 2) incorporationem scholasticorum Societati per vota simplicia professionem vocari posse. — Nunc res amplius difficultatem non habet, postquam communes factae sunt in documentis pontificiis appellationes *Professio simplex* et *Professio solemnis, Professio votorum simplicium* et *Professio votorum solemnium.*

18. De potestate admittendi. — 1. Facultas admittendi tum ad vota post biennium, tum ad professionem aut ad vota coadiutorum formatorum (seu ad gradum), tota residet in Praeposito Generali. Const., P. v, c. 1, n. 2: « Primo quidem, facultas admittendi in corpus Societatis eos qui admittendi erunt, penes eius caput erit, ut ratio postulat »..... et P. ix, c. iii, n. 1: « Primum Praepositus Generalis per se et per alios admittere, in domibus et collegiis vel ubicumque libeat, poterit eos qui ad Institutum Societatis ei idonei videbuntur; sive ad probationem, sive ad professionem, sive in coadiutores formatos vel scholasticos approbatos admittendos censeat ».

2. Potestas Generalis ad admittendum est absoluta, non est temperata ullius Capituli aut Consilii sententia: nihil enim huiusmodi exprimitur, et contra absoluta affirmatur.

Haec facultas absoluta iam in prima Instituti approbatione a Paulo III (1540) declaratur; in *Formula* enim dicitur: « Proprii cuiusque gradus iudicium, et officiorum discretio ac distributio tota sit in manu Praepositi ». Magis explicite fuit definita a Greg. XIV, C. *Ecclesiae* (1591). Refert primo Pontifex impugnationes quas sustinet regimen Societatis, et novitates quas aliqui introducere velint, inter quas, « ut novitii in Societatem et ad vota scholasticorum, peracto biennio novitiatus, in Capitulis admittantur; ut professioni certum ac praefixum tempus statuatur, quo exacto, per suffragia congregationis religiosi huiusmodi ad professionem admittantur »: has novitates reprobat: « Perpendentes primum quidem quod modus ille res et negotia per Capitula definiendi, optimum Societatis ordinem ac universam gubernandi rationem prorsus everteret »; deinde statuit « novitios, tam in eorum admissione ad Societatem quam ad scholasticorum vota post biennium novitiatus, iuxta Societatis morem, per Superiores admittendos esse; graduum etiam discretio et iudicium, et coadiutorum tam spiritualium quam temporalium, simulque et Professorum promotio, iuxta huiusmodi Constitutiones, similiter sit in manu Praepositi Generalis ».

3. Praepositus Generalis hanc admittendi ad vota potestatem communicare potest. Const., P. V, c. I, n. 2: « Sed quia Praepositus Generalis tam variis in locis interesse non potest, aliis de Societate eam partem huius facultatis, quae ad totius corporis huius bonum facere videbitur, poterit communicare ». Et *litt.* B « Alii, quibus ordinarie magis et absolute communicabitur, Praepositi Provinciales erunt ».

4. Praxis est, ut Provinciales admittendi ad vota post biennium potestatem ordinariam (sc. vi ipsius muneris) habeant. Ita *reg.* 65 *Provincialis*: « Potest admittere post biennium ad vota simplicia scholasticorum approbatorum et coadiutorum non formatorum, quos in Domino idoneos iudicaverit iuxta regulas et Constitutiones ». Non potest autem, nec licite nec valide, admittere ad haec vota ante decimum septimum annum completum: ita Congr. VIII, d. 35. — Nec ullo modo potest potestate ordinaria admittere, ad professionem aut ad vota coadiutoris formati, ut patet ex eius regula 70: « Antequam admittat eos, qui *cum Generalis facultate* professionem vel vota coadiutorum formatorum sunt emissuri.... ». Quamvis enim Praepositus Generalis possit etiam delegare facul-

tatem admittendi ad professionem et ad gradum Coadiutoris formati, in Constitutionibus tamen commendatur ne id fiat nisi in casibus valde raris; sed ipse P. Generalis, relatione a Praepositis Provincialibus accepta, decernat quinam sint admittendi et ad quos gradus (P. v, c. 2, nn. 1, 2 et A, et ita fit [a]. — Rectores et Magistri novitiorum nullam potestatem ordinariam habent admittendi ad vota.

5. In Italia et insulis Societas non tenetur decreto Pii IX *Regulari disciplinae* (25 *iun.* 1848), quo praescribitur forma adhibenda in receptione tum candidatorum ad habitum, tum novitiorum ad professionem: exempta fuit *rescripto Pii* IX, die 28 *ian.* 1850 (V. Bullar. S. I., p. 376). R. P. Roothaan, exposito methodo a Societate adhibita tum in receptione candidatorum, tum in admissione ad professionem, petebat « ut Societas, ea quae sunt exposita rite et sancte servans, secura pergere possit in hac sua agendi ratione, qua in tuto est finis decreti sacrae Congregationis super stat. Regul., quin ad novas normas a suo Instituto alienas adigatur ». S. Pontifex rescripsit: « Attentis peculiaribus circumstantiis, benigne annuimus pro gratia ».

Sed inde fit, ut quando agitur de admissione ad professionem aut ad vota coadiutoris formati in his locis, pro quibus valet decretum 25 *iun.* 1848, iam P. Generalis debeat procedere iuxta methodum expositam, nec proinde, ut videtur, possit committere aliis facultatem admittendi ad professionem et ad vota coadiutoris formati.

19. De requisitis ad professionem 4 votorum. — Praeter alia, quae sunt de iure communi (supra, n. 3, 4, 5), haec specialia in Societate requiruntur:

1. *Aetas competens*, quae in Constitutionibus statuta est vigesimus quintus annus completus (P. I, c. 2, n. 12). Attamen P. I, c. 3, *litt.* K: « Penes Praepositum Generalem facultas erit prudenter et circumspecte dispensandi ».

Sed Congr. VIII (1645-46), petitione ei facta, « ut praxis a Patribus nostris Claudio et Mutio observata, non admittendi Nostros ad professionem priusquam annum 33 expleverint,

---

18. (a) Congr. XII, d. 10, eamdem facultatem admittendi ad professionem et ad gradum Vicario Generali tribuit, non obstante contrario decreto 3 Congr. IV.

Congregationis decreto firmaretur: decrevit eam praxim deinceps retinendam; ita tamen ut ea aetas non sit conditio necessaria ad valorem professionis ». Insuper declaravit: « Eiusmodi decreto solum approbari eam consuetudinem, citra novam obligationem, et Patri nostro commendari » (decr. 17). Imo decr. 33 definivit validam adhuc esse professionem, etiamsi profitens malitiose suam aetatem dissimulasset.

Unde constat: 1° adhuc remanere Patri Generali facultatem ipsi factam a Constitutionibus valide et licite dispensandi etiam ab aetate 25 annorum completorum; 2° non infirmari professionem per errorem ante annum trigesimum tertium completum factam; nam Praep. Generalis absolute professionem decernit, ergo secundum totam suam potestatem.

2. Certum *tempus Societatis*. — Constitutiones non praescribunt nisi ut superet biennium. P. v, c. 1, n. 3 dicitur: « Tempus ad admittendum modo superius dicto (scilicet etiam ad professionem) in universum loquendo, ultra biennium esse oportebit » [a]. Nihilominus, ibid. *litt.* C: « Contrahi hoc spatium quibusdam in casibus, ex causis tamen non levis momenti, iudicio Praep. Generalis, cuius erit dispensandi ius, licebit; raro tamen

---

19. (a) TRIDENTINUM quidem, sess. XXV, c. 16, *de Reg.*, statuit professionem non esse differendam, sed statim post novitiatum emittendam, aut eiiciendum esse novitium qui, probatione peracta, non iudicaretur habilis; sed statim ab hac lege Societatem exemit, addendo: « Per haec tamen S. Synodus non intendit aliquid innovare aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis Iesu, iuxta pium eorum Institutum a S. Sede approbatum, Domino et eius Ecclesiae inservire possint ». — Rursus quaeri potest, an Societas non comprehendatur Constitutione *Neminem* Pii IX (1857), qui instituens professionem votorum simplicium in omnibus Ordinibus, statuit professionem votorum solemnium fieri debere post triennium, posse quidem differri sed non ultra annum 25um expletum, nisi pro aliquibus locis (non dicit Religionibus) sit speciale indultum: quae praescriptio rursus confirmata est declaratione d. 16 *aug.* 1866. Porro in Constitutione dicitur: « Contrariis quibuscumque, etiam speciali et individua mentione et derogatione dignis, (S. P.) derogat ac plane derogatum esse declarat ». Nulla quidem existit declaratio positiva Societatem ab hac Constitutione eximens; sed certum est, ex scopo huius Constitutionis, ipsam non spectare ad Societatem, quae iam duplicem professionem a suis exordiis habebat; eam proinde, quod ad tempus solemnis professionis, leges sui Instituti servare posse. — Confirmatur ex praxi ipsa: data enim hac Constitutione, nec Societas se ea obligari censuit, nec S. Sedes reclamavit.

id fiet ». Post Tridentinum autem non potest ita restringi hoc tempus, ut professionem non praecedat saltem annus integer probationis a Concilio ad validitatem cuiuscumque professionis stabilitus.

3. Ad professionem admitti non debent nisi hi « quorum vita diuturnis ac diligentibus probationibus perspecta valde et approbata fuerit » (P. v, c. 2, n. 1; Item P. x, n. 7, et in duabus *Formulis Instituti*) [b].

Congr. iv, d. 9, et praesertim Congr. v, d. 37 (1593-94), « quaestione proposita, utrum scilicet certum aliquod tempus promovendi Nostros ad gradus fixos in Societate praefigendum esset:... inhaerens decreto Congregationis quartae,... statuit: nullum certum tempus praedictis gradibus conferendis praefiniendum esse, aut quidquam in Constitutionibus in hac parte innovandum; cum et nostri Instituti substantialibus hoc plane repugnet, et gravissima ad illud labefactandum incommoda ex eiusmodi determinatione necessario secutura sint ». Huic decreto Congregationis v praeiverat Greg. xiv, C. *Ecclesiae* (1591): « Tempus autem promotionis ad huiusmodi gradus [c] nullo modo volumus certum seu determinatum esse, sed Constitutiones et diplomata praedicta, etiam in hac parte, omnino observari volumus ac mandamus ».

At deinde, firma remanente hac duplici regula, ut nullum tempus certum determinaretur, et nemo promoveatur priusquam plene Societati satisfecerit, Congr. ix, d. 42, hanc aliam addidit: « Ut Provinciales eos, qui studia omnia ante ingressum in Societatem absolverunt, ad professionem quatuor votorum neque ante decimum annum currentem proponant, neque ulterius etiam eos differant; eos autem, qui studia omnia in Societate perfecerunt (sc. septem annos, tres philosophiae et quatuor theologiae), neque ante decimum septimum annum currentem proponant, neque ulterius etiam eos proponere differant; reliquos denique, qui studia philosophiae et theologiae partim ante ingressum in Societatem,

---

(b) In 2ª *Formula Instituti*, a Iulio iii (a. 1550) approbata, dicitur: « Opportunum iudicavimus etiam statuere, ne quis ad professionem in hac Societate emittendam, nisi diuturnis et diligentissimis probationibus eius vita et doctrina explorata fuerit, recipiatur ».

(c) Scilicet, sive professorum, sive coadiutorum formatorum, tam spiritualium, quam temporalium.

partim in ipsa decurrerint, inter duos praedictos terminos,... proponant » (Congr. IX, d. 42). Natis aliquibus dubiis de interpretatione huius decreti, Congr. XIII, d. 9, et Congr. XVI, d. 20, ea solverunt (d).

4. Ad professionem non admittuntur nisi *sacerdotes*. Ita EXAM. c. I, n. 8. « Et omnes ante professionem sacerdotes esse oportet ». In 2ª *Formula Instituti:* « Socii autem omnes, *cum presbyteri esse debeant*, ad dicendum officium teneantur » ; et GREGOR. XIII, C. *Ascendente* (1584), dotes ad professionem requisitas enumerans, ait « vocationem hanc requirere viros litteris conspicuos, atque sacerdotes ».

An Generalis ab hac conditione dispensare possit? — Non videtur, si de professione quatuor votorum agitur. In his, ait SUAREZ (l. VI, c. I, n. 4) circa hoc nulla fit dispensatio: quia si interdum ex causa urgente necesse sit aliquem ad professionem admittere ante sacerdotium, illa satis erit professio solemnis trium votorum.

Ratio huius conditionis presbyterii, ait idem Auctor, est quia « Societas est Religio presbyterorum, et quia gradus professorum est supremus, ad eosque pertinet principale regimen eius et graviora ministeria, quae sacerdotium requirunt ».

5. Exigitur *doctrina non mediocris* in philosophia et theologia, quae fuerit examine comprobata (EXAM. c. I, n. 8; et CONST. P. V, c. 2, n. 2); de quo examine plura fuerunt determinata tum hoc loco, tum Congregationum decretis (e).

6. In his qui studia sive integre sive partim in Societate

(d) Notandum est, neque hic neque alibi requiri ut ad professionem non admittantur ante decimum aut decimum septimum annum expletum, sed tantum ut non proponantur nisi currente anno decimo aut anno decimo septimo. Nihilominus praxis vigens est ut ad professionem non admittantur, nisi *expleto* decimo aut decimo septimo anno.

(e) Potest aliquando suppleri examen aut etiam doctrina. Examen non exigitur: 1° ab his qui cum satisfactione has facultates professi sunt; 2° a Doctoribus theologiae, de quorum eximia eruditione non est dubium; 3° ab his qui magnum theologiae actum habuerint.

Doctrina in theologia et philosophia suppleri potest: 1° doctrina in Iure Canonico; 2° excellentia in litteris humanioribus, aut in lingua graeca cum sufficienti cognitione linguae hebraicae; 3° peritia in linguis Indicis; 4° egregiis talentis ad gubernandum; 5° egregio talento ad praedicationem (Vide *Practica ad scribendum*, cap. II, § 2 et 3).

fecerunt, requiritur post peracta studia *tertius annus probationis* (Exam., c. I, n. 12; et c. IV, n. 10; — Const., P. V, c. 1, n. 3; — Greg. XIII, C. *Ascendente*).

Ab hoc tertio anno probationis solus P. Generalis eximere potest, nec debet eximere nisi ob rationes gravissimas, et tunc ab aliqua tantum parte (Congr. XVI, d. 34). Ad valorem professionis non pertinet (Suarez, l. VI, c. 2, n. 3): nihil enim in Constitutionibus nec in Bullis invenitur quod tantam adesse obligationem indicet.

20. Ritus professionis. — Haec habentur P. V, c. 3, n. 2: « In primis Praepositus Generalis, vel qui, accepta ab eo facultate, ad professionem admittet[a], postquam publice missae sacrificium obtulerit in ecclesia coram domesticis et aliis externis qui interfuerint, cum SS. Sacramento Eucharistiae ad eum qui professionem est emissurus se convertat. Ille autem, absoluta generali confessione et verbis quae ante communionem dici solent, voce alta votum suum scriptum leget, cuius formula haec est.... Post haec sumet SS. Eucharistiae Sacramentum. Quibus paractis, in libro, quem ad hoc habebit Societas, eius nomen qui professionem emisit et illius in cuius manibus emisit, adnotato die, mense et anno, scribetur, et eius vota scripta asservabuntur, ut omnia semper constare possint ad Dei gloriam ».

Deinde *littera* A declaratur: « Particularia, quae hic et inferius attinguntur, decent quidem et cum fieri potest observanda sunt, *non tamen ut necessaria*: fieri enim posset, ut sacerdos non esset, vel celebrare missam non posset qui ex ordinatione Praep. Generalis professionem admittit. *Illud autem essentiale est,* ut publice votum legatur coram iis de Societate et externis qui adfuerint, atque ut tamquam solemne et emittatur et admittatur.

Positis his Constitutionum locis quaeritur, quaenam quoad ritum sint essentialia in professione, quaenam sint tantum convenientia.

1° Essentiale est ut *publice* votum legatur *coram aliquibus*. Sic *litt.* A.

2° item *ut emittatur et admittatur ut solemne* (ibid.). Unde si aliquis per errorem ad vota coadiutorum admissus censeretur,

---

20. (a) Agitur hic non de eo qui pronuntiat an aliquis debeat ad professionem admitti, sed de eo in cuius manibus professio emittitur.

qui de facto a Praeposito Generali ad professionem 4 votorum faciendam designatus fuisset, vota quae emitteret non valerent; non ut solemnia: quia nec ipse illa ut solemnia emitteret neque ut solemnia admitterentur; et probabilius non ut vota coadiutorum (b), quia non fuit a P. Generali ad hunc gradum admissus. Simili ratione, si quis per errorem solemnem professionem 4 votorum pronuntiaret, qui a Praep. Generali ad vota coadiutorum aut ad professionem trium votorum tantum fuerit admissus, invalida foret eius professio.

3° Essentiale est etiam *ut vota accipiantur a designato,* ita ut si alius admittat, invalida sit professio. Quamvis haec conditio non exprimatur in ultima phrasi declarationis, ubi recensetur quid sit essentiale, attamen bis alibi exprimitur, scilicet n. 2: « Praepositus Generalis, vel qui, *accepta ab eo facultate*, ad professionem admittet.... »; et *litt.* A: « Fieri posset ut non esset Sacerdos vel Missam celebrare non posset, qui *ex ordinatione Praep. Generalis* professionem admittit ». Ideo Societas hanc conditionem semper ceu essentialem habuit, ut patebit ex statim dicendis.

Quando professio fit in provinciis, Provincialis potestate ordinaria (c), scil. vi sui officii et sine alia designatione, ad professionem admittendam deputatur, ac alium subdelegare potest. Superior localis autem non habet vi officii potestatem accipiendi professionem, sed expresse designari debet.

Designatus a Praep. Generali aut Provinciali, si est impeditus sive infirmitate sive alia causa, potest alium de Societate, etiam non professum, sibi substituere; ita ex multis responsis PP. Generalium (Voce: *Gradus Societatis*). Si autem non est impeditus, alium subdelegare nequit, et si faceret, nulla esset professio ex defectu facultatis in admittente (ibid.).

Pater Generalis quemcumque ex Nostris, etiam non sacer-

(b) Dicitur tantum probabilius non valere ut vota coadiutorum, et hoc uti certum non affirmatur, quia obiici potest minus in maiori contineri, et ideo voluntatem admittendi aliquo modo in Societatem contineri in voluntate admittendi ad professionem, et proinde non defuisse voluntatem Praep. Generalis. – Attamen probabilius videtur voluntatem admittendi ad professionem non continere voluntatem admittendi ad gradum inferiorem coadiutoris. Cf. SUAREZ, tr. x, l. VI, c. 5, n. 6.

(c) *Reg.* 70 *Provincialis* dicitur: « Antequam *admittat* eos qui cum Generalis facultate professionem vel vota coadiutorum formatorum emissuri sunt.... ». — Unde apparet potestas ordinaria Provincialis vota recipiendi.

dotem (P. v, c. 3, *litt.* A), et etiam Praelatum externum, ubi non adest *professus* [d] ad accipiendam professionem designare potest.

Pater Provincialis quemcumque ex Nostris, etiam praesente professo, delegare potest: ratio est quia potestatem ordinariam habet ad excipienda vota Nostrorum; ergo eam delegare potest cui vult, iuxta tamen Constitutiones. Mos est ut delegetur Superior localis, etiamsi non sit professus, et adsint professi; sed Praelatum externum delegare tunc tantum posse videtur, quando nullus ex Nostris adest [e].

4° Dubium est an valeat professio publice facta, sed *cui nullus externus praesens fuerit.* Modus loquendi Constitutionum rem dubiam relinquit. Dicitur (l. c., n. 2) professionis formulam esse legendam « coram domesticis et aliis externis *qui interfuerint* », et *litt.* A: « coram iis de Societate et externis *qui adfuerint* »; hae duae locutiones non videntur affirmare necessitatem praesentiae externorum [f]. Attamen practice professio emissa quin ullus externus adfuerit, ut dubia habetur et iteratur: ita plura responsa PP. Generalium.

5° An professio necessario fieri debet *in ecclesia?* — Ubi de professione agitur, Constit., l. c., solam ecclesiam nominant; ubi autem de votis coadiutorum, nominant ecclesiam vel sacellum domesticum vel alium locum decentem [g]. Attamen

---

(d) P. v, c. 1, B: « Imo et alicui qui de Societate non esset, aliquo in casu, ut Episcopo alicui vel personae in dignitate ecclesiastica constitutae, cum *nullus ex professis* eiusdem Societatis eo in loco, ubi aliquis est ita admittendus, inveniretur » potestatem admittendi communicare poterit.

(e) Cong. viii, d. 34 invalidam declaravit professionem a Praelato delegato a Provinciali acceptam, si praesens esset aliquis *professus;* sed ex *Responsis Generalium* invalida habetur, si praesens esset quicumque ex Nostris. Cf. Besson, n. 169.

In hac quaestione, minus accurate videntur scripsisse Osvald, n. 355 et 357, ac Besson, n. 169, quia in responsis quae afferunt, omittunt aliquas circumstantias.

(f) Suarez l. vi, c. 5, n. 8 probabilius censet professionem non esse irritam ex defectu huius conditionis. Ratio, quia nec exigitur a iure communi pro quacumque professione, neque ex iure Societatis probatur.

(g) « Qui in coadiutores formatos spirituales cum simplicibus votis et non solemnibus admittuntur, in ecclesia vel sacello domus, vel alio decenti loco, coram domesticis et externis qui aderunt, in manibus eius qui admissurus sit, votum suum emittent ».

in *decl.* A. haec conditio non indicatur ceu essentialis (sed nec ut in sacello fiat), et eam non esse essentialem pluries declararunt PP. Generales [h]. Haec sententia est tuta in praxi; verum, ex loco citato Constit., maxime conveniens est ut professio fiat in ecclesia publica, non in sacello domestico [i].

6° An professio necessario *legi* debeat, aut etiam memoria recitari possit? — Dubitavit Suarez, tr. VII, l. VI, c. 12, n. 3, propter verba Const. P. V, c. 3, tum n. 2: « Voce alta votum suum scriptum *legat* », tum maxime *decl.* A: « Illud essentiale est ut publice votum *legatur* ». Propter eamdem rationem Schmalzgr. (in titul. *de Regularibus*, III, 31, n. 179) idem affirmat, et post eos Piat. t. I, p. 144, q. 11, resp. 1°. — Sed Lugo (*Resp. Mor.* l. IV, dub. 18) probat vocem *legatur* poni pro *recitetur*, et validam esse professionem memoriter recitatam affirmat [k]. Hoc eo verius apparet quod ius commune non exigit ut professio legatur (Piat, t. I, p. 146, q. 11, 6°), nec etiam ut verbis exprimatur: ita ut etiam nutibus fieri possit, ait Ferraris (v. *Professio religiosa*, n. 50), et ex c. *Porrectum*, 13, *de Regul.* III, 31, recte deducitur.

7° A fortiori ergo habetur non esse essentiale ut manu propria scribatur, quamvis in Const. l. c. dicatur: « Votum suum scriptum leget »: sed formula typis impressa valide legeretur, quamvis non sit conveniens.

8° An valida sit professio a Generali quidem decreta, sed facta ante diem ab ipso designatam? Eam dubiam esse, imo esse invalidam fuit iudicatum (*Resp. PP. General.* a. 1656). Sed forsan sic fuit responsum propter circumstantias speciales; nam revera non apparet ratio sufficiens tanti rigoris. Etenim Praep. Generalis diem decernens, eam circumstantiam (saltem ordinarie) tamquam secundariam et accessoriam habet; — dum-

---

(h) In quodam responso anni 1643, dicitur: certum est valere, dummodo intersint testes idonei, tam nostri quam externi (*Responsa Generalium*).

(i) Paulus III, C. *Exponi* (1546), statuerat professionem Romae tantum, non alibi esse faciendam. Sed deinde, alia Constitutione *Licet debitum* (1549), concessit « ut professionem ipsam ubilibet emittere libere et licite (socii) valeant ».

(k) *Suarez* ipse, ait *Lugo*, sese correxisse videtur tr. X, de Religione Soc. Iesu, l. VI, c. 5, n. 10. Sed haec assertio legenti locum minus vera forsan apparebit.

modo tempus ad professionem requisitum sit completum, aetasque competens non deficiat. Forsan in aliquo casu particulari Generalis positive nolet professionem fieri ante diem assignatum, et tunc facta ante hunc diem esset invalida. Attamen in casu quo tempus fuerit per errorem praeventum, recurrendum esset ad P. Generalem.

21. De requisitis ad professionem trium votorum et ad gradum coadiutoris formati. — I. *Ad professionem trium votorum,* in CONST. P. V, c. 2, n. 3, requiritur ut eam emissurus septem annos in Societate vixerit: quod tempus, veluti dictum est, ut prorogari potest, ita etiam et contrahi ad annum, ex dispensatione Praep. Generalis. Si esset necessarium, aliquis ante sacerdotium promoveri posset (vide supra n. 19, 4°).

II. *Ad gradum coadiutoris formati tum spiritualis, tum temporalis.* 1° Quoad aetatem et annos Societatis nihil in Constitutionibus requiritur nisi biennium probationis, et pro iis qui studia in Societate peregerunt, ipsis peractis, unus adhuc probationis annus. Ita EXAM., c. I, n. 12, et c. VI, n. 8, ubi dicitur: « Omnes coadiutores tam spirituales, quam temporales, exacto biennio quod experimentis et probationibus datur, et uno adhuc anno si scholastici fuerint,... oblationem suam trium votorum facient.... ». Cf. CONST., P. V, c. 1, n. 3. — Sed tertius annus non requiritur ad validitatem, ut dictum est de professis, n. 19, 6°.

CONGR. XII (1682), *decr.* 14, « praxim a R. P. Mutio introductam et observatam, neminem ad huiusmodi gradum promovendi ante trigesimum aetatis annum expletum et ingressus in Societate decimum, retinendam esse declaravit, Patrique nostro, quamvis citra novam obligationem aut ad valorem votorum necessitatem, maxime commendavit ». — Ideo in ORDINATIONE XVIII (de promovendis ad gradum) a P. Claudio confecta, in qua pro coadiutoribus spiritualibus triennium post novitiatum in variis ministeriis exercendis impensum requiritur, fuit additum post hanc Congreg. XII: « Coadiutores spirituales formandi.... non excedent annum trigesimum aetatis et decimum ingressus in Societatem, quin proponantur ». (Ordin. P. I, n. 5). — In eadem Ordinatione, P. II, n. 11 idem tempus requiritur pro Coadiutoribus temporalibus.

Et haec est lex semper vigens in Societate [a].

---

21. (a) Ex ipso decreto Congregationis XII, Praepositus Generalis va-

2° Ut aliquis ad gradum coadiutoris spiritualis admittatur debet praeterea esse sacerdos; ita in Exam. c. vi, n. 1. « In hanc Societatem coadiutores spirituales et temporales admittuntur: spirituales quidem qui sacerdotes sunt et litteris sufficienter ornati, ut in rebus spiritualibus Societatem iuvent; temporales vero, ad sacros ordines non promoti. — Haec conditio sacerdotii videtur esse essentialis ad gradum coadiutoris spiritualis; saltem numquam in ea fit dispensatio [b].

3° Exigitur praeterea virtus probata et talentum sufficiens ad iuvandam Societatem. Constit. P. v, cap. 2, n. 4 [c]; Exam. c. vi, n. 1. Mensura autem virtutis et talenti relinquitur prudentiae Praepositi Generalis.

4° *De ritu promotionis* [d] valent eadem quae dicta sunt de ritu professionis, mutato quae 2° dicuntur, scilicet vota emittuntur et accipiuntur ut simplicia.

In Const. P. v, c. 4, *litt.* A, declaratur numerum eorum qui assistunt nihil facere ad solemnitatem : « Quamvis multi adessent cum huiusmodi vota fiunt, non ideo tamen mutant naturam simplicium, quandoquidem intentio emittentis et admittentis, iuxta traditam a S. Sede facultatem, haec est ut nec emittantur nec admittantur ut solemnia ».

---

lide hoc tempus contraheret; et etiam licite, ex causa proportionata. Valide etiam ante finem biennii promoveret ad gradum coadiutoris, non autem licite. Cf. c. iv, n. 26, v; — et Congr. v, d. 63, ubi contractio biennii Pr. Generali permittitur ad solam professionem solemnem, non « ad admittendum in gradum scholasticorum vel coadjutorum ».

(b) Ita Suarez, l. vii, c. 2, n. 13, qui ait sacerdotium requiri tum ad professionem, tum ad gradum coadiutorum spiritualium : aliquando tamen rationem urgere posse ut quis promoveatur ante sacerdotium; sed tunc rationem huiusmodi exigere ut fiat professio solemnis : sufficere autem professionem trium votorum; et ideo numquam adesse rationem, ut quis ante sacerdotium promoveatur sive ad professionem quatuor votorum, sive ad gradum coadiutorum formatorum spiritualium.

(c) « Ut quis etiam in coadiutorem formatum admittatur, oportet Societati esse satisfactum de eius vita deque bono exemplo ac talento ad se iuvandam, vel cum litteris in rebus spiritualibus, vel sine illis in exterioribus ». Ergo talentum etiam pro coadiutoribus temporalibus exigitur, sed talentum ad officia manualia, « in exterioribus ». Pergit : « Hoc ipsum autem metiatur oportet Praepositi generalis prudentia ».

(d) Haec habentur P. v, c. 4, n. 1, et recitata sunt supra n. 20, *nota* g.

22. De requisitis ad vota biennii, et de ritu servando. — In CONST. P. V, c. 4, nn. 3 et 4, sic describitur ritus quo emitti debent vota post biennium:

« Qui, peracta sua priori probatione et experimentis per biennium, in scholasticos approbatos admittuntur, coram aliquibus domesticis, quamvis non in manibus cuiusquam, vota sua emittent ad hunc modum (recitatur formula).... Post haec perinde ut alii (sc. professi et coadiutores formati), sanctissimum Christi corpus sument; et reliqua quae superius dicta sunt peragentur ». Haec reliqua sunt ut in libro scribatur nomen eius qui vota emisit, adnotato die, mense et anno, item illius qui celebravit, et exemplar votorum servetur, ut habetur P. V, c. 3, n. 4. De illo qui vota devotionis emittit etiam dicitur quod debeat unum exemplum votorum Superiori tradere, et alterum penes se retinere (P. V, c. 4, n. 6). — CONGR. V, d. 50, voluit insuper ut qui vota post biennium emittit, subscribat se tali die et anno vota emisisse, et clare intellexisse vim illius promissionis, ingrediendi Societatem, esse se manere obligatum ad accipiendum gradum coadiutoris formati aut professi, prout Praepositus Generalis iudicaverit ». — In eodem decreto declaratur hanc promissionem esse votum, et hoc aperte explicandum esse novitiis ab eorum Magistro *(Reg. 15 Mag. nov.)*.

Ex his aliqua sunt essentialia, alia non.

1° Essentiale est ut qui vota emittit, antea *biennium integrum peregerit* (Vide c. IV, 26).

2° Ut *annum aetatis decimum septimum compleverit,* nisi ex dispensatione solius Generalis prius vota faciat, non tamen ante annos sexdecim completos (Vide cap. II, n. 32, 8°).

3° Ut vota emittat *coram aliquibus domesticis:* hoc ad validitatem pertinet, ita saltem ut nemo valeat vota omnino privatim pronuntiare, sed oportet ut adsint aliqui testes.

4° Suarez (tr. X, l. III, c. 7, n. 3) censet conditionem necessariam esse ut vota emittantur coram eo qui potestatem admittendi habeat aut eius delegato [a]; et dicit Provinciales

---

22. (a) De hac Suaresii assertione dubitare licet, siquidem asseritur in ipso hoc loco, vota in manibus cuiusquam non emitti (de sensu huius conditionis dictum est n. 18). Rationes, quas Suaresius affert, probant quidem decretum admissionis (ut ita dicam) ab eo qui facultatem admittendi habet esse pronuntiandum; sed minus sunt efficaces ad probandum vota fieri debere coram aliquo ad hoc delegato.

ordinarie hanc potestatem Superioribus localibus committere. — Videtur addendum, ipsos Superiores locales semper posse alios subdelegare, etiamsi non impediantur. Ita practice numquam invalida evadunt ea vota ex defectu potestatis in eo qui missam celebrat, aut coram quo emittuntur.

5º Non est autem necessarium, quamvis sit valde conveniens, ut vota intra missam pronuntientur, neque ut qui ea emittit communicet. Imo sacerdotes, qui prima sua vota emittunt, ex praxi diuturna non tunc communicant, sed post emissa vota celebrant (Ordinat. c. I, n. 12).

Quoad locum, Societas non ligatur decretis Clementis VIII, (cf. supra n. 6): ideo vota post biennium ubique emitti possunt.

23. Effectus votorum biennii. — Praeter ea quae dicta sunt supra, n. 11, haec addi debent:

1. Emittentes haec vota in Societate fiunt veri religiosi, ut declaravit Greg. XIII, Const. *Ascendente* (supra, n. 16).

2. Omnium Societatis privilegiorum iuxta Praep. Generalis communicationem, fiunt participes (ib.).

3. Si a Societate deficiant, vere sunt apostatae; excommunicationi maiori et reliquis apostatarum poenis subiacent, ac tamquam apostatae puniri possunt; absolvi nequeunt nisi a Romano Pontifice aut a Praeposito Generali. — Extra casum dimissionis, quo cessant, vota a solo Rom. Pont. dispensari possunt (Greg. XIII, ib.) — Inde censet Suarez (tr. X, l. III, c. 6, n. 6), si scholasticus contra votorum suorum validitatem reclamare vellet, subiaceret Tridentini praescriptioni (Sess. XXV, c. 19 *de Regul.*) et consequenter Constitutioni Bened. XIV *Si datam;* sed practice causa tunc expeditur per viam recursus ad S. Sedem, et si est locus dispensatur a votis.

4. Matrimonium subsequens his votis irritatur (Greg. XIII, ibid.).

5. Irregularitatem natalium per haec prima vota in Societate tolli dicit Piat (supra, n. 13, 3º). Sed ex concessione Leonis XII, Br. *Plura inter* (1826), irregularitas natalium, tam ad ordines sacros quam ad officia Societatis, ipso facto ingressus in Societatem cessant (Vide c. II, n. 21, 2°).

6. Qui haec vota emiserunt, triennio post ad sacros ordines, titulo paupertatis, promoveri possunt (supra, n. 11, 7º). — Greg. XIII hanc facultatem sine conditione triennii conces-

serat, Br. *Ex Sedis Apostolicae* (1573) : « Ut ii qui tria vota praedicta in eadem Societate emiserint, de licentia sui Praep. Generalis, ad sacros etiam presbyteratus ordines, etiam ante solemnem professionem emissam, dummodo alias aetate, moribus et doctrina idonei sint, promoveri valeant,... de novo concedimus. Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis et in specie Const. Pii v [a] quae decretum Conc. Trident., quod incipit *Cum deceat,* ad clericos regulares non professos extendit, caeterisque contrariis quibuscumque ». Eamdem facultatem confirmaverat Greg. xiv, Const. *Ecclesiae Catholicae* (1591). — Sed post *decr*. Auctis (1892) [b], in quo (§ 2) decernitur ne « ad maiores ordines alumnus Congregationis votorum solemnium promoveatur, quin prius solemnem professionem emiserit, vel per integrum triennium in votis simplicibus perseveraverit, si alumnus Instituto votorum simplicium sit addictus », P. Generalis explicationem huius § 2 et praecedentis, qui minus Societati convenire videbantur, petiit, et litteris suis *d.* 11 *maii* 1893 Societati datis declaravit § 2[um] « ita esse intelligendum, ad mentem Emi Card. Praefecti,ut Nostri ad ordines sacros promoveri possint triennio post biennii vota peracto. Quod ad sextam et ultimam decreti partem attinet (de annis studii theologici praerequisitis ad varios sacros ordines), Nostros nullo modo excipi, sed communi deinceps cum omnibus lege teneri, vi cuius nemo sacris initiari poterit, nisi post expletum tempus pro unoquoque sacro ordine suscipiendo ibidem constitutum ».

7. Iis, qui haec prima vota emiserunt, ad alium Ordinem transire non licet. Concessit Gregorius xiv, Const. *Ecclesiae Catholicae* (1591), cum exceptione « nisi ad Carthusienses » [c]. Sed Greg. xiii iam antea, C. *Decet Romanum Pontificem* (1579), pro locis extra Europam concesserat, ut neque ad Carthusienses

---

23. (a) S. Pius v, a. 1566, revocaverat privilegium quo, ex concessione Pauli iii et Iulii iii, Societas gaudebat, « ut scholastici, emissis votis biennii, ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines promoveri possint ».

(b) Hoc decretum habet formulam derogativam amplissimam : « Contrariis quibuscumque, etiam speciali individua mentione dignis minime obstantibus ».

(c) « Eisdemque, emissis huiusmodi votis (biennii), ad quemvis alium Ordinem Mendicantium vel non Mendicantium, Carthusiensium dumtaxat excepto, transire minime licere ».

transitus liceret. Insuper Privilegium sine restrictione « nisi ad Carthusienses », et pro quibuscumque locis, concessum est pluribus Ordinibus, cum quibus Societas privilegia participat (cf. Comp. Priv., n. 529) (d).

Transitus ad aliam Religionem post vota scholasticorum non est solum illicitus, sed probabilius etiam invalidus, et invalida ideo foret professio subsequens. Id tamquam probabilius tradit Suarez, tr. vii, l. iii, c. 4, n. 19; et ratio quam profert rem certam facere videtur: sc., scholasticus per vota simplicia sese Societati irrevocabiliter ex sua parte tradidit; ergo alii Religioni iam se tradere nequit. Eadem est ratio, propter quam ille qui est professus in aliqua Religione, invalide in alia profiteretur (nisi ex privilegio particulari aut generali S. Sedis): ratio enim non est solemnitas prioris professionis, sed traditio, quae in votis scholasticorum, ex declaratione Gregorii xiii, etiam invenitur (Vide supra, n. 16; et c. vii, nn. 2 et 3) (e).

8. *De votis ante ingressum factis* vide dicta n. 12, 9° et c. iv, n. 31; quibus addi potest declaratio Gregorii xiii, C. *Ascendente*, qua condemnat eos qui « asserant non posse vota aliqua in saeculo emissa in tria haec substantialia Societatis commutari ». Unde videtur corroborari sententia Suarezii (ibid.): si quis propria voluntate vota in saeculo facta commutaverit in tria vota simplicia biennii, ipsa per dimissionem non reviviscere.

9. *Quoad beneficia ecclesiastica,* haec dicenda veniunt:

a) Scholastici, post vota biennii, beneficia ecclesiastica retinere valent. Bened. xiv, C. *Ex quo* (1747), § 15, hanc sententiam tamquam communiter receptam proponit: « Olim dubitatum est, an vota simplicia, quae a clericis regularibus Societatis

---

(d) Obiici quidem potest haec privilegia concessa fuisse pro solemniter professis, et non esse clarum an per communicationem non tantum professis Societatis, sed etiam scholasticis applicari possint. Attamen, quoniam ii qui vota bienni emittunt fiunt vere et proprie religiosi, haec privilegia participare videntur, siquidem declarat Pontifex eos « Societatis privilegiorum, non secus atque ipsi professi, participes effici ».

(e) Verum est, ex iure positivo aut etiam naturali licere transitum ad strictiorem, quia tunc vinculum prioris traditionis aut iure positivo solvitur, aut non fuit contractum nisi sub hac conditione, quod ex desiderio vitae perfectioris solvi posset. Sed ubi transitus declaratur illicitus, vinculum non solvitur, et ideo traditio alteri est invalida.

Iesu post biennium probationis emittuntur, huiusmodi beneficiorum vacationem inducerent; sed negativa sententia communiter recepta fuit, quamvis in Congr. v generali ipsius Societatis, decreto 19 statutum fuerit ut qui Societati nomen dederit, expleto biennio, antequam vota simplicia emittat, ecclesiastica beneficia dimittere debeat; quo casu huiusmodi beneficia, si minus propter professionem, at propter renuntiationem, vacare intelliguntur ».

b) Non obstante Trid. (*sess.* xxv, cap. 16, *de Reg.*) et propter exceptionem ibi factam in favorem Societatis, Nostri possunt beneficiis renuntiare toto probationis tempore. Plures adsunt declarationes *S. Congr. Concilii,* quibus confirmatur sensus huius decreti Tridentini (Cf. Comp. priv., n. 482).

c) In Examine Generali, c. iv, n. 5, haec duo habentur: primum, quod post professionem aut etiam vota coadiutorum Nostri nulla beneficia ecclesiastica retinere possunt; secundum, quod tempore probationis, post primum annum absolutum, ea relinquere debeant, quandocumque Superiori visum fuerit. — Congr. i, interrogata an beneficia, quae aliquis habebat ante ingressum in Societatem, post biennium relinqui deberent, respondit servandas esse Constitutiones (sc. Examen generale, l. c.), « quibus non praecipitur ut beneficia relinquantur ante professionem, nisi iubente Superiore post primum annum » (d. 140).

d) Congr. v, *dec.* 19, decrevit: « Beneficia ecclesiastica quaecumque nostri obtinent, finito biennio probationis, priusquam vota simplicia scholasticorum emittant, omnino resignentur ». Postea Congr. vii, d. 17, n. 5, censuit permittendam esse Nostris possessionem bonorum suorum per quadriennium post ingressum: cum nullam exceptionem indicat pro beneficiis ecclesiasticis, inde dubitare licet utrum decreto Congregationis v derogaverit, an potius beneficia non veniant sub nomine bonorum quorum possessio permittitur per quadriennium, et vim retineat decretum Congregationis v. (Cf. Bened. xiv, C. *Ex quo*, in Bull. Societatis, pp. 274, 275).

e) Nomine autem beneficiorum non veniunt pensiones ecclesiasticae personales, quas idem decretum 17 *Congregationis* vii, n. 4, servare permittit, dummodo arbitrio Patris nostri distribuantur.

10. Quaeri potest, an in casu gravis necessitatis parentum, scholasticus Societatis dimitti posset aut deberet, ut eis subveniret.

Id quod de professo votorum solemnium dictum fuit c. II, n. 8, fere etiam scholastico applicari debet, ut sentit SUAREZ, tr. VII, l. III, c. 6, n. 15. Haec profert: 1° necessitas gravis parentum, etiam superveniens ingressui, est ratio sufficiens ut scholasticus petens dimitti possit; 2° non est ratio propter quam parentes ius habeant ad dimissionem filii, nisi quando professus dimitti deberet; 3° utilius esse potest Societati dimittere scholasticum, potius quam illi permittere aliquas actiones statui religioso minus convenientes, et quae tamen ipsi permitti deberent si non dimitteretur (iuxta dicta c. II, n. 8), et tunc Societas scholasticum etiam invitum, propter bonum ipsius Societatis, dimittere posset.

11. Dum emittuntur vota biennii, simul cum tribus votis substantialibus Religionis, fit promissio ingrediendi Societatem (CONST., P. V, c. 4, n. 4), qua unusquisque se obligat ad acceptandum gradum professi aut coadiutoris formati, prout P. Generali videbitur (ibid. *litt.* E). Hanc promissionem esse votum declaravit CONGR. V, decr. 5 (De hoc, cf. c. X, n. 27).

24. Votorum renovatio. — 1. Praescribitur bis in anno omnibus qui nondum gradum obtinuerint [a].

2. Quoad *ritum* renovationis, dicitur P. V, c. 4, litt. H: « Ea (vota) renovare debent non in cuiusquam manibus, sed unoquoque suum votum legente coram SS. Sacramento, reliquis vel nonnullis de Societate praesentibus » [b].

---

24. (a) P. IV, c. 4, n. 5: « Ad devotionis augmentum et ad excitandam, qua Deo obstricti sunt, obligationis memoriam, et ad maiorem studentium in sua vocatione confirmationem, bis annis singulis.... simplicia vota.... congruum erit renovare ». — P. V, c. 4, litt. H: « Eadem erit ratio eorum qui in domibus habitant et vota emiserunt »; scilicet, non tantum scholastici qui student, sed omnes qui vota biennii fecerunt et nondum gradum habent, id est, Coadiutores tum spirituales tum temporales nondum formati vota sua renovare debent. — Et subiicitur: vota « duobus festis solemnibus singulis annis, et in aliquo alio, si Superiori videbitur expedire », esse renovanda.

(b) S. CONG. RIT. decreto generali, 14-27 *aug.* 1894, supra relato (circa ritum professionis), n. 6 etiam ritum renovationis praescribit: « In renovatione autem votorum, celebrans, ad altare conversus, expectet donec renovantes votorum formulam protulerint; qui, nisi pauci sint, omnes simul, uno praeeunte, formulam renovationis recitabunt, ac postea ex ordine SS. Corpus Domini recipient ». Et quaesito, an hoc decretum obligationem imponebat, d. 5 *iun.* 1896 respondit: « Affirmative, ubi vota

3. Quoad *virtutem* renovationis haec habentur in Const. l. c., n. 6: « Quod quidem non est obligatione nova se obstringere, sed eius, qua obstricti sunt in Domino, recordari ac eamdem confirmare ». Congr. VIII, d. 22, hunc locum sic declaravit: « Nullam obligationem votorum superimponi obligationi iam per prima vota susceptae; sed si prima vota invalida fuerint propter defectus, qui deinde cessaverint, v. g. aetatis, biennii, etc., primam renovationem post horum defectuum cessationem habere vim primae nuncupationis, et hoc ipsum aperte esse explicandum novitiis » (Cf. supra, n. 7) (c).

PARS II.

DE RELIGIOSORUM OBLIGATIONIBUS

Obligationes religiosorum ex variis fontibus sunt repetendae (Wernz, III, 647):

1° Ex fine status religiosi; sive ex fine primario, et inde habetur obligatio tendendi ad perfectionem; sive ex fine secundario, et sic haberi potest obligatio docendi pueros, inserviendi in nosocomiis, captivos redimendi, ministeria spiritualia exercendi, etc.

2° Ex ipsa professione religiosa seu traditione sui alicui Instituto, et inde habetur obligatio perseverandi in Instituto in quo quisque professus est, et obediendi Superioribus praecipientibus secundum Institutum.

3° Ex votis tum substantialibus Religionis, tum secundariis quae in aliquibus Institutis emitti possunt.

---

nuncupantur vel renovantur intra missam ». — In ipso decreto dicitur methodum a S. Congr. pro emissione votorum simplicium et eorum renovatione edictam desumi ex Bulla Gregorii XIII, *Quanto fructuosius*, pro approbatione Constitutionum Soc. Iesu.

(c) In Normis a. 1901, distinguitur haec votorum renovatio, quae dicitur ex devotione, ab alia iuridica votorum temporaneorum renovatione. *Art.* 106: « Statim ac vota ad certum tempus emissa expirant, sine interposita mora renoventur a singulis et publice ». — *Art.* 108: « Distinguenda est haec renovatio votorum iuridica a renovatione votorum ex simplici devotione. Prima fieri debet statim ac tempus, pro quo vota emissa sunt, expirat ».

4° Ex positivis Ecclesiae legibus sive omnibus Religionibus communibus, sive aliquibus aut alicui in particulari impositis, sive etiam quae certa loca tantum respiciunt (et ita nonnullae leges sunt latae pro sola Italia et insulis adiacentibus).

5° Ex regula, constitutionibus, statutis et legitimis consuetudinibus singulorum Institutorum. Nam ad haec observanda religiosus per professionem sese implicite saltem obligat.

Notentur ea quae habet Trid. *sess.* xxv, c. i, *de Regularibus:* « Sancta Synodus.... necessarium esse censuit.... praecipere, prout hoc decreto praecipit, ut omnes Regulares, tam viri quam mulieres, ad regulae, quam professi sunt, praescriptum vitam instituant et componant; atque imprimis, quae ad suae professionis perfectionem, ut obedientiae, paupertatis et castitatis, ac si quae alia sunt alicuius Regulae vel Ordinis peculiaria vota et praecepta, ad eorum respective essentiam necnon ad communem vitam, victum et vestitum conservanda pertinentia, fideliter observent ». Deinde eadem Superiorum curae et diligentiae commendantur.

Hoc praecepto S. Synodus novam aliquam obligationem non inducit, sed tantum eam, quae prius existebat, urget. Sane nemo censet tali decreto fieri ut regula, quae prius ad culpam non obligabat, iam sub reatu peccati obliget.

Tria in hoc decreto inculcantur: primo, in genere regulae observatio; secundo, votorum substantialium et aliorum votorum aut praeceptorum quae ad essentiam singulorum Ordinum pertinent fidelis observatio; tertio vita communis. Vita communis autem in hoc consistit quod religiosus nihil habeat proprium, sed omnia ad usum necessaria a Communitate accipiat; maxime respicit victum, vestitum et supellectilem, sed etiam alia omnia quae ad usum personalem pertinent, v. g. libros, utensilia itineris, etc., complectitur.

CAPUT VI.

DE OBLIGATIONE TENDENDI AD PERFECTIONEM. DE REGULARUM OBSERVATIONE

Sectio I. — 1. Obligatio tendendi ad perfectionem; eius existentia et natura. — 2. Quandonam religiosus graviter peccat contra eam. — 3. Contemptus perfectionis. Doctrina S. Thomae de hoc contemptu. — 4. Doctrina Suarezii S. Thomam explicantis. — 5. Firmum propositum negligendi perfectionem. — 6. Incuria habitualis perfectionis. — 7. An frequens transgressio praeceptorum et votorum inducat rationem specialis peccati contra obligationem tendendi ad perfectionem? —

8. Obligatio servandae regulae. — 9. Quinam ad servandam regulam tenentur? — An novitii? — 10. Natura et gravitas huius obligationis. — 11. Quaenam ab observatione regulae excusent: 1, dispensatio; 2, impotentia; 3, epikeia; 4, desuetudo. — 12. De reformatione Religionis post relaxationem regulae. Quibusnam imponi possit? Triplex relaxatio regulae. — 13. An in Religione maior austeritas aut novae obligationes per novum statutum introduci possint et imponi omnibus?

Sectio II. — 14. In Societate regula non obligat sub reatu peccati. — 15. De dispensatione a regula in Societate. — 16. Regulae generales omnes obligant. — 17. A quo regulae condi possunt. — 18. De consuetudinibus in Societate.

SECTIO I.

1. Obligatio tendendi ad perfectionem. — 1. *Adest pro religioso obligatio* tendendi ad perfectionem. Nam vita religiosa est status perfectionis acquirendae; ergo qui ad vitam religiosam per professionem sese obligat, eo ipso ad perfectionem prosequendam, tamquam ad rem huius status propriam, sese etiam obligat. S. Thom. 2. 2.ae q. 186, a. 2(a). Cf. Wernz, n. 648.

2. *Haec obligatio est gravis.* — Unusquisque enim obligatur sub gravi ad ea quae sunt essentialia sui status. S. Lig., l. iv, n. 9 et 10; — Piat, t. i, p. 230, q. 4; — Prümmer, q. 66. Quandonam religiosus huic obligationi desit, ex sequentibus apparebit.

3. *Eius natura.* — Tendentia ad perfectionem quae a religioso requiritur, *primario et essentialiter* consistit in habituali proposito observandi praecepta et consilia evangelica quibus per vota sese obligavit.

Dicitur: *in habituali proposito;* qua phrasi duo indicantur: primum, non requiri actuale propositum, sed sufficere propositum quod prius conceptum non fuerit retractatum et ideo in habitu perduret; secundum, tendentiam ad perfectionem non destrui per simplicem actum perfectioni contrarium, puta per peccatum grave. Sane omne peccatum grave destruit cha-

---

1. (a) « Ipsa perfectio charitatis est finis status Religionis.... Manifestum est autem quod illi, qui operatur ad finem, non ex necessitate convenit quod iam assecutus sit finem, sed requiritur quod per aliquam viam tendat ad finem. Et ideo ille qui statum religiosum assumit non tenetur habere perfectam charitatem, sed *tenetur ad hoc tendere et operam dare ut habeat charitatem perfectam* ».

ritatem; sed si qui peccavit conteritur et rursus proponit tendere ad perfectionem, is dici potest moraliter servare habituale propositum perfectionis, et ideo non peccat specialiter contra obligationem tendendi ad perfectionem.

Hoc habituale propositum duo complecti debet: primum voluntatem servandi praecepta omnibus fidelibus communia; perfectio enim essentialiter in charitate consistit, et ideo in observatione praeceptorum, quorum violatione destruitur charitas, primario reponenda est (vide quae dicta sunt c. I, n. 2, secundum doctrinam S. Thomae); alterum, voluntatem servandi consilia; ad ea enim tamquam ad essentialia media perfectionis acquirendae votis sese obligavit.

4. Tendentia ad perfectionem pro religioso consistit *secundario* in habituali proposito servandi regulares observantias sui Instituti, seu regulam; nam variae observantiae, a regula praescriptae, sunt medium in Instituto adhibitum ad assequendam perfectionem. Consequenter qui vitam religiosam secundum regulam alicuius Instituti professus est, ad regulae observationem, tamquam ad medium perfectionis sibi adhibendum sese obligavit. Quanta sit haec obligatio infra dicetur.

Religiosus autem non tenetur ad alia media perfectionis quae ipsi a sua regula non praescribuntur, et ideo per se non peccat si ea praetermittat [b].

2. Quandonam religiosus graviter peccat contra obligationem tendendi ad perfectionem? — Triplici actu diverso aliquis contra habituale propositum perfectionis, ad quod tenetur, agere potest: 1° contemptu ipsius perfectionis; 2° positivo proposito non curandi perfectionem, non quidem ex contemptu, sed ex ira, studio vitae liberioris, acedia, etc., 3° simplici incuria habituali in agendo; ita ut, quamvis non contemnat perfectionem, neque propositum eam non curandi efformet, de facto ad illam assequendam curam non adhibeat.

Hi actus autem, scilicet contemptus, propositum, incuria possunt versari sive 1° circa ipsam perfectionem et ea quae ad eius essentiam pertinent; sive 2° circa actus virtutum quae

---

(b) Religiosus, ait S. THOMAS, 2. 2.ae q. 186, a. 2, « non tenetur ad omnia exercitia quibus ad perfectionem pervenitur, sed ad illa quae determinate sunt ei taxata secundum regulam quam professus est ».

ex perfectione consequuntur; sive 3° circa observantias regulares [a].

His positis:

3. De contemptu perfectionis. — Commune est apud DD. quemcumque formalem contemptum perfectionis esse peccatum mortale. Ita S. Thomas, 2. 2.ae q. 186, a. 9; Suarez, tr. VIII, l. I, c. 4, n. 1; ita etiam S. Alph. l. IV, n. 10: « Religiosus contra obligationem tendendi ad perfectionem peccat graviter, quando regulas, etsi ad culpam venialem tantum aut nullam obligantes, ex contemptu transgreditur. Est commune cum S. Thoma ». Sed haec maiori explicatione indigent.

Et primo, *quid est agere ex contemptu?* — Ita rem declarat S. Thomas, l. c., ad 3: « Tunc committit aut transgreditur aliquis ex contemptu quando voluntas eius *renuit subiici* ordinationi legis vel regulae, et *ex hoc procedit* ad faciendum contra legem vel regulam. Quando e converso propter aliquam particularem causam, puta concupiscentiam vel iram, inducitur ad aliquid faciendum contra statuta legis vel regulae, non peccat ex contemptu, sed ex aliqua alia causa, etiamsi frequenter ex eadem causa vel alia simile peccatum iteret...; frequentia tamen peccati dispositive inducit ad contemptum ».

Similia habet S. Alph. (l. IV, n. 10): « Tunc religiosus censetur regulas praetermittere ex contemptu, quando illas transgreditur *animo non subiacendi* illis vel Praelatorum praeceptis ». — Ergo S. Thomas et S. Alphonsus contemptum in actu voluntatis reponunt.

Ball.-Palm. autem (n. 85) notat contemptum inveniri tum in intellectu tum in voluntate. Contemptus in intellectu est iudicium quo quis parvi facit legem vel regulam; contemptus in voluntate est actusquo quis non vult subiici, et ex hoc agit contra legem vel regulam.

Deinde notat: « Ut contemptus in intellectu formaliter residens sit peccatum mortale, non sufficit quod quis non magni

---

2. (a) Rursus S. Thomas, eodem loco: « Ad perfectionem aliquid tripliciter pertinet: uno modo essentialiter, et sic ad perfectionem pertinet perfecta observantia praeceptorum charitatis; alio modo consequenter, sicut ea quae consequuntur ex perfectione charitatis,... et praeter necessitatem implentur (puta actus virtutum, quando non cadunt sub praecepto); tertio instrumentaliter et dispositive, sicut paupertas, continentia, abstinentia et alia huiusmodi », (sc. consilia et observantiae regulares).

faciat regulam (quam forte inutilem, ridiculam, nocivam reputat) sed requiritur ut iudicium feratur directe [a] contra auctoritatem Ecclesiae, quae regulam probavit, eiusque auctoritati repugnet. Hoc est peccatum superbiae, ex genere suo mortale. Ex huiusmodi falso et impio iudicio mentis necesse est utique ut in voluntate contemptus existat ». Sed potest contemptus esse in voluntate, quin praecesserit in iudicio mentis: quando scilicet aliquis legi, quam caeteroquin bonam iudicat, renuit subiici.

His de natura contemptus praeiactis, S. Thomas, ut dictum est, quemcumque formalem contemptum perfectionis habet veluti grave peccatum, quodcumque sit obiectum circa quod versatur, etiamsi contemptus solum versetur circa actus virtutum quae sub praecepto non cadunt, aut circa observantias regulares [b].

---

3. (a) Forsan melius diceretur: requiritur ut iudicium redundet cum plena mentis advertentia contra auctoritatem Ecclesiae; ita scilicet ut aliquis advertens quod contemptus regulae haberi non possit, nisi eo ipso contemnat et parvi faciat auctoritatem ipsius Ecclesiae, nihilominus a regula contemnenda non desistat.

(b) Ita q. 186, a. 2, ubi postquam praemisit aliquid tripliciter ad perfectionem pertinere (supra, n. 2, *nota* a), contemptum in quocumque ex his tribus esse peccatum grave affirmat. Et primo, quoad ea quae ad essentiam perfectionis pertinent, ait: « Ille qui statum Religionis assumit, non tenetur habere perfectam charitatem, sed tenetur ad hoc tendere et operam dare ut habeat charitatem perfectam...; et ideo religiosus non est transgressor professionis si non est perfectus, sed solum *si contemnat ad perfectionem tendere* ». — Secundo, quoad actus virtutum, qui non cadunt sub praecepto: « Eadem ratione non tenetur ad hoc quod illa impleat quae ad perfectionem charitatis consequuntur, tenetur tamen ut ad ea implenda intendat: contra quod facit contemnens. Unde non peccat si ea praetermittat, *sed si ea contemnat* ». Eadem repetit in resp. ad 2, ubi ait religiosum non teneri facere omne bonum quod valet, sed tantum secundum quod requirit conditio sui status, « *dummodo contemptus non adsit agendi meliora,* per quem animus firmatur contra spiritualem profectum ». — Tertio, contemptum regulae esse peccatum grave hic insinuat, sed magis declarat a. 9, his verbis: « Dicendum quod in regula continetur aliquid dupliciter, uno modo sicut finis regulae, puta ea quae pertinent ad actus virtutum: et horum transgressio, quantum ad ea quae cadunt communiter sub praecepto, obligat ad mortale; quantum vero ad ea quae excedunt communiter rationem praecepti, non obligat ad mortale, *nisi propter contemptum*.... Alio modo continetur aliquid in regula pertinens ad exterius exercitium, sicut sunt omnes exteriores observantiae, inter quas sunt quaedam ad quas obligatur religiosus ex voto profes-

4. Sed haec doctrina S. Thomae, ait SUAREZ, l. c., n. 10, difficultatem habet, et debet recte intelligi. Fundatur super definitionem, quam dat, contemptus. Aliquis, iuxta S. Thomam, ex contemptu agit, solummodo quando legem vel regulam transgreditur ex voluntate non subiiciendi legi aut regulae, ut sic; et ideo haec voluntas est generalis [a], toti legi aut regulae contraria, et in contemptum auctoritatis legislatoris redundat; oritur ex superbia nolentis subiici legitimae auctoritati, et consequenter subvertit ordinem debitae subiectionis. Et propter hoc est peccatum mortale ex genere suo.

Si quis ergo inducitur ad negligendas aliquas regulas aut ad omittendos actus virtutum ex alio motivo, etiamsi dici possit in tali transgressione inveniri aliquem contemptum, non est tamen ille contemptus formalis, de quo loquitur S. Thomas, hominis scilicet nolentis subiici legi aut regulae, praecise ut sic, et contemptus iste non necessario de peccato gravi argui debet; sed ad diiudicandum an sit peccatum mortale aut veniale, aut forte nullum, considerandum est (praeter obiectum circa quod fertur, an sub gravi praecepto aut voto cadat, — et praeter circumstantias alias, an scilicet transgrediens sese exponat periculo graviter peccandi, an locum det scandalo, an graviter noceat Religioni) motivum propter quod lex aut regula contemnitur.

Unde si quis contemnit regulam quae consilia perfectionis continet, ait Suarez, l. c. n. 22, ita ut ipsa divina consilia in sua existimatione parvi pendat, aut ex prava voluntate Deum ipsum spernat, ac res divinas et gratiam ipsam pro nihilo habeat, is certe graviter peccat: sed contemptus huiusmodi raro invenitur.

Alio autem modo potest intelligi contemptus in religioso, scilicet vel respectu Praelati et Religionis, vel respectu regu-

---

sionis...: votum autem professionis respicit principaliter tria praedicta, sc. paupertatem, castitatem et obedientiam; alia vero omnia ad haec ordinantur. Et ideo transgressio horum trium (votorum) obligat ad mortale; aliorum autem transgressio non obligat ad mortale, nisi *vel propter contemptum regulae:* quia hoc directe contrariatur professioni, per quam aliquis vovit regularem vitam; vel propter praeceptum sive oretenus a Praelato factum, sive in regula expressum, quia hoc esset facere contra obedientiae votum ».

4. (a) Hoc sufficienter notat S. TH. q. 186, a. 9, ad 3, ubi opponit transgressionem ex contemptu transgressioni ex aliqua *particulari* causa, ex concupiscentia, ex ira.

lae. Si quis ergo ipsum Praelatum contemnit, nolendo ipsi obedire, ut ostendat se illum nihili facere, aut ex odio aut ira contra suam Religionem intenderet quasi conculcare et profanare regulam, is, ait Suarez, sine dubio graviter peccaret.

Sed si quis regulam contemneret tamquam sibi inutilem, non videtur per se adesse in hoc iudicio ratio peccati gravis; neque etiam si quis ex affectu odii aut vindictae aut alio simili regulam transgrederetur [b]. Unde si in hoc casu obiectum non cadat sub praecepto rigoroso aut sub voto, et non sit circumstantia graviter aggravans, talis transgressio non esset mortalis (Suarez, l. c., n. 23).

5. Firmum propositum penitus negligendi perfectionem, consilia vel regulas, non quidem ex contemptu formali de quo S. Thomas, sed ex acedia, ira, studio vitae liberioris, est peccatum mortale, ut patet, si includit etiam ea ad quae religiosus gravi praecepto vel votis obligatur.

Sed si ea excludit, et religiosus tantum proponat omnia alia, ad quae sub gravi non tenetur, penitus negligere, hoc propositum certe malum est; sed, notat Suarez (tr. VIII, l. I, c. 4, n. 23), duplex esse potest: unum quasi negativum, si quis intendat non esse sollicitum in observatione regulae; aliud positivum, si quis intendat numquam regulam observare, etiamsi facile posset. « Dispositio haec (ultima), ait, vel est peccatum mortale, vel certe maxima dispositio ad illud, et vix sine formali contemptu haberi potest ». Si autem est propositum negativum, non videtur per se de culpa gravi arguendum. Hanc enim gravitatem non habet ex obiecto materiali, siquidem omnia, ad quae sub gravi obligatur, implere proponit; non ex obiecto formali seu motivo, v. g. ex ira, amore independentiae, acedia; nam actus harum passionum tunc sunt peccata gravia, cum ad graves obligationes negligendas inducunt.

Obiici posset firmum propositum huiusmodi esse directe contra professionem religiosam, qua religiosus tenetur tendere ad perfectionem. Respondetur: si hoc propositum esset universale, scilicet esset propositum nullo prorsus modo tendendi ad perfectionem, sane esset peccatum mortale; sed si religiosus, praeter praecepta omnibus fidelibus communia, vult

---

(b) Puta odium regulae, ut est restrictiva libertatis; vindictam de superiore, v. g. propter punitionem, reprehensionem, denegationem alicuius licentiae.

implere omnia alia ad quae ex votis aut ex gravi praecepto tenetur, iam aliquo modo vult ad perfectionem tendere, nec probatur teneri adhibere alia media aut alios actus perfectionis peragere. Ergo propositum illud nullum ex his mediis aut actibus adhibendi, utcumque damnandum, rigorose et per se non videtur esse necessario peccatum mortale [a].

Notat tamen SUAREZ, l. c., 1° quod religiosus absolute tenetur ad progrediendum aliquo modo in via perfectionis (n. 10), et consequenter quod hunc progressum sibi proponere debet, aut saltem nullum propositum contrarium admittere; 2° quod « per se loquendo et vi obiecti non tenetur religiosus sub peccato mortali habere propositum servandi omnia vel aliqua ex his quae nec promisit (votis) nec sibi specialiter praecepta sunt; — quamvis, moraliter loquendo, vix fieri possit ut habeat debitam intentionem salutis propriae, quin hoc etiam intendat » (n. 12).

6. De incuria habituali eorum quae ad perfectionem pertinent, et specialiter regulae. — Si haec incuria non se extendit ad ea quae sub gravi praecepto aut sub voto cadunt, an per se, ex eo quod sit habitualis, sit grave peccatum: duplex est sententia, ut refert S. LIG. l. IV, n. 11. — Sententia affirmans hac ratione nititur: ille qui nullo modo perfectionem et speciatim regulas curat, negligit medium, secundarium quidem, sed tamen speciale et proprium quo in sua Religione ad perfectionem religiosi promoventur et ad quod professione

---

5. (a) Haec videtur esse doctrina S. THOMAE, 2. 2.ae q. 186, a. 2 (loco supra relato, n. 3), ubi S. Doctor illum, qui non tendit ad perfectionem in iis quae non cadunt sub voto aut gravi praecepto, de culpa mortali non damnat, nisi quando ex contemptu agit.

Est etiam SUAREZII, l. c., nn. 5 et 28. — N. 5 ait: « Esse potest secunda sententia, negans esse peccatum mortale, habere animum libere vivendi absque observatione vel cura aliqua servandi regulam, nisi in his tantum rebus, in quibus ipsa obligat sub peccato mortali, id est in tribus substantialibus votis, vel in quolibet alio, si forte in peculiari Religione sit, et in specialibus praeceptis rigorosis et gravibus, si quae fuerint expressa in regula ». Deinde n. 28 hanc sententiam plene approbat his verbis: « Ad rationes pro alia parte (sc. pro hac secunda sententia) factas respondetur: eas optime probare illud propositum non esse peccatum mortale, nisi vel gravem contemptum includat vel hominem morali periculo mortaliter peccandi exponat ».

religiosa sese obligavit. — Secunda sententia negans nititur rationibus allatis in quaestione praecedenti (n. 5), scilicet negat religiosum per hanc remissionem et incuriam deficere graviter in obligatione tendendi ad perfectionem; quia ad eam adhuc sufficienter tendit per media essentialia, scilicet per vota substantialia et observationem praeceptorum.

Hanc sententiam negantem S. Lig. (l. c.) probabiliorem et communiorem dicit. Est S. Thomae (q. 186, a. 9, c.) dicentis: Praeter tria consilia quae sub votis cadunt, « *aliorum transgressio non obligat ad mortale,* nisi vel propter contemptum regulae: quia hoc directe contrariatur professioni, per quam aliquis vovit vitam regularem; vel propter praeceptum, sive oretenus a praelato factum, sive in regula expressum: quia hoc esset contra obedientiae votum ».

Dicitur illum qui penitus negligit regulam probabilius non peccare graviter *per se;* sed non raro graviter peccabit *per accidens:* scilicet, aut per contemptum, in quem inducit frequens transgressio regulae, ut ait S. Thomas, q. 186, a. 9, ad 3; aut propter enervationem regularis disciplinae, quam factis et exemplo inducit; nam sic grave damnum Religioni et aliis religiosis infert (S. Lig. l. IV, n. 12; — Piat, I, p. 231, q. 5; — Prümmer, q. 68, 4°; Ball.-Palm., n. 99); aut quia per habitualem regulae transgressionem Superiores ad sui dimissionem cogere potest, sive ipse dimissionem intendat sive non: dimissionem autem nec directe nec indirecte procurare licet, quia religiosus habet obligationem perseverandi in Religione, ergo non ponendi causas cur dimittatur (Busembaum, apud *S. Lig.* l. IV, n. 9, 6° et 7°; — item Prümmer, q. 68, 4°).

Huic quaestioni de neglectu regulae similis est alia: an graviter peccaret contra obligationem tendendi ad perfectionem religiosus qui peccata venialia penitus negligeret? — Probabilius, secluso contemptu et periculo proximo incidendi in peccata gravia, negandum est; quia iste, servando praecepta et vota, ad perfectionem in eo quod est essentiale sufficienter tendit. Piat, t. I, p. 231. Cf. Suarez, tr. VIII, l. I, c. 4, nn. 16 et 17.

7. Frequens transgressio praeceptorum et votorum. — Sed insuper quaeri potest: an religiosus qui, non curans servare vota et praecepta gravia, frequenter contra ea peccat, praeter haec peccata committat speciale peccatum contra obligationem tendendi ad perfectionem? — P. Vermeersch, n. 225, respondet affirmative. Ratio est, ait, quia obligatio

tendendi ad perfectionem, quae ex professione religiosa oritur, distincta est ab obligatione servandi praecepta et vota; ergo, cum per frequentes transgressiones certe violatur obligatio tendendi ad perfectionem, per eas speciale committitur peccatum. Confirmari potest, quia secus religiosus, frequenter transgrediens praecepta omnibus fidelibus communia, nullum aliud peccatum grave committeret quam saecularis; attamen violaret obligationem suam tendendi ad perfectionem, quam saecularis non habet; ergo speciale peccatum committit.

Piat tamen (p. 230, q. 2) videtur negare committi speciale peccatum, quando dicit obligationem tendendi ad perfectionem *non esse diversam* ab obligatione servandi vota et regulares observantias. Quod sic explicatur. Obligatio tendendi ad perfectionem haec tria complectitur: 1° obligationem servandi praecepta, omnibus communem, 2° obligationem servandi vota Religionis, 3° obligationem servandi regulas et observantias Instituti: ex his conflatur, sed ab his non distinguitur. Ideo qui violat unam ex his obligationibus, violat quidem obligationem tendendi ad perfectionem, sed non tamquam diversam obligationem ab his distinctam. Ita etiam Prümmer, q. 67, qui hanc sententiam, negantem esse speciale peccatum in neglectu perfectionis, communiorem dicit: quia religiosus non se obligat ad duo distincta, sed ad tendentiam ad perfectionem per observantiam votorum et regulae. — Ad confirmationem allatam a fautoribus primae sententiae respondetur: si religiosus ille, qui frequenter transgreditur praecepta, vota sua habitualiter servat necnon et observantias regulares, aliquo modo quamvis imperfecto tendit ad perfectionem; si non servat, alia peccata committit, quae saecularis non facit. Alia responsio eidem difficultati dari potest, sed quae in praecedentem reincidit, scilicet: habet quidem religiosus obligationem tendendi ad perfectionem, quam saecularis non habet; sed haec obligatio est generalis, et non dat speciem peccatis quae contra ipsam committuntur; ideo religiosus qui frequenter peccat contra praecepta et vota, non aliud peccatum facit nisi peccatum contra praecepta et vota, quamvis gravius peccet ratione status. Sic, omne quidem peccatum est contra charitatem et obedientiam Deo debitam: detractio, furtum, occisio proximi sunt contra charitatem et iustitiam proximo debitam; attamen peccata haec non sumunt inde specialem malitiam: ita peccata religiosi contra praecepta et vota non desumunt speciem ex obligatione quam habet tendendi ad perfectionem.

8. De obligatione servandi regulam. — Religiosus, vi professionis religiosae, ad suam regulam servandam tenetur.

Nomine Regulae hic intelligitur non solum norma fundamentalis alicuius Instituti, ut haec vox in iure canonico accipitur; sed etiam constitutiones, statuta Ordinis, item legitimae consuetudines.

Regulam esse necessariam in religiosis Ordinibus, sicut in omni societate, ad dirigendos omnes ad particularem finem Ordinis, necnon ad servandam aliquam disciplinam, est res de se manifesta; necessaria est praeterea ex praescripto Ecclesiae [a]: cui necessitati oportet ut correspondeat aliqua obligatio.

Haec obligatio, primo et quoad omnia regulae praescripta, fundatur in contractu aut quasi-contractu. Religiosus enim non admittitur in aliquo Instituto, nisi sub conditione quod regulas observare velit, sive explicite observationem legis promittat sive non: et hoc in admissione ad quamlibet societatem, etiam civilem aut aeconomicam, verificatur.

Praeterea regulae et constitutiones, ab Ecclesia approbatae (sive a Rom. Pont. sive ab Episcopo), vim legis ecclesiasticae saltem aliquo sensu lato obtinent [b]. Quoad alias regulas ab Ecclesia non explicite approbatas, si feruntur a Praelatis religiosis iurisdictionem completam habentibus, etiam obtinent vim legis ecclesiasticae huiusmodi; si feruntur a Superioribus iurisdictionem non habentibus, non obtinent quidem vim legis ecclesiasticae [c]: sed si Superioribus illis competat in Instituto auctoritas statuta condendi, inferiores, ut dictum est, ex contractu aut quasi-contractu ad ea servanda obligantur.

9. Quinam ad regulam servandam teneantur? — 1. Haec obligatio regulae servandae spectat primo ad omnes professos vi professionis.

---

8. (a) Confer prooemium Constitutionum Societatis.

(b) Lex est actus habentis iurisdictionem. Approbatio regulae seu constitutionum Instituti religiosi ab Ecclesia dat eis valorem legis ecclesiasticae; nec dubitare licet de voluntate Ecclesiae, ut regulae et statuta Institutorum ab ipsa approbata ab alumnis horum Institutorum serventur.

(c) Dici etiam posset habere saltem aliquo sensu lato vim legis ab Ecclesia, quae dando Superioribus facultatem statuta pro Instituto condendo aut approbando hanc facultatem eis in constitutionibus datam, indirecte vim legis ecclesiasticae confert statutis ab ipsis conditis (SUAREZ, tr. VIII, l. 1, c. 2, n. 1).

2. In Religionibus proprie dictis, afficit etiam professos votorum simplicium, sicut solemniter professos. Declaravit Pius IX, 6 *aug.* 1858. Quaerebatur: « An professi votorum simplicium teneantur ad observantiam regulae Ordinis, prout solemniter professi? » — Responsum fuit: « Affirmative » (a).

Nec est dubium quin in Congregationibus votorum simplicium, ii qui prima vota etiam temporalia emiserunt similiter regulis subiaceant.

Responsio Pii IX aliquid amplius dicit: scilicet tenentur sicut solemniter professi. Ergo subsunt praeceptis obedientiae, censuris aliisque poenis quae forsan contra violantes regulam latae fuerint.

3. *Novitii* autem ad regulam tenentur, non iam vi professionis; sed vi quasi-contractus. Ad novitiatum enim non admittuntur, nisi sub hac saltem implicita conditione, ut regulas (iis exceptis quae ipsis non conveniunt) observent. Hoc necessarium est tum ad disciplinam domesticam, tum ut probentur, et ipsi regulae asperitatem experiantur. Haec novitiorum obligatio non est iustitiae, sed fidelitatis et decentiae (b). Novitii, ut patet, cogi non possunt praeceptis in virtute obedientiae impositis.

10. De natura et gravitate obligationis observandi regulas. — 1. Regulae, ut dictum est, generatim aliquam vim obligandi habent; obligant saltem ad poenam sustinendam, ut infra explicabitur, et ideo non sunt mera consilia: nemo enim dignus est poena qui solum consilium transgreditur. Dicitur tamen regulas *generatim* obligare, quia in complexu regularum aliquae esse possunt quae sint potius directivae, quam vere leges obligantes: huiusmodi sunt regulae plurimae S. Basilii, S. Benedicti...., quibus continetur informatio doctrinalis ad perfectionem: tales non immerito in Societate reputabuntur aliquae regulae summarii; v. g. regulae 8, 11, 12, 16, 17, 18 (a).

2. Communiter regulae sub voto obedientiae non cadunt;

---

9. (a) Addebatur: « firma declaratione iam data quoad votum paupertatis »; scilicet, votum paupertatis aliter obligat professos votorum simplicium, cum dominium radicale bonorum suorum ipsis relinquat.

(b) Ferraris, V. *Novitii*, nn. 11 et 12; Piat, t. I, pag. 117, resp. 2°.

10. (a) Haec distinctio est S. Thomae, *Quodl.* I, *art.* 20. — Cf. Suarez, tr. VIII, l. I, c. 3, n. 8.

religiosi enim non vovent regulam ipsam observare (quamvis et hoc fieri posset), sed obedire secundum regulam, scilicet in his quae Superior secundum regulam praecipiet. Vide S. Thom. 2. 2.ae q. 186, art. 9, ad 1, ubi ait: « In aliquibus Religionibus, religiosi profitentur regulam; in aliis cautius profitentur vivere secundam regulam; in quibusdam adhuc cautius profitentur obedire secundum regulam ». (Cf. *quodl.* I, art. 20).

3. Regulae per se hanc vim obligandi habebunt, quam legislator eis dederit; dummodo, pro eorum natura, huius obligationis sint capaces: nam res levis momenti nequit esse obiectum gravis obligationis. Regula igitur potest per se obligare ad culpam gravem, aut ad culpam venialem, aut ad nullam culpam, sed tantum ad poenam, seu esse mere poenalis.

Notandum est autem in casu regulae ad meram poenam obligantis, obligationem subeundi poenam esse ad peccatum, si Superior poenam vero praecepto imponat; secus enim nulla adesset obligatio. Ita Piat, p. 232, q. 6, et Suarez, tr. VIII, l. I, c. 2, n. 6, ubi citat Martinum V in approbatione regulae monachorum S. Hieronymi: « Per suos Superiores, pro eorum excessu et transgressione ac modo culpae, iniungi valeat poenitentia salutaris, quam suscipere et adimplere *teneantur* ».

Dicitur tamen, si Superior poenitentiam vero praecepto imponat: quia saepe nec aderit verum praeceptum, v. g. si leviores imponantur poenitentiae pro defectibus quibus religiosi se accusant. Sufficit ut Superiores, ubi necessarium iudicaverint, poenitentias in conscientia obligantes imponere valeant.

Apud Congregationes recentiores communiter regulae non obligant ad culpam. In Normis a. 1901, art. 302, habetur: « Exprimatur in Constitutionibus eas per se non obligare sub reatu culpae ». Et idem habetur in aliquibus Religionibus proprie dictis, v. g. in Ordine Praedicatorum, ut testatur S. Th. 2. 2.ae q. 186, art. 9, ad 1; in Societate Iesu (Const. P. VI, c. 5).

4. Quando regulae in aliquo Ordine *per se* ad culpam non obligant, aliquae sunt nihilominus, quae ex aliqua speciali ratione ad culpam etiam gravem obligant. Sunt primo illae regulae quae rem aliunde praeceptam imponerent: tunc autem, nisi contrarium aperte dicatur, regula novam obligationem non censetur inducere, sed tantum declarare et urgere eam quae existit (Ball.-Palm., n. 87); secundo, illae quae materiam votorum determinant, maxime voti paupertatis; tertio,

illae quas superiores praecepto obedientiae imponerent: sic in Societate habentur praecepta sub gravi imposita; ita agunt aliquando Rom. Pontifices aut Congr. Romanae Regularibus statutum aliquod in virtute obedientiae imponentes (b).

S. Thomas, q. 186, art. 9, tres supradictas rationes, propter quas regulae reatum culpae gravis inducere possunt, recenset, quibus addit contemptum, ut dictum est n. 3.

5. Quamvis regula per se ad culpam non obliget, raro eius transgressio ex parte operantis culpa vacabit, ratione finis pravi aut affectus inordinati: v. g., si non servatur regula ex ira, impatientia, superbia, aut ex sensualitate, studio vitae liberioris, aut ex acedia; item ratione circumstantiarum, v. g. scandali dati, perturbationis disciplinae. Imo, ex sententia communi quod non datur actus indifferens in individuo, necessarium est ut, quoties non datur causa a lege excusans aut saltem ut talis apprehensa, transgressio regulae peccatum sit. — Notat etiam Wermeersch, t. I, n. 232, plerumque regulas esse meram declarationem disciplinae quam recta ratio exigit a religioso; unde religiosus regulam violans contra dictamen rectae rationis plerumque agit (Cf. Suarez, tr. VIII, l. I, c. 3, nn. 10 et 12). Duo addit Suarez: 1. Etiamsi in violatione regulae non adsit peccatum veniale, est semper aliqua *imperfectio,* sc. defectus perfectionis convenientis: « imperfectio enim, ait, latius patet quam peccatum veniale » (n. 15); 2. Si violatur regula per meram inadvertentiam, etiamsi inadvertentia sit voluntaria in causa, imo ex causa in se mala, « censeo semper hanc violationem excusari a culpa »; quia cum ipsa regula per se ad culpam non obligabat, nulla erat ratio advertendi ad eam ut non violaretur.

6. De contemptu regulae satis fuit dictum supra, nn. 3 et 4. Si sit formalis contemptus totius regulae, cui religiosus nullo modo subiacere vult, vel si contemptus in legislatorem, aut in Praelatum ut sic, aut in ipsum Institutum religiosum re-

---

(b) Pius IX, v. g., omnibus Religionibus professionem simplicem post novitiatum imposuit (Decreto *Neminem,* 1857). Hanc normam « ex Apostolicae auctoritatis plenitudine statuit ac decernit, atque ab omnibus ex obedientiae praecepto observari districte iubet ». — Ita etiam Leo XIII, dato decreto *Quemadmodum* (1890), de communione et ratione conscientiae, eius observationem Superioribus sub gravibus poenis mandat (n. VII): quibus verbis gravis obligatio significatur.

dundet, est peccatum mortale ; — si sit contemptus aliquarum regularum, uti minus utilium, antiquatarum, etc., per se non excedit veniale.

7. Quando regula rationem legis habet (vide supra n. 8), consequens est ut eius transgressio, si regula ad peccatum obligat, sit peccatum non contra obedientiam, sed contra virtutem ad quam haec regula refertur. Est enim haec proprietas cuiuscumque legis, ut materiam suam intra speciem alicuius virtutis specialis reponat. Sic, si regula ad ieiunium obligat, eius violatio erit peccatum contra temperantiam, ut est violatio ieiunii ecclesiastici, non contra obedientiam.

Si vero regula ad culpam non obligat, tunc ratio culpae, si adest, ex pravo affectu operantis vel ex circumstantiis desumenda est; ut si aliquis ex acedia regulam violat, aut non obstante scandalo, quod praevidet, agat.

8. Observatio formalis regulae, etiam in conscientia non obligantis, habet meritum virtutis obedientiae. Religiosus enim qui regulam observat, quia est regula (haec est formalis observatio regulae) suam agendi rationem legitimi Superioris ordinationi submittit, et hoc sufficit ad rationem obedientiae, ut dicetur c. x.

11. Quaenam ab observatione regulae excusant? — Excusant 1° dispensatio, 2° impotentia physica aut moralis, 3° epikeia, 4° desuetudo.

1. **Dispensatio.** — Dispensatio debet esse legitima, scilicet facta a Superiore qui facultate dispensandi polleat; non extorta fallaciis (sc. sine obreptione aut subreptione quae in causam motivam cadat) nec morali violentia, quae Praelati libertatem tollat. Valet dispensatio obtenta per metum, ait Lig., de *Legibus,* n. 184, nisi Superior metu coactus verbis tantum concesserit, quin internum consensum praestiterit. Suarez autem *de Legibus,* l. vi, c. 21, n. 6, probabile habet non valere.

Ut Superior licite dispenset, rationabilem causam dispensandi habere debet. Si absque rationabili causa dispenset, peccat. An eo casu valida sit dispensatio? S. Lig., *de Legibus,* n. 180, respondet negative, nisi sit Superior supremus, qui legi non subiaceat: « Dispensatio inferioris in lege Superioris sine causa iusta invalida est, et proinde non excusat a transgressione praecepti. Ratio est, quia qui nomine alterius sine causa dispensat, dissipat » ; citat Suarez, *de Legibus,* l. vi, c. 19 et

SANCHEZ, *de Matrim.*, disp. 17. Sed dispensatio non debet confundi cum simplici licentia. Vide ea quae dicentur de licentia, c. VIII, n. 29 (a).

2. **Impotentia,** non tantum physica, sed moralis, scilicet qua regulae observatio redditur damnosa vel gravis aut admodum difficilis, dispensat a lege. Ratio est quia non est voluntas legislatoris prudentis, ut lex in istis circumstantiis obligat. Haec autem ratio ostendit impotentiam moralem plus minusve gravem requiri ad excusandum, pro regulae materia.

3. **Epikeia** est benigna legis interpretatio, contra ipsius verba, quando in peculiaribus casibus eius rigida observatio esset illicita aut contra naturalem aequitatem, aut nimis gravis et onerosa.

Epikeia certe fieri potest, sed cum discretione; facilius, ubi regula ad peccatum non obligat: quamvis merito dicat VERMEERSCH, t. I, n. 233, quodcumque motivum honestum non sufficere ut quis existimet regulam in casu non obligare; nam in regulae observantia semper invenitur aliquod bonum, quod maiori bono superari debet ut aliquis a regula excusetur. Deinde dat hanc regulam legitimae epikeiae: religiosum non peccare agendo contra regulam, si rem agat obiective bonam aut indifferentem, ex bono fine, et sine detrimento boni communis.

4. **Desuetudo** tandem a regula excusat: scilicet, si regula aliqua in legitimam desuetudinem venit, iam non obligat. Legitima est desuetudo, seu a regula in conscientia excusat, si a Superioribus est approbata, aut nemine reclamante iam est praescripta.

12. De reformatione Ordinis post relaxationem regulae. Hic triplex quaestio venit.

---

11. (a) S. LIG. l. IV, n. 30, non audet reprobare sententiam Lugonis censentis validam esse licentiam ad illicita datam. Sed differentia assignari potest inter simplicem licentiam et dispensationem. Ubi de simplici licentia agitur, ea requiritur ex parte subditi ut dependenter agat; sed Superior ex suo munere fruitur iure licentias concedendi, quamvis hoc iure honeste uti debeat; ubi autem de dispensatione agitur, lex generalis existit, et committitur Praelato ut ab ea dispenset non quidem prout vult, sed prout res fert. Ergo potestas ipsa Praelati restricta videtur in dispensatione; in licentiis autem plena potestate gaudet, quamvis abutendo peccet.

1ª An religiosus Ordinem ingrediens in quo regula est relaxata, teneatur regulam in suo primitivo rigore observare, aut ad eam sic observandam a suo Superiore cogi possit.

2ª An, si regula sit relaxata, possit ipsa Religio aut summus Pontifex eam restituere secundum priorem rigorem, et omnes, tum iam professos tum in posterum professuros, ad reformationem cogere.

3ª An Religio possit novum statutum condere quo maior aliqua austeritas aut nova obligatio introducatur, et omnes ad observandum illud statutum cogere.

Triplicem quaestionem tractat Suarezius, tr. VII, l. X, c. 8: eius praecipuae resolutiones hic referentur. Relaxationem varii generis in primitiva regula distinguit (n. 16): primam, quae ex legitima dispensatione fuit introducta et potius mitigatio dici debet; secundam, per consuetudinem introductam, in iis qui primi eam introduxerunt peccaminosam, sed quae fuit deinde praescripta, ita ut postea ab aliis sine peccato servari possit: consuetudo enim praescripta, si non sit per se illicita, vim habet legem immutandi; tertiam relaxationem, quae sit vere corruptela, et proinde nulla consuetudine legitimari possit.

Relaxatio, quae sit corruptela, tunc tantum videtur habere locum, ait Suarez (n. 16), cum introducitur circa observationem votorum prout in unaquaque Religione fiunt. Sed corruptela etiam videtur esse relaxatio contra leges Iuris circa religiosos, quarum Ecclesia urget executionem: tunc enim consuetudini introductae deest ille tacitus consensus, qui legitimae consuetudini est necessarius.

His positis, sic solvit primam et secundam quaestionem:

1º Quando mitigatio per dispensationem legitimam introducta fuit, *a)* ii, qui professionem fecerunt secundum regulam mitigatam, non tenentur regulam primitivam propria sponte observare, sed nec ad eam cogi possunt, neque a Superiore, neque a Religione ipsa, neque etiam a summo Pontifice. Ratio est quia tota eorum obligatio a professione provenit; porro ad solam regulam mitigatam sese obligarunt. Hic valet dictum Bernardi: « Solum id a me exigi posse arbitror, quod promisi » (*libr. de Praecepto et dispensatione,* c. VII). Est sententia S. Thomae, 2. 2.ae q. 104, a. 5, ad 3, ubi ait religiosos non teneri obedire nisi in his quae sunt secundum regulam quam voverunt. — *b)* Ii autem qui nondum professi sunt, cogi possunt ut secundum primitivam regulam professionem faciant: nam

hoc est illos non admittere nisi sub hac conditione. Patet tamen hoc non dependere a quolibet Superiore, sed a supremo Ordinis aut a S. Pontifice. — *c)* Tandem ii, qui secundum primitivam regulam voverant cogi possunt ut ad eam redeant: nam secundum eam voverunt obedire; mitigatio, quae postea facta fuit, non mutavit hanc naturalem obligationem ex voto ortam.

Hoc tamen notandum est: si mitigatio introducta probaretur experientia esse nociva Religioni, tunc a Papa aut a Religione revocari posset, ita ut ad reformationem cogi possint etiam ii qui secundum regulam mitigatam essent professi. Ratio est, quia haec reformatio non iam esset aliquid praeter id quod singuli in professione voverunt, sed medium necessarium ad observandum id quod in professione promiserunt, et proinde implicite in ea contentum (n. 17).

2° Quando relaxatio per consuetudinem iam praescriptam fuit introducta, et non est per se illicita, ipsa tuta conscientia a profitentibus admitti potest; nec Superior propria auctoritate cogere potest subditos ad primitivam regulam; nam consuetudo vim habet legis, et Superior non potest obligare subditos supra legem (n. 18). — Sed videtur quod ipsa Religio et a fortiori S. Pontifex revocare possint hanc consuetudinem, et obligare etiam iam professos ad observandam regulam primitivam (n. 19). Nam licet consuetudo praescripta habeat vim regulam relaxandi, non tamen habet tantam vim ut auferat a Religione vel Pontifice potestatem reformandi regulam, et auferendi consuetudinem. — Ergo, dum vigebat consuetudo, tuta conscientia omnes secundum regulam consuetudine mitigatam vivere poterant; sed reformationi resistere non possunt, hac innixi ratione quod secundum regulam consuetudine mitigatam professi sunt. Nam regula consuetudine mitigata reformationi obnoxia remanebat, et ab eis non plus exigitur quam id quod in professione promiserunt [a].

---

12. (a) In favorem huius sententiae (quae difficultate non caret) profertur c. *Ea quae*, 8, *de statu monachorum*, III, 35, ubi HONORIUS III visitatores nominat, « qui de observantiis regularibus diligenter inquirant, corrigant, et reforment quae videntur corrigenda..., iuxta B. Benedicti regulam et Apostolica instituta, non secundum normam pravae consuetudinis, quae quasi pro lege in quibusdam ecclesiis inoleret ». — Citatur etiam TRID., *sess.* XXV, c. 1, *de Regular.*: « Quo facilius ac maturius, ubi collapsa est, vetus et regularis disciplina instauretur, et constantius, ubi

3° Quando relaxatio regulae est vera corruptela, patet reformationem non tantum per S. Pontificem vel ipsam Religionem, sed etiam per ipsos Superiores locales fieri posse, imo et debere, atque etiam eos qui professi sunt tempore regulae relaxatae ad reformationem obligari posse; quin etiam ipsi, licet a Superiore non cogerentur, tenentur deserere regulam relaxatam et vivere secundum regulam primitivam (nn. 20 et 21).

In praxi, quoniam facile dubitari potest utrum relaxatio sit vera corruptela quae tolerari non possit, an solum talis regulae primitivae relaxatio quae per consuetudinem introduci potuerit, raro constabit de obligatione pro singulis deserendi mitigationem propria sponte. Insuper quoniam in casu consuetudinis praescriptae, non est extra omne dubium an reformatio iis imponi possit qui professi sunt secundum regulam mitigatam: propterea Ecclesia in praxi communiter tolerat iam professos sequi regulam mitigatam, et reformationem iis solis qui postea sint professuri imponit (b).

---

conservata est, perseveret, S. Synodus praecipit, ut omnes Regulares.... ad regulae, quam professi sunt praescriptum vitam instituant ac componant, etc. » — Sed fatendum est hos textus tunc forsan tantum locum habere, quando relaxatio regulae est corruptela.

(b) Sic egit CLEMENS VIII, decr. *Regularis disciplinae* (1596) et decr. *Sanctissimus* (1599), quibus, disciplinam in aliquibus Ordinibus restituere volens, prohibuit ne demum in eorum conventibus (in Italia et insulis) quisquam ad novitiatum aut professionem reciperetur, nisi in conventibus designandis in quibus prius disciplina fuisset restituta. — Sic etiam PIUS IX, die 22 *aprilis* 1851, litteras encyclicas ad Superiores Generales Religionum de vita communi restituenda dedit, in quibus dicitur: In omnibus domibus novitiatus introducetur perfecta vita communis, derogando cuicumque indulto, privilegio et exemptioni, quae obtinuerint personae quibus constituenda sit earum communitas. In domibus professorii, educationis et studii revocabitur perfecta constitutionum respectivi Ordinis observantia maxime circa paupertatem.... etc. Deinde S. Pontifex Superiores Generales hortatur et excitat, ut restituant omni cura etiam plenam observantiam regulae *quam professi sunt* et propriarum constitutionum in omnes domus ubi indebilita fuerit ». — In *declaratione* autem 1 *oct.* 1852 super his litteris, ad quaesitum 2^um^: « An religiosus semel abstractus a vitae communis observantia, et in domum illam non profitentem translatus, imposterum ad eamdem vitam communem capessendam a Superioribus cogi possit? » respondetur: « Quoad futurum, iam provisum in primo (scilicet: religiosi qui iam sponte vitam communem amplexi sunt, non poterunt iam transferri in domos in quibus non servatur). Relate vero ad praeteritum, si translatio fuerit provisoria, affirmative; secus

13. Tertia quaestio est, **an in Religione maior austeritas aut novae obligationes per novum statutum introduci possint et imponi omnibus,** sive hoc fiat ab ipsa Religione sive a Summo Pontifice?

Primo, nulla est difficultas, ut novum statutum introducatur, quo obligentur ii tantum qui in posterum professuri sunt, dummodo statutum ab his qui competentem auctoritatem habeant condatur.

Secundo, si de iis qui iam professi sunt sermo est, distinguere oportet utrum statutum inducat austeritatem aut obligationem omnino novam et quae nullo modo ad regulam existentem referatur, vel contra an talem inducat quae sit necessaria aut multo conveniens ad regulam recte observandam.

In hoc ultimo casu, tum S. Pontifex tum ipsa Religio novam hanc obligationem inducere potest (Suarez, *ibid.* n. 8; Ball.-Palm., n. 181). Sic Bonifacius viii clausuram pro monialibus, ad melius servandam castitatem, introduxit eamque monialibus iam professis imposuit; quam constitutionem innovavit tum Tridentinum, tum S. Pius v [a]. Sic etiam Clemens viii, decreto *Nullus* (1599), plura praescripsit, quibus severiorem disciplinam in omnes Regularium conventus introduxit, v. g. de clausura, de egressu cum socio, de cellis separatis supprimendis, de tollendis caminis, etc.

Si autem introducatur austeritas vel nova obligatio quae nullo modo ad existentem regulam referatur, ii qui iam professi fuerint non videntur posse obligari neque a Religione neque a S. Pontifice ipso, secundum normam S. Bernardi: « Solum id a me posse exigi arbitror quod promisi », et se-

---

hortandos esse »; scilicet Pontifex ad vitam communem non vult cogere religiosos qui eam non professi sint, imo nec etiam eos qui eam definitive deseruerint.

13. (a) Bonifacius viii, c. *Periculoso, de Statu Regular.* iii, 16, in 6°: « Praesenti constitutione perpetuo irrefragabiliter valitura sancimus universas et singulas moniales *praesentes et futuras*.... sub perpetua in suis monasteriis debere de caetero permanere clausura ». — Trident., *sess.* xxv, c. 5, *de Regul.*, praecipit ut Ordinarii « clausuram monialium, ubi violata fuerit, restitui.... procurent, inobedientes atque contradictores compescentes ». — Pius v, C. *Cura pastoralis* (1566), rursus obligationem clausurae urgendam voluit pro omnibus monialibus *praesentibus* et *futuris*, « etiamsi ex institutis et fundationibus earum regulae ad clausuram non teneantur nec unquam in earum monasteriis seu domibus, etiam ab immemoriali tempore, ea servata fuerit ».

cundum regulam Iuris: « Quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet ». Ita SUAREZ, ibid. nn. 9, 10, 11; BALL.-PALM., n. 179; WERNZ, *nota* 419. SUAREZ tamen (n. 11) maiorem auctoritatem tribuit S. Pontifici, ratione supremae eius iurisdictionis in universam Ecclesiam. Adiungit nihilominus S. Pontificem hac auctoritate non sine aliqua violentia uti, et propterea praecepta sic imposita non multum durare; quamvis, quamdiu revocata non fuerint, observanda sint, etiamsi duriora appareant.

SECTIO II.

14. In Societate Regulae non obligant ad peccatum. — Expresse declaratur CONST. P. VI, c. 5: « Visum est nobis in Domino, excepto expresso voto quo Societas Summo Pontifici pro tempore existenti tenetur, ac tribus aliis essentialibus paupertatis, castitatis et obedientiae, nullas Constitutiones, declarationes vel ordinem ullum vivendi posse obligationem ad peccatum mortale vel veniale inducere, nisi Superior ea in nomine Domini nostri Iesu Christi vel in virtute obedientiae iuberet: quod in rebus vel personis illis, in quibus iudicabitur quod ad particulare uniuscuiusque vel ad universale bonum multum conveniet, fieri poterit ».

Duo super hoc textu adnotanda veniunt. 1° Votis in eo memoratis addere oportet quinque vota simplicia Professorum, et votum ingrediendi Societatem, quod in formula votorum post biennium exprimitur. 2° Indicatur praeceptum imponi posse vel aliquibus personis, vel toti etiam Societati, si id bono communi esset valde conveniens. Hoc ultimum postea aliquando factum fuit, et praecepta huiusmodi inveniuntur in Instituto, sub titulo *Censurae et Praecepta hominibus Societatis imposita*.

15. De dispensatione a regula in Societate. — Quinam Superiores a Constitutionibus et Regulis dispensare possint et quandonam id eis liceat, declaratur P. IX, c. 3, n. 8, et P. IV, c. 10, *litt.* B.

In P. IX dicitur: « Sicut ad Generalem pertinet curare ut Societatis Constitutiones ubique observentur, ita ad eumdem pertinebit in iis quae accidunt, ubi dispensatione opus est, habita ratione personarum, locorum, temporum, et aliarum circumstantiarum, dispensare. Quod munus..., finem earumdem

Constitutionum intuendo, qui alius non est quam maius Dei obsequium et eorum bonum qui hoc vivendi Institutum sequuntur, praestabit ».

Et *declar.* D : « Intelligendum est dispensare *posse,* ubi eam esse mentem Constitutionum, consideratis circumstantiis particularibus, *et non aliter,* in Domino iudicaret ».

Cum ipse Generalis Constitutionibus subiaceat, sequitur dispensationem etiam ab ipso datam nec licitam nec validam esse, si dispensat extra casum hic determinatum. Nam facultas dispensandi ipsi data limitatur *(et non aliter).* Ergo si aliter dispensat, sine auctoritate dispensat : non solum contra id quod ei licet, sed contra id quod valet.

In eadem declaratione dicitur : « Per se ipsum exercere debet Generalis hanc potestatem, et per alios in casibus urgentioribus id etiam praestare poterit, ubi sine incommodo insigni expectari nequit ». Reservatio Generali facta debet intelligi aut de dispensatione generali aut de re gravioris momenti, aut quando non apparet quaenam fuerit in casu mens legislatoris. Nam P. IV, c. 10, *litt.* B, declaratur facultatem dispensandi ad Rectorem pertinere, accepta a suis Maioribus potestate, « in re aliqua particulari », et « quando eam fuisse mentem illius qui eas (Constitutiones) condidit iudicaret ». Praeterea in eorum respectivis *regulis,* facultas dispensandi conceditur potestate ordinaria Provincialibus (*reg.* 7), Rectoribus (*reg.* 10) ac Praepositis (*reg.* 11) « cum particularibus, quando necesse erit » et in rebus minoris momenti. Si in casu urgentiori dispensaverint in rebus maioris momenti, debent primo quoque tempore de dispensatione data eiusque causa admonere Superiorem suum immediatum.

16. Regulae generales socios omnes obligant. — Difficultatem facere potest locus Constitutionum, P. VI, c. 3, n. 3, ubi de professis et coadiutoribus formatis (nam de eis sermo est in hac sexta parte) dicitur : « Ex regulis particularibus, quae in domibus, ubi ipsi fuerint, observantur, debent operam dare ut eam partem observent quae conveniens est, ac iudicio Superioris ipsis imponetur ».

Sed in CONGR. IV, « propter hunc locum, quaesitum fuit ut Congregatio declararet omnes regulas communes Societatis ab omnibus etiam professis et coadiutoribus formatis observandas esse : Congregatio porro declaravit omnes ad earum observationem teneri » (CONGR. IV, *d.* 22).

17. Quisnam regulas in Societate condere possit. — In Congr. I, d. 143, declaratum fuit « solum Praep. Generalem auctoritatem ad condendas regulas habere » : et in Congr. IV, d. 19, ipsum posse declarare Constitutiones, « eas tamen declarationes non habere vim legis universalis, sed valere tantum ad praxim bonae gubernationis : cum Congregationis generalis, cuius est leges condere, sit etiam eas hoc modo declarare ».

Haec duo decreta sibi contradicere videbantur : nam auctoritatem, quam Congregatio I Praeposito Generali agnoscebat, Congreg. IV Congregationi Generali reservasse apparebat. Ea inter se conciliavit Congr. VII, d. 76, notando discrimen inter Constitutiones et regulas : discrimen est, quod regulas Praepositus Generalis statuere potest et statutas (si non fuerint a Congr. Generali sancitae) immutare ; Constitutiones vero nec statuere nec immutare potest, imo nec authentice declarare. Deinde, facilius a simplici regula quam a Constitutione dispensatio conceditur. Quoad obligationem autem, nullum est inter eas discrimen : nam nec Constitutiones nec regulae ad peccatum obligant.

18. Consuetudines in Societate. — 1. Consuetudines novas in sua domo introducere Superiori locali non licet, nec approbatas abrogare, nisi Provinciali approbante (*Reg.* 5 *Praepositi* et 4 *Rectoris*). Nec Provinciali licet novas in provincia introducere aut existentes abrogare, nisi approbante Praep. Generali (*Reg.* 6 *Prov.*).

2. An in Societate consuetudines simplici usu introduci possunt ? — Videtur respondendum negative. Nam omnis consuetudo tacitam saltem Superioris competentis consensum requirit. Porro consuetudo aut est contra aut praeter regulam. Consuetudo contra regulam certe non habet consensum Superioris competentis, cum Societas in Congregationibus et PP. Generales saepissime urgeant observationem Constitutionum, regularum, ordinationum ; talis ergo consuetudo pro corruptela habenda est, ut dicebat P. Claudius a. 1584 (apud Besson, n. 15). — Consuetudo praeter regulam etiam solo usu introduci non potest. Nam consuetudo non fit legitima nisi ex tacito Superioris consensu. Porro ex iure Societatis, Superior localis non habet auctoritatem ad approbandam consuetudinem in sua domo, sed requiritur *explicita* Provincialis approbatio ; item Provincialis nequit approbare consuetudinem novam in sua

provincia, sed requiritur *expressa* Generalis approbatio. Ergo nulla consuetudo solo usu introduci potest (Oswald, n. 27).

3. Consuetudines autem a Provinciali pro aliqua domo, et a Generali pro aliqua provincia approbatae, omnino agnoscuntur in Societate, ut patet ex regulis mox citatis. Inde Consuetudinarium Provinciarum.

CAPUT VII.

DE OBLIGATIONE PERSEVERANDI IN RELIGIONE ET DE EGRESSU EX ORDINE

Sectio I. — 1. Obligatio perseverandi. Varii egressus modi. — 2. Transitus ad aliam Religionem. — 3. Varia Iuris statuta super transitu. — 4. Conditiones sub quibus permittitur transitus ad Religionem strictiorem. — 5. Variae Iuris dispositiones circa transeuntes. — 6. Promotio religiosi ad Episcopatum aut Cardinalatum. — 7. Promoti obligationes. — 8. Legitima votorum substantialium dispensatio. — 9. Saecularizatio, — temporalis et perpetua. — 10. Indulta saecularizationis. — 11. Aliqua saecularizatorum iura. — 12. Obligationes perpetuo saecularizati. — 13. Saecularizati ad suam Religionem reditus. — 14. Dimissio et eiectio. — 15. Dimissio ex Institutis votorum simplicium. — 16. Dimissio professi votorum simplicium ex Ordinibus formalibus; eius modi, causae et forma. — 17. Status dimissi. — 18. Eiectio professi votorum solemnium; eius causa legitima. — 19. Forma iudiciaria eiectionis. — 20. Effectus eiectionis, seu status eiecti. — 21. Apostasia et fuga. — 22. Paenae apostatarum et fugitivorum. — 23. Dispersio violenta.

Sectio II. — 24. Transitus religiosi Societatis Iesu ad aliam Religionem. Primum Societatis privilegium. — 25. Secundum Societatis privilegium. — 26. Promotio religiosi Societatis Iesu ad Episcopatum aut ad alias dignitates. — 27. Reditus perpetuo saecularizati. — 28. Dimissio non professi. — Decretum *Auctis*. — 29. Eiectio professi; forma eiectionis. — 30. De causis eiectionis professi. — 31. Causae dimissionis ex Constitutionibus. — 32. Quis in Societate dimittere potest. — 33. De modo procedendi in dimissione. — 34. Dimissis Societas sustentationem non debet. — 35. Privilegia Societatis in apostatas et fugitivos. — 36. De obligatione perquirendi et reducendi apostatas et fugitivos e Societate.

SECTIO I.

1. De obligatione perseverandi. — 1. Unusquisque religiosus tenetur in vita religiosa et in Instituto, in quo professus est, perseverare. Haec obligatio oritur ex professione religiosa, scilicet ex votis substantialibus perpetuis Religionis, et ex tradi-

tione sui Religioni in qua unusquisque professus est. Per vota perpetua, se vitae religiosae perpetuo mancipavit; per professionem in aliquo Instituto, remanet ei obligatus. Haec obligatio est iustitiae: Religio in eum ius acquisivit, et ipse vicissim ius in ea perpetuo vivendi. — Hoc vinculum, quo Religio et professus inter se mutuo vinciuntur, ex mutuo consensu solvi nequit: quia firmatum est per vota perpetua, ex quibus status religiosus firmitatem suam habet, et quorum solutio a neutro dependet, sed a solo Deo eiusque in terra Vicario (WERNZ, n. 646, II, et n. 674).

2. Quaeri potest an et quomodo peccet contra hanc perseverandi obligationem religiosus quem de professione sua poeniteret.

Responsum desumendum est tum ex motivo propter quod eum poeniteat, tum maxime ex eiusdem dispositione quoad perseverantiam de facto in sua vocatione, non obstante sua repugnantia. Si ita poenitet, ut Religionem etiam sine dispensatione aut legitima dimissione deserere proponat, vel etiam in proposito perseverandi cum plena advertentia vacillet, graviter peccat (ut peccat contra fidem qui interne reiicit veritatem fidei, aut etiam de ea cum advertentia dubitat). Si autem, quamvis de professione sua poeniteat, nullomodo tamen de illa deserenda, nisi legitime dimissus aut dispensatus fuerit, deliberet: tunc aut nullum peccatum aut veniale tantum admittit. Peccabit venialiter, si ex inordinato affectu ipsum poeniteat, v. g. ex acedia, ex libertatis pruritu; posset nullum adesse peccatum, v. g. si ex difficultatibus quas experitur, vel ex culpis in quas forsan cadit contra vota, vel ex levitate cum qua vitam religiosam amplexus est, poeniteret.

Merito tamen notant AA. poenitentiam huiusmodi voluntarie admissam esse plenam periculis: viam enim aperit multis defectibus in observantiis regularibus et tandem apostasiae e Religione; et ex hac parte etiam peccaminosa esse potest, quia religiosus periculo peccandi voluntarie et sine ratione se exponit (Vide PIAT, t. I, p. 235, q. 8) [a].

---

1. (a) SUAREZ, *de Religione*, tr. VI, l. V, c. 7, n. 7, hanc quaestionem tractans ex professo, haec habet: 1. Poenitentia efficax voti facti, in ordine ad observationem eius, sc. qua statuit votum non servare, peccatum mortale est eidem voto contrarium. 2. Poenitentia inefficax voti, per se loquendo, non est peccatum. 3. Implere votum cum hac poenitudine inefficaci et tristitia de voto emisso et de eius obligatione, per se loquendo, nullum

3. Vinculum professionis potest nihilominus aliquando relaxari aut etiam penitus solvi, et hoc variis modis : 1. per transitum ad aliam Religionem; 2. per promotionem ad Episcopatum aut Cardinalatum; 3. per dispensationem aut saecularizationem; 4. per dimissionem post vota simplicia, sive a religioso propter iustas causas impetratam, sive a Religione propter culpas aliasve rationes pronuntiatam; 5. per eiectionem post vota solemnia; 6. per apostasiam aut fugam; 7. per violentam dispersionem.

Ex his modis vinculum professionis solvendi aut relaxandi, aliqui sunt legitimi, et egressus fit sine ulla culpa ; alii sunt illegitimi, et egressus non fit sine sacrilegio contra vota et iniustitia erga Institutum. Quando egressus est legitimus, potest esse talis vel propter culpas praecedentes, vel nulla praeexistente culpa.

2. De transitu ad aliam Religionem. — Ex iure naturali, quoniam per professionem religiosam vinculum mutuum et stabile existit inter professum et Institutum in quo professus est, religiosus non potest propria voluntate sine Instituti sui consensu de eo in aliud transire : iustitiam violaret.

Aliunde cum transire de Religione minus perfecta in aliam magis perfectam, si intenditur haec maior perfectio, est maius bonum quaerere, et aliae etiam esse possunt rationes cur transitus ab una Religione in aliam conveniat, ideo talis transitus non debet esse omnino prohibitus, et Superiores petenti non semper negare debent transitum.

Rem bene explicat S. Th. 2. 2.ae q. 189, a. 8: « Respondeo dicendum, quod transire de Religione in Religionem, nisi propter magnam utilitatem vel necessitatem, non est laudabile : tum quia ex hoc plerumque scandalizantur illi qui relinquuntur, tum etiam quia facilius proficit aliquis in Religione quam consuevit, quam in illa quam non consuevit, caeteris paribus.... Potest tamen aliquis laudabiliter de una Religione transire in aliam triplici ex causa : primo quidem zelo perfectioris

---

est peccatum. 4. Per accidens potest haec poenitentia esse mala et voto contraria, nimirum si ratione illius constituatur homo in morali periculo proximo non implendi votum, quia qui amat periculum in illo peribit. Potest autem hoc in praesenti materia facile contingere : quia ea quae displicent voluntati et cum deliberatione, facile omittuntur et difficile fiunt integre et sicut oportet. Qualis autem sit culpa, ex circumstantiis personae et qualitate materiae pensandum est.

Religionis...; secundo, propter declinationem Religionis a debita perfectione...; tertio, propter infirmitatem vel debilitatem, ex qua interdum provenit quod aliquis arctioris Religionis statuta servare non potest, posset autem servare statuta Religionis laxioris » [a].

3. Varia iuris statuta super transitum. — Ut autem abusus in tali transitu vitarentur, provisum est per plura Iuris positivi statuta. Praecipua sunt: INNOCENT. III, c. *Licet*, 18, *de Regularibus*, III, 31 [a]. — MARTINI IV Extrav. *Viam ambitiosae, de Regularibus et transeuntibus*, III [b]. — TRIDENT. *sess.* XXV, c. 19

---

2. (a) Hic S. Doctor indicat rationes cur permitti possit transitus non tantum a laxiori ad strictiorem, sed etiam a strictiore ad laxiorem. Verum hoc ultimum nequit fieri sine aliqua dispensatione. Est enim aliquis defectus a statu perfectiore per professionem religiosam firmato ad minus perfectum: quod non licet, ne quidem mutua religiosi et Religionis voluntate (ut dictum est c. V, n. 10, et amplius dicetur c. VIII, n. 2). Fuit quidem olim permissum lege positiva (c. *Licet*), sed haec dispositio Iuris fuit a Tridentino correcta (Vide infra, *nota* 3 c).

3. (a) « Licet quibusdam Monachis et Canonicis.... a Sede Apostolica sit indultum, ne postquam aliquis professus fuerit apud eos, ad alium locum possit, ipsis invitis, arctioris etiam Religionis obtentu transire, ut unusquisque secundum Apostolum in ea vocatione permaneat, in qua dignoscitur esse vocatus: quia tamen, ubi Spiritus Dei est, ibi libertas, et qui Dei spiritu aguntur non sunt sub lege;... ea ratione videtur hoc illis fuisse concessum, *ne quis ex temeritate vel levitate, in iacturam vel iniuriam sui Ordinis,* sub praetextu maioris religionis, ad alium Ordinem transvolaret;... non quidem ut ei transeundi licentia denegetur, qui eam cum humilitate ac puritate duxerit postulandam, ut non ficte, sed vere ad frugem melioris vitae valeat transmigrare. Talis ergo, postquam a Praelato suo transeundi licentiam postulaverit, ex lege privata (quae publicae legi praeiudicat) absolutus, libere potest sanctioris vitae propositum adimplere, non obstante proterva indiscreti contradictione Praelati.... Quocirca noverint universi, quibus huiusmodi privilegium est concessum, se ad concedendam licentiam transeundi taliter postulantibus de iure teneri.... Si vero probabiliter dubitetur utrum quis velit ad Ordinem arctiorem aut laxiorem, ex charitate an ex temeritate transire, Superioris est iudicium requirendum ».

(b) MARTINUS IV: « In futuris nullus ex professoribus alicuius ex Ordinibus mendicantium in aliquem monasticum Ordinem, Carthusiensium dumtaxat excepto, possit aut debeat per quemcumque recipi vel admitti, virtute alicuius licentiae vel indulti, absque Sedis huiusmodi licentia speciali sub dictis poenis (sc. sub poena excommunicationis, quam tam recipientes quam recepti ipso facto incurrunt); et nihilominus secus facta non teneant ipso iure ».

de Regul., necnon *sess.* XIV, c. 11 *de Reformatione*[c]. — URBANI VIII decr. *Sacra Congregatio* (1624) § 3[d]. — BENEDICTI XIII, C. *Licet sacra* (1726)[e].

Ex his habentur sequentia:

1. Non permittitur transitus a strictiori ad laxiorem Religionem. — Permittebatur quidem olim, ut patet ex cap. *Licet;* sed haec facultas fuit sublata a C. TRIDENTINO — Adest autem decretum S. CONGR. EE. ET RR., 20 *ian.* 1651 [f] (apud PIGNATELLI,

---

(c) TRID., *sess.* XXV, c. 19: « Nemo etiam Regularis, cuiuscumque facultatis vigore, transferatur ad laxiorem Religionem ». — *Sess.* XIV, c. 11 *de Reformatione:* « Quia vero Regulares de uno ad alium Ordinem translati facile a suo Superiore licentiam standi extra monasterium obtinere solent, ex quo vagandi et apostatandi occasio tribuitur: nemo cuiuscumque Ordinis Praelatus vel Superior, vigore cuiusvis facultatis, aliquem ad habitum et professionem admittere possit, nisi ut in Ordine ipso ad quem transfertur, sub sui Superioris obedientia, in claustro perpetuo maneat; ac taliter translatus, etiamsi Canonicorum regularium fuerit, ad beneficia secularia, etiam curata, omnino incapax existat.

(d) URBANUS VIII, l. c.: « De caetero nullus permittatur ad arctiorem Religionem transire, nisi prius Superiori legitime constiterit eam Religionem paratam esse illum recipere qui licentiam petit; tumque Regularis recta se transferat ad arctiorem ».

(e) BENED. XIII, l. c., § 1: « Omnibus et singulis Regularibus in quocumque regulari et claustrali Ordine professis, transitum in quemcumque alium Ordinem, in quo claustralis et regularis observantia non vigeat.... omnino prohibemus. § 2: Transitum etiam ad quemcumque Ordinem hospitalarium vel militarem, vel hospitalarium simul et militarem, etiamsi in huiusmodi Ordinibus claustralis regularis observantia vigeret, ac etiamsi ageretur de apostata,... pari modo prohibemus.... § 3: Quoscumque transitus, non observato ad unguem harum tenore, imposterum faciendos, nullos invalidosque esse et fore declaramus.

(f) Decretum S. CONGR. EE. ET RR., 20 *ian.* 1651: « S. Congr. censuit non licuisse neque licere Praep. Generali Congregationis Clericorum regularium sancti Pauli, etiam quacumque extante causa vel sub praetextu assertorum privilegiorum, huiusmodi facultatem transeundi ad laxiorem suis subditis impartire, ac proinde oratorem omnesque alios in ea Congregatione professos, qui absque expressa Sedis Apostolicae licentia ad huiusmodi Ordines se transtulerint, ad primaevam Religionem et habitum Congregationis praefatae revocandos, prout revocari mandavit, novamque professionem in eis emissam nullam et invalidam declaravit ».

Istud decretum, aut potius responsum, est quidem particulare, sed in eo principium generale declaratur, scilicet ex eo quod fratres ab uno Ordine ad alium laxiorem sine licentia S. Sedis transierint, declaratur transitum et sequutam professionem in ordine laxiore nullius esse valoris.

t. x, *Consult.* 68, n. 4), nullam declarans professionem factam a transeunte ad laxiorem, etiam cum facultate prioris Praelati, si fiat sine licentia S. Sedis.

2. Dubium remanet an permittatur transitus ad aeque strictam. Revera controvertitur apud AA. Primo notetur difficile esse definire utrum duae Religiones sint aeque strictae, an una sit altera laxior vel strictior. Imo nec plane conveniunt AA. de criterio ad iudicandum ex duabus Religionibus quaenam sit strictior (cf. Piat, t. i, p. 183, q. 6). Attamen apud Canonistas arctior ea reputatur Religio quae in exterioribus observantiis est rigidior, non autem ea quae est ex Instituto perfectior (hoc enim esset difficile diiudicare), nec ea in qua melius servatur observantia proprii Instituti. Ordo Carthusianus habetur veluti omnium strictissimus. Hoc posito:

Ad quaestionem de liceitate transitus ad aeque strictam, Pallotini (t. xv, V. *Regulares,* i, 45) censet talem transitum esse licitum. « Concilium Tridentinum, ait, nihil novi induxit quoad transitum Regularium ad strictiorem Religionem vel parem. Ita S. Congr. Conc. in dubium ad c. 19, *sess.* xxv, *Positione* 147 ». Pignatelli (t. x, *Consult.* 68, n. 5) dicit e contra: « Transire ad aeque arctam vel laxiorem nemo potest, nisi obtenta licentia a S. Pontifice et a proprio Praelato cum iusta causa. Citat *Abbat. Lessium, Sanchez, Layman.* Piat (p. 180, q. 5, 2°) ait licentiam S. Pontificis non requiri, quando adest iusta causa ad transeundum ad aeque strictam, sed tunc sufficere licentiam Superioris regularis, cum consensu Capituli, et citat pro hac sententia *Schmalzg.* l. iii, tit. 31, n. 237, *Sanchez, Petra* et alios. — Sed videantur quae dicuntur infra (n. 4, *Nota*) de licentia S. Pontificis in omni casu requisita.

3. Prohibitus est transitus ad quemcumque Ordinem in quo non vigeat claustralis et regularis observantia; item ad Ordines hospitalares et militares.

Ita Bened. xiii, l. c. Hanc dispositionem confirmat Ben. xiv, C. *Pastor bonus* (1744), § 34, qua nec Poenitentiario maiori dat facultatem permittendi transitum ad Ordines huiusmodi; attamen excipit transitum ad Ordinem FF. S. Ioannis de Deo, quem magnus Poenitentiarius permittere potest.

4. Mendicantes ad Religionem non mendicantium nonnisi ex licentia S. Sedis transire queunt. Et si transeant, nulla est admissio et professio secuta, praeter alias poenas. Excipitur Ordo Carthusianus, ad quem communiter licet Mendicantibus

transire. Ita statuit MARTINUS IV, Extrav. *Viam ambitiosae.* S. CONGR. EE. ET RR., a. 1654, et ALEXANDER VII, C. *Emanavit* (1655), exceptionem in favorem Carthusiensium factam confirmarunt (g).

5. Generaliter permittitur transitus de laxiori ad strictiorem sub certis conditionibus. Dicitur « generaliter » propter duas exceptiones numeris 3 et 4 praecedentibus expositas, et insuper quia multi Ordines privilegium obtinuerunt, quo non licet propriis alumnis transire ad arctiorem, nisi obtenta facultate Superioris. Ut plurimum ex privilegio excipitur Carthusia, ad quam licet transire ex sola petita (et non obtenta) facultate Superioris.

4. Conditiones autem sub quibus permittitur transitus sunt: *Primo,* ut transitus fiat ad frugem melioris vitae et non ex levitate aut temeritate (c. *Licet*). *Secundo,* ut non fiat in iniuriam aut iacturam prioris Ordinis (ib.). *Tertio,* ut petatur licentia Praelati Ordinis a quo. Non est autem necesse ut obtineatur; sed Praelatus non debet recusare licentiam, si transitus ex iusta causa petitur (ib.). Haec licentia probabilius sub poena nullitatis transitus peti debet (a). Attamen non desunt qui censeant licentiae petitionem non requiri sub poena nullitatis: ita SUAREZ, SCHMALZGR. apud PIAT, t. I, p. 179, q. 4. Si Superior Ordinis ad quem dubitat de intentione transeuntis, utrum ex desiderio vitae perfectioris, an potius ex temeritate ducatur, debet requirere iudicium Superioris prioris Ordinis, (c. *Licet*, et BENED. XIV, C. *Ex quo,* n. 17). *Quarto,* transitus con-

---

(g) Ita habetur ex decreto S. CONG. EE. ET RR. a. 1654, ab ALEXANDRO VII confirmato Constitutione *Emanavit:* « S. Congreg. censuit mendicantibus quidem licitum esse transire ad monachos Carthusianos, uti exceptos in Extrav. MARTINI *Viam ambitiosae;* non tamen per eam fuisse correctam dispositionem textus in cap. *Statuimus,* et in cap. *Licet.* Quinimo eadem S. Congr. declarat et praecipit ita servandam esse, ut semper appareat et constet de petita licentia, *sub poena nullitatis transitus huiusmodi* ». Hoc ipsum decretum anno sequenti confirmatum fuit ab *Alexandro* VII. — Notandum est necessitatem petitae licentiae sub poena nullitatis non referri tantum ad transitum in Carthusianos, sed ad quemcumque transitum. Asseritur enim dispositionem cap. *Licet* quoad licentiam non fuisse correctam. Porro ex c. *Licet* petitio est semper petenda. — SUAREZ hoc decretum non habebat, quando, tr. VIII, l. III, c. 10, n. 22, ait sibi magis probari sententiam quae negat generaliter petitionem licentiae esse de substantia actus.

4. (a) Vide notam praecedentem.

cedi non debet, nisi constet Religionem ad quam paratam esse recipere transeuntem (Urbanus viii, l. c.). *Quinto,* transiens debet recta se transferre ad novum Ordinem (*ibid.*). *Sexto,* si religiosus transiens non admittatur ad professionem in novo Ordine, aut quacumque ex causa ante professionem eum deserat, tenetur redire ad priorem Ordinem. Ita AA.: Piat, p. 185, q. 8; Suarez, tr. viii, l. iii, c. 12, n. 29; Prümmer, q. 119, qui hanc sententiam communem dicit. Sic statuit pro Societate Pius v, litteris *Aequum reputamus* (Bullar. Soc., p. 40). Et ratio patet: permittitur transitus, non aliud: consequens est, ut qui non remanet, redeat ad priorem Ordinem. Tunc sic rediens in priore Ordine sine novitiatus et professionis iteratione recipi debet, atque iuxta plures omnibus suis praerogativis gaudet (Piat *ibid.*). Nam vinculum cum priore Ordine non solvitur per solum transitum, sed per professionem in altero Ordine.

Nota. Quamvis ad transeundum ad strictiorem *ex Iure* sufficiat petita licentia a proprio Praelato, nunc, ait Wernz, n. 679, *ex stylo Curiae* ad quemcumque transitum requiritur licentia S. Sedis [b]. Citatur resp. S. C. EE. et RR. 22 *apr.* 1796 *ad* 6, et altera S. Congr. super stat. Regul., 29 *maii* 1857, *ad* 3. Postulabatur a quonam peti deberent litterae testimoniales a Pio ix praescriptae, quando postulans est religiosus alterius Ordinis, et responsum est: si est novitius vel saecularizatus, ab Ordinario; « quoad professos, qui in Congregatione vel Ordine actu permanent, et postulant recipi in alium, *dummodo ab Apostolica Sede facultatem ad alium Ordinem transeundi habuerint,* a Superioribus Ordinis [c] ».

(b) Ita etiam Prümmer, q. 117, d; Ferrari, p. 59; Piat, t. i, p. 178, q. 3, 3°. Idem iam asserebat Ferraris (v. *Transitus,* n. 1): « Regulares professi non possunt ad aliam Religionem etiam strictiorem transire sine licentia S. Sedis. Communis est, ait, ex praxi et stylo Curiae ».

(c) Iam Benedictus xiv hanc praxim in C. *Ex quo,* n. 17 notat, quin tamen eam tamquam necessariam proponat. Loquens de difficultatibus quae aliquando in transitu huiusmodi exsurgunt inter Superiores utriusque Ordinis, ait: « Hodierna vero praxis est, per quam omnes huius generis controversiae et morarum prolixitates devitantur, ut Religiosis viris, qui a laxiore ad strictiorem Ordinem transire cupiunt, postquam voluntatis suae causas, coram competentibus Apostolicae Sedis tribunalibus exposuerint atque probaverint, haud aegre a Rom. Pont. indulgeantur opportunae facultates, in quibus derogatio super consensu Superioris Ordinis

5. Variae Iuris dispositiones circa transeuntes. — Iura transitui ab una ad alteram Religionem certe non favent [a]. Praeter conditiones expositas, aliae sunt Iuris dispositiones:

1. Ex Trid. *sess.* xiv, c. 11 *de Ref.*, translatus sub sui Superioris obedientia in claustro perpetuo manere debet [b]; et beneficiorum saecularium, etiam curatorum, omnino incapax existit.

2. Ex C. Urbani viii, *Honorum* (1643) [c], translati semper tenentur voto quod in priore Religione fecerint, de non procuranda vel acceptanda dignitate extra Ordinem; a quo solus R. P. dispensare potest.

3. Vota substantialia Religionis prius emissa subsistunt, sed novam determinationem accipiunt, secundum Constitutiones novi Ordinis in quo translatus profitetur. Alia vota quae professionem in primo Ordine comitabantur, sive solemnia sive simplicia, excepto voto de non procuranda aut admittenda dignitate extra Ordinem, extingui videntur per professionem in secundo, quia erant accessoria prioris status. Ita AA. communiter, ait Piat, i, p. 237, q. 10.

4. Mendicantes, cum licentia S. Sedis ad non mendicantes translati, non possunt habere vocem activam aut passivam in Capitulis; neque prioratus aut administrationes aut quaecumque alia officia, aut curam animarum exercere (Clement. *Ut professores*, 1, *de Regul.*) [d]. Quidquid in contrarium attentatum fuerit, est ipso iure irritum.

---

laxioris includitur ». Haec praxis eo generalior potuit evadere, quod non paucae Religiones privilegium habent quo eorum alumni ad aliam etiam arctiorem transire prohibeantur. — An autem si Religio laxior non habeat privilegium huiusmodi, et transitus fiat certo de laxiore ad strictiorem et ex voluntate vitae perfectioris, stylus curiae hanc vim habeat ut Ius correctum censeri debeat, et damnandus sit ille qui sine licentia S. Sedis, petita a solo Praelato licentia, transiret, nemo forsan facile affirmaverit, maxime si licentia a Praelato concedatur.

5. (a) Rationes dat S. Thomas 2. 2.ae q. 189, a. 8 (supra, n. 1).

(b) Scilicet his permitti nequit ut regant parochiam adnexam monasterio, aut ex alia ratione a monasterio recedant.

(c) In Bullario Soc. Iesu.

(d) « Sacro Concilio (Viennensi) approbante, statuimus mendicantes quoslibet qui ad non mendicantium Ordines etiam auctoritate Apostolica transibunt.... vocem aut locum in Capitulo non habere, etiamsi hoc ab aliis libere concedatur; ad prioratus quoque, administrationes, aut quaecumque etiam annua officia assumi, etiam tamquam vicarios seu ministros, vel locum aliorum tenentes; quodque animarum curam et regimen

5. Transeuntes ad aliam Religionem novitiatum et professionem iterare debent. Argumentum ex c. *Ad apostolicam,* 16, *de Regular.* desumitur. Piat, t. I, p. 187, q. 10; et p. 101, q. 12. — Professionem esse iterandam patet ex natura rei. Nam in professione vota emittuntur iuxta regulas Ordinis, et per eam religiosus Ordini, in quo profitetur, se tradit; ergo non potest alteri Ordini aggregari, nisi per professionem in eo factam. Propterea Greg. XIII, C. *Cum alias* (1582), qua Generali S. I. concedit facultatem permittendi transitum suorum subditorum ad aliam Religionem, pronuntiat licere eis, sic a Praeposito emissis, demigrare ad alios Ordines a Generali designatos, « in eisque professionem per loci illius monachos aliosque Regulares eiusdem emitti solitam emittere ». Ita insuper declaravit S. Congr. EE. et RR., 11 *nov.* 1836 (apud Piat, p. 187, q. 10. — Analecta Iuris Pont. t. XVII, n. 1567). Quoad iterationem novitiatus, vide dicta c. IV, n. 2, 4°. Praeterea Fagnanus (in Const. *ad Apostolicam*, n. 67) citat responsionem S. C. C.: « Transeuntem de licentia Sedis Apostolicae ad laxiorem Religionem, etiam eiusdem Ordinis, teneri in secunda Religione novum annum probationis peragere » (Cf. Ferraris, v. *Transitus*, n. 2).

6. Indebite transeuntes, ex privilegiis fere omnium Religionum, poenis apostatarum subiacent. Piat, p. 184, q. 7, 1°; Prümmer, q. 117 *in fine.* — Habetur pro Societate Constitutio Gregorii XIII *Ascendente* (1584) (e).

Notandum. Plures Religiones privilegium habent, quo non licet eorumdem alumnis transire ad quamcumque aliam, Carthusiana ut plurimum excepta, nisi obtenta Superioris facultate. — Sed e contrario aliquae Religiones privilegium habent recipiendi religiosos ex aliis Religionibus, quantumvis privilegiatis, etiamsi licentiam non obtinuerint, dummodo petiverint. Concessit Iulius II Minimis, Const. *Dudum ad sacrum* (1506), n. 33. — Adest hic conflictus privilegiorum.

---

nec pro se possint nec pro aliis exercere. Quidquid autem in contrarium attentatum fuerit, sit irritum ipso iure, quovis privilegio non obstante ».

(e) « Non solum professi et coadiutores formati, sed ex aliis quicumque absoluto probationis biennio praedicta tria substantialia vota etiam simplicia emiserint, si absque expressa licentia a Societate discedant, etiamsi praetextu melioris frugis et transitus ad alium quemcumque Ordinem, Carthusiensium dumtaxat excepto, id faciant, apostasiae et excommunicationis, ex Apostolicae Sedis decreto, poenas incurrunt ».

6. Promotio ad Episcopatum aut Cardinalatum[a]. — 1. Ex Iure communi religiosi ad Episcopatum eligi, praesentari et nominari possunt, ut dioeceses regant (Cf. c. XVII, n. 3). Sufficiat hic afferre statutum IOANNIS XXII (c. *Dispendiis*, de *Postulatione*, I, 2, in *Extr. comm.*), qui prohibet ne beneficia saecularia ecclesiis cathedralibus inferiora Regularibus conferantur (ergo ecclesiae cathedrales, seu dioeceses, ipsis conferri possunt); item TRID. *sess.* XXII, c. 2 *de Reform.*, ubi dicitur: « Regularem ad Episcopatum electum a Superioribus suae Religionis fidem habere oportere, quod sit doctor aut licentiatus aut idoneus ad alios docendos ». Status religiosus igitur non impedit promotionem ad Episcopatum.

Ratio est primo, quia status episcopalis ex se perfectior est statu religioso: supponit enim perfectionem iam acquisitam, cum status religiosus sit status perfectionis acquirendae; deinde, quia, ut mox dicetur, religiosi facti Episcopi non desinunt esse religiosi: ergo professio religiosa per se non opponitur statui episcopali. Nisi ergo adsit lex positiva prohibens, religiosi ad Episcopatum promoveri possunt; lex autem non existit[b]. — Idem de Cardinalatu dicendum est.

Attamen licite et laudabiliter in nonnullis Ordinibus, ad removendam omnem ambitionem et etiam ad alios fines, votum fit Episcopatum non procurandi nec ambiendi, aut etiam non acceptandi nisi ex praecepto Romani Pontificis. Hoc votum approbarunt plures Summi Pontifices. GREG. XIII, C. *Ascendente* (1584), illud votum cum caeteris Instituti capitibus, quae in Bulla enumerantur, approbat et confirmat. URBANUS VIII, C. *Honorum* (1643), voluit hoc votum esse Romano Pontifici reservatum.

2. Religiosus electus ad Episcopatum suae electioni con-

---

6. (a) Documenta praecipua sunt: In *Decreto*, c. XVIII, q. 1; — Clement. *Cum concessa*, 8, *De Electione*, I, 3; — c. *Si religiosus*, 27, *de Electione*, I, 6, in 6°; — c. *Nullus religiosus*, 28, *de Electione*, in 6°; — c. *Si Religiosus*, 2, *Extr. comm.* I, 3; — Const. PAULI IV, *In sacra*, 1559; — Decret. S. CONG. RIT. 11 *iun.* 1605; — C. BENED. XIII, *Postulat*, 4 *mart.* 1725, pro Societate Iesu; — C. *Custodes eiusdem*, 7 *mars* 1725 (tota de hoc argumento); — Litterae *Biennium* BENED. XIV (1745); — Resolutio S. CONGR. CONC., 7 *dec.* 1639; — Decret. S. CONGR. EE. ET RR., 6 *maii* 1864. — Cf. FERRARIS, v. Episcopus, art. VII, nn. 1 et 20.

(b) E contra dicitur expresse in c. *Nullus religiosus*, 28, *de Electione*, I, 6, in 6°: « Ad dignitatem vero episcopalem, talem (sc. religiosum sive professum sive novitium) eligi minime prohibemus ».

sentire nequit sine licentia sui Superioris. Si aliter consentiat, electio nullum effectum habet [c]. Est consequentia professionis religiosae: religiosus suo Ordini obligatur, ergo aliam obligationem suscipere nequit, qua a prima solveretur.

Si autem votum fecerit non acceptandi dignitates extra Ordinem, tunc non sufficit licentia Praelati; sed eum a suo voto solus R. P. solvere potest: ita ex C. *Honorum* URBANI VIII.

3. Religiosi promoti nulla bona secum deferre possunt, quae forsan tempore suae promotionis penes se vel alios habere contigerit; sed dumtaxat scripta propria, indumenta et breviarium. Et prohibetur Superioribus ut ipsis ad tempus concedant usum librorum aliorumve bonorum quorumcumque. Ita GRATIAN. *caus.* XVIII, q. 1 [d], et maxime BENED. XIII, C. *Postulat* [e], revocans contrarias Const. Alexandri IV et Clementis IV.

(c) C. *Si Religiosus*, 27, *de Elect.* in 6°: « Si religiosus, cuius arbitrium non ex sua, cum velle vel nolle non habeat, sed ex illius quem vice Dei supra caput suum posuit, et cuius imperio se subiecit, voluntate dependet, electioni de se ad praelationem aliquam extra suum monasterium vel suam ecclesiam celebratae, sui Superioris, qui dare ipsam valeat, non petita licentia et obtenta, praesumpserit consentire, consensus sic praestitus non teneat; et in poenam praesumptionis illius electio eadem ipso facto viribus vacuetur omnino ». — Item c. *Si Religiosus*, 2, *Extr. comm.* I, 3: « Si religiosus, qui absque sui Superioris licentia electioni de se factae consentire non potest.... ».

(d) C. XVIII, q. 1, *in Decreto :* « Statutum est et rationabiliter secundum SS. Patres a Conc. confirmatum, ut monachus, quem canonica electio a iugo regulae monasticae professionis absolvit et sacra ordinatio de monacho Episcopum facit, velut legitimus haeres paternam sibi haereditatem postea iure vindicandi potestatem habeat. Sed quidquid acquisiverat vel habere visus fuerat, monasterio relinquat et Abbatis sui.... arbitrio. Postquam enim Episcopus ordinatur, ad altare ad quod sanctificatur et titulatur, secundum sacros canones, quod acquirere poterit, restituat ».

(e) BENED. XIII, C. *Postulat* (in Bull. Societatis): « Omnibus et singulis Regularibus personis, cuiuscumque Ordinis, Congregationis ac Instituti, quae a nobis et a R. P. pro tempore existente ad Patriarchatus, Archiepiscopatus, Episcopatus vel quascumque alias praelaturas et dignitates ecclesiasticas in posterum assumentur, tenore praesentium strictissime interdicimus ac inhibemus, ne secum asportare propriisque usibus applicare audeant libros, pecunias, credita, deposita et bona mobilia seu immobilia cuiuscumque generis et speciei, quae eos tempore suae promotionis penes se vel alios habere contigerit, exceptis dumtaxat scriptis, propriis indumentis et breviario.... »; et infra : « Omnibus et singulis Superioribus,... et Capitulis quibuscumque praedictam facultatem concedendi ad tempus usum librorum aliorumque mobilium prorsus adimimus, auferimus et abrogamus ».

7. Obligationes Religiosorum ad Episcopatum aut Cardinalatum promotorum. — 1° Religiosi sic promoti remanent religiosi et ad suum Ordinem adscripti (Vernz, n. 680). Ideo eius nomen retinent, habitum et tonsuram gestare debent, exceptis quoad habitum Episcopis ex Clericis et Canonicis regularibus assumptis, qui iisdem vestibus, quibus alii Episcopi, utuntur [a]. — C. *Statutum*, in caus. XVIII, q. 1, contrarium videtur dicere; sed in hoc correctum fuit postea sequentibus dispositionibus Iuris.

2° Voto obedientiae non iam Superiori Ordinis, sed soli Romano Pontifici remanent obligati. Ad hanc assertionem probandam, non profertur textus explicitus Iuris, sed consentiunt AA.: et ratio est quia, cum inter principes Ecclesiae Dei collocantur, ordo exigit ut obedientiam iam Praelatis sui Ordinis praestare non teneantur, sed soli R. P., qui omnium

---

7. (a) Innocentius III sic statuit in Conc. Lateran. (c. *Clerici officia*, 15, *de vita et honest. Cleric.* III, 1). « Pontifices autem in publico et in ecclesia superindumentis lineis omnes utantur, nisi monachi fuerint, quos oportet ferre habitum monachalem ». — Tota Constitutio *Custodes* Bened. XIII versatur circa hoc argumentum. Locus praecipuus est: « Ea omnia (quae antea ex monumentis Ecclesiae adduxit) confirmantes et renovantes, statuimus atque sancimus ut ex monastico, regulari et Mendicantium Instituto ad episcopalem seu quamcumque aliam dignitatem, etiam S. R. E. Cardinalatum, iam evecti et in posterum evehendi, universis et singulis suae regulae officiis et obligationibus, quae Pontificale sive cuiuscumque alterius dignitatis aut Cardinalatus officium minime impediant, perpetuo subsint; et proinde sui monastici Ordinis sive alterius regulae mendicantium insignia, et propria indumenta lanea suoque peculiari colore distincta, rasilem quoque et ad cutis planitiem in summo vertice, vel eo gyro et forma expressam coronam praeferant, quibus antea cum intra eorumdem regularium Ordinum claustra Deo militarent, ex solemni sua professione insignia induere et coronam praeferre tenebantur; a cuius professionis obligationibus per munus episcopale neutiquam absolvuntur aut nullo pacto eximuntur ». — Bened. XIV, Litt. *Biennium:* « Quod autem monachi atque ii qui fratres appellantur, etiam cum ad Episcopatum evecti sunt, propriae Religionis habitum palam deferre teneantur, id extra controversiam omnino est, ex quo ita decrevit Conc. generale Lateran. sub Innoc. III.... Soli autem clerici regulares et canonici regulares ad Episcopatum promoti vestes induunt iis omnino similes, quibus utuntur alii Episcopi e clero saeculari assumpti.... ».

Episcopi regulares possunt tamen, retento colore et panno habitus monachalis, quoad formam conformari aliis Episcopis (Ferraris, v. *Episcopus*, art. VII, n. 5).

Ordinum Superior est [b]. Assertum deduci etiam potest ex iis quae dicuntur de eorum subiectione regulae (infra 4°).

3° Quoad paupertatem, non sibi nec Ordini suo, sed Ecclesiae suae acquirunt dominium bonorum quae ipsis obveniunt; verumtamen usum et usumfructum ad proprium commodum retinent. Huic iuri non obstat cessio aut renuntiatio prius facta, nisi agatur de haereditatibus quae sint alteri ante adeptum Episcopatum acquisitae [c]. De bonis sic acquisitis non possunt disponere per testamentum, siquidem ea Ecclesiae suae acquirunt. — Hoc de Episcopo residentiali; cui autem Episcopus titularis acquirat, controvertitur: ita Piat, t. I, p. 194, q. 9; Prümmer ait quod omnia, quae supersunt congruae sustentationi, in opera pietatis vel caritatis impendere debent (q. 120).

4° Remanent obligati ad regulam quam professi sunt, in omnibus quae non repugnant dignitati et officio episcopali. Ipsorum est autem prudenter iudicare quae dignitati et officio repugnent. Eos ad regulam obligari iam docet S. Thomas 2. 2.ae q. 185, a. 8 [d]. Magis fuit definitum a Benedicto XIII, C. *Custodes* (supra, *nota* a) et tandem a S. Cong. EE. et RR., 6 *maii* 1864 [e]. — Bened. XIV (*de Beatif. et Canon. SS.*, l. III,

---

(b) Cf. in A. S. S., t. I, pag. 465, votum Consultoris in decreto *SS. Congr. EE. et RR.*, 6 *maii* 1864.

(c) Ita *Causa* XVIII, q. 1 (supra nota 6, d). S. Congr. Conc., 7 *dec.* 1639, *in Neapolit.*, respondit: Regularem ad Episcopatum assumptum « recuperare ius succedendi ad haereditates post adeptum Episcopatum, sibi delatas ad utilitatem suae Ecclesiae quoad proprietatem, et ad proprium commodum quoad usumfructum. Eidem non obstare cessionem et renuntiationem quoad haereditates, quae non sunt alteri ante adeptum Episcopatum acquisitae » (A. S. S. vol. I, p. 227).

(d) « Dicendum est quod si qua sunt in regularibus observantiis, quae non impediant pontificale officium, sed magis valeant ad perfectionis custodiam, sicut et continentia, paupertas et alia huiusmodi, ad haec remanet religiosus etiam factus Episcopus obligatus, et per consequens ad portandum habitum suae Religionis ».

(e) A. S. S. vol. I, p. 465. — Post discussionem et longum votum Consultoris, posita fuit quaestio: « An et quomodo Episcopus regularis sit obligatus ad regulam quam professus est? — Eminent. Patres rescripserunt: Affirmative, ad praescriptionem Const. Benedicti XIII, *Custodes;* nempe Episcopus regularis tenetur observare regulas suae Religionis, quae materiam voti paupertatis determinant; item tenetur alias regulas et observantias dignitati et officio episcopali non repugnantes, eadem obligatione gravi vel levi observare qua tenebatur antea... ; ita tamen,

c. 3, n. 11) ait Constitutionem *Custodes* extendi ad Regulares ad Cardinalatum evectos.

5° « Officium recitare debent et divina officia celebrare iuxta ritum suae dioecesis ». Ita S. Cong. Rituum, 11 *iun.* 1605.

6° Episcopi aut Cardinales regulares si Episcopatum aut Cardinalatum dimiserint, ad claustra sui Ordinis redire tenentur; possunt tamen eligere monasterium in quod se recipiant. Ita Bened. xiii, C. *Custodes*, § 7, 8, 9.

7° Nisi non solum loco, sed et dignitati etiam renuntiaverint, inhabiles sunt ad propriae Religionis praelaturas. Paulus iv, C. *In sacra* (1559). Ita etiam declaravit S. Congr. Conc. 25 *sept.* 1858 (f).

8. Legitima votorum dispensatio. — Romanus Pontifex potest professum, etiam votorum solemnium, a votis substantialibus Religionis atque ab omnibus vitae religiosae obligationibus, iusta ex causa, dispensare, ita ut religiosus esse desinat.

1. *A votis simplicibus* R. P. non raro dispensat; sed facultatem dispensandi tum in Ordinibus sive virorum sive feminarum proprie dictis, tum etiam in Congregationibus a S. Sede approbatis sibi reservat. Ita ex variis decretis.

In decreto *Sanctissimus* (12 *iun.* 1858), de natura et qualitate votorum simplicium in Ordinibus virorum proprie dictis, art. 2 dicitur: « Eorumdem votorum simplicium dispensatio reservata est R. P., cui professi gravibus urgentibus causis preces porrigere possunt » (a). In decreto *Perpensis* (1902), pro Ordinibus

---

ut in peculiaribus casibus prudenter iudicium ferre possit, utrum cum dignitate et officio Episcopali illae conveniant. Sua Sanctitas resolutionem S. Congregationis benigne approbavit et confirmavit ».

(f) « Apostolica auctoritate statuimus et ordinamus, quod nullus cuiusvis Ordinis seu Religionis professor, Episcopus seu Archiepiscopus, postquam munus consecrationis huiusmodi susceperit, etiamsi a vinculo Ecclesiae, cui praefuerat, per Sedem Apostolicam sit absolutus,... ad dignitates aut officia seu superioritates huiusmodi, cuiuscumque qualitatis existant et quovis nomine nuncupentur, eligi seu assequi aut obtinere nullatenus possit, et ineligibilis ac ad ea obtinenda perpetuo inhabilis existat ». Cum clausulis derogatoriis amplissimis. S. Congr. Conc., 25 *sept.* 1858, A. J. P., t. iv, n. 1619.

(8) (a) Aliud est quod vota simplicia in istis Ordinibus *dimissione* cessent, ut *art.* 3 conceditur, et iam Societati Iesu concessum erat. Haec cessatio

monialium, a. 5: « Vota simplicia, uti praefertur emissa, perpetua sunt ex parte voventis ; et dispensatio super iisdem R. P. reservatur ». In C. *Conditae* (1900), pro Congregationibus votorum simplicium, etiam sacerdotum, P. II, a. 2: « Condonare vota, sive ea temporalia sint sive perpetua, unius est Romani Pontificis. — Item in NORMIS a. 1901, *art.* 112.

Aliquando tamen facultas dispensandi cum monialibus Episcopis committitur etiam modo generali, salvo voto castitatis perpetuae. Sic S. Poenitentaria, d. 13 *dec.* 1835, hanc facultatem Episcopis Galliae concessit (b).

In Congregationibus autem dioecesanis, Episcopi a votis etiam perpetuis solvere possunt moniales in actu dimissionis, salvo castitatis perpetuae voto. Sic in C. *Conditae,* Part. 1, a. 8: « Episcopo alumnas sodalitatum dioecesanarum professas dimittendi potestas est, votis perpetuis aeque ac temporariis remissis, uno dempto (ex auctoritate saltem propria) colendae perpetuo castitatis ».

2. *A votis solemnibus* Romanus Pontifex, quamvis rarissime hoc iure utatur, etiam dispensare potest.

De hac R. P. potestate olim dubitatum fuit. Eam negat S. THOMAS, 2. 2.^{ae} q. 88, a. 11. Ad quam sententiam adductus fuit cap. *Cum ad monasterium,* 6, *de statu monach.* III, 35, ubi dicitur: « Abdicatio proprietatis, sicut etiam custodia castitatis, adeo adnexa est regulae monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere ». Unde concludit S. Doctor (in fine corporis artic.). « Et ideo in voto solemnizato per professionem Religionis non potest per Ecclesiam dispensari ». Sed hodie sententia est indubitata Rom. Pontificem hanc

---

non est dispensatio (v. cap. V, n. 14), et locum non habet nisi in casibus in quibus dimissio pronuntiari potest. — Haec facultas solvendi a votis in dimissione non conceditur nisi Ordinibus proprie dictis virorum. Fuit denegata Procuratori alicuius Congregationis Sacerdotum eam petenti, 10 *iun.* 1896 (Vide n. 15, nota d).

(b) Quaerebatur: « 3° An Ordinarius super votis a monialibus emissis, data ratione sufficienti, dispensare possit, voto perpetuae Castitatis remanente ? 4°, An de votis virorum idem dicendum sit ac de votis monialium, uti videtur ? » — Resp. ad 3: Ex Sanctitatis suae declaratione, Episcopos Galliarum, *rebus sic stantibus,* posse dispensare. — Ad 4: Decreta per S. Poenitentiariam alias edita spectare solummodo ad moniales ». — Sed haec facultas concessa, rebus sic stantibus, revocata videtur C. *Conditae,* quae habet clausulam amplissimam « contrariis non obstantibus quibuscumque ».

habere facultatem ex amplissima solvendi potestate Petro data: « Quodcumque solveris super terram.... ». Unde, saltem si sit iusta causa, tanquam Christi Vicarius hac potestate gaudet. WERNZ, n. 677; PIAT, t. I, p. 172, q. 2; SUAREZ, t. VII, l. VI, c. 16 et sq. [c] Probatur insuper ex facto: nam S. Sedes pluries dispensavit (V. FERRARIS, v. *Votum*, art. III, 68). — Ad textum Iuris respondetur: verum est aliquem non posse *simul* a votis solvi et remanere monachum, sed potest simul a votis et ab obligatione professionis religiosae solvi.

3. Quando S. Sedes dispensationem votorum alicui religioso eam petenti concedit, ut plurimum eam ipsi non directe concedit, sed committit Superiori vel ut eam concedat vel ut a S. Sede concessam exsequatur (Vide infra n. 12). Porro quaeri potest quandonam gratia concessa vim suam sortiatur? utrum quando S. Sedes concedit, an quando executor eam pronuntiat, an quando intimatur oratori? — De caetero haec quaestio generalis est, quamcumque gratiam concessam complectens. — WERNZ, t. I, n. 155, II, ait de rescripto in forma gratiosa (cuius generis est dispensatio a votis): hoc rescriptum « ius quaesitum parit oratori a die datae seu expeditae gratiae, ita ut solummodo acceptatio gratiae per supplicantem accedere debeat ». Scilicet gratia concessa effectum suum non sortitur priusquam fuerit oratori intimata et ab illo acceptata: nihilominus, ubi acceptata fuerit, valet a die quo fuit concessa, ergo a die quo S. Sedes concessit, si in forma gratiosa concessit; vel a die quo exsecutor eam pronuntiavit, si executori commissum fuit ut concederet [d]. Ratio cur rescriptum non

---

(c) Vide PRÜMMER, q. 12, sententiam S. Thomae salvare conantem.

(d) Haec solutio illustrari potest a responsione quadam S. CONGR. EE. ET RR., 15 *mart.* 1892:

Fr. N. postulaverat dispensationem super votis simplicibus, asserens se ob infirmam valetudinem non posse in Ordine perseverare. S. Congr. super discipl. regul. « benigne annuit P. Ministro Generali, ad effectum de quo in precibus ». — P. Generalis his verbis dispensavit: « Dispensamus, et ab omni vinculo et obligatione dictorum votorum liberum vitae saeculari restituimus ». Priusquam autem fratri N. haec dispensatio intimata fuisset, ipse ad Generalem suum scripsit: se a daemone deceptum falsam in petitione exposuisse causam; quapropter se velle in Ordine mori et rogabat ne dispensatio a votis simplicibus sibi intimaretur. De facto intimata non fuit, et triennio post vota simplicia elapso ad solemnem professionem admissus est.

Sed tunc, dubio exorto de eius validitate, propter dispensationem a

valeat nisi intimetur et acceptetur, est quia gratia non obtruditur nolenti.

9. Saecularizatio. — Quamvis R. P. etiam in votis solemnibus dispensare possit, rarissime hac potestate utitur; sed, ubi necessitas exigit aliquam professionis relaxationem, necessitati per indultum saecularizationis occurrit, nisi hoc remedium non sufficiat. Saecularizatio est facultas, religioso professo a legitima auctoritate facta, vivendi extra claustra ad modum clerici saecularis aut laici, et ideo deposito habitu religioso [a].

Duplex est saecularizatio: perpetua et ad tempus; haec conceditur ad tempus vel determinatum vel indeterminatum.

1. *Saecularizatio, etiam perpetua,* distinguitur a dimissione et eiectione. In dimissione et eiectione solvitur vinculum inter Religionem et religiosum, et insuper in dimissione professi votorum simplicium, aut vota Religionis ipso facto cessant aut plerumque super eis a R. P. dispensatur. Contra per saecularizationem, etiam perpetuam, vota quoad substantiam semper remanent [b], et vinculum inter Religionem et religiosum relaxatur quidem, sed non penitus solvitur [c]: sae-

---

votis simplicibus, recursus ad S. Congr. EE. et RR. habitus est. Quaerebatur: « Utrum Fr. N., petitione sua non obstante, necnon rescripto S. Congr. super dispensatione a votis et eius rescripti executione a Generali, reapse dispensatus extiterit, ac eius solemnis professio invalida censenda sit. — S. Congr., 15 *mart.* 1892, respondit: Negative ad utrumque (Monitore Eccles., vol. v, pp. 2 et 75).

Ratio responsi duplex esse potuit: prima, quia in omni rescripto dispensationis, quamvis absolute concesso, semper, etiamsi non exprimatur, supponitur conditio « dummodo preces veritate nitantur » (ita c. *Ex parte*, 2, *de Rescriptis*, I, 3); et ideo tam S. Congregationis rescriptum quam eius a Generali executio, conditione veritatis non verificata, nullius valoris existebant. Sed alia ratio esse potuit, sc. quia dispensatio non fuit intimata. Dispensatio enim, utpote gratia, ut dictum est, nolenti imponi nequit; oportet ergo ut intimetur et acceptetur.

9. (a) Vide in A. S. S., t. IV, p. 388 et sqq., appendicem AVANZINI de saecularizatis.

(b) Hoc etiam in eiectione locum habet, quando vota sunt solemnia.

(c) WERNZ, n. 678, dicit in saecularizatione perpetua religiosum solvi a vinculo cum Religione inito. PIAT dicit: cessat esse membrum familiae (t. I, p. 174, q. 5). Sed hoc intelligi debet eo sensu qui in textu exponitur. Differentia non est in re, sed in solo modo loquendi; attamen propter decretum citatum potius dici debet vinculum non solvi.

cularizatus remanet religiosus, et religiosus Ordinis in quem professus est, ita ut si ad eum redeat, ex iure communi nec novitiatum nec professionem reiterare debeat. Ita S. Congr. EE. et RR., 15 *febr.* 1824, *ad* 3: « Professionem religiosam non infirmari per rescripta de quibus agitur [d], ac proinde non teneri indultarios professionem et novitiatum reiterare, quando petunt ad claustra redire; salva tamen consuetudine legitime introducta atque praescripta singulorum Ordinum religiosorum [e]. (Apud Bizzarri, p. 51, et Vermeersch, t. II, p. 424).

2. Saecularizatione perpetua nihilominus relaxatur vinculum inter Religionem et religiosum: is enim transit sub iurisdictionem et dominationem Ordinarii receptoris, *cui etiam subest in vim voti obedientiae*. Ordo autem solvitur ab omni onere erga saecularizatum. Utrumque declaratur in indultis saecularizationis perpetuae. — Ideo indultum saecularizationis perpetuae clericis in sacris constitutis generatim non conceditur nisi sub duplici conditione: quod de congruo patrimonio sibi providerint, et Episcopum benevolum receptorem invenerint. Cum religiosis laicis aut in sacris non constitutis haec duplex conditio non exigitur, sed apponitur clausula ut absque ullo Ordinis onere saecularizatio fiat.

3. Perpetuo saecularizatus amittit communionem omnium bonorum spiritualium et temporalium sui Ordinis [f].

4. Saecularizatus habitum religiosum statim dimittere iubetur; attamen generaliter ei praescribitur ut, ad excitandam memoriam sui status, huius habitus aliquod signum intrinsecus deferat, et vel in habitu clericali, si est clericus, vel si non sit, in habitu saeculari decenti incedat [g].

5. *Saecularizatus ad tempus* remanet sub iurisdictione et dominatione suorum Superiorum, sed ei permittitur vivere extra claustra, semper autem habitu regulari illico dimisso (Ita ex formulis indultorum).

(d) Agebatur de rescriptis saecularizationis cuiuscumque. — Contextus indicat agi maxime de saecularizatione perpetua.

(e) Hoc responsum omnino generale datum fuit post diligens examen a S. Cong. EE. et RR. institutum ad solvenda varia quaesita de saecularizatione. Responsa S. Congregationis fuerunt a Leone XII approbata et confirmata.

(f) Avanzini, loco citato in *nota* a.

(g) Haec omnia ex formulis indultorum saecularizationis habentur. Varias formulas refert Vermeersch, t. II, p. 424, sq.

6. Saecularizatio ad tempus aliquando permittitur ad annum, ad praeparandam saecularizationem perpetuam, ut indultarius interim Episcopum receptorem inveniat et patrimonium sibi constituat. Quod tempus, si necesse est, a S. Congregatione ad alium annum prorogatur (h).

Alias conceditur saecularizatio ad tempus, ut alicui necessitati remedium afferatur, v. g. ad subveniendum parentibus indigentibus, vel ut creditoribus satisfiat, etc. Tunc saecularizatio vel conceditur ad annum, triennium, quinquennium, vel durante necessitate, vel ad arbitrium S. Sedis aut Superioris Regularis. Tansacto tempore praefixo, indultarius ad claustra redire tenetur.

10. Indulta saecularizationis. — Solus Romanus Pontifex saecularizationem concedere potest, etiam ad tempus. Superiores regulares nequeunt permittere subditis suis ut vivant extra claustra ad morem saecularium (a).

(h) *Die* 16 *aug.* 1898 prodierunt litterae S. CONGR. SUPER DISCIPL. REGUL. ad Archiepiscopum Valentinen. tenoris sequentis: « Difficili Regularium hodiernae conditioni occurrere satagens, S. Congr. super disc. reg. pro illis religiosis qui, gratia vocationis destituti vel de alia rationabili causa muniti, extra claustra degere voluerunt et tractu temporis vellent, auditis Superioribus Generalibus Ordinis, maturo consilio statuit atque decrevit, ut ipsis facultas tribueretur manendi extra claustra, habitu regulari dimisso, ad annum, quo tempore sacrum patrimonium sibi constituerint, Episcopum benevolum receptorem invenirent, atque deinde pro saecularizatione perpetua iterum recurrerent, et interim sacra facientes, verbum Domini praedicantes, fidelibus populis pia conversatione prodesse valerent ».

Inde patet, inter alia, saecularizatos ad tempus non transire sub auctoritatem et iurisdictionem Ordinarii loci: quod de caetero sequitur ex eo quod sub iurisdictione proprii Praelati remanent. Notandum est tamen has litteras non esse decretum generale, imo spectare ad solum Ordinem SS. Trinitatis. Nihilominus ex ea satis haberi potest modus ordinarius procedendi S. Congreg. in concedendis indultis saecularizationis ad tempus.

10. (a) CLEMENS VIII, Dec. *Nullus* (1599), art. 32: « Ineatur ratio qua, sublatis licentiis ac facultatibus hactenus quibuscunque concessis, degentes extra conventus claustra ad ea quamprimum revocentur, nec de caetero, nisi ex gravissima causa *a Sede Apostolica probanda*, huiusmodi facultates concedantur ». Cf. etiam decretum *Sacra Congregatio* (1624) URBANI VIII, in quo duo tantum conceduntur Superioribus Religionum, primum ut permittant transitum ad aliam Religionem, dummodo translatus recta se ad novum monasterium conferat; secundum, ut incorri-

R. P. saecularizationem concedit per indultum, cuius formula exprimit conditiones quibus saecularizatus subiacet. Ideo in unoquoque casu, ante omnia, ex particulari indulto obligationes et iura saecularizati desumenda sunt (b).

Indultum saecularizationis quadruplici ratione concedi solet (Wernz, n. 678; Bizzarri, p. 666):

Prima dicitur in forma gratiosa: gratia petita directe a S. Congr. oratori conceditur; haec ratio raro adhibetur. — In aliis rationibus, gratia non directe oratori conceditur, sed vel eius Superiori, vel Episcopo, vel alii, qui executor dicitur, verum aliter et aliter, ut is exsequatur munus a S. Congr. ipsi commissum.

Secunda ratio, quae dicitur in forma absolute commissoria, ita se habet: S. Congr. gratiae concessionem exsecutoris arbitrio et conscientiae plane committit, qui eam concedere vel denegare potest.

Tertia est forma mixta: S. Congregatio gratiam concedit, sed sub conditione quod preces veritate nitantur. Ideo exsecutori committit ut inquirat de earum veritate, et gratiam non intimet nisi de ea constet.

Quarta est forma vere exsecutoria: scilicet exsecutor sine inquisitione gratiam a S. Congr. concessam intimare debet, nisi sit evidens subreptio (Bizzarri, l. c.).

In saecularizationibus ad tempus S. Congregatio, quando gratiam concedendam iudicat, eam committere solet Generali Ordinis, cui relinquit facultatem apponendi conditiones bene sibi visas.

Si de indulti valore dubitatur, sola S. Congr. EE. et RR. de eo iudicare potest, et interea indultum a Superioribus indultarii et ab aliis ceu validum haberi debet. Ita Leo xii expressa sua voluntate statuit decreto 30 *ian.* 1824 (Apud Vermeersch, t. ii, p. 425).

11. Aliqua saecularizatorum iura. — Saecularizati, etiam in perpetuum, non amittunt *privilegium fori,* etiamsi sint laici: nam remanent religiosi. Quaestio posita fuit, et S. Congr. 6 *iun.* 1826 respondit: Affirmative, eos servare privilegium fori;

---

gibiles eiiciant. Clare apparet, etiamsi expresse non dicatur, nullo alio modo permittere posse ut religiosus extra claustra vivat.

(b) In *litteris* 16 *aug.* 1898 (cf. supra 9, *nota* g): « .... Ita ut speciale rescriptum eiusque conditiones legem pro individuo constituant; et solummodo ab eo Ordinarius sui agendi rationem quaerere debeat ».

simul voluit ut Episcopus saecularizatum laicum cogeret ad abstinendum a quacumque arte sordida et indecora (A. S. S., t. II, p. 114). Et d. 22 *aug.* 1843, S. CONGR. IMMUNITATIS, quaesito: « An petitioni, qua clericus (in minoribus) professus saecularizatus instat pro cingulo militari, sit annuendum », respondit: « Negative » (A. S. S., ibid., p. 116).

2. *Quoad confessionem, d.* 27 *aug.* 1852 prodiit sequens generale responsum a PIO IX approbatum: « Regulares etiam ad tempus saecularizatos debere exomologesim suam facere penes confessarios approbatos ab Ordinario loci, a quibus in actu sacramentalis confessionis absolvi poterunt etiam a censuris et casibus reservatis in Ordine, si in dioecesi reservata minime sint » (Apud VERMEERSCH, t. II, p. 429).

3. Episcopi qui saecularizatos perpetuos benigne receperint, aut in quorum dioecesibus versentur saecularizati ad tempus, eorum opera pro lubitu uti possunt, dummodo non sint speciali censura irretiti. Ita respondit Archiepiscopo Valentinensi S. CONGR. SUPER DISC. REG., *d.* 16 *aug.* 1898 [a].

12. Obligationes saecularizati in perpetuum ex peculiari indulto in singulis casibus desumendae sunt. Nihilominus aliquae communiter in indultis continentur, aut lege generali fuerunt determinatae.

1° *Remanet votis ligatus;* sed quoad *obedientiam*, saecularizatus in perpetuum transit sub iurisdictionem et dominationem Ordinarii loci ubi commorabitur [a], cui etiam in vim voti solemnis obedientiae subest.

Quoad *castitatem,* nihil mutatur, ut patet. Ideo in indultis pro laicis aut clericis in sacris non constitutis, apponitur expressa clausula: firmo remanente voto castitatis.

---

11. (a) In hac epistola dicitur: religiosos huiusmodi saecularizatos pertinere ad Ordines votorum solemnium; « proinde, nisi sint aliqua speciali censura irretiti, nulla ipsi indigent nova facultate, ut sacris ministeriis, Episcopi auctoritate, in respectiva dioecesi possint vacare ». — Explicatur nullum inde detrimentum iurisdictioni Episcopi afferri: « Namque Ordinarius invitus non cogitur illos in suum clerum coaptare, neque beneficiis ecclesiasticis proponere, sed perdurante gratia concessionis.... ad sancta obeunda ministeria pro lubitu in sua dioecesi habilitare potest, si velit ».

12. (a) Ita dicitur in indultis pro laicis. Ita etiam in indultis pro clericis in sacris constitutis, sed additur conditio ut prius Episcopum benevolum receptorem inveniant et de patrimonio sacro sibi provideant.

Quoad *paupertatem,* eis conceditur ut bonis, quae ipsi obvenerint, uti possint ad honestam sustentationem aut in licitos et honestos usus; imo clerici in sacris non conceditur saecularizatio nisi congruum patrimonium sibi constituant. Attamen, cum saecularizati votum solemne paupertatis retineant, ipsis horum bonorum solus usus et usufructus, non autem dominium conceditur; ideo de eis nec per actus inter vivos, nec per testamentum aut alio modo disponere possunt. Haec satis per se patent ex natura voti solemnis paupertatis, quod saecularizatus retinet; confirmantur praeterea variis responsis circa quaestionem sequentem.

2° Quoad *haereditatem* saecularizati, scilicet cuinam eveniant post eius mortem bona quorum usus ei permittebatur, et quae moriendo relinquit, determinatur responso d. 26 *iun.* 1829[b]. Quaerebatur cuinam competeret ius succedendi haereditati Regularis professi saecularizati ad tempus, et Regularis professi saecularizati in perpetuum. Responsum fuit: « 1. De haereditate saecularizati ad tempus iudicandum esse iuxta dispositiones iuris ecclesiastici communis, scilicet eam spectare ad propriam defuncti Religionem ». 2. Quod ad saecularizatum in perpetuum spectat, « distinguendum esse inter varia bona ab eo relicta [c]: scilicet, bona quae Religionis erant secumque e claustro egrediens ipse attulerat, vel ei utcumque evenerunt[d], quemadmodum et bona, si quae habebat ex illis provenientia, eidem Religioni manere. Quoad autem caetera bona a tali Religioso extra claustra aliter quam ex bonis ad Religionem pertinentibus acquisita, iudicandum de eis esse iuxta Constitutionem Gregorii xiii *Officii nostri* » [e]; et ideo « si religiosus

(b) Apud Bizzarri, p. 56, et Vermeersch, t. ii, p. 426. — Dubia, quibus in hoc responso satisfit, fuerunt a Leone xii, speciali Congregationi quatuor Cardinalium commissa, et eius responsum a Pio viii, eius successore, fuit confirmatum.

(c) In quaesito agebatur proprie de religioso publica vi e coenobio ejecto (et deinde saecularizato), cui proinde in violenta dispersione aliqua bona conventus committi potuerant. Inde responsio Congregationis.

(d) Sensus est: si agitur de bonis Religionis, sive ea Religiosus secum asportaverit, sive ea ipsi alio modo evenerunt, v. g. quia postea ei Superiores commiserunt,... ea ipsi remanere.

(e) Gregor. xiii, dicta Const. (1577) statuit ea bona religiosi extra claustra decedentis nec ad Religionem nec ad alios esse attribuenda, sed ad Cameram Apostolicam, nisi Religiosus extra claustra obtinuerit legitimam facultatem de eis disponendi, eaque usus fuerit.

obtinuerit facultatem disponendi de bonis et ea legitime usus fuerit, ius ad bona illi competere cuius favore facta est dispositio ». — Ex hoc responso deducitur etiam saecularizatum non habere dominium bonorum quorum usus ipsi permittitur, eaque nec sibi nec Religioni acquirere. Nam dispositio ab eo facta non iudicatur legitima ac valida, nisi obtinuerit Apostolicum indultum quo haec disponendi facultas ipsi concederetur.

Aliud est responsum S. Congr. EE. et RR., 6 *iun.* 1836, circa pensiones quae a publico aerario solvuntur Regularibus extra claustra degentibus. Quaerebatur cuinam, post eorum mortem, competat ius percipiendi ratas nondum solutas. Responsum fuit: 1. Si fuerint professi votorum solemnium, et indultum saecularizationis ad tempus obtinuerint, spectare ad propriam defuncti Religionem. 2. Si indultum perpetuum, ad Rev. Cameram, secundum Constitutionem Gregorii XIII, *Officii nostri*. 3. Si non tantum indultum perpetuum, sed insuper facultatem disponendi de bonis habuerint eaque usi fuerint, ius pertinere ad eum cuius favore facta est dispositio. 4. Si religiosus saecularizatus professus votorum simplicium tantum fuerit, ius neque ad Institutum neque ad Rev. Cameram Spoliorum spectare, sed ad haeredes religiosi sive ab intestato sive testamento institutos.

3° *De beneficiis*. Lex est generalis qua beneficia saecularia Regularibus dari prohibetur: imo ad ea Regulares incapaces dicuntur, ut habetur in Trident. *sess.* XIV, c. 11 *de Reformatione* (f). Unde saecularizatis (quippe qui religiosi remanent) beneficia ecclesiastica conferri non possunt, nisi ad haec speciali indulti dispositione habilitentur. Imo, etiamsi habilitentur, quamvis faciant suos fructus beneficii, eis pro sua congrua sustentatione tantum uti possunt (g).

(f) « Translatus (de uno Ordine in alium) etiamsi Canonicorum regularium fuerit, ad beneficia saecularia, etiam curata, omnino incapax existat ».

(g) Vide Bizzarri, p. 775 *in nota*. Praeterea habentur tria responsa S. Congregationis super disc. regul. 31 *ian.* et 21 *febr.* 1899. Quaerebatur 1° « An religiosi perpetuo saecularizati simplici rescripto saecularizationis perpetuae, auctoritatem habeant accipiendi ac retinendi beneficia ecclesiastica, sive residentialia vel etiam cum cura animarum, sine Sedis Apostolicae habilitatione? » Responsum fuit: « Negative ». — 2° « An institutiones parochorum et canonicorum ex religiosis tantum saecula-

4° *Regulis* saecularizati in perpetuum obligari non videntur. Ita Bizzarri, p. 774; Vermeersch, t. I, n. 329, 3°. — Piat, p. 174, q. 5, resp. 1, ait: « Iuxta plures non amplius ligantur regulae praeceptis quae vota non respiciunt ». Rationes sunt, quod cessant esse membrum familiae; quod in indulto dicuntur iam Episcopo subesse etiam in vi voti obedientiae, scilicet retrahuntur ab obedientia Ordinis ut transeant sub obedientia Episcopi; quod impossibilis est ipsi observatio plurimarum ex regulis. — Ratio gravis dubitandi est responsio facta pro religiosis ad Episcopatum promotis, quod ipsi regulis, in omnibus quae eorum dignitati et officio non repugnant, remanent obligati. Porro difficultas regulas observandi non est minor in Episcopo, nec ipse subiacet obedientiae Ordinis.

13. De reditu saecularizati ad suam Religionem. — 1. *Saecularizatus ad tempus* quando tempus in indulto praefixum iam est transactum, redire debet ad monasterium vel temporis prorogationem impetrare. Si saecularizatio ad arbitrium S. Sedis aut Superioris regularis data fuerat, redire debet quando revocatur. — Imo redire potest antequam tempus in indulto praefixum sit transactum, et Ordo eum admittere tenetur. Ita Piat, t. I, p. 174, q. 5, resp. 2, ex multis responsis S. Congr. EE. et RR. Nihilominus hoc intelligendum est, quando indultum est unice in favorem religiosi: nam si est etiam in favorem Religionis, v. g. ut religiosus facilius subveniat parentum necessitati, cui subvenire tenetur, vel ut debita solvat, tunc Religio non videtur obligari ad eum recipiendum priusquam cessaverit causa propter quam indultum concessum fuerat.

2. Quid si *perpetuo saecularizatus* ad suam Religionem redire voluerit? — Primo, ut admittatur nulla praerequiritur licentia S. Congr. EE. et RR., quae indultum concessit. Ita in responso 15 *febr.* 1824, *ad* 4 [a]. Secundo, non obligatur per se reiterare

---

rizatis perpetuo neque ad beneficia habilitatis sint invalidae, quamvis bona fide peractae? ». Resp.: « Investituras, de quibus in casu, esse nullas in radice ». — 3° Utrum parochus N. perpetuo saecularizatus, et legitime in curam animarum institutus (sc. qui ex dispensatione beneficium cum cura animarum acceperat) posset facere suos fructus beneficii parochialis et in quamnam rationem? R. Affirmative ad primam partem; ad secundam: pro sui congrua sustentatione tantum ».

13. (a) « An expediens sit aut etiam necessarium praescribere ut nullus

novitiatum et professionem, salva tamen consuetudine legitime introducta atque praescripta singulorum Ordinum regularium (Idem, *resp. ad* 3) (b). Tertio, Religio non tenetur recipere perpetuo saecularizatos petentes redire ad claustra, nisi ex S. Sedis praescripto. S. Congr. EE. et RR. 15 *maii* 1840 (apud Piat, p. 174; — A. J. P. t. XVII, n. 1633). Quarto, postquam in Religionem rursus admissi fuerint, antiquitas professionis a die reditus computanda est. Ita S. Congr. EE. et RR., rescripto 30 *apr.* 1838 (c).

14. Dimissio et eiectio seu expulsio. — Voces *dimissio, eiectio, expulsio* saepe tamquam synonymae adhibentur, ad exprimendum actum quo professus votorum solemnium aut simplicium a competente Superiore ex Ordine praescinditur.

Sed nunc voces *eiectio* et *expulsio* pressius (et indifferenter) adhibentur, ubi de religiosi solemniter professi ab Ordine praescissione agitur; vox *dimissio,* ubi de religioso simpliciter professo. Paulo aliter Vernz, n. 676, qui vocem *Eiectio* retinet quoties religiosus propter culpam gravem forma iudiciali adhibita ab Instituto segregatur, et vocem *dimissio* quando sine forma iudiciali. Alii vocem *dimissio* his reservant qui soluti a votis ad vitam saecularem redeunt, vocem *eiectio* his qui votis obligati post praescissionem remanent. Ita Besson, n. 365. Sed in recentioribus documentis eae voces adhibentur sensu prius indicato, et hoc sensu hic adhibebuntur (a).

Regularis saecularizatus redire et readmitti possit in suo Instituto, inaudita S. Congregatione EE. et RR. — Resp.: Negative ».

(b) Supra nota 9 e.

(c) « S. Congregatio censuit rescribendum prout rescripsit, anterioritatem religiosorum, qui perpetuae saecularizationis indultum consequuti sunt, a die reditus in Religionem computandam esse ». — Quamvis rescriptum sit particulare, quoad formam tamen est generale. — Responsio data non debet extendi ad saecularizatos ad tempus, ut notat Piat (t. I, pag. 174, q. 5, 3°). Res ex se satis clara est, et confirmatur ex verbis responsi « qui perpetuae saecularizationis.... » ; vox *perpetuae* non erat in quaesito: apposita fuit in responso.

14. (a) Ita videntur adhibitae hae voces in decreto *Auctis.* — N. 4° dicitur: « Alumni votorum solemnium, vel votorum simplicium perpetuorum vel temporalium.... qui expulsi vel dimissi fuerint.... » (ubi vox *expulsi* alumnis votorum solemnium, vox *dimissi* alumnis votorum simplicium applicari potest). — N. 3° statuitur ut methodus, quae adhibetur in Ordinibus religiosis in *expellendis* propriis alumnis, et in decretis Urbani VIII et Inno-

Praeter hanc differentiam, quod dimissio de religiosis votorum simplicium, eiectio aut expulsio de religiosis votorum solemnium dicitur; dimissio et eiectio differunt tum ratione causae propter quam pronuntiantur, tum ratione formae, tum ratione effectuum.

Ratione causae. Causa dimissionis sane semper gravis esse debet: siquidem agitur de recessu a statu religioso, statu per se firmo: sed haec causa non est necessario culpa, et dimissio aliis de causis, maxime si petitur, pronuntiari potest (decreto *Sanctissimus*, § 5 — Decreto *Auctis*, § v). Contra, eiectio pronuntiari non potest nisi propter culpam gravem, externam, publicam, et delinquentis incorrigibilitatem (Decr. *Auctis*, § 3). Inde eiectio non fit sine eiecti infamia; dimissio, eo ipso quod sine culpa dimissi pronuntiari potest, non est infamans.

Ratione formae. Eiectio formam iudicialem ex iure communi requirit. Dimissio sine forma iudicii, sola inspecta facti veritate, pronuntiari potest (Decr. *Sanctissimus*, § 5).

Ratione effectuum. Dimissus plerumque a votis solutus remanet, sive vota dimissione ipsa solvantur, ut fit in Ordinibus proprie dictis, sive ipse eorum solutionem a S. Sede impetret, ut in Congregationibus votorum simplicium; contra, eiectus vota sua solemnia retinet, et rarissime a S. Sede super eis dispensatur. Insuper eiectus semper eo ipso incurrit suspensionem S. Sedi reservatam; dimissus non incurrit, quando non dimittitur propter culpam gravem et incorrigibilitatem, dummodo debitae conditiones serventur, ut nota dicetur (n. 17).

15. Dimissio professi ex Institutis votorum simplicium. — 1. Decreto *Auctis* (4 *nov.* 1892) sancitum est ut in Institutis votorum simplicium, tum alumni qui vota perpetua fecerint,

---

centii XII describitur (haec respicit religiosos solemniter professos), servetur in Institutis votorum simplicium in *dimittendo* professo in sacris constituto. Et additur, quod « neminem (Superiores) *dimittere* valeant, nisi propter culpam gravem externam et publicam, et instruendo processum ». Notetur quod, ubi in decretis supradictis Urbani et Innocentii adhibetur vox *eiicere*, in decreto *Auctis* usurpatur vox *expellere* ad significandam unam eamdemque methodum, quoad solemniter professos servandam: ergo hae duae voces revera ut synonymae habentur. — In decreto « *Sanctissimus* » (1858), in quo de solis votis simplicibus agitur, vox *dimissio* in §§ 3, 4, 5, unice adhibetur, ex quacumque causa pronuntietur. — S. Congr. EE. et RR., 22 *maii* 1894, *ad* 34, in observationibus super constitutionibus alicuius Instituti, adnotat: « Improprium est dicere sorores *expelli*, sed dicatur *dimitti* ».

tum qui vota tantum temporalia quando sunt in sacris constituti, dimitti non valeant nisi propter culpam gravem, externam, publicam cum incorrigibilitate coniunctam, et processo canonico instituto [a].

2. Deinde a. 1900, Const. *Conditae* statutum fuit: *a)* quoad Congregationes a S. Sede approbatas, facultatem dimittendi professos suos Instituto relinqui sub conditionibus ex Instituti legibus pontificiisque decretis praefixis: ita tamen ut dimissi a votis per dimissionem non solvantur; haec facultas condonandi vota Romano Pontifici reservatur [b].

---

15. (a) Decr. *Auctis*, n. 3: « Dispositiones contentae in decreto S. Congr. Conc., iussu s. m. Urbani VIII edito d. 21 *sept.* 1624, incipiente *Sacra Congregatio*, ac in decreto eiusdem Congr., iussu s. m. Innocentii XII edito d. 24 *iulii* 1694, incipiente *Instantibus*, ac in aliis decretis generalibus, quibus methodus ordinatur a Superioribus Ordinum Regularium servanda in expellendis propriis alumnis, nedum in suo robore manent, sed servandae imponuntur etiam Superioribus Institutorum votorum simplicium, quoties agatur de aliquo alumno vota simplicia quidem sed perpetua professo, vel votis simplicibus temporaneis adstricto ac in sacris iusuper ordinibus constituto dimittendo; ita ut horum neminem et ipsi dimittere valeant, ut nunc dictum est, nisi ob culpam gravem, externam, publicam, et nisi culpabilis sit etiam incorrigibilis. Ut autem quis incorrigibilis revera habeatur, Superiores praemittere debent, distinctis temporibus, trinam admonitionem et correctionem; quo nihil proficiente, debent processum contra delinquentem instruere, processus resultantia accusato contestari, eidem tempus congruum concedere, quo suas defensiones sive per se, sive per alium eiusdem Instituti religiosum, instituere valeat; quod si accusatus ipse proprias defensiones non praesentaverit, Superior, seu Tribunal, defensorem ut supra alumnum respectivi Instituti ex officio constituere debebit. Post haec Superior cum suo Consilio sententiam expulsionis aut dimissionis pronuntiare poterit; quae tamen nullum effectum habebit, si condemnatus a sententia prolata rite ad S. Congr. EE. et RR. appellaverit, donec per eamdem S. C. definitivum iudicium prolatum non fuerit ».

(b) C. *Conditae*, P. II, n. 1: « Praesidum est tirones ac professos dimittere, iis tamen servatis quaecumque ex Instituti legibus pontificiisque decretis servari oportet; — n. 2: Condonare vota, sive ea temporalia sint sive perpetua, unius est Romani Pontificis ».

Aliqua sunt Instituta votorum simplicium qui facultatem condonandi vota in dimissione obtinuerunt. Gregorius XVI eam Maristis concessit eo Brevi quo eorum Congregationem approbavit (Br. *Omnium gentium salus* 29 *apr.* 1836). Sed aliis Congregationibus etiam Sacerdotum eadem facultas fuit denegata. Procurator generalis alicuius Congregationis, in qua vota simplicia perpetua emittuntur, eam petiverat: S. CONGR. EE. ET RR. die 10 *iun.* 1896

b) Quoad Congregationes dioecesanas, an relinquatur Congregationi facultas dimittendi professos, dependet a regulis ab Episcopo approbatis. Per dimissionem vota non cessant, nec ea Superiores condonare possunt. Sed agnoscitur ius Episcopo dimittendi professos, et ei committitur facultas a votis etiam perpetuis dispensandi, non tamen iure ordinario a voto perpetuo castitatis (C. *Conditae*, P. I, a. 8) [c].

3. In dimissione decreta pontificia servari debent, ut expresse in praecitata Constitutione dicitur; ideo dimitti nequeunt professi votorum perpetuorum, aut etiam votorum simplicium temporeaneorum si sint in sacris, nisi servata forma in decreto *Auctis* praescripta [d].

---

respondit: «non expedire; sed recurrendum ad hanc sacram Congr. ab ipsis alumnis, postquam fuerint legitime dimissi, pro enuntiata dispensatione obtinenda ».

(c) « Episcopo alumnas sodalitatum dioecesanarum professas dimittendi potestas est, votis perpetuis aeque ac temporaneis remissis, uno dempto, ex auctoritate saltem propria, colendae perpetuo castitatis. Cavendum tamen ne istiusmodi remissione ius alienum laedatur. Laedetur autem si insciis Moderatoribus id fiat iusteque dissentientibus » (P. I, a. 8).

(d) Extat responsum S. CONGR. EE. ET RR. (4 *iul.* 1898) quo confirmatur non posse dimitti professos votorum perpetuorum in Congregatione votorum simplicium, etiam si non sint in sacris constituti, nisi servata formata decreti *Auctis*, excepto speciali privilegio. Superior alicuius Congregationis votorum simplicium exponebat esse in suo Instituto aliquos alumnos, sacris ordinibus non initiatios, incorrigibiles et aliis scandalum praebentes; addebat: « Dubitatur de intelligentia recentis decreti *Auctis*, super facultate expellendi alumnos votorum simplicium perpetuorum non ordinatos in sacris, sine processus formatione, ad quod Constitutiones nostrae Superiori Generali auctoritatem conferunt », et quaerebat: « An Superior Generalis suos alumnos inobservantes, et in casu proposito, ab Instituto expellere queat? » — S. Congr. respondit: « Prout proponitur, negative. Sed S. Congr. facultatem Superiori Generali una cum suo Consilio generalitio benigne tribuit procedendi ad dimissionem alumnorum de quibus agitur, quatenus enuntiati alumni in ordinibus sacris constituti non fuerint, summario modo, constito de eorum incorrigibilitate, seu processu camerali cum descriptione criminum et aliqua probatione, necnon constito aliquo viro religioso pro defensore, firmo remanente perpetuo voto castitatis ab eisdem in dicto Instituto emisso ».

Ex hoc responso duo habentur: primo, quod satis patebat ex verbis decreti et clausulis amplissimis, decretum comprehendere dimissionem omnium religiosorum votorum perpetuorum, etiam in sacris non constitutorum, et per idem derogatum esse constitutionibus et privilegiis Congregationum; secundo, pro religiosis in sacris non constitutis S. Congrega-

16. De dimissione professi votorum simplicium ex Ordinibus proprie dictis. — Quando primo a S. Ignatio admissa sunt in Ordine religioso vota simplicia Religionis, ea sive pro scholasticis, sive pro coadiutoribus formatis eo modo instituit (et SS. Pontifices approbarunt), ut Societas remaneret libera ad scholasticos et coadiutores dimittendos, sub hac lege quod per dimissionem soluti a votis remanerent. (Cf. c. v, n. 11 et 12).

Postquam autem Pius IX, C. *Neminem* (1857), in omnibus Ordinibus professionem votorum simplicium, per triennium ante professionem solemnem servandam, instituit; alio decreto *Sanctissimus* (12 *iun.* 1858) (pro Ordine S. Dominici dato, sed ad omnes alias Religiones quae petiverint, extenso) facultatem dimittendi professos votorum simplicium iisdem Ordinibus concessit, ita ut dimissi liberi a votis eo ipso remanerent; et simul statuit ut, ex parte motivi dimissionis, sufficerent *rationabiles et iustae causae;* ex parte formae, non requireretur processus et forma iudicii, sed liceret procedere sola inspecta facti veritate [a].

Sed anno 1892 (4 nov.) editum est decretum *Auctis*, in quo de dimissione agitur nn. 3, 4, 5, et novae dispositiones statuuntur.

---

tionem formam in decreto stabilitam non eodem rigore urgere, et facilius dispensare ut forma iudiciaria non stricte servetur. Attamen hic exigitur incorrigibilitas eiusque aliqua probatio, constitutio defensoris religiosi, sententia a Generali cum suo Consilio (non a solo Generali) prolata. — In Normis *a.* 1901 (de Institutis sororum et fratrum) « pro dimittenda sorore votorum perpetuorum accedat oportet confirmatio S. Congregationis » (*art.* 196).

16. (a) Decr. *Sanctissimus*, 12 *iun.* 1858, quoad dimissionem haec statuit: « *Art.* 2. Votorum simplicium dispensatio reservata est R. P., cui professi gravibus urgentibus causis preces porrigere poterunt.

Art. 3. Verum eadem simplicia vota solvi etiam possunt ex parte Ordinis in actu dimissionis professorum, ita ut, data dimissione professi, ab omni dictorum votorum vinculo et obligatione eo ipso liberi fiant.

Art. 4. Facultas autem dimittendi professos votorum simplicium, de quibus agitur, spectat ad Magistrum Generalem Ordinis cum suo generali Consilio. (Ipsi permittitur hanc facultatem in certis circumstantiis delegare).

Art. 5. Licet ad decernendam dimissionem neque processus neque iudicii forma requiratur, sed ad eam procedi possit sola facti veritate inspecta: tamen Superiores procedere debent summa charitate, prudentia et ex iustis et rationabilibus causis ».

Articulus 3us, ut legenti patet [b], non spectat nisi ad Instituta votorum simplicium: siquidem hic ea, quae prius per decreta Urbani et Innocentii pro Ordinibus Regularium sunt constituta, extenduntur ad Instituta votorum simplicium. Haec sententia, per se ex contextu manifesta, confirmari potest epistola S. Congr. super disc. regul. d. 16 *aug.* 1898, data ad Archiepiscopum Valent., in qua dicitur: hoc decretum *Auctis* « per regulam generalem afficit Instituta recentia votorum simplicium, ac tantum per exceptionem respicit Ordines proprie dictos, in quibus vota solemnia nuncupantur » [c].

Ita quidem vi solius decreti; sed si mens et stylus S. Congr. Epp. et Reg. spectentur, dicendum est decretum *Auctis* comprehendere etiam Religiones proprie dictas, ubi agitur de dimissione *alumni in sacris constituti*. Ita Wernz, n. 676, III [d].

Ergo remanet facultas concessa decreto *Sanctissimus,* Ordinibus formalibus, si agitur de dimissione professi votorum simplicium in sacris non constituti: is potest dimitti a Generali Ordinis propter gravem causam et sine forma iudiciali; sed si agitur de dimissione religiosi in sacris constituti, dicendum est decretum *Sanctissimus* correctum fuisse per decretum *Auctis;* ita saltem ex stylo S. Congregationis [e].

Rationes autem, propter quas dimitti potest professus vo-

(b) Cf. notam 15 a.

(c) Ferrari, p. 127, censet hanc decreti praescriptionem non spectare nisi ad Instituta votorum simplicium. Prümmer, qui eius sententiam refert (q. 125, f.), addit: « Omnia haec probabilius tantum Institutis votorum simplicium praescribuntur, cum in citato decreto non revocentur ea quae anno 1858 a Pio IX statuta sunt (decr. *Sanctissimus*) ».

(d) « Viri religiosi in sacris ordinibus constituti et *in Religione* vel in congregatione religiosa votis simplicibus obstricti non possunt expelli nisi ob culpam gravem et externam et publicam cum incorrigibilitate coniunctam; de qua culpa et incorrigibilitate constare debet per processum canonicum, salvis specialibus facultatibus » (Wernz, l. c.).

(e) Notandum est alios Ordines non magnum gravamen ex hac extensione Decreti *Auctis* subire: nam eorum alumni tribus annis tantum remanent in professione simplici, omnes postea ad professionem solemnem admittuntur, et intra hoc triennium ad ordines sacros promoveri non possunt. Unde tunc tantum subeunt gravamen, si intra triennium professionis simplicis dimittendus sit alumnus, qui iam sacris initiatus Ordinem intrasset. — In Societate contra, omnes ordinantur sat diu ante ultima vota, et haec vota non sunt solemnia pro omnibus. Unde Societas gravamen subit in dimittendis quibuscumque coadiutoribus spiritualibus formatis et omnibus scholasticis postquam sacris initiati fuerint.

torum simplicium in sacris non constitutus, debent esse iustae et rationabiles; non sufficit infirmitas post professionem votorum simplicium superveniens (Decret. *Sanctissimus,* n. 5). Quaenam praecise sit causa legitima dimissionis, S. Congr. EE. et RR. interrogata respondit (15 *dec.* 1893): « relinqui conscientiae et prudenti iudicio Superiorum »; et rursus interrogata respondit: « non esse interloquendum cum agatur de re ab Apostolica Sede commissa iudicio et conscientiae Superiorum » (Prümmer, q. 125, e).

17. Status dimissi. — *a)* Si dimissus pertinet ad Congregationem votorum simplicium, per dimissionem ipsam vota non solvuntur (nisi Congregatio speciali privilegio gaudeat); sed debet ipse recurrere ad S. Congr. EE. et RR. ut a votis dispensetur. Ita ex rescripto eiusdem Congr., 10 *iun.* 1896 (supra, *nota* 15, b).

b) Si dimissus pertinet ad Ordinem proprie dictum et non sit in sacris constitutus, ipsa dimissione a votis solvitur, ut dictum est [a].

c) Sed si dimissus est in ordinibus sacris constitutus, sive sit Religionis votorum solemnium, sive Instituti votorum simplicium alumnus, subiacet diversis conditionibus pro causis dimissionis:

Si invitus propter culpas graves dimittitur, perpetuo suspensus remanet, donec a S. Sede alio modo ei consulatur, et praeterea Episcopum benevolum receptorem invenerit et sibi de patrimonio ecclesiastico providerit (Decr. *Auctis, art.* 4).

Si sponte dimissionem obtinuerit propter alias causas, e claustro exire non debet priusquam Episcopum benevolum receptorem invenerit et de patrimonio ecclesiastico sibi providerit. His impletis conditionibus exire potest, et Episcopus benevolus receptor eius opera ad sacra ministeria uti potest. Si prius exierit, suspensus manet (*ib. art.* 5) [b]; de caetero

---

17. (a) Petitum fuit quomodo gerere se debeat Ordinarius cum dimissis a votis solutis, qui aut ad sacros ordines aut ad matrimonium forte aspirent. S. Congr. super statu Regul. respondit (20 *ian.* 1860, ad 4): « Si professi votorum simplicium, sive per dimissionem ab Ordine sive per Apostolicam dispensationem, ab emissis votis soluti fuerint, se gerat cum illis prout cum suis caeteris dioecesanis sese gerere debet ».

(b) Decretum *Auctis, art.* 4: « Alumni votorum solemnium vel simplicium perpetuorum vel temporalium in sacris ordinibus constituti, qui expulsi vel dimissi fuerint, perpetuo suspensi maneant, donec a S. Sede

haec suspensio non videtur esse poena, sed dispositio disciplinaris, nec culpam supponit in eo qui prius exit quam conditiones adimpleverit, atque per se cessat statim ac conditiones impletae fuerint. Ita in responso S. Congr. EE. et RR. 20 *nov.* 1895 (c); in quo etiam dicitur poenam suspensionis non vitari, nisi dimissus utrique conditioni satisfecerit, scilicet tum Episcopum benevolum receptorem invenerit, tum de patrimonio ecclesiastico sibi providerit.

S. C. C., decreto generali 22 *dec.* 1905, *de Seminariorum alumnis,* statuit, a. 4°: « Dimissi ex aliquo religioso Instituto in Se-

---

alio modo eis consulatur, ac praeterea Episcopum benevolum receptorem invenerint et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint.

« *Art.* 5. Qui in sacris ordinibus constituti et votis simplicibus obstricti, sive perpetuis sive temporalibus, sponte dimissionem ab Apostolica Sede petierint et obtinuerint, vel aliter ex Apostolico privilegio a votis simplicibus vel perpetuis vel temporaneis dispensati fuerint, ex claustro non exeant, donec Episcopum benevolum receptorem invenerint et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint ; secus suspensi maneant ab exercitio susceptorum ordinum. — Quod porrigitur quoque ad alumnos votorum simplicium temporalium, qui quovis professionis vinculo iam forent soluti, ob elapsum tempus, quo vota ab ipsis fuerunt nuncupata ».

Notandum. Differentia praecipua inter art. 4 et 5 haec est, quod art. 5 comprehendit eos qui *sponte* dimissionem obtinent et impetrant ; art. 4, eos qui *inviti* dimittuntur, et proinde (ut ex art. 3 sequitur) dimittuntur propter gravem culpam et incorrigibilitatem. Artic. 4 subiacent omnes invite dimissi, etiamsi, ut fit in Ordinibus Regularium ex art. 5 decreti *Sanctissimus,* soluti a votis dimittantur. — Suspensio S. Sedi reservata pro his qui invite dimittuntur, non est innovatio decreti *Auctis :* invenitur in decreto Urbani VIII, *Sacra Congregatio,* § 10: « Electi, extra Religionem degentes, sint perpetuo suspensi ab exercitio ordinum, sublata Ordinario locorum facultate dictam suspensionem relaxandi aut moderandi ».

(c) Quaerebatur, an verba § 5 decreti *Auctis,* « Secus suspensi maneant ab exercitio susceptorum Ordinum », sint ita sumenda, ut religiosus qui obtenta Apostolica licentia e claustro exierit, quin prius Episcopum benevolum receptorem invenerit vel de patrimonio ecclesiastico sibi providerit, sit suspensus tantum donec Episcopum benevolum receptorem inveniat et patrimonium ecclesiasticum sibi constituat, vel sit suspensus donec ab Apostolica Sede suspensio tollatur? Responsum fuit: Affirmative ad 1am partem ; Negative ad 2am. — Quaerebatur etiam an haec eadem decreti verba ita collective intelligenda sint, ut ad tollendam suspensionem utraque conditio impleri debeat, vel sufficiat tantum Episcopum benevolum receptorem invenire? Responsum fuit: Affirmative ad 1am partem ; Negative ad 2am.

minarium ne admittantur, nisi prius Episcopus secretis litteris a moderatoribus eiusdem Instituti notitias requisierit de moribus, indole et ingenio dimissorum, et constiterit nil in iis esse quod sacerdotali statui minus conveniat ».

18. Eiectio professi votorum solemnium. — *Eiectio* seu *expulsio* proprie dicta est actus quo religiosus solemniter professus a sua Religione reiicitur et praescinditur [a].

Fagnanus (in caput *Ne religiosi,* nn. 37 et 38) putavit ius expellendi proprios alumnos Superioribus Religionum non competivisse ante decretum Urbani VIII. Sed fallitur: nam in decreto Innocentii XII, decretum Urbani dicitur « sacris canonibus et communiori SS. Patrum menti conforme » (Ita Bened. XIV, *de Synodo,* l. XIII, c. 11, n. 16).

Eiectio subiacet conditionibus contentis in decretis Urbani VIII, Innoc. XII, et Leonis XIII (*Auctis*).

De causa eiectionis. — 1. Professus votorum solemnium eiici nequit, nisi ob culpam gravem, externam, publicam, cum incorrigibilitate coniunctam. Incorrigibilis autem nemo reputatur nisi praecesserit distinctis temporibus triplex admonitio et correctio. Ita in decreto *Auctis*, § 3.

Dictum fuit (n. 15) hanc § 3 non afficere directe nisi Congregationes votorum simplicium. Hoc quamvis verum sit, nihilominus conditiones hic stabilitae ad dimissionem religiosi Congregationum votorum simplicium, haberi possunt et debent tamquam lex ad eiectionem religiosi solemniter professi. Declaratur enim hoc articulo, quod dispositiones contentae in decretis Urbani VIII et Innocentii XII, pro expulsione religiosi solemniter professi, « servandae *imponuntur etiam* Superioribus Institutorum votorum simplicium,... *ita ut* horum neminem *et ipsi* dimittere valeant, *ut nunc dictum est* [b], nisi ob culpam gravem etc... ».

---

18. (a) Documenta sunt: Decretum Urbani VIII, *Sacra Congregatio* (1624), art. 6, sqq. — Decretum Innocentii XII, *Instantibus* (1694). — Decretum *Auctis* (1892), §§ 3, 4, 5. — C. *Ne religiosi*, 24, *de Regular.* III, 31. — Cf. Ferraris, v. *Eiectio;* — Bened. XIV, *de Synodo dioec.* l. XIII, c. 11, nn. 15-31; — Piat, t. I, pag. 219-229; — Ballerini-Palmieri, nn. 249-270.

(b) Nihil novi praescribitur in decreto *Auctis* circa necessitatem et conditiones culpae gravis et incorrigibilitatis, ut quis dimittatur; solummodo ea quae iam in praecitatis decretis et Iure erant contenta, ad Instituta votorum simplicium extenduntur.

2. In decreto Urbani VIII, delinquens non censetur incorrigibilis, nisi praeter « ea omnia quae ad hoc ex Iuris communis dispositione requiruntur », insuper « unius anni spatio in ieiunio et poenitentia probetur in carceribus ». Hoc spatium unius anni carceris fuit ab Innoc. XII contractum ad sex menses.

3. Nec Urbanus VIII nec Innocentius XII requirunt culpam gravem, externam, publicam, ac trinam monitionem et correctionem. Nihilominus AA. has conditiones ex Iure communi requirebant (Vide FERRARIS, v. *Eiectio*, nn. 4, 5, 13, 14); imo requirebant tres culpas; et nunc adhuc requiruntur, quamvis explicite non dicatur. Requiritur enim triplex admonitio et correctio diversis temporibus: porro secundae et tertiae admonitioni et correctioni locus non est, nisi post primam culpam delinquens relapsus fuerit in aliam culpam, et facta secunda admonitione in tertiam. Imo ut post tertiam admonitionem incorrigibilis censeatur, oportet ut adhuc relapsus fuerit aut saltem pervicaciam verbis ostenderit (FERRARIS, l. c., n. 16). At non videtur necessarium ut secunda et tertia culpae sint ipsae graves, externae et publicae; secus non dictum fuisset neminen eiici posse nisi ob culpam gravem, externam, publicam; sed ob tres culpas graves, externas, publicas. Attamen oportet ut ex his culpis appareat incorrigibilitas. Nec est necessarium ut tres culpae sint eiusdem speciei. Ita FERRARIS, n. 5; BALL.-PALM., n. 250; PIAT, p. 220, q. 3, 4°.

4. Debet fieri triplex admonitio *et* correctio. Ut haec duo distinguantur, necesse est ut nomine correctionis veniat punitio, aut saltem reprehensio publica.

5. Carcer in ieiunio et paenitentia, ab Urbano et Innocentio requisitus, adhuc anno 1886 habebatur veluti conditio necessaria ut quis tamquam incorrigibilis eiici posset. Nam FF. Capuccinis petentibus ut non tenerentur incorrigibilitatem carcere probare, quia haec probatio facta est nostris temporibus propter leges civiles impossibilis, S. CONGR. SUPER DISC. REGUL., *d.* 22 *ian.* 1886, respondit: quando carcer adhiberi nequit, « recurrendum esse in singulis casibus ad S. Congr. ». Sed hodie post decretum *Auctis*, in quo non fit mentio de carcere, et sola conditio ad incorrigibilitatem statuitur trina admonitio et correctio, quae inutiles evaserint, haec conditio iam non retinetur.

19. Forma eiectionis. — Sententia expulsionis debet esse sententia iudicialis.

Haec, quoad formam iudicialem, a decreto *Auctis* statuuntur: *a)* Superiores debent « processum contra delinquentem instruere; *b)* processus resultantia accusato contestari; *c)* eidem tempus congruum concedere, quo suas defensiones, sive per se sive per alium eiusdem Instituti Religiosum, exhibere valeat; *d)* quod si accusatus ipse proprias defensiones non praesentaverit, Superior seu Tribunal debet defensorem alumnum Instituti ex officio constituere; *e)* post haec Superior cum suo consilio sententiam expulsionis aut dimissionis pronuntiare poterit; *f)* quae tamen nullum effectum habebit, si condemnatus a sententia prolata rite ad S. C. EE. et RR. appellaverit, donec per eamdem S. C. definitivum iudicium prolatum non fuerit ». Ita decretum *Auctis* de verbo ad verbum (Vide *nota* 15, a).

Praeterea sequentia notanda veniunt:

1° Innocentius xii, C. *Instantibus*, concessit ut « processus conficiatur iuxta Regulas, Constitutiones, Ordinationes et Stylum cuiusque Ordinis et Religionis » (Cf. c. xxii, ubi indicantur ea quae essentialia sint in processu).

2° Generalis sententiam ferre debet de consilio et assensu sex Patrum e gravioribus Religionis, in Capitulis aut Congregationibus generalibus eligendis. Ita Urbanus viii, § 6. — Innocentius xii, concessit ut sententia etiam pronuntiari posset a Provinciali et sex e gravioribus Provinciae Patribus, in Congregationibus Provincialibus electis et a Generali confirmandis; sed ita ut eorum sententia a Generali approbari debeat.

3° Sententia condemnatoria pronuntiari nequit, nisi « plene probatis causis expulsionis ad sacrorum canonum praescriptum » (Urb. viii, § 6).

4° Sententia reo omnino intimari debet; secus invalida remanet. Hoc deducitur ex facultate appellandi ipsi concessa, quae est suspensiva. Excipi forsan debet casus quo reus esset fugitivus, et impossibilis inde evaderet intimatio sententiae: nemini enim sua malitia prodesse debet.

5° Appellatio fieri debet intra decem dies post intimationem sententiae. Ita ex iure communi [a]. Hoc ius appellationis intra decem dies etiam expresse agnoscitur in recentioribus methodis de processu canonico instituendo (Vide c. xxiii,

---

19. (a) Cap. *Anteriorum*, 28, *caus.* 2, q. 6: « Sancimus omnes appellationes posse intra decem dierum spatium, a recitatione sententiae numerandum, iudicibus ab his quorum interest offerri ».

n. 14). Post hos decem dies, si appellatio facta non fuerit, sententia in rem iudicatam transit [b].

6° Ex eo iure intra decem dies appellandi sequitur sententiam condemnationis intra hoc tempus effectus suos nondum sortiri (Wernz, n. 676, 1). Inde intra hoc tempus condemnatus non posset eiici invitus: sed nec post hos decem dies, si appellasset: siquidem appellatio est suspensiva, ut dictum est.

7° Ex decreto Urbani VIII, § 7, « Generalis illico expulsionis sententiam Ordinario loci significare debet ». Ratio ibidem datur, quia expulsi « Ordinarii loci iurisdictioni et obedientiae subsunt ». Sed haec disciplina (scilicet cuinam expulsi subsint) diversis temporibus varia fuit. Decretum *Auctis* in praeambulo supponit eos usque modo fuisse subiectos non Ordinario loci, in quo situm est monasterium, sed Episcopo originis [c]: reclamantibus autem Episcopis, mutata fuit haec disciplina et ipso decreto statutum ut eiecti Episcopum benevolum receptorem inveniant, nec absolutionem a suspensione accipiant, prius quam invenerint. Ideo in eodem decreto nulla fit mentio de obligatione pro Superiore regulari monendi Episcopum loci aut originis. Mutata igitur disciplina, haec obligatio iam non videtur amplius existere. Nihilominus si expulsus in dioecesi, in qua prius agnitus erat ut religiosus, sedem figat aut ministerium exerceat, maxime si ita agat nondum invento Episcopo benevolo receptore, opportunum saepius erit Episcopum loci monere ut sciat eum expulsum et suspensum esse.

8° In decreto *Auctis* additur: « Quoties autem gravibus ex causis procedendi methodus supra dicta observari nequeat, tunc recursus haberi debet ad hanc S. Congr. (EE. et RR.), ad effectum obtinendi dispensationem a solemnitatibus praescriptis, et facultatem procedendi summario modo, iuxta praxim vigentem apud hanc Congregationem ».

20. Effectus eiectionis.

1. *Eiectus non solvitur a votis suis substantialibus Religionis.*

(b) Ita cap. *Quod ad consultationem*, 15, *de sent. et re iudicata* II, 27: « Cum post decem dierum spatium sententia in auctoritatem rei transeat iudicatae, qui ad provocationis subsidium infra id tempus non recurrit, appellationis sibi aditum denegavit ». Item c. *Concertationi*, 8, *de Appellatione*, II, 15, in 6° (Ferraris, v. *Eiectus*, n. 34).

(c) « Aliqua pariunt incommoda facilis alumnorum huiusmodi Societatum egressus et consequens, ex iure constituto, regressus in dioecesim originis ».

Certum est apud omnes, ait FERRARIS (v. *Eiectus*, n. 49). — Nec ab aliis votis peculiaribus sui Ordinis solvitur. Ita BENEDICTUS XIV, *de Synod. dioec.*, l. XIII, c. 11, n. 20: « Non abs re erit monere, eiectos, etiam post latam in eos expulsionis sententiam, tum substantialibus Religionis, tum caeteris sui Ordinis peculiaribus votis *indubie* obstringi ».

2. Controvertitur an penitus solvatur *vinculum eiecti cum sua Religione*. Communius negatur: ita SUAREZ, tr. VIII, l. III, c. 5, n. 10; — FERRARIS, v. *Eiectus*, n. 49, 56, 57; — SCHMALZGR. *de Regul.*, l. III, tit. 31, n. 249; — PIAT, t. I, p. 223. — Idem tenet BALL.-PALM., n. 259, qui simul dicit, quoad usum et praxim vinculum quidem desinere, sed remanere quasi in actu primo, ita ut expulsus quoad essentialia sit semper religiosus eius Ordinis, a quo expulsus est: quemadmodum, ait cum Suarezio, l. c., post legitimam coniugum separationem remanet vinculum coniugii. — Tres rationes suae sententiae proferunt: prima est quod Religio (ut dicetur infra, 7°) eiectum annuatim revocare debeat et admittere teneatur, si resipuerit nec adsint gravia incommoda; secunda, quod rediens non debeat necessario novitiatum et professionem iterare quae sententia est communis; tertia, quod eiectus suae Religioni acquirit: sed hoc a non paucis negatur. Alii tamen affirmant. Ex hac diversitate sententiarum plures sequuntur consequentiae, ut mox dicetur.

3. Quamvis eiectus a suis votis non solvatur, attamen propter novam vitae suae rationem, *vota sua alio modo servare* debebit [a].

Quoad *castitatis votum*, nihil quidem mutatur.

Quoad *paupertatem*, eiectus bonorum, quae ei quocumque legitimo modo eveniunt, usum et administrationem ad congruam suam sustentationem habet. Nihilominus eorum proprietatem minime acquirit, cum proprietatis, propter votum solemne paupertatis, incapax remaneat: et ideo de his disponere nequit nec per actus inter vivos nec per testamentum

---

20. (a) BENED. XIV, loc. cit., postquam dixit eiectos votis suis indubie obstringi, addit: « ita tamen, ut castitatis quidem votum sine exceptione ab eisdem sit custodiendum, reliqua vero paupertatis, obedientiae, et si quae alia eorum professioni adnexa sint vota, moderationem quamdam in ipso usu et praxi patiantur. Neque enim ab eiecto requiri potest illa summa paupertas..., sicuti nec obedientia proprio Superiori regulari exhibenda, cum is eum a Religiosorum coetu et Societate repulerit ».

aut alio modo. Ea secundum alios [b] suae Religioni, ut antea, acquirit: ita tamen ut solummodo si ad eam redeat, bona quae tunc habet suae Religioni incorporentur; nam si decedit extra claustra, bona quae post mortem relinquit ad Cameram Apostolicam spectant, ut statuit Gregor. XIII, C. *Officii nostri* (1577) [c]. Secundum alios, expulsus non suo Ordini, sed si alicui ecclesiae per beneficii collationem addictus est, ei acquirit, secus Camerae Apostolicae [d].

Quoad obedientiam, eiectus non iam Superiori regulari, sed Episcopo qui eum recepit subiectus est. Ex decreto Urbani, § 7, Episcopo loci (sc. in quo est monasterium) obedientiam debet: « Sic vero eiecti, quamdiu non redierint ad Religionem, in habitu clericali incedant, atque Ordinarii loci iurisdictioni et obedientiae subsint ». Ita etiam Bened. XIV (supra, *nota* a). Nunc autem, ut dictum est, Episcopo benevolo receptori, ex decr. *Auctis*, §§ 4 et 5, subsunt. Utrum autem eiecti Episcopo subsint tantum ut alii sacerdotes saeculares, an potius etiam vi voti obedientiae, non plane constat. Ball.-Palm. n. 265, dicit eos in vim voti obedientiae Episcopo subiacere, ut saecularizati, pro quibus res est certa. Ratio est, quia certum est eos voto obedientiae adhuc obligari; porro ab obedientia Superioris regularis absolvuntur; ergo sub obedientia Episcopi vi voti transire debent. Nec ratio affertur cur a saecularizatis in hoc differant. Nihilominus Piat, p. 227, q. 11, aliam opinionem, qua dicitur eiectum remanere vi voti sub obedientia Praelati regularis, non minus probabilem habet. Ratio est, quia Praelatus regularis potest, imo debet annuatim eiectos revocare, et eos excommunicare si non obediant. Sed haec ratio non est tanti valoris: nam Praelati regulares hoc ius et officium retinere possunt vi legis pontificiae et ex speciali S. Sedis delegatione, quin in aliis eiecti eorum au-

---

(b) Ferraris, v. *Eiectus*, nn. 67 et 71; Piat, t. I, p. 229, q. 12; et p. 204, q. 10. Ita etiam S. Congr. EE. et RR. 26 *nov.* 1821 (*Annal. Iur. Pontif.* t. XVI, n. 1491).

(c) « Bona quaecumque, quae per Regulares extra claustra degentes, quocumque iure et actione.... acquisita et imposterum acquirenda, vel ad eos delata...., — nisi iidem, ad quos illa spectaverint, sufficienti fuerint testandi aut de illis disponendi facultate suffulti, eaque legitime usi fuerint, — ad eamdem cameram Apostolicam pleno iure pertinuisse et spectare ».

(d) Ita Ball.-Palm., nn. 248, 263, 264, qui alias sententias profert, sed hanc uti probabiliorem habet.

ctoritati subsint. Vix autem intelligitur quod eiecti Episcopo subsint, ut certum est, et simul vi voti obedientiae non ei, sed Praelato regulari (ab Episcopo plane independente) subiaceant. Ergo prima sententia videtur retinenda, scilicet eiectos subiici Episcopo receptori etiam vi voti obedientiae.

Reliqua vota peculiaria Instituti votis substantialibus superaddita retinent: est sententia communis, quam Bened. XIV (l. c.) indubiam dicit. Sed plures (inter quos ipse Bened. XIV) dicunt ea vota quoad praxim suspendi: quod intelligi debet, quatenus eorum observatio facta fuerit moraliter impossibilis: nam secus non intelligeretur cur suspenderentur, cum nemo debeat ex propria iniquitate commodum reportare. Ita PIAT, t. I, p. 222, q. 5, 2°: et FERRARIS, V. *Electus*, n. 51, qui tamen aliam sententiam, propter auctores eam propugnantes, probabilem dicit. BALL.-PALM., n. 262, censet vota suspendi. — Saltem certum est votum de non procuranda aut acceptanda aliqua dignitate extra Ordinem, totam suam vim retinere, sicut expresse statuit Urbanus VIII, C. *Cum sicut* (1635) (e).

4. An eiectus teneatur ad *regulas* quas adhuc observare potest, controvertitur. Alii affirmant, a) quia non debet ex propria iniquitate commodum reportare: b) quia Episcopus regularis ab observanda regula non absolvitur (supra, n. 7). Ita BALL.-PALM., n. 266. Alii negant, quia ipse a sua Religione penitus praescinditur, aiunt, non autem Episcopus (apud PIAT, p. 222, q. 5, 3°). Consequenter, iuxta sententiam benigniorem, si non sint in sacris constituti nec beneficium obtinuerint, a recitatione horarum, cui erant sua professione obligati, liberi evadunt. PIAT, l. c.

5. Eiectus *suspensionem* Rom. Pontifici reservatam ipso facto incurrit, a qua non absolvitur nisi prius Episcopum bene-

---

(e) « Declaramus et decernimus quoscumque Regulares praedictos (sc. qui votum huiusmodi habeant) cuiusvis Ordinis, Congregationis et Instituti,... per quamcumque translationem.... et per quamcumque expulsionem.... non esse nec fore a praefato voto, promissione seu iuramento liberatos, sed eos translatos, expulsos ac a delatione habitus regularis absolutos vel privatos quarumcumque dignitatum huiusmodi incapaces et ad illas petendas, acceptandas et retinendas incapaces remanere ». — Inde argumentum desumit PIAT, loc. cit. ad probandum alia vota etiam non suspendi; nam, ait, Const. Urbani est mera iuris declaratio, nihil innovat; unde, etiamsi de uno voto tantum loquatur, omnia comprehendit, cum eadem sit ratio de omnibus aliis.

volum receptorem invenerit et de patrimonio ecclesiastico sibi providerit. Ita decreto Urbani VIII : « Ut eiecti, extra Religionem degentes, sint perpetuo suspensi ab exercitio Ordinum, sublata Ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi aut moderandi ». Haec poena suspensionis S. Sedi reservatae confirmata est decreto *Auctis* n. 4 (supra 17, *nota* b), imo forsan aggravata : nam in eo non ponitur, sicuti in decreto Urbani, restrictio « extra Religionem degentes » : unde eiecti, qui aliam Religionem ingressi fuerint, suspensi remanerent, donec a S. Sede fuerint absoluti (f).

6. Ex privilegio, quo gaudent fere omnes Ordines religiosi, eorum eiectis interdicitur ne confessiones audire, aut praedicare, aut docere praesumant, nisi ad alium Ordinem transierint. PIAT, p. 228, q. 11, 3° ; BALL.-PALM., n. 257 ; FERRARIS, v. eiectus, n. 43, qui citat *mare magnum* Praedicatorum, Minorum, Carmelitarum, Minorum, Servitarum ; quorum privilegium Societas Iesu participat (COMP. PRIVIL., n. 161).

7. Eiectus tenetur sese emendare et petere suam in Religione, unde expulsus est, redintegrationem ; ac Religio eiectos, si resipuerint, nedum admittere ubi petant, verum etiam revocare debet et cogere etiam sub poena excommunicationis. Ita ex c. *Ne religiosi*, 24, *de Regularibus*, III, 31 (g) ; quae praescriptio ab Urbano VIII et Innocentio XII renovata fuit (h).

(f) Cum tamen Decretum *Auctis* non directe spectet ad Religiones votorum solemnium, haec aggravatio poenae ab Urbano VIII latae non est certa.

(g) « Ne religiosi, vagandi occasionem habentes, salutis propriae detrimentum incurrant, et sanguis eorum de Praelatorum manibus requiratur, statuimus ut praesidentes Capitulis celebrandis, secundum statutum Conc. gen. (Lateran.), seu patres Abbates seu Priores fugitivos suos et eiectos de Ordine suo requirant sollicite annuatim. Qui si in monasteriis suis recipi possunt secundum ordinem regularem, Abbates seu Priores eorum, monitione praevia, per censuram ecclesiasticam compellantur ad receptionem ipsorum, salva Ordinis disciplina. Quod si hoc regularis ordo non patitur, auctoritate nostra provideant ut apud eadem monasteria in locis competentibus, si absque gravi scandalo fieri poterit, alioquin in aliis religiosis domibus eiusdem Ordinis, ad agendam ibi poenitentiam, talibus vitae necessaria ministrentur. Si vero huiusmodi fugitivos vel eiectos inobedientes invenerint, eos excommunicent.... ».

(h) Decretum URBANI VIII, § 11 : « Postremo (S. C.) censuit esse innovandam et suae Beatitudinis auctoritate innovat Constitutionem f. r. Gre-

Attamen iustae causae adesse possunt, propter quas Religio etiam emendatum recipere non teneatur aut non debeat; quae satis indicantur in c. *Ne religiosi* his exceptionibus: « si recipi possunt secundum ordinem religiosum, — salva Ordinis disciplina, — si absque gravi scandalo fieri potest ». Decreto autem Urbani VIII nihil novi quoad hoc praescribitur, imo priores praescriptiones quas innovat, de eiectis recipiendis et requirendis, temperantur his verbis: « dummodo in expulsis eiusmodi subsit spes evidens emendationis ex litteris saltem testimonialibus Ordinarii » (i).

Sed forsan post decretum *Auctis* dubitare licet an remaneat adhuc obligatio revocandi eiectos, imo eos admittendi, etiamsi resipuerint et petant. Nulla enim in eo fit mentio huius obligationis, nec dici potest decretum illud renovare dispositiones decretorum Urbani et Innocentii: nam, ut expresse dicitur,

---

gorii IX relatam in cap. finali de Regular. (c. *Ne religiosi*); ac praeterea declarat eam Constitutionem in iis quoque vindicare sibi locum, servandamque esse qui iuste, definitive ac iuris ordine servato expulsi fuerint, dummodo tamen in expulsis huiusmodi subsit spes evidens emendationis, ex litteris saltem testimonialibus Ordinarii, cuius conscientiam in his litteris concedendis S. C. serio oneravit ».

Decretum INNOC. XII videtur obligationem revocandi coarctare ad *fugitivos* (§ quod finis): « quod ad praescriptam legem s. m. Gregorii IX, in cap. finali de Reg., annuatim *fugitivi* requirantur et respective cogantur ad claustra reverti ». Ubi Greg. IX fugitivos et eiectos recensebat, Innoc. XII solos fugitivos nominat.

(i) Tractant quaestionem VERMEERSCH, t. I, n. 333, 3°; BALLERINI-PALMIERI, t. IV, n. 256; PIAT, t. I, p. 224; FERRARIS, v. *Eiectus*, n. 54; SUAREZ, t. VIII, l. III, c. 5, n. 13.

VERMEERSCH ait: « Nisi obstet iusta causa gravis scandali, permanentis infamiae, etc., eiectus plene emendatus, est a proprio Ordine recipiendus ». — PIAT, ad quaestionem: an Religio teneatur eiectum, si postea sese emendet, recipere, respondet: omnino affirmandum est, nisi Religio iustam causam habeat eum non recipiendi.... Talis est, auctorum iudicio, si eiectus recipi nequeat sine innocentium scandalo et sine Religionis detrimento, vel si post eiectionem ab Ordine grave delictum patraverit, vel si (uti declaravit S. C. C. 1 *apr.* 1702), ex relatione hominum fide dignorum, malis moribus operam dederit ». — BALLERINI-PALMIERI: « Eiectum huiusmodi, si plene sit emendatus et recipi petat, esse denuo admittendum, nisi Religio iustas causas habeat non admittendi, docet Schmalzg. cum Molina, Lessio, Sanchez ». — SUAREZ excipit casum quo Ordo haberet specialia privilegia. Sed notandum est Suarezium scribere ante decretum Urbani VIII (1624), quod amplissimas habet clausulas derogatorias privilegiorum.

horum decretorum « dispositiones renovat, quibus methodus in expellendis sociis adhibenda praescribitur », non alias. Insuper dum decretum pronuntiat eiectos perpetuo suspensos remanere « donec a S. Sede alio modo eis consulatur », S. Sedes videtur eorum causam sibi reservare. Imo ex responso S. Congr. super disc. reg. 22 *ian.* 1886, certum est expulsos non posse rursus admitti, si expulsi fuerint cum processu summario a S. Sede concesso (j).

8. Eiecto rursus admisso applicanda sunt ea quae de saecularizatis supra dicta sunt, eum ad professionem et novitiatum iterandum non teneri, nisi forte ex Constitutionibus aut legitima consuetudine aliud statuatur. Est communis sententia. Piat, p. 225, q. 8; Ball.-Palm., n. 259.

21. Apostasia et fuga.

1. *Apostata a Religione* est ille qui a Religione recedit absque Superiorum consensu, cum animo iugum religiosum perpetuo abiiciendi, et ideo non amplius ad vitam regularem redeundi.

Apostasia ab Ordine, quatenus distinguitur ab apostasia a Religione, est illegitimus discessus a propria Religione, absque debita licentia, ad transeundum ad aliam Religionem (Wernz, n. 674). Sed nomine apostasiae sine addito proprie intelligitur apostasia a Religione [a]. — De apostasia ab Ordine sufficienter

---

(j) Duo a S. Sede requirebantur: primum, ut carcer iam non esset conditio necessario adhibenda ad incorrigibilitatem probandam; alterum, ut expulsus rursus admitti nec deberet nec posset absque speciali licentia S. Sedis, singulis vicibus impetranda. — Responsum fuit: « Ad 1, (quando carcer est impossibilis) recurrendum est in singulis casibus, et S. Congr. praebebit normas processus summarii. Ad 2, provisum in primo; id est, quando expulsi egrediuntur ex Ordine cum processu summario a S. Sede permisso, S. Sedes iurisdictionem in individuum sibi advocavit; et iste nequit rursus in Ordine admitti sine Congregatione ».

21. (a) Poenae statutae contra apostatas non feriunt per se nisi apostatas a Religione, non apostatas ab Ordine, eos scilicet qui absque debita licentia transeunt ad alium Ordinem. Ita Piat, t. 1, p. 197, q. 4, et hanc sententiam dicit communem. Eam tenet Wernz, n. 674, qui tamen addit restrictionem: nisi ex speciali iure quorumdam Ordinum eiusmodi religiosi transeuntes sine licentia quoad poenas aliis veris apostatis aequiparentur. Ita est in Societate, ex C. *Ascendente* Gregorii xiii (infra, n. 34).

dictum est supra (nn. 2, 3, 4), ubi de transitu ad aliam Religionem.

Fugitivus est ille qui absque superiorum consensu discedit, animo ad tempus vagandi et extra obedientiam vivendi, cum proposito tamen post aliquod tempus ad suam Religionem redeundi. Ergo fugitivus et apostata non differunt nisi animo aliquando redeundi aut non redeundi ad propriam Religionem.

A fuga distingui debent duo alii actus sat similes: egressio furtiva et accessus absque debita licentia ad Superiores maiores.

Egressio furtiva differt a fuga, quia fit secreto, ad breve tempus, ut religiosus sibi in aliquo indulgeat, non praecise ut se subtrahat obedientiae. Poenae contra fugitivos non debent extendi ad furtive egredientes. Ita WERNZ, n. 675.

Accessus ad Superiores maiores sine ipsorum licentia graviter est interdictus a TRIDENTINO, *sess.* XXV, c. 4, *de Regul.*, item a CLEMENTE VIII, decr. *Nullus* (1599), *aa.* 22 et 23 (b). Differt a fuga, quia non fit animo vagandi, nec ad vitam immunem ab obedientia omnium Superiorum degendam, sed tantum ad subtrahendum se a Superiore locali.

2. Apostasia egressu ex claustris consummatur, ubi egressus fit animo non redeundi. Solum propositum exeundi in perpetuum, etiam firmum et manifestatum, non est adhuc apostasia, nisi opere compleatur. Sed ubi adest tale propositum, sufficit quicumque egressus, nec requiritur aliqua mora extra conventum. De hoc existit aliqua controversia apud AA. (V. PIAT, p. 196, q. 2, 3°). Sed vera sententia habetur ex decreto *Sanctissimus* CLEMENTIS VIII (1593), *de casibus reservatis*, ubi

(b) TRIDENT. « Nec liceat Regularibus a suis conventibus recedere, etiam praetextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint. Qui vero sine praedicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab Ordinariis locorum tamquam desertor sui Instituti puniatur ». — Non dicitur esse desertor; sed puniendus ut desertor; insuper vox « puniatur » indicat poenam ferendae sententiae. — Non obstante hoc decreto Tridentino, dicunt sat communiter AA. non peccare, et ideo nullis poenis subiacere, religiosum qui ex gravi et urgenti causa iter ad Superiores maiores suscipit sine eorum licentia. WERNZ, n. 674; PIAT, I, p. 197, q. 3; BENEDICTUS XIV, *de Synodo*, l. XIII, c. 11, n. 14; FERRARIS, V. *Apostata*, n. 29 et sq., et refertur decisio S. CONG. EE. ET RR., 2 *sept.* 1672, in hunc sensum (Cf. c. X, n. 16, 4°).

secundus casus est « Apostasia a Religione, sive habitu dimisso sive retento, quando eo pervenerit ut extra septa monastarii seu conventus fiat egressio, etc. ». Ergo qui egressus est e monasterio animo apostatandi, etiamsi poenitens statim redierit, poenas apostatarum nihilominus incurrit. Sed haec repentina poenitentia indicium esse potest ipsum non habuisse firmum propositum deserendi in perpetuum Religionem, et propter hoc, quia intentio perpetuo deserendi in foro externo non sufficienter probaretur, posset talis a poenis iudicari immunis.

Ex eodem decreto *Sanctissimus* habetur dimissionem habitus non esse necessariam ad apostasiam. Quo non obstante, aliquae sunt poenae quae non incurruntur nisi habitus dimissus fuerit: hoc non probat apostasiam non consummari nisi dimisso habitu, sed tantum hanc poenam non incurri nisi apostasiae accedat circumstantia dimissionis habitus. Aliae autem poenae, pro quibus haec circumstantia non requiritur, incurruntur statim ac apostasia per egressum consummata est, etiam habitu retento.

Fuga etiam consummatur egressu e monasterio, animo vagandi per aliquod tempus, nec requiritur dimissio habitus.

An apostata censendus est ille qui eiectus est ob falsa crimina, quae sibi imposuit ut eiiceretur? — Affirmandum censet Ball.-Palm., n. 245, 4°. Ratio est quia invalida esset eiectio, utpote falso motivo pronuntiata; unde recedens revera non eiicitur, sed propria voluntate Religionem deserit, et ideo est apostata. Sed haec ratio non admittitur ab omnibus. Quare, cum lex poenalis sit strictae interpretationis, non videtur extendenda ad hunc casum, qui non est casus simplicis et communis apostasiae. — Notat autem Ballerini non esse apostatam illum qui vera commisit crimina ut eiiceretur. Hoc autem Piat (pag. 196, q. 2, 4°) non admittit (Vide infra, n. 35, 3⁰).

3. Apostatae et Fugitivi ab obligationibus et oneribus vitae religiosae in Religione, a qua defecerunt, non sunt immunes, ut patet. Imprimis gravem habent obligationem ad eam quamprimum redeundi, et ideo si sua culpa non redeant, versantur in statu peccati mortalis et absolvi nequeunt.

4. Bona temporalia, quaecumque apostatae aut fugitivo eveniant, si decedit extra conventum, transeunt in dominium Camerae Apostolicae, ex C. *Officii nostri* Gregorii xiii (1577) (c).

(c) Supra, nota 20 c.

Si autem apostata aut fugitivus ante mortem ad suum conventum redit, tunc ea bona Religioni acquiruntur, si tamen fuerint modo licito acquisita et Religio capax sit ea possidendi. Piat, I, p. 204, q. 10; Wernz, n. 674.

5. Superiores apostatas et fugitivos annuatim requirere et ad Religionem reducere tenentur. Ita Gregorius IX, c. *Ne religiosi*, 24, *de Regul.*, III, 31 (supra, n. 20, 7°); hanc obligationem innovaverunt Urbanus VIII, decr. *Sacra Congregatio* (1624), § 4, ubi Episcopis variae quoad rem obligationes imponuntur [d], et Innocentius XII, decr. *Instantibus* (1694) [e].

22. Poenae contra apostatas.

Praenotandum est poenas *in Iure* contra apostatas latas non incurri nisi a professis votorum solemnium, aut ab aliis qui iis assimilati fuerint. Nam quo tempore latae sunt, non existebant nisi Religiones proprie dictae, in quibus omnes solemnem professionem emittebant: poenae autem sunt strictae interpretationis. Ideo poenae a Iure communi sancitae non incurruntur ab apostatis alumnis Congregationum votorum simplicium; neque nunc a professis votorum simplicium in Religionibus proprie dictis (quos Pius IX noluit definire esse veros religiosos, ut dictum est, c. I, n. 13). Ita Wernz, n. 674; Piat, p. 195, q. 2, qui expresse dicit professos votorum simplicium in Ordinibus proprie dictis, qui recedant durante triennio votorum simplicium, non subiici poenis apostatarum. Excipiuntur omnes religiosi S. I. qui vota simplicia post biennium fecerunt: ii enim a Greg. XIII, C. *Ascendente* (1584), declarati sunt esse veri religiosi, et si fiant apostatae, poenis apostatarum subiici (infra, n. 34).

1. Apostatae et fugitivi excommunicationem ipso facto in-

(d) S. S. « rursus statuit ut fugitivi et apostatae, sive habitum regularem deferant sive non, possint ac debeant ab Episcopis loci, ubi moram trahunt, in carcerem coniici, Superioribus regularibus consignari, secundum regularia instituta puniendi; utque ipsi quoque Superiores teneantur eos perquirere, ad Religionem reducere, atque efficere ut apprehendantur ».

(e) Cf. supra notam 20 g. — Piat, loc. cit., multum urget obligationem Superiorum benigne recipiendi et perquirendi apostatas et fugitivos, dummodo tamen sine gravi incommodo recipi queant. — Quae dicta sunt n. 20, 7°, probabiliter post decr. *Auctis* cessasse obligationem recipiendi et requirendi eiectos, applicari non debet apostatis et fugitivis, de quibus decretum non agit.

currunt, si habitum dimiserint, ex c. *Ut periculosa,* 2, *ne Clerici,* III, 24, in 6° [a]. Sed bene notant AA. hac excommunicatione plecti non proprie apostatas, sed omnes et solos habitum suae Religionis temere dimittentes et sic extra monasteria versantes. — Cf. c. XI, n. 2.

Hanc excommunicationem, utpote internum Religionum regimen spectantem, post C. *Apostolicae Sedis* vim suam retinere censent communiter AA. WERNZ, *nota* 565; PIAT, p. 198, *nota,* qui citat d'Annibale, Bucceroni et alios. — Contradicit PENNACHI in Commentario Const. *Apostolicae Sedis,* t. II, p. 547, cum aliis.

2. Apostatae suspensionem R. P. reservatam ab ordinibus sacris, quos durante apostasia receperint, incurrunt (c. *Consultationi,* 6, *de Apostatis,* V, 9)[b]; unde ascensio ad ordines eis prohibita censetur, ut clarum est. Ad incurrendam hanc suspensionem non requiritur dimissio habitus. Suspensio solos apostatas, non fugitivos ferit.

Utrum haec suspensio sit censura an poena, et proinde utrum eam violantes fiant irregulares necne, controvertitur. PIAT, p. 198, q. 5, 2°. — FERRARIS, V. *Apostata,* n. 52, censet eos fieri irregulares.

3. Apostatae amittunt omnia privilegia suae Religionis, sed tantum si habitum dimiserint. Ita TRID. *sess.* XXV, c. 19, *de Regul.* [c]. Notandum est autem hanc poenam cessare eo ipso,

22. (a) « Ut periculosa religiosis evagandi materia subtrahatur, districtius inhibemus ne de caetero aliquis quamcumque Religionem tacite vel expresse professus, in scholis vel alibi, habitum suae Religionis dimittat.... Si quis autem horum temerarius violator exstiterit, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto ».

(b) Consultationi tuae breviter respondemus quod monachus, aliquem sacrum ordinem in apostasia recipiens, quantumlibet suo fuerit reconciliatus Abbati et receperit poenitentiam, absque dispensatione R. P. ministrare non poterit in ordine sic suscepto ». Nota: sensus clausulae « quantumlibet, etc.... » est suspensionem non cessare eo ipso quod apostata redierit ad monasterium et poenitentiam admiserit: oportet ut absolvatur, et quidem a R. P.

(c) Trident. loquitur de omnibus qui a sua Religione habitu dimisso, deficiunt, priusquam causas, propter quas recedere volunt, proposuerint et eae approbatae fuerint. « Quod si antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, et tamquam apostata puniatur; *interim vero nullo privilegio* suae Religionis iuvetur.

quod apostata redierit: dicitur enim in canone Tridentino *interim,* sc. dum versatur extra monasterium.

Quoniam apostatae amittunt privilegia suae Religionis, iam non sunt exempti, sed Episcopi correctioni subiacent. Insuper apostata, si est laicus, privilegium canonis amittit; si autem est clericus, illud, ut clericus retinet. — Wernz (n. 674), ait necessariam esse sententiam declaratoriam, ut privilegia suae Religionis amittant; item Piat, p. 199, q. 5, 4°.

4. Praeterea fere omnes Religiones, sive ex privilegio pontificio sive ex propriis statutis, alias poenas habent decretas contra suos apostatas, ab eis ipso facto incurrendas: v. g. excommunicationem, etiamsi habitum non dimiserint.

5. Fugitivi, ex iure communi specialibus poenis non subiacent, si fuga sit *simplex,* scilicet si non habuerit specialem circumstantiam propter quam poena sit in iure constituta. Sed si fugitivus habitum dimiserit, excommunicatur, ut dictum est supra de apostatis; item si fugiat ut ad studia litterarum accedat (c. *Ut periculosa,* 2, *Ne clerici,* III, 24, in 6°); et in aliquibus aliis circumstantiis (apud Piat, p. 205, q. 2).

Ex privilegiis autem vel peculiaribus statutis fere omnium Religionum, fugitivi excommunicantur aliisque poenis subiacent. Wernz, n. 675; Piat, p. 206, q. 2, resp. 2.

6. Apostatas et fugitivos recipientes, retinentes, consilium auxiliumve eis praestantes variis poenis subiacent, vel ex iure communi vel ex privilegiis variis Religionibus concessis. (Vide de hac quaestione Piat, p. 200, q. 6. — Ferraris, v. *Apostasia,* n. 56).

23. De dispersis. — Religiosi violenta dispersione e claustris eiici possunt, et cogi ut extra ea vivant. Certe hac violenta dispersione non cessant esse religiosi. Sed eorum status, cum vita communis ipsis impossibilis evadat, specialem requirit providentiam, quam S. Sedes in variis dispersionibus exercere non omisit, edendo varia decreta variasque instructiones, quibus dispersis subveniret.

Notandum est haec varia decreta, responsa, instructiones S. Sedis quoad dispersos, non esse generalia, sed particularia, ad certas regiones certaque tempora accommodata; et ideo, ubi non sint merae declarationes iuris communis, vim non habere nisi in horum favorem quorum gratia data sunt. Possunt tamen inservire ad cognoscendam mentem et praxim S. Sedis, et saltem ad directionem in multis inservire.

Horum decretorum scopus est: *a)* vitam religiosam, quantum fieri potest, illibatam servare; *b)* providere disciplinae generali Ecclesiae, determinando a quibusnam dependeant religiosi dispersi; *c)* religiosis dispersis subvenire, speciales facultates ipsis concedendo, quas eorum status dispersionis requirit.

Praecipuum documentum est *Instructio S. Poenit.* 28 *iun.* 1866, pro Religiosis dispersis Italiae, cum eius declarationibus 18 *apr.* 1867 et 12 *sept.* 1872; necnon eiusdem extensio, secundum modum, ad Regulares dispersos in Gallia, *decreto S. C. EE. et RR.* 30 *iul.* 1881. Adsunt etiam tria decreta *S. Congr. super disciplina regulari*, d. 5 *aug.* 1872 data. Ex his et aliis variis documentis sequentia habentur:

1. « Curandum esse pro viribus, ut Regulares expulsi a propriis conventibus in alios conventus collocentur ac recipiantur » (*Instr.* a. 1866, 5⁰).

2. « Curandum ut Regulares a propriis domibus expulsi, praesertim vero clerici professi, quatenus in aliud coenobium recipi nequeant, in peculiarem aliquam domum a Superioribus suis designandam conveniant, ibique regulam quam professi sunt meliori, quo fieri potest, modo observare non omittant, facta cuique, absque debita licentia, discedendi prohibitione » (*Decl.* a. 1867, *a.* 1).

3. « S. Poenitentiaria decernit praefatas domos, dummodo in eas tres saltem ad ibi degendum convenerint Regulares, quorum unus ad minus sit sacerdos, iurisdictioni Ministri Provincialis fore subiectas, easque regendas esse per peculiarem Superiorem ibi constituendum » (*Decl.* a. 1867, *a.* 3).

Si autem remanent tres Regulares ad tenendum ecclesias et domos sui Ordinis, aut etiam si, uno tantum tenente domum et ecclesiam, alii Regulares, plures quam tres, huc quotidie conveniunt ad ministeria sacra et ad tractandas res Ordinis, tunc ecclesiae, domus necnon et ipsi Regulares exempti remanent (12 *sept.* 1872, resp. ad 1 et 2) [a]. — Regulares qui adnexam

---

23. (a) Eadem exemptio fuit confirmata *responso* S. CONGR. EE. ET RR. 26 *mart.* 1897. Quaerebatur an per hoc responsum S. Poenit. derogavisset decreto Innocentii XII, *Ut in parvis*, quo statuitur non esse exemptos parvos conventus, in quibus non inveniuntur sex saltem religiosi probatae virtutis, ex quibus quatuor ad minus sacerdotes maturae aetatis. — Fuit responsum « derogatum esse, pro locis ad quae extenduntur instructiones S. Poenitentiariae d. 18 *april.* 1867, et durantibus praesentibus adiunctis ». — In *responsis* 12 *sept.* 1872 plures casus circa exemptionem solvuntur.

alicui ex ipsorum domibus habent curam alicuius *paroeciae*. per unum ex ipsis exercitam, post dispersionem et violentam suppressionem domus a Gubernio, possunt et debent remanere in paroecia, ad eam administrandam. S. C. C., 8 *ian.* 1867 (A. S. S., t. III, p. 140).

4. S. Poenitentiaria « indulget ut in iisdem domibus, dummodo in eis quatuor saltem degant sacerdotes regulares, erigi possit, servatis de iure servandis, privatum oratorium, a Ministro Provinciali, sive ab alia idonea persona, ab eo deputanda, visitandum prius et approbandum, ita ut in eo missa a sacerdotibus regularibus celebrari, SS. Eucharistia asservari et a religiosis atque oblatis dumtaxat S. Communio sumi et praecepto de audiendo sacro satisfieri possit (*Decl.* 18 *apr.* 1867, n. 4). — In iisdem oratoriis possunt Regulares indulgentias suis ecclesiis seu domibus concessas lucrari (*ibid.*, a. 5).

5. « Pariter curandum ut etiam Regulares, qui extra claustra et praefatas domos, tamquam saecularizati ad tempus, vivere coguntur, in sua vocatione permaneant, votaque solemnia, quibus se Deo consecrarunt, meliori similiter quo fieri possit modo persolvant » (*ibid.*, a. 2).

« Unde omnibus Superioribus regularibus S. Poenitentiaria declarat, ipsorum iurisdictionem in proprios subditos suppressos, etiam extra claustra degentes, minime cessasse. Nam licet quisque Regularis degens extra claustra quoad politiam et disciplinam ecclesiasticam ab iurisdictione Ordinarii loci, in quo degit, exemptus non sit, attamen quoad disciplinam regularem et obligationes, quae ex religiosa professione promanant et cum eius statu sunt compatibiles, propriis Superioribus subesse eisque obedire tenetur » (*ibid.*, a. 2). — In responsis 12 *sept.* 1872, dicitur Episcopum non posse his Regularibus dispersis, independenter a beneplacito eorum Superiorum, munus aut officium ecclesiasticum permanenter et irrevocabiliter iniungere (ad 5).

Regularibus dispersis etiam extra praefatas domos degentibus horas canonicas iuxta proprii Ordinis calendarium recitare licet (*Decl.* 18 *apr.* 1867, a. 10) (b).

6. S. Congr. EE. et RR., *decr.* 30 *iul.* 1881, ad Regulares Gal-

(b) Notandum est in § 19 *Declar.* 18 *apr.* 1867, de omnibus in ea contentis declarari « praemissa censenda esse concessa sine ullo praeiudicio cuiuscumque generalis seu specialis indulti, alicui Ordini seu personae a S. Sede impertiti ».

liae dispersos ea, quae Poenitentiaria pro Regularibus Italiae (in *Instr.* 28 *iun.* 1866, n. 6) constituerat, iis verbis extendit: « Quatenus Regulares dispersi alibi collocari nequeunt, ipse Superior Generalis Apostolica auctoritate eisdem concedere poterit, ut manere valeant extra claustra, sub obedientia Ordinarii loci, tamquam saecularizati ad tempus, et ad nutum S. Sedis ac ipsius Superioris, in habitu religioso, ac etiam, quatenus ita ferat necessitas, in habitu presbyteri saecularis quoad sacerdotes, et in habitu laicali modesti coloris quoad laicos, retento tamen aliquo signo habitus religiosi, servatis quantum fieri potest substantialibus votorum, ac relaxatis regulis quae cum novo eorum statu minime fuerint compatibiles ». — Hi religiosi extra claustra viventes, « in vinea Domini excolenda, mandatis Ordinariorum, sub quorum obedientia vivunt, obtemperent, cum quoad ea quae sacrum ministerium, tum praecipue quoad ea quae curam animarum respiciunt » [c]. Hoc decretum Leo XIII, *d.* 30 *iul.* 1881, confirmavit et extendit etiam ad alumnos Congregationum votorum simplicium. — Eadem S. Congr. EE. et RR., *d.* 24 *mart.* 1903, instructionem fere iisdem verbis conceptam dedit, ad annum, pro iisdem Congregationibus (A. S. S., t. XXXV, p. 592).

7. *Quoad paupertatem, a)* Clerici regulares dispersi solemniter professi ordinari possunt titulo paupertatis (*Decl.* 1867, a. 15). *b)* Possunt capellanias aut beneficium ecclesiasticum, unum dumtaxat, etiam cum cura animarum, de consensu et ad nutum Ordinarii loci, ac annuentibus Superioribus suis assequi, quod tamen dimittere teneantur statim ac ab iisdem Superioribus ad claustra revocati fuerint (*ib.*, a. 16). *c)* Superiores Generales dispersis indulgere possunt, ut perdurantibus circumstantiis, « non obstante solemni voto paupertatis, bona sibi legitimo iure spectantia, ac etiam haereditates, salvo tamen iure tertii quaesito, recipere, adire ac retinere, deque iis nedum contractus inire, sed etiam in pios honestosque usus, ac praesertim in favorem sui Ordinis.... disponere valeant, accedente consensu Ordinarii aut Superioris, aut saltem, in casu necessitatis, confessarii consilio et approbatione » [d]. Ad-

(c) Sensus est, quod Regulares dispersi possunt ab Ordinariis applicari ad sacrum ministerium et curam animarum, quin Regulares sic applicati renuere valeant, sed Ordinariis operam eorum adhibentibus obtemperare teneantur.

(d) In *litteris* 4 *sept.* 1876, S. Congr. super discipl. regul., nonnulla determinantur de dispositionibus horum bonorum mortis causa factis.

ditur quod, si in communitate vixerint, horum bonorum administrationem et redditus eidem communitati tradere debent (*ib.*, a. 17). *d)* Dicitur § 18 dispersos *pecunias,* quae sibi legitimo titulo obvenirent, de licentia Superiorum suorum, accipere ac caute in honesto et licito investimento collocari posse. Superiores, qui hanc licentiam dare valent, sunt tantum Generalis, et ex eius delegatione Provinciales. Ita S. Poenitentiaria in resp. 18 *ian.* 1875. Eadem, *d.* 24 *febr.* 1873, declaravit, per suam Instructionem 18 *apr.* 1867 « satis aperte declaratum fuisse, religiosos nullo modo posse sine licentia Superiorum suorum, et multo minus contra ipsorum voluntatem, de pecuniis acquisitis disponere ». Die autem 21 *maii* 1880, « declaravit mentem suam in concedenda facultate supradicta (n. 17, *Instr.* 1867) nullatenus fuisse, ut per Superiores Generales Ordinum Regularium subditis in Italia suppressis indulgeri valeat proprietas seu dominium bonorum quacumque ratione sibi obvenientium, quae iidem Regulares, ratione solemnis professionis, non sibi sed monasterio Ordinis acquirunt ».

8. *Quoad Confessionem: a)* « Declarat quibuscumque Regularibus suppressis, sive in aliqua domo, prout n. 1, commorantibus, sive extra domos religiosas tamquam saecularizatis ad tempus degentibus, licere confessiones suas sacramentales apud confessarios proprii Ordinis, legitime a suo Praelato approbatos, peragere » (*Instr.* 1867, n. 13). *b)* « Superioribus tum Generalibus tum Provincialibus facultatem concedit, sive per se sive per alios idoneos viros religiosos ab ipsis deputandos, indulgendi Regularibus sui Ordinis suppressis, ut, durantibus praesentium temporum circumstantiis, quemcumque sive regularem, sive saecularem ex approbatis tamen ab Ordinario loci, confessarium sibi eligere valeant; a quo etiam, quatenus opus sit, a casibus et censuris in proprio Ordine reservatis absolvi, et super irregularitate ex violatione earumdem censurarum quomodolibet contracta, dummodo occulta remaneat, dispensationis gratiam recipere, in foro tantum conscientiae, possint » (*ibid.* n. 12).

9. In *litteris S. Congr. super disc. reg. d.* 10 *aug.* 1872, et decretis eiusdem Congr. *d.* 5 *aug.* 1872 datis, praescriptum fuit, *a)* ut Regularibus dispersis in singulis urbibus Superior specialis immediatus daretur; *b)* ut degentes extra provinciam suam remanerent subiecti inspectioni et iurisdictioni localis Provincialis, firmo remanente Provinciali uniuscuiusque pro-

vinciae iure revocandi suos dispersos ad claustra aut aedes intra ipsam provinciam.

10. In *Instructionibus* 28 *iun.* 1866, datis ad annum pro dispersis Italiae, S. Poenitentiaria declarabat: 1° « non esse relinquenda monasteria ac domos religiosas, nisi adsit coactio et proximum periculum violentiae, et a Superioribus, quatenus expedire videatur, praemittendam esse protestationem » ; — 2° « licere Regularibus dispersis, titulo compensationis pro damnis illatis sibi a Gubernio debitae, percipere pensiones ab eodem Gubernio assignatas » (§ 3); 3° de speciali indulto permitti expulsis, sub certis conditionibus, inter se dividere pecunias capsae communis et suppellectiles domesticas aut alias res usu consumptibiles, iisque uti pro suis necessitatibus » (§ 8); 4° concedi facultatem bona Religionis a Gubernio occupata in administrationem suscipere, conducere, acquirere, sub quibusdam conditionibus, in Instituti utilitatem, et dummodo absit scandalum (§§ 9 et 10).

Hae sunt praecipuae dispositiones a S. Sede pro Religiosis dispersis, sed pro diversis temporum et locorum circumstantiis stabilitae, quae proinde non possunt pro arbitrio ad alia loca et tempora transferri. Sed in singulis dispersionibus ad S. Sedem recurrendum est, ad debitas licentias ab ea accipiendas.

SECTIO II.

24. Transitus ad aliam Religionem [a]. — Societati duplex privilegium fuit concessum: primum, ne quis posset post vota biennii ad quamcumque aliam Religionem transire nisi de expresso consensu Praepositi Generalis aut Sanctae Sedis; alterum ut Praep. Generali liceret permittere transitum ad quemcumque Ordinem etiam laxiorem.

Primum privilegium iam concessit Paulus III, C. *Licet debitum* (1549), excepto Carthusiensium Ordine, ad quem liceret transire, petita quidem, ad normam cap. *Licet,* sed etiam non obtenta facultate [b]. Quod deinde confirmarunt multi Ponti-

---

24. (a) Vide Comp. Privil., nn. 527-536.

(b) Leo XII, Brevi *Plura inter* (1826), idem privilegium rursus concessit his verbis: « Ut nemini qui in Societate vota nuncupavit, ad aliam sacram familiam, praeter Carthusiensium, liceat transire ».

fices, eidem addendo varias circumstantias quibus magis firmaretur. Paulus III dicta Constit. prohibet tum transitum sine licentia, tum receptionem sic transeuntium, et statuit ut egredientes absque licentia habeantur et tractari possint veluti apostatae.

Pius V, in C. *Aequum reputamus* (1566) tria addidit: primo, poenam excommunicationis, quam ipso facto incurrerent tam recedentes sine licentia, quam eos recipientes; secundo, obligationem redeundi ad Societatem, si translati non possent aut nollent permanere in Ordine ad quem transierant; tertio, declarat expressis verbis nullius valoris esse et non tenere translationem factam absque licentia (semper excepto Carthusiensium Ordine) [c]. Clemens X, C. *Cum dudum* (1675) statuit translatos legitime ad Carthusienses aut alium Ordinem non posse, professione ibi facta, exire ab Ordine aut transire ad alium, excepto Carthusiensium.

Haec ipsa facultas transeundi ad Carthusienses fuit restricta primo a Gregorio XIII, qui C. *Exponi nobis* (1584) vetuit secundum transitum ad Carthusienses sine licentia Praep. Generalis; deinde a Clemente XI, C. *Sacri apostolatus* (1719) [d], qua transitus ad Carthusienses prohibetur omnibus religiosis Societatis extra Europam commorantibus. Tandem, concesso aliis Ordinibus privilegio ne eorum alumnis transire liceret etiam ad Carthusienses, nisi ex licentia S. Sedis aut eorum Prep. Generalis, Societas per communicationem privilegiorum eadem gratia gaudet (Comp. Priv., n. 530).

Rationes huius privilegii Societati concessi, ne eius alumnis liceret transitus ad aliam Religionem, dat S. Pius V in C. *Aequum reputamus*.

25. *Alterum privilegium* est, ut Praepositus Generalis possit permittere transitum ad quemcumque Ordinem, etiam laxiorem, mendicantium, aut non mendicantium, de consensu tamen Superiorum loci illius quo destinabuntur. Concessit Gregor. XIII, C. *Cum alias* (1582), in qua hoc privilegium incommunicabile declarat [a].

(c) In hac Const. S. Pius V publicat et confirmat Constitutionem Pii IV in favorem Societatis, quam ille Pontifex praeparaverat, sed morte praeventus publicare non potuerat.

(d) In hac Const. Clemens XI refert integre Constitutionem aliquam Gregorii XIII *Decet Rom. Pont.* (*nov.* 1579), quae in Bull. Soc. non invenitur.

25. (a) Hoc privilegium non fuit sublatum decreto S. Congr. EE. et RR.

Post Const. Benedicti xiii, *Licet sacra* (1726), qua prohibetur transitus ad Ordines militares et hospitalares, necnon ad eos ubi non viget claustralis et regularis observantia, non liceret amplius Praep. Generali Societatis permittere transitum ad hos Ordines: etenim C. *Licet sacra* habet clausulas derogatorias amplissimas (cf. Comp. Privil., n. 531).

Qui obtinuit facultatem transeundi ad aliam Religionem, debet se ad eam recta transferre. Ita Urbanus viii, decreto *Sacra Congregatio* (1624), et Innocentius xii decreto *Instantibus* (1694) (b) (Comp. Priv., ibid.).

Suarez (tr. x, l. xi, c. 2) probat transitum ad alium Ordinem posse a Praep. Generali permitti professo, etiam ex causis pro quibus eiici non posset, dummodo sint ad bonum Societatis vel subditi dimissi. Eruitur ex ipsis verbis concessionis Gregorii xiii: « Nos.... Societatis ipsius puritati ac incremento emissorumque saluti pro tempore consulere volentes.... » Facilius permitti potest transitus ad strictiorem Religionem, difficilius ad laxiorem: in hoc enim habetur aliqua relaxatio prioris obligationis, cum fiat transitus a vita strictiori ad laxiorem, non obstante professione. Ita Suarez, l. xi, c. 2, n. 9, qui addit: « Optima causa (permittendi transitum ad laxiorem Religionem) erit, et fere unica, si ad ministeria Societatis quispiam iudicatus fuerit inutilis,... sive quia est inhabilis, sive quia non sine eius detrimento applicari potest ».

Idem Suarez (l. xi, c. 3, n. 2) ait, per transitum in aliam Religionem et professionem in ea extingui quartum votum solemne professorum et quinque vota eorum simplicia. Excipi tamen debet, propter Const. *Honorum* Urbani viii (1643), vo-

---

20 *ian.* 1651 (apud Pignatelli, x, 68, 4), quo Generalibus quorumcumque Ordinum sub severis poenis prohibetur permittere transitum ad laxiorem Ordinem « quibuscumque non obstantibus ». Hoc enim rescriptum, ad Praep. Gener. Clericorum Regularium directum, non habet vim revocandi privilegium tam particulare quod habet Societas. Cfr. Piat, t. i, p. 181, qui refert decretum, et nullum dubium movet de privilegio Societatis post hoc decretum permanente.

(b) Inde sublata est facultas data a Pio v, Const. *Aequum reputamus*, qua statuebatur translatos ad Carthusienses debere intra tres menses, a die quo ab ipsa Societate discessissent, ad eos transire; translatos cum licentia Praep. Generalis ad alium Ordinem, intra tempus a Praep. Generali eis praefixum. Omnes debent recta se transferre ad Ordinem ad quem transeunt.

tum non admittendi dignitates extra Societatem. (Vide c. x, n. 26, III. — Cf. dicta superius n. 20, 3°).

26. Promotio ad Episcopatum et Cardinalatum. — Praeter dicta supra, n. 6, de hac quaestione, alia ad obedientiam spectantia dicentur infra, c. x, n. 24.

27. Perpetua saecularizatio. — De perpetuo saecularizati reditu nihil peculiare statutum reperitur in Instituto, quoad reiterationem novitiatus et professionis.

Hoc tantum Congr. Polocensibus prima (1782) et secunda (1785) provisum est, ut qui saecularizati per Breve Clementis XIV. ad Societatem in Russia confugiebant, si essent professi, ad renovandam statim professionem, post peracta per unam hebdomadam exercitia spiritualia, admitterentur; si non essent professi, praeter exercitia integra quatuor hebdomadarum, non admitterentur, priusquam integrum annum post reditum in Societatem explevissent (CONGR. POLOC. II, d. 7); de caetero his saecularizatis computandum esse pro annis Religionis annos in veste saeculari transactos: hoc autem concedi pro gratia, quia inviti hanc mutationem passi fuerant, et heroico actu vestem religiosam reassumpserant. (CONGR. POLOC. I, d. 4).

28. De dimissione non professorum ex Societate. — Omnes non professi, non solum scholastici, sed et coadiutores formati possunt dimitti, ea lege ut vota cessent in dimissione; et ratio est quia vota tum scholasticorum, tum coadiutorum formatorum fiunt sub hac tacita conditione quoad durationem, « donec societas eos servare voluerit », ut clare indicatur in CONST. P. V, c. 4, litt. B et D. Potestatem dimittendi omnes non professos agnoscit IULIUS III, C. *Exposcit debitum*, 1550 [a], et expresse confirmavit atque omnino retineri voluit GREG. XIV, C. *Ecclesiae Catholicae* (1591) [b].

---

28. (a) « Ii qui in coadiutores, tam in spiritualibus quam in corporalibus et in scholares admittentur, quorum utrique, post sufficientes probationes et tempus in Constitutionibus expressum, vota sua ad devotionem et meritum maius, non quidem solemnia... sed *quibus teneantur tamdiu quamdiu Praepositus Generalis in Societate eos retinendos* esse censuerit, emittere debeant, prout in Constitutionibus latius explicabitur ».

(b) « Potestatem quoque a Societate dimittendi quosvis non professos, ab hac Sede Apostolica saepius approbatam, eosque ab omni obligatione votorum, iuxta Constitutiones et diplomata Apostolica emissorum, per

Haec facultas nullo modo fuit revocata per decretum Urbani VIII, de apostatis et eiectis (1624)[c], nec per decretum Innocentii XII *Instantibus* (1694), quo unice confirmavit decr. Urbani VIII, illud mitigando, et nihil novi induxit. Et ideo BENED. XIV, citans supra dictum decretum (*de Synodo*, l. XIII, c. 11, n. 21) hoc Societatis privilegium, non obstante decreto, agnoscit. — Tandem novam confirmationem accepit per decretum *Sanctissimus* (1858), quo similis facultas facta est Praep. Generalibus Ordinum Regularium in dimittendis professis votorum simplicium (vide supra, nota 16ª): quamvis in istis Ordinibus ea vota non cessant ipso dimissionis facto, sed in dimissione a Generali *solvi* possint, ut ait decretum.

Post decretum *Auctis* (1892), merito dubium visum fuit an privilegia Societatis in suis dimittendis alumnis aliquod detrimentum acceperint. Tria autem in hoc decreto quoad dimissionem inveniuntur. 1° Ut nemo post vota etiam simplicia sed perpetua, aut etiam post vota temporanea, si est insuper in sacris constitutus, dimittatur, nisi ob culpam gravem, externam et publicam et nisi culpabilis sit etiam incorrigibilis. 2° Ut in dimissione servetur aliqua forma iudiciaria. 3° Ut dimissi, si sint in ordinibus sacris constituti, aliquibus conditionibus subiecti remaneant, quae sub n. IV et V decreti indicantur[d].

---

dimissionem ipsam, per quam vota praedicta cessant, liberandi, tamquam rem magni momenti ad Societatis puritatem et conservationem retinendam, omnino ratam, intactam et illibatam esse volumus ».

(c) Extat rescriptum S. C. C., 11 *febr.* 1662, de hac re: « Religiosos Soc. Iesu post tria vota simplicia dumtaxat, vigore privilegiorum eiusdem Societatis dimissos, non comprehendi in Const. Urbani VIII, de apostatis et eiectis ».

(d) Art. IV. « Alumni votorum solemnium vel simplicium perpetuorum vel temporalium in sacris ordinibus constituti, qui expulsi vel dimissi fuerint, perpetuo suspensi maneant, donec a S. Sede alio modo eis consulatur, ac praeterea Episcopum benevolum receptorem invenerint et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint ».

Art. V. « Qui in sacris ordinibus constituti et votis simplicibus obstricti, sive perpetuis sive temporalibus, sponte dimissionem ab Apostolica Sede petierint et obtinuerint, vel aliter ex Apostolico privilegio a votis simplicibus vel perpetuis vel temporaneis dispensati fuerint, ex claustro non exeant, donec Episcopum benevolum receptorem invenerint et de Ecclesiastico patrimonio sibi providerint; secus suspensi maneant ab exercitio susceptorum ordinum. Quod porrigitur quoque ad alumnos

Porro quoad secundum punctum, Societas, petente R. P. Generali, obtinuit ut « in expellendis seu dimittendis propriis alumnis, etiam professis, procedere possit iuxta methodum statutam in propriis Constitutionibus, et confirmatam litteris Apostolicis et praesertim Const. *Ecclesiae Catholicae* (1591) Gregorii xiv ». — Ita concessit Leo xiii, et fuit regestum in Actis S. Congr. EE. et RR. d. 19 *aprilis* 1893 (ut invenitur in Epistola R. P. Martin, 11 *maii* 1893, quae citatur infra n. 29, *nota* e).

Quoad 3^um^ punctum interrogatus Cardinalis Praefectus S. Congregationis, die 10 *sept.* 1894 ad Sanctissimum retulit, qui supremo suo iudicio asseruit ac per litteras Praep. Generali denuntiari iussit: « Dispositiones Decreti diei 4 *nov.* 1892, *Auctis admodum,* sub n. iv et v comprehendere et obligare etiam alumnos Societatis Iesu ». (Ita in Epistola R. P. Martin 12 *dec.* 1894).

Quoad 1^um^ punctum, dimissio duplex distinguenda est: una, quae volenti et petenti ab eo, qui potestatem habet, conceditur; altera, quae alumno etiam nolenti imponitur. — Dimissionem primi generis concedi posse, etiamsi culpa non praecesserit, non est dubium, dummodo adsit causa gravis. Decretum ipsum satis agnoscit privilegia antea largita dimissionem petenti concedendi, dum § 5 ait: « Qui.... sponte dimissionem ab Apostolica Sede petierint et obtinuerint, *vel aliter ex Apostolico privilegio a votis simplicibus* vel perpetuis vel temporaneis *dispensati fuerint* ».

Dimissio secundi generis, quae non conceditur petenti sed etiam nolenti imponitur, utrum adhuc post decretum *Auctis* unice « propter culpam gravem, externam et publicam, cum incorrigibilitate coniunctam » dari possit, an etiam propter alias rationes in Constitutionibus (P. ii, c. 2) contentas? — Ad respondendum, distinguere oportet. Si agatur de alumno in sacris non constituto, videtur omnino posse dimitti propter alias causas in Constitutionibus contentas: nam scopus decreti *Auctis* est maxime providere ne dimittantur alumni sacris initiati, qui dimissi oneri sint Episcopis. Si autem agatur de alumno in sacris constituto, res multo magis est controversa. Nihilominus videtur affirmandum posse dimitti, quin requi-

---

votorum simplicium temporalium qui quovis professionis vinculo iam forent soluti, ob elapsum tempus quo vota ab ipsis fuerunt nuncupata ».

ratur culpa gravis, externa, publica, et incorrigibilitas. Ratio est, quia § III decreti proprie non respicit nisi Instituta votorum simplicium, ut clare dicitur. Memorantur quidem dispositiones decretorum Urbani VIII et Innocentii XII de eiectis, « quibus methodus ordinatur a Superioribus Ordinum Regularium servanda in expellendis propriis alumnis », et declarantur ea in suo robore manere; sed hoc praemisso, hic artic. III totus est ut statuatur, quod « dispositiones in his decretis contentae servandae imponuntur etiam Superioribus Institutorum votorum simplicium ». Ergo nihil innovatur quoad Ordines regulares (cf. supra n. 16). Concludendum est ergo: quoniam Societas, ut dictum est, non comprehendebatur sub decretis Urbani VIII et Innocentii XII, quoniam insuper, post institutam professionem votorum simplicium in Religionibus stricte dictis, Pius IX, d. *Sanctissimus* (art. 5), concessit Praep. Generalibus facultatem dimittendi professos votorum simplicium « ex iustis et rationabilibus causis », quin exigeret culpam gravem, externam, publicam cum incorrigibilitate coniunctam: ideo etiam nunc non tantum in Societate, sed etiam in aliis Religionibus proprie dictis, talis conditio non requiritur post decretum *Auctis*. — Haec sententia verior et tuta videtur, donec sit declaratio contraria, quae quidem esset extensiva decreti *Auctis*, aut ex stylo Curiae indubia evadat talis extensio.

Eodem argumento probatur, post decretum *Auctis*, formam iudiciariam nec in Societate, nec in aliis Religionibus proprie dictis requiri ad dimittendos alumnos post sola vota simplicia. Nam eodem decreto *Sanctissimus*, art. 5, providebatur: « licet ad decernendam dimissionem neque processus neque iudicii forma requiratur, sed ad eam procedi possit sola facti veritate inspecta.... ».

Superest quaestio. Dimissus post vota simplicia, si est in sacris constitutus, subiiciturne articulo IV aut articulo V Decreti? Quandonam articulo IV, quandonam articulo V?

Art. IV spectat ad eos « qui expulsi aut dimissi fuerint »; art. V, ad eos « qui *sponte* dimissionem *petierint* et obtinuerint, vel aliter ex Apostolico privilegio a votis *dispensati* fuerint ». Ergo dicendum est subiacere articulo IV quicumque propter culpam suam dimittuntur. Nec refert si huiusmodi religiosi dimissionem petiverint, nam dimissio concedi non potest nisi propter causam gravem. Si ergo isti nullam causam gravem afferunt, et revera propter culpam, non propter

petitionem dimittuntur, dimitti debent sub n. IV. — Qui autem sponte petunt et rationem gravem afferunt, v. g. infirmitatem, parentum necessitatem, difficultates quas experiuntur, hi dimittendi sunt sub n. V.

Dubium remanere potest quoad eos qui non petunt quidem dimitti, sed a quibus bonum est ut Societas libera maneat, propter defectus partim saltem voluntarios, v. g. ingenium difficile ac omnis iugi impatiens, ideas parum tutas. Hi induci possunt ad petendum, et tunc si petant dimitti possunt sub n. V. Sed etiamsi petere nolint, si adsunt ex parte Societatis rationes sufficientes iuxta Institutum ad eos dimittendos, et ex eorum parte non adsint culpae graves, externae et publicae, propter quas dimittantur, videntur posse dimitti sub n. V: etenim n. IV videtur reservatus iis qui propter culpas suas eiici meruerint[e].

29. Eiectio Professorum. — De forma eiectionis. — 1. Professi tum ex Constitutionibus[a], tum ex Iure communi[b], datis causis proportionatis, dimitti seu eiici possunt.

2. In eiiciendis professis Societas ad formam iudiciariam adhibendam non obligatur. Hoc habetur primo ex CONSTITUTIONIBUS, P. II, c. 3, ubi modus dimittendi describitur. Tria requiruntur ab eo qui dimittit: primo, ut oret; secundo, ut « conferat cum aliquibus seu aliquo ex domesticis, qui ad hoc negotium aptiores ei videantur, et audiat quid illi sentiant »: tertio, « ut expendat hinc inde causas, et statuat an dimittere debeat, necne ». De forma iudiciaria nulla fit mentio: sed requiritur sola Praep. Generalis deliberatio, auditis uno aut pluribus. CONGR. V, d. 58, inter substantialia Instituti statuit « non esse necessarium ut in dimittendo forma iudicialis servetur ».

Cum autem Constitutiones et decreta Congregationum saepius fuerunt a S. Sede approbata, dicendum est hunc modum dimittendi absque forma iudiciaria esse ab Ecclesia approbatum in forma communi. Sed praeterea fuit approbatus in

---

(e) Cf. SUAREZ, tr. X, lib. X, c. 13, n. 5.

29. (a) P. II, c. 1, n. 1 et A: « In quibusdam casibus, etiam professi, cuiuscumque gradus et dignitatis in Societate sint, dimitti possent, si retineri sine detrimento illius ac divini obsequii non posse iudicaretur ». (In Instituto vox *dimissio* adhibetur etiam ubi de eiectione professorum agitur).

(b) Loca Iuris refert FERRARIS, v. *Eiectio*, n. 1. — Cf. supra n. 18.

forma speciali et explicita a Gregorio xiv, Const. *Ecclesiae Catholicae* (1591) (c).

Verum est Urbanum viii, decreto *de apostatis et eiectis* (21 *sept.* 1624) § 6, decrevisse « ut in posterum a Religionibus nullus legitime professus eiici possit, 1° nisi sit vere incorrigibilis; 2° nisi sententia ab ipsomet Generali tantum de consilio et assensu sex Patrum in generali Capitulo electorum pronuntietur; 3° nisi instructo secundum singularum Religionum stylum et constitutiones processu, et plene probatis causis expulsionis, ad SS. Canonum praescriptum ». — At S. Congr. Concilii statim interrogata, an hoc decreto comprehenderetur Societas Iesu, respondit non comprehendi (vide Comp. Privil. n. 160, ubi res cum circumstantiis refertur) (d).

Neque hoc privilegium fuit revocatum decreto Innocentii xii *Instantibus* (1694): ab eo enim mitigatum fuit decretum Urbani, nihil novi statutum.

Sed rursus post decretum *Auctis,* quamvis art. 3, ut dictum fuit, non respiciat proprie nisi Instituta votorum simplicium, attamen cum ibi declarantur innovatae dispositiones decreti Urbani viii et Innocentii xii, et modo speciali praescribitur ut processus iuxta formam stabilitam instituatur, adiecta in fine decreti clausula « contrariis quibuscumque, etiam speciali individua mentione dignis, minime obstantibus », dubitari coepit an hoc decreto derogatum esset privilegio Societatis. Ut dubium solveretur, P. Generalis supplicem libellum ad S. Pon-

---

(c) « Quod attinet ad dimissionem, declaramus formam iudiciariam adhibendam non esse, sed modum in Constitutionibus praescriptum et hactenus in ipsa Societate servatum de caetero servari volumus; nempe ut sine aliquo processu, tela aut ordine iudiciario, ac nullis terminis etiam substantialibus servatis, sola facti veritate inspecta, culpae vel rationabilis causae tantum ratione habita ac personarum aliarumque circumstantiarum, procedi possit, auctoritate Apostolica declaramus et decernimus ».

(d) Bened. xiv (*de Synodo,* l. xiii, c. xi, n. 26) censuit privilegium a Gregorio xiv concessum dimittendi omnes, etiam solemniter professos, sine forma iudicii et sola facti veritate inspecta, fuisse quoad solemniter professos revocatum per decretum Urbani viii, et citat consultationem Card. de Lugo pro hac sententia. Uterque igitur ignoravit declarationem S. Congr. Conc.; quod mirum non est, ubi non facta sit publici iuris, et nulla reclamatio contra dimissionem professorum mota fuerit, quae Societatem ad manifestandam declarationem S. C. C. coegerit.

tificem direxit, quo methodum in expulsionibus a Societate servatam exponebat, litteris Apostolicis maxime Gregorii XIV approbatam, et exemptionem a decreto petebat. S. Pontifex autem precibus benigne annuit, « eo magis quod attentis prudentioribus normis et cautelis, quae adhiberi solent in expellendis et dimittendis membris Societatis iuxta vigentem methodum, affirmari potest supradictum decretum S. Congregationis, si minus materialiter, at quoad spiritum formaliter servari ». S. Congr. EE. et RR., certior reddita huius benignae concessionis a S. Patre factae, illam in acta retulit. Ita in rescripto S. Congr., 19 *aprilis* 1893 [e].

30. De causis eiectionis professi: an requiratur culpa gravis, externa, publica, cum incorrigibilitate coniuncta, quae a Iure communi praescribitur, ut supra n. 18 dictum est?

Certum est ex Constitutionibus non requiri, sed sufficere alias causas proportionatas, maxime culpas graves, etiamsi non adsit incorrigibilitas. Nam, etsi ex Parte II dubium aliquod remaneret, quia in *declaratione* C capitis I solum exemplum quod affertur ad dimissionem professi est « si contumax vel incorrigibilis esset »; certe in P. IX, c. 4, n. 7, ad expellendum etiam Pr. Generalem non requiritur nisi culpa gravis [a].

Nec summi Pontifices ad dimissionem e Societate exigunt incorrigibilitatem. GREG. XIII, C. *Cum alias* (1582), volens « Societatis ipsius puritati et incremento consulere », statuit « ut deinceps in perpetuum liceat Praeposito, *quos iudicaverit*, ab ipsa Societate emittere »; et GREGOR. XIV, C. *Ecclesiae* (1591), dat facultatem eiiciendi « secundum modum in Constitutionibus praescriptum et hactenus in ipsa Societate servatum »: hunc modum sic declarat: ut « sine forma iudiciaria et *culpae vel rationabilis causae tantum ratione habita,* liceat dimittere » [b]. Cf. SUAREZ, tr. X, l. XI, c. 1.

(e) Omnia haec referuntur in Epistola A. R. P. Lud. Martin, 11 *maii* 1893.

30. (a) « Sexta (res, in qua Societas providentiam in Generalem exercere debet) locum haberet in quibusdam casibus, cuiusmodi essent peccata mortalia in externum actum prodeuntia, ac nominatim copula carnalis, vulnerare quemquam, ex reditibus Collegiorum aliquid ad proprios sumptus assumere,... vel pravam doctrinam habere. Si quid ergo horum accideret, potest et debet Societas, si de re sufficientissime constaret, eum officio privare et, si opus est, a Societate removere ».

(b) Vox dimittere ibi certe eiectionem professi comprehendit.

An ex Iure communi aliquid afferatur quo hoc Societatis privilegium restringatur, non apparet. — Tria afferri possunt: 1. Ius antiquum omnibus Religionibus commune: sed huic per repetitas Constitutionum Societatis approbationes ac per duo Apostolica diplomata utriusque Gregorii sine dubio derogatum est; 2. Decretum Urbani VIII (1624): sed Societas declarata est non comprehendi sub hoc decreto (supra, *nota* 28 c); 3. Decretum *Auctis:* sed hoc decretum in hac parte, scilicet in art. 3, nihil innovavit quoad Religiones proprie dictas, et solummodo magis declaravit ius praecedens; quoniam autem Societas ab hoc iure praecedenti erat exempta, decretum *Auctis* nullam novam obligationem per se Societati attulit. — Dicitur *per se:* nam aliquod forsan dubium iniici potest, si non ex ipsis decreti verbis, verum tum ex mente et stylo Congregationis a qua emanavit, tum ex ipsa dispensatione a S. Pontifice petita et impetrata. Obiici enim posset S. Pontificem permisisse Societati in dimissionibus servare suam methodum; sed per hoc illud tantum intendisse ut eam a forma iudiciaria liberam servaret. Si ergo post decretum necessaria fuit dispensatio S. Pontificis, et ipse a sola forma iudiciaria dispensavit, consequens esset Societatem non posse nunc professos dimittere, nisi ob culpam gravem, externam, publicam, cum incorrigibilitate coniunctam. — Respondetur: quoniam verum videtur Societatem post decretum *Auctis* dispensatione non indiguisse, et dispensationem ad maiorem conscientiae tranquillitatem ac ad vitandas omnes difficultates fuisse petitam, valde probabile est Societatem posse etiam nunc professos dimittere, ut ante decretum *Auctis* concessum erat.

31. De causis dimissionis cuiuscumque alumni Societatis, ex Constitutionibus. — Causae propter quas ex Instituto dimittere licet, exponuntur P. II, c. 1, n. 1. Ponitur ante omnia principium: « Causas ad dimissionem dignas eo graviores esse oportet, quo quis arctius Societatis corpori est coniunctus ». Additur ibid. *litt.* A: « Eo graviores etiam esse debere, quo quis melius de Societate meritus esset, vel quo pluribus Dei donis ad eius obsequium praeditus esset ».

Notandum est autem, in hoc capite Constitutionum et sequenti agi de dimissione non professorum tantum, sed omnium, etiam novitiorum, et enumerari causas dimissionis, quin dicatur quaenam requirantur ad dimissionem professorum, coadiutorum formatorum, etc.

Causae dimissionis ad quatuor capita reducuntur: 1. Honor

et gloria Dei: cui adversantur affectus pravi, vitia, culpae. 2. Bonum Societatis: cui adversantur impedimenta, ineptitudo ad eius ministeria, mala exempla, inquietudo spiritus. 3. Bonum simul dimittendi et Societatis: cui adversantur infirmitas, corporis debilitas, animi inobedientia. 4. Bonum externorum: quod detrimentum pateretur, si servaretur aliquis vinculo matrimonii obstrictus vel aere alieno gravatus.

Ad dimittendum aliquem post vota biennii semper requiritur causa proportionata, et ideo dimissio sine causa facta est nulla. Ita SUAREZ, tr. X, l. III, c. 9, n. 10 sq., qui sententiam probat ex EXAM., c. VI, *litt.* A, et ex C. *Quanto fructuosius* (1583) GREGORII XIII, ubi causa ad dimittendum requiritur, necnon ex ratione status religiosi. In EXAMINE, c. VI, A dicitur: « Nec est iniustum, si Societas libertatem ad eos dimittendos, *quando non faciunt quod* debent, retineat;... alioqui facilius est aliquem ab eo quod debet deficere, quam Societatem vel eius Praepositum Generalem, quorum tantum erit posse dimittere; *nec id sine causis iustissimis,* ut in secunda parte Const. videbitur, *fieri debebit* ». GREGORIUS XIII *rationabilem causam,* iuxta Constitutiones ad dimissionem requirit.

Notat idem SUAREZ, tr. X, l. X, c. 13, n. 6, 7, 8, dimissionem scholastici et coadiutoris, etiam quando pronuntiatur propter culpam, semper tamen fundari in quadam conventione. Vota enim eorum semper emittuntur et admittuntur cum hac conditione: donec Societas eos retinere volet. Quamvis autem non ideo sit liberum Societati scholasticos et multo magis coadiutores formatos dimittere absque causa proportionata, attamen minus stricta requiritur probatio delicti: sufficit enim moralis culpae certitudo, ac ut prudenter magnum damnum ex conservatione socii sit Societati timendum, ut ad dimissionem procedere possit, propter conditionem seu conventionem. Ad hoc autem ut eiiciatur professus requiritur stricta culpae probatio, quae in iudicio sit sufficiens ad condemnandum, etiamsi forma iudiciaria non requiratur nec adhibeatur.

32. Penes quem residet in Societate facultas dimittendi et eiiciendi. — « Dimittendi facultas in primis ad universam Societatem pertinet, quando in Congregationem generalem conveniret. Eadem erit penes Pr. Generalem in omnibus... Penes reliquos ex Societate tantum erit huius facultatis, quantum eis a capite collatum fuerit ». Ita P. II, c. 1, n. 2.

In *declar. C.* huius capitis dicitur facultatem dimittendi coa-

diutores formatos et multo plus professos reservandam esse Generali, et non communicandam aliis, nisi in casibus rarissimis: facultatem dimittendi eos qui prima vota fecerint posse, pro Generalis iudicio, communicari Provincialibus; non autem communicandam esse Praepositis localibus.

Res fuit magis determinata *Reg.* 40, 41 et 43 *Provincialis.* — *Reg.* 43: « Coadiutores formatos sive spirituales sive temporales et professos nullo modo dimittet ». — *Reg.* 41: « Scholasticos vero approbatos et coadiutores non formatos, qui probationem absolverunt, inconsulto Generali non dimittat, nisi in gravibus et urgentibus casibus, et qui eiusmodi sint ut sine gravi periculo Generalis responsum expectari nequeat; quem tamen post dimissionem certiorem faciat, adiunctis causis dimissionis ». *Reg.* 40: « Facultatem habet dimittendi eos qui in prima et secunda probatione ante et post emissa vota (devotionis) versantur; nisi.... ».

Superiores locales autem iure ordinario nullum qui vota fecerit, etiam devotionis, dimittere possunt. Vide Const. l. c., litt. C.

Ex his regulis habetur:

1. Si Provincialis quacumque ex causa, professum aut coadiutorem formatum dimitteret, dimissio esset invalida, ex defectu potestatis. Nec in hoc casu videtur habere locum facultas dispensandi a Constitutionibus in casibus urgentioribus, ipsis concessa regula sua 7, et *Const.* P. IX, c. 3, D; quia ibi dicitur Provincialem posse dispensare, quando eam esse mentem Constitutionum, consideratis circumstantiis peculiaribus, et *non aliter,* in Domino iudicaret. Porro cum in eius reg. 43 dicatur « coadiutores et professos *nullo modo* dimittet », satis indicatur mentem Constitutionum esse ut etiam in casibus urgentioribus non dimittat.

2. Item et propter eamdem rationem, invalida videtur dimissio scholastici propria auctoritate a Provinciali facta extra casum urgentioris necessitatis. Nam ipsi datur facultas dimit tendi in hoc tantum casu, ubi est urgentior necessitas et responsum Pr. Generalis expectari nequit. Porro Provinciales (ex praecitato Const. loco) non habent aliam facultatem dimittendi, nisi quae fuerit eis a Generali collata.

3. Invalida etiam esset dimissio cuiuscumque a Superiore locali facta, cum nullam ad hoc habeat ordinariam facultatem; nec probabiliter etiamsi in casu urgentiori, quo Provincialis responsum expectari non liceret, scholasticum dimitteret. Ex-

stat Responsum PP. GG. (1622): « Nullo casu etiam urgente, licet Superiori locali ullum dimittere post vota biennii ».

33. De modo procedendi in dimissione. — Tractatur in CONSTIT. P. II, c. 3 [a]. Ex his quae requiruntur, alia respiciunt ipsum dimittentem, alia dimissum, alia sive Nostros sive externos. Ponitur autem principium quod is modus observari debet qui his omnibus magis satisfaciat.

1. *Tria a dimittente exiguntur* in Constit. l. c.: ut oret, ut consulat aptiores, ut statuat ex motivis supernaturalibus maioris Dei gloriae et boni communis.

P. Aquaviva, a. 1604, partes Superiorum in dimissione magis particulariter descripsit. Est *Ordinatio* XII, in qua sequentia praecipit, tamquam methodum, « qua neglecta Superior suae conscientiae non satisfacit » :

1. Provincialis, praemissa oratione, explorare debet an quae obiiciuntur sint vera, an falsa, an dubia (n. 2).

2. Deinde an, si vera sint, tanti sint momenti ut de dimissione iuxta Constitutiones (P. II, c. 2) agi debeat (n. 2).

3. An Superiores debita caritate delinquentem commonitionibus, poenitentiis, exercitiis spiritualibus adiuverint, et an diuturna fuerit haec correctio (n. 3).

4. Consideret genus culpae et cur dimissionem exigat : an quia talis est quae alios inficiat et bono communi adversetur? an propter gravem inde timendam notam in Societatem? an propter delicti magnitudinem? an propter emendationis difficultatem? an ad resarciendam post scandalum famam Societatis? (n. 3).

5. Peracta hac informatione, et audita sententia Rectoris inculpati, omnia suis Consultoribus exponat (n. 4), nisi tamen res secretum postularet (n. 7).

6. Deinde informationem ad Generalem, cum suorum CC. sententiis mittat (n. 4).

7. Generalis, re cum PP. AA. examinata (nisi secretum natura delicti exigat), sententiam profert (n. 8).

---

33. (a) « Ea quae de modo dimittendi dicuntur, magis conveniunt iis qui dimittuntur dum versantur in probationibus, multo minus aliis, maxime coadiutoribus formatis et professis » (P. II, c. 3, litt. A). — Professi eiecti subiacent prohibitioni praedicandi, docendi, confessiones audiendi, de qua dictum est n. 20 (Cf. COMP. PRIV., n. 161).

II. *Quoad dimissum,* observandum est ut recedat a domo, quantum fieri potest sine dedecore vel ignominia, ut recedendo secum omnia sua ferat, ut remaneat bene affectus Societati. Societas non impedit quin dimissus officia ac beneficia obtineat (CONGR. IX, d. 30; COMP. PRIVIL., n. 162).

III. *Quoad Nostros et externos,* duo sunt vitanda: ne turbati remaneant ex dimissione, vel male affecti erga dimissum; et praeterea procurandum est ut ex dimissione iuventur et aedificationem accipiant.

Omnes non professi, ut dictum est, dimittuntur soluti a votis, et hoc eis declarari debet (P. II, c. 4, n. 3) [b]. — Notandum est Superiores, etiam Praep. Generalem, non posse aliter dimittere non professos, quantumvis gravibus culpis reos, nisi a votis solutos. Ratio est, quia vota tum scholasticorum, tum coadiutorum fuerunt emissa cum conditione quoad durationem, scilicet « donec eos Societas retinere volet » (P. V, c. 4, litt. B et D). Ideo solutio aut conservatio votorum in dimissione a Superiorum voluntate nullo modo pendet; sed solo facto dimissionis vota necessario solvuntur.

Aliunde Superiores non possunt dispensare a votis Religionis etiam simplicibus, nisi sola dimissione. Definitur a GREGORIO XIII, c. *Ascendente* (1584): « nec in illis (votis simplicibus) a quoquam, praeter nos et Sedem Apostolicam, dispensari, nec ea ullo alio modo quam per legitimam dimissionem a Societate cessare posse » [c].

34. Dimissis Societas non debet sustentationem, etiamsi sint in sacris constituti, et titulo paupertatis ordinati fuerint. Declaravit BENED. XIII, C. *Iniuncti nobis* (1728): « Societatem Iesu non teneri nec obligatam esse ad ullam subministrationem sive congruae sustentationis, sive alimentorum, sive alio quocumque titulo et causa faciendam;... tametsi, dum in ea remanebant, ad sacros etiam presbyteratus ordines, sine beneficio ecclesiastico ac patrimonio et ad titulum religiosae pau-

---

(b) » Declaretur iis qui dimittuntur quod absoluti maneant a votis simplicibus... quodque nulla alia dispensatione indigeant ».

(c) Dici posset per *art.* 3 decreti *Sanctissimus* (1858) dari facultatem Ordinibus solvendi aut non solvendi professos votorum simplicium in actu dimissionis. Sed hoc decretum (et etiam litt. *Neminem* PII IX, 1857) ad Societatem non spectat.

pertatis promoti fuerint ». Benedictus xiv (*de Synodo*, l. xiii, c. xi, n. 25), postquam retulit hanc Constitutionem, addit: « Peraequa sane Constitutio, provida et omnino congruens praecedentibus tribunalium iudicatis; in quibus, quoties post Constitutionem Greg. xiii proposita fuit, toties reiecta conspicitur petitio a praedictis religiosis promota.... Harum rerum iudicatarum series inspici potest penes Pignatelli, t. x, consult. 92, et apud Lacroix, l. vi, p. 2, n. 2196, sq. ».

Difficultati autem ex defectu tituli sustentationis per dimissionem exsurgenti providit opportune Decretum *Auctis*, §§ iv et v. Vide etiam Epitom. Inst., P. iv, n. 149.

35. Privilegia Societatis in apostatas et fugitivos. — Praeter ea quae sunt Iuris communis (supra nn. 20, 21, 22) his privilegiis Societas gaudet:

1° Excommunicationi latae sententiae aliisque apostatarum poenis subiacent omnes, qui post prima vota biennii a Societate absque expressa licentia recedunt, sive ad saeculum sive ad aliam Religionem, Carthusiensium excepta, transeant. Excommunicatio est reservata R. P. et Superiori Societatis. Ita Pius v, C. *Aequum reputamus* (1565), et Greg. xiii, C. *Ascendente Domino* (1584) [a]. — Eam incurrunt omnes apostatae, etiamsi habitum religiosum non dimiserint. Nam haec excommunicatio conditionem dimissionis habitus non habet.

Eam aliasque apostatarum poenas incurrunt fugitivi, quippe qui « absque licentia a Societate discedant »; necnon transeuntes sine licentia ad aliam Religionem, Carthusiensium excepta, ut patet ex verbis Gregor. xiii.

Haec excommunicatio, aliaeque de quibus infra, utpote pertinentes ad internum Religionis regimen, in suo robore post C. *Apost. Sedis*, permanent.

2° Praeterea, ex communicatione privilegiorum cum aliis Ordinibus, et etiam ex directa concessione a Paulo iii, C. *Licet debitum* (1549), et a Pio v, C. *Aequum reputamus* (1565), Societati facta, eosdem « Praepositus Generalis aliique Superiores So-

---

35. (a) « Non solum professi et coadiutores formati, sed ex aliis quicumque, absoluto probationis biennio, tria substantialia vota etiam simplicia emiserint, si absque expressa licentia a Societate discedant, etiamsi praetextu melioris frugis et transitus ad alium quemcumque Ordinem, Carthusiensium dumtaxat excepto, id faciant, apostasiae et excommunicationis, ex Apostolicae Sedis decreto, poenas incurrunt; a quibus nonnisi a S. Pontifice vel a Generali Praeposito absolvi possunt » (Greg. xiii).

cietatis possunt excommunicare ac tamquam apostatas capere, incarcerare ac debitae poenitentiae subiacere » (Comp. Privil. n. 44).

3° Omnibus apostatarum poenis ac censuris in foro conscientiae subiacent quicumque aut causis non veris, fraude ac dolo, aut delictis gravibus ea mente perpetratis, dimissionem impetrant, et irrita est dimissio. Et si hoc in exteriore foro constiterit, possunt Superiores contra eos agere tamquam contra veros apostatas (Congr. vii, d. 22, 4°. — Censurae et Praecepta, c. iii, 9).

4° Excommunicationem latae sententiae incurrunt qui, inconsulto Provinciali, externos de dimissione sua consulunt, et qui eorum auxilio et intercessione ad eam impetrandam utuntur. Haec excommunicatio est Provinciali reservata (Congr. vii, d. 22, n. 2. — Cens. et Praec., c. iii, n. 10). Insuper hi violant praeceptum obedientiae, quo haec agere prohibentur *(ibid.)*.

Nota. Quamvis fugitivi comprehendantur sub excommunicatione n. 1 relata, Congr. ix, d. 27, rem magis declaravit, et « fugitivos nostrae Societatis ipso facto excommunicatos esse voluit et decrevit ».

36. De obligatione perquirendi et reducendi apostatas, fugitivos et eiectos. — Praeter ea quae de hac obligatione, n. 22, 7°, dicta sunt, Societas ab hac obligatione videtur exempta, et posse stare in hac re suis Constitutionibus. Nam haec obligatio stabilitur tum cap. *Ne religiosi*, 24, *de Regul.* iii, 31, tum decreto Urbani viii, *Sacra Congregatio* (1624), et alio Innocentii xii, *Instantibus* (1694). Porro, quoad caput *Ne religiosi*, eo ipso quod Constitutiones Societatis fuerunt a S. Sede approbatae, si quid habent in hac re contrarium huic capiti, ab eo merito exempta censetur. Quoad decretum Urbani viii, vidimus (n. 29) Societatem ex responso S. Congr. Conc. non esse sub eo contentam. Decretum autem Innocentii simpliciter observationem capitis *Ne religiosi*, de fugitivis, urget; igitur nullam novam obligationem Societati infert. Ergo videtur quod Societas suis Constitutionibus stare possit [a].

Constitutiones autem, P. ii, c. 4, haec statuunt:

1° « Ad eos reducendos qui sine licentia recedunt, si prius

---

36. (a) Piat, t. i, p. 202, q. 9, 2°, Societatem esse in hac re a praescriptionibus Iuris communis immunem agnoscit.

parum idonei ad Societatem habebantur, nulla diligentia opus erit, sed potius dirigantur ad aliud Institutum, ubi Deo servire possint, relaxato illis (per dimissionem) voto, ut omnes scrupuli eis eximantur » (n. 4).

2° « Qui a Societate discedunt, quamvis ad eam idonei videantur, si aliam Religionem ingressi et eiusdem habitu induti fuissent, nec litigandum esse Societati, nec procurandum videtur ut eos reducat » (*litt.* B).

3° Si iidem nondum habitum huius Religionis induerint, aut in saeculo remanserint, diligentia adhiberi ad eos reducendos poterit, praecipue si ex violenta tentatione aut ab aliis decepti discessissent (*litt.* B et n. 5).

4° Statuitur ut redeuntes, sive sponte sua sive reducti redeunt, et etiam qui post dimissionem rursus admitti petunt, prius examinentur, parati sint ad dandam quamcumque satisfactionem, et variis probationibus exerceantur, prout Superiori videbitur (*ibid., litt.* C).

5° Dimissus rursus admitti non debet nisi ex consensu eius qui dimisit aut P. Generalis (P. II, c. 4, n. 1), nec qui sponte discesserunt, sine consensu eius qui praeest in loco unde discesserunt (Vide c. III, n. 12).

6° Insuper, *a)* Qui valide dimissus fuit, nonnisi post expletum rursus biennium ad vota admittendus est, quamvis in probationibus dispensare cum illo possit Provincialis (*Congr.* VIII, d. 58). *b)* « Is qui sine culpa sua, et sine ulla penitus causa e Societate expulsus est, ita ut invalida sit dimissio, in pristinum statum absque novitiatu restitui debet » (*ibid.*). *c)* Qui post emissa vota Societatem sine licentia deserunt, post reditum eadem cum aliis, praemissa satisfactione, renovare debent (*Ordin.* I, n. 2).

CAPUT VIII.

DE VOTIS RELIGIOSIS. — DE VOTO PAUPERTATIS

1. Vota religiosa; quomodo a votis privatis differunt. — 2. Vota religiosa alia solemnia, alia simplicia. In quo consistit solemnitas votorum? — 3. Quae vota Ecclesia solemnia habet? — 4. An actus interni sint materia votorum religiosorum? — 5. Paupertas religiosa. Eius gradus. — 6. Votum simplex paupertatis. Eius effectus ordinarii. Quinque documenta. — 7. An dispositio illicita bonorum post votum simplex paupertatis, sit etiam invalida? — 8. Votum solemne paupertatis. Eius effectus ordinarii. — 9. Hi effectus a voto solemni separari possunt. — 10. Axioma « Quidquid monachus acquirit, monasterio acquirit ». —

11. Notanda varia circa axioma illud. — 12. De paupertate religiosa in ordine ad iura civilia. De proprietate legali religiosorum. — 13. Materia remota voti paupertatis. — 14. Peculium; eius notio. — 15. An sit licitum? — Historia circa peculium. — 16. Livella seu pensiones annuae. — 17. Beneficia ecclesiastica, regularia et saecularia. — 18. Usus rerum debet esse dependens. — 19. Debet esse statui paupertatis conformis. — 20. De proprietate in communi. — 21. Materia proxima voti paupertatis. — 22. Donorum acceptatio et renuntiatio. Rei absumptio. — 23. Permutatio, mutuum, commodatum, depositum, fideiussio. — 24. Usus. Destructio rei alienae. — 25. Administratio bonorum. — 26. Testamentum religiosorum. Renuntiatio bonorum. — 27. De licentia quoad paupertatem. Licentia expressa, tacita, praesumpta. — 28. Variae quaestiones de licentia implicita. — 29. Aliae quaestiones de licentia. — 30. Materia gravis in peccatis contra paupertatem. — 31. De gravitate maiore aut minore aliquorum actuum contra paupertatem, pro ratione proprietatis quae in eis invenitur. — 32. An levia peccata contra paupertatem aliquando coalescant in unum grave? — 33. De peccatis internis contra paupertatem. — 34. De virtute paupertatis. — 35. Peculiares obligationes Superioris regularis circa paupertatem.

1. De natura votorum Religionis. — Vota Religionis seu religiosa multiplici ratione differunt a votis privatis.

1° Vota privata, quoniam libera cuiuscumque voluntate fiunt, iis circa materiam, modum, tempus, circumscribuntur limitibus, quos quisque ea emittendo praefixerit; vota religiosa contra non pendent in suis limitibus a voluntate professitentis, sed eorum materia, duratio, aliaeque circumstantiae ab Ecclesiae legibus et a constitutionibus approbatis singulorum Institutorum definita sunt. Professitens liber est quidem ad vitam religiosam ingrediendam et eam in hoc aut illo Instituto professitendam; sed ubi elegit vitam religiosam in aliquo Instituto ducere, vota emittere tenetur prout in Instituto illo determinantur et ei emittenda proponuntur. Hoc saepe exprimitur in ipsa votorum formula [a] et semper supponitur: candidatus non admittitur nisi hac conditione.

2° Vota privata ab homine non accipiuntur; sed, utpote boni maioris, merito censentur a Deo acceptari: nisi enim a Deo acceptarentur, vovens, sua promissione non acceptata, liber remaneret. Vota religiosa ab Ecclesia, — pro accepta

---

1. (a) In formula votorum simplicium post biennium in Societate dicitur: « Voveo paupertatem, castitatem et obedientiam perpetuam in S. I.,... omnia intelligendo iuxta ipsius Societatis Constitutiones » ; et in formula professionis : « Ego professionem facio, et promitto paupertatem castitatem et obedientiam,... iuxta formam vivendi in litteris apostolicis S. I. et in eius Constitutionibus contentam ».

auctoritate homines regendi in omnibus quae ad cultum Dei et supernaturalem hominis vitam pertinent, — nomine Dei acceptantur. Ecclesia autem ea per Superiores religiosos accipit: quibus, approbando Institutum, permittit socios Instituto aggregare, et potestatem confert eorum vota, nomine Dei, accipiendi (b).

3° Vota privata natura sua non sunt externa, multo minus publica: si quando emittuntur externe et publice, ea circumstantia omnino accidentalis est. Vota religiosa necessario externe nuncupari debent, et aliquo modo publice. Per ea enim aliquis adnumeratur Societati religiosae: quod nequit fieri nisi actu externo et aliquo modo publico: secus de aggregatione non constaret (c).

Ergo vota religiosa dici possunt natura sua publica, ab Ecclesia determinata et acceptata, ac proinde *iuris ecclesiastici*, et sic a votis privatis distinguuntur.

2. Vota solemnia et simplicia. Solemnitas votorum. — Vota religiosa alia sunt *solemnia*, alia *simplicia*. Societas Iesu prima est quae vota Religionis simplicia, approbante Ecclesia, pro suis scholasticis et coadiutoribus, introduxit (Cf. secundam formulam Instituti, a Iulio III a. 1550 approbatam). Antea omnia vota Religionis erant solemnia.

(b) In formula professionis Societatis: « Ego professionem facio, et promitto omnipotenti Deo... et tibi, Rev. Patri N..., *locum Dei tenenti* », etc. Sane haec promissio ab eo, qui vota recipit, acceptatur, et quidem nomine Dei, *cuius locum tenet*.

Quoad potestatem factam Superioribus religiosis, iuvat ex Bulla *Iniunctum* (1544) PAULI III, qua permittit socios absque numeri limite in Societate admittere, recitare haec verba: « Iisdem Ignatio Praeposito et sociis quod quoslibet fideles,... quotquot fuerint, ad Societatem huiusmodi admittere, et eorum Societati sub votis per socios eiusdem Societatis emitti solitis aggregare possint, auctoritate Apostolica ex certa scientia concedimus ».

(c) Verum est, de votis scholasticorum Societatis dici P. V, c. 4, litt. D: « Ut hoc votum soli Deo offertur, ita nemo id admittit », et etiam negari ea esse publica. Nihilominus ibidem, n. 3, dicuntur esse emittenda « coram aliquibus domesticis, quamvis non in manibus cuiusquam »: et explicatur quod propterea dicuntur a nemine admitti, quia in nullius manibus fiunt. Insuper non propria auctoritate unusquisque vota haec emittit, sed is tantum qui a Superioribus fuerit admissus: « Qui, peracta sua priori probatione et experimentis per biennium, in scholasticos *approbatos admittuntur, coram aliquibus domesticis*, quamvis non in manibus cuiusquam, vota sua emittent ». Ergo haec vota sunt externa et aliquo modo publica.

Quaeritur quaenam sit differentia inter votum solemne et votum simplex, seu *in quo consistat solemnitas voti,* quaenam sit eius ratio formalis, qua a voto simplici distinguatur? — Non agitur de aliqua solemnitate accidentali seu caeremonia externa, quae in *emissione* ipsa votorum adhiberi potest; sed de aliqua *permanente qualitate,* qua fit ut votum, postquam fuit emissum et perdurat quoad obligationem, remaneat solemne.— Solemnitas accidentalis in ipso actu emissionis adesse potest, quin propterea votum sit solemne; abesse, quin propterea non sit solemne, sed simplex fiat.

Multae sunt diversae sententiae. Quinque refert et breviter exponit Wernz, n. 654. Hic solum eam sententiam declarabimus quae probabilior videtur.

Solemnitas voti videtur probabilius consistere in *absoluta firmitate*, quam Ecclesia ipsi confert, votum admittendo et *sub singulari sua tutela* assumendo. Explicari debet hoc assertum.

Primo, certum est solemnitatem voti ex solo Iure ecclesiastico provenire. Hoc affirmat Bonifacius viii, c. unico *de voto* etc., in 6°: « Nos attendentes quod voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiae sit inventa... ». Idem repetit Greg. xiii, C. *Ascendente Domino* (1584): « Nos considerantes voti solemnitatem sola Ecclesiae constitutione inventam esse.... » [a].

Secundo, certum est id, quo votum fit solemne, esse aliquid voto superadditum. Nam si tota formalis ratio solemnitatis in hoc consisteret quod Ecclesia quaedam vota *denominat* solemnia, alia simplicia, sequeretur solemnitatem voti esse merum verbum, vocem vacuam sine re: quod certe dici nequit; debet enim esse a parte rei aliquid, propter quod Ecclesia aliqua vota solemnia, alia simplicia denominat. Unde, quamvis aliquo sensu vero dici possit ea vota esse solemnia quae Ecclesia ut solemnia agnoscit, scilicet ad exprimendum ab Ecclesiae voluntate dependere quaenam vota sint solemnia: attamen hoc non sufficit ad exprimendum *quid* sit votum solemne, ita ut, ad definiendum in quo consistat solemnitas, dicatur tantum illud votum esse solemne quod Ecclesia uti solemne habet.

Tertio, solemnitas est quid voto extrinsecum [b]. Nam si esset

---

2. (a) Prümmer, q. 6, vult in his locis de sola accidentali solemnitate agi. Sed hoc neque « manifeste ex textu apparet », uti dicit, neque argumento, quod affert in nota 2, probatur.

(b) Ita Piat, t. i, p. 5, q. 3, 2°, ubi multos AA. affert id asserentes.

aliquid voto intrinsecum, ipsi ante quamcumque Ecclesiae constitutionem inesset, contra id quod asseritur a Bonifacio et Gregorio « solemnitatem voti ex sola Ecclesiae constitutione inventam esse ». Confirmatur, ex eo quod Ecclesia aliquando Congregationes religiosas ad gradum Religionum proprie dictarum elevavit, accipiendo ut solemnia eadem vota quae prius erant simplicia, quin a iam professis novam professionem exigeret. Ita Greg. xv, C. *In supremo* (1621), Congregationem Presbyterorum Matris Dei in verum et proprie dictum Ordinem constituit (c). Nihil tunc in ipsa voti intrinseca natura mutari potuit, sed tantum extrinseca circumstantia superaddi (d).

Quarto, solemnitas votorum non videtur constitui, nec quidem ex parte, aliquibus effectibus Ecclesiae voluntate votis solemnibus adnexis.

Multorum quidem AA., inter quos Suarez, ea est sententia, votorum solemnitatem his effectibus constitui. Voti paupertatis solemnitatem in eo reponunt, quod profitens incapax dominii per votum solemne redditur ; solemnitatem voti castitatis, in eo quod per votum solemne irritatur matrimonium subsequens attentatum, et matrimonium antecedens ratum dissolvitur: effectum, quo votum obedientiae solemne redditur, difficilius assignant: aliqui in eo reponunt, quod solemniter professus nullum contractum validum sine Praelati consensu inire possit (quod falsum est) ; alii, in eo quod contractus

---

(c) « Cum presbyteri eiusdem Congregationis tria simplicia paupertatis scilicet, castitatis et obedientiae vota emittant, cumque perfectionis vitae studio ducti *simplicia vota praefata per nos solemnia declarari,* nobis humiliter supplicassent, Venerabiles Fratres nostri S. R. E. Cardinales... praefatam Congregationem... in Religionem trium votorum solemnium approbari posse censuerunt... et Nos decretum praefatum approbamus et confirmamus etc. ».

(d) Inde sequitur, ait Piat (l. c., n. 1), vota solemnia et simplicia esse eiusdem speciei (si quidem per solam circumstantiam extrinsecam differunt). Consequenter, in accusandis peccatis contra vota, non est per se necessario declaranda circumstantia voti solemnis, sed tantum aliquando per accidens, ratione alicuius effectus voto solemni superadditi, unde peccatum novam malitiam acciperet. Sic religiosus, qui sine licentia de haereditate sibi delata disponit, peccat contra votum paupertatis: sed si voto solemni ligatur, peccat insuper peccato iniustitiae. Si contra de rebus monasterii disponit, sive voto solemni, sive voto simplici obligetur, non mutatur natura peccati.

absque Praelati consensu initus non sit firmus, sed possit a Praelato rescindi (quod etiam voto simplici convenit).

Sed haec sententia non videtur admittenda, quia solemnitatem votorum reponit in effectibus qui in votis solemnibus non necessario inveniuntur et in votis simplicibus inveniri possunt. Verum quidem est Ecclesiam *ordinarie* effectus praedictos votis solemnibus paupertatis et castitatis adnectere; sed voto simplici paupertatis coadiutorum formatorum Societatis eumdem effectum incapacitatis dominii adnexuit, et contra aliquando religiosis solemni paupertatis voto adstrictis verum bonorum temporalium dominium, tum in casibus particularibus, tum modo generali permisit, ut dicetur infra (n. 9). Item, effectum irritandi matrimonium subsequens attentatum voto simplici castitatis post biennium in Soc. Iesu emisso adnexuit: et, quamquam non fecerit, voto simplici effectum solvendi matrimonium ratum adnectere posset. De caetero hic effectus non est effectus necessarius voti castitatis solemnis: non est enim adnexus voto solemni castitatis ordinum sacrorum. Ergo supradicti effectus nec necessario in votis solemnibus, nec in illis solis inveniuntur. Concludendum est solemnitatem votorum in his effectibus nec partialiter consistere. Nam ratio formalis alicuius rei, qua in suo esse constituitur et ab aliis distinguitur, nec ab ea abesse potest, nec in aliis inveniri.

Quinto, una existit qualitas, qua vota solemnia de facto a votis simplicibus distinguuntur, nempe eorum quasi absoluta firmitas.

Vota simplicia aut in alia meliora commutari possunt, aut cessant si aliquam conditionem habent adnexam, ut habent vota scholasticorum et coadiutorum in Societate, aut in dimissione solvi possunt, ut vota simplicia Regularium (decr. *Sanctissimus*, 1858), aut tandem per dispensationem S. Sedis relaxari possunt et non raro relaxantur. Contra vota solemnia omnino absoluta sunt, in melius commutari nequeunt, nulla dimissione cessant, et a nemine nisi a suprema Ecclesiae auctoritate, et quidem rarissime, relaxantur, ita ut diu viguerit opinio nec a R. P. in eis dispensari posse. Ergo haec vota sunt revera firmissima.

Hoc autem habent ex voluntate Ecclesiae, quae in eis dispensare non vult. Nam si quaeritur cur Ecclesia in votis simplicibus Religionis non raro dispenset, in votis solemnibus

rarissime et nonnisi ex gravissimis causis: — etiamsi aliquod fundamentum huic differentiae assignari possit, scilicet quod vota solemnia fiunt vel quando quis per professionem religiosam statum vitae perfectae (qui firmitatem requirit) eligit, vel quando per ordines maiores Dei servitio deputatur; — attamen nulla ratio plane sufficiens assignari potest nisi ipsa voluntas Ecclesiae, quae voluit aliquibus votis hanc firmitatem tribuere, aliis non. Cur enim vota substantialia alicuius Instituti sint simplicia et in eis Ecclesia dispenset, dum vota alterius sunt solemnia et in eis non dispensat, hoc tandem facit voluntas Ecclesiae, non quidem sine aliquo fundamento, sed quod solum non sufficeret. Ergo huic quasi absolutae firmitati votorum solemnium convenit optime illud, quod de solemnitate votorum asseritur a Bonifacio VIII et Gregorio XIII, eam a sola Ecclesiae constitutione esse inventam.

Quo posito, dicendum videtur:

Sexto, ratio formalis solemnitatis votorum probabilius reponenda est in eorum quasi absoluta firmitate, quam habent ex confirmatione Ecclesiae, ea sub sua singulari tutela assumentis.

Etenim, 1° ex dictis ea absoluta firmitas soli voto solemni convenit, et ipsum a voto simplici distinguit; est aliqua voti circumstantia realis, ipsi extrinseca, a sola Ecclesiae voluntate constituta. Ergo has habet notas quas requirit solemnitas voti.

2° Solemnitas voti non meliori modo explicari posse videtur, quam si votum eadem ratione solemne dicatur, ac in Iure solemnis dicitur contractus, testamentum, venditio, sponsalia. Nam, quando Ecclesia hanc vocem *solemnitas* adhibuit, ut voto modo iuridico attribueret, eam adhibere debuit secundum sensum quem in Iure habebat; si hanc vocem in alio sensu adhibuisset, non declarando quisnam esset ille novus sensus, magnam confusionem idearum induxisset. Porro ideo contractus, testamentum, venditio, etc., solemnia in Iure dicuntur, quia si fiunt sub certis circumstantiis a lege determinatis, lex specialem firmitatem eis tribuit, ea sub sua singulari custodia assumit, ita ut propter hanc publicae auctoritatis confirmationem publici iuris evadant, et iam solvi nequeant nisi publica interveniente auctoritate. Simili modo ergo Ecclesia ea vota solemnia dicit et habet, quae sub certis conditionibus facta, sub sua singulari custodia assumit, dans ipsis firmitatem specialem, ita ut amplius solvi per dispensationem non pos-

sint, nisi sua suprema interveniente auctoritate, qua etiam nonnisi rarissime et ex gravissimis causis utitur (e).

Haec specialis firmitas quam lex confert contractui, illum solemnizando, est certe praecipua qualitas quae in contractu solemni intenditur: propter hoc enim inventa est solemnitas contractus, ut per specialem legis providentiam contractus maiorem haberet firmitatem. Haec firmitas igitur merito eius ratio formalis dicitur, scilicet id per quod contractus solemnis ab aliis distinguitur: aliae qualitates, maxime si in aliis contractibus non solemnibus inveniri possunt, sunt mere accidentales. Eodem modo ratio formalis voti solemnis in eius absoluta firmitate, quam ab Ecclesiae constitutione habet, re-

---

(e) Revera SUAREZ, qui solemnitatem votorum in vi irritandi aliquos actus ipsis contrarios reponit, tamen ut se a difficultatibus expediat, a sententia hic propugnata non videtur extraneus. Pendatur eius responsio in tr. VII, l. II, c. 8, n. 10. Quaerit quid desit votis simplicibus scholasticorum Societatis ut sint solemnia, cum vim habeant dirimendi matrimonium subsequens, et effectus voti solemnis in sola hac vi dirimendi matrimonium subsequens poni debeat, non in vi solvendi matrimonium antecedens ratum, quia votum sacrorum ordinum, quod est solemne, primum tantum effectum habet, non secundum. Respondet « illis deesse, quod non inhabilitant personam simpliciter ac perpetuo, sed solum quamdiu durant. Non habent autem durationem absolute perpetuam, quia non sunt adnexa professioni perpetuae ex utraque parte, sed traditioni dissolubili per repudiationem acceptantis, et ideo non habent vim ad solemnizandum votum sufficientem. At vero sicut est ex peculiari institutione Ecclesiae quod haec vota talis sint conditionis dissolubilis, ita etiam in aliis Religionibus, ex iure positivo Ecclesiae habet professio indissolubilitatem ex parte acceptantis ». Ergo, iuxta SUAREZ, solemnitas voti non in effectu ipso reponenda est, sed in absoluta et indissolubili eius firmitate, quam habet ab Ecclesia.

Similem difficultatem sibi opponit (l. c., c. 13, n. 21) de voto obedientiae scholasticorum. Votum scholasticorum Societatis, ait, etiam hunc effectum habet, ut non possint sine consensu Superioris firmiter se obligare. Si ergo in hoc effectu reponitur solemnitas voti obedientiae, votum obedientiae scholasticorum dicendum erit solemne. Et respondet non esse solemne, quia non inducit *perpetuam* incapacitatem se firmiter obligandi. « Talis autem perpetuitas ad substantialem solemnitatem voti necessaria est ». Ergo SUAREZ solemnitatem voti non in effectu ipso; sed in eius perpetuitate absoluta reponit: quam perpetuitatem habet ex firmitate, quam Ecclesia aliquibus votis confert, aliis non.

Haec sententia revera parum differt a sententia in textu propugnata, quae solemnitatem voti in absoluta eius firmitate, ex voluntate et tutela Ecclesiae ipsi collata, reponit.

ponenda est. Hanc sententiam propugnat WERMEERSCH, t. II, supplemento II, quamvis verbis paululum diversis, et plures citat auctores qui eamdem rem amplectuntur.

Notandum. Solemnitates contractus saepe dicuntur hae conditiones seu circumstantiae externae, a lege stabilitae, sub quibus contractus fieri debet, ut eum lex ceu solemnem habeat, scilicet sub sua singulari tutela assumat. Ut nulla inde confusio oriatur, animadvertendum est contractum (et idem est de voto) sub duplici ratione considerari posse, in fieri et in facto esse : in fieri est ipse actus quo obligatio suscipitur; in facto esse est ipsa obligatio suscepta et post actum remanens. *Solemnitates actus,* seu simpliciter solemnitates contractus sunt igitur conditiones a lege stabilitae, sub quibus *actus* fieri debet, ut obligationem inde susceptam lex sub suo singulari patrocinio suscipiat. Sic solemnitates testamenti in iure romano sunt ut fiat coram septem testibus. Cum autem non iam de solemnitatibus contractus, sed de *contractu solemni*, de voto solemni sermo est, intenditur ipsa obligatio permanens, speciali firmitate ex legis patrocinio donata.

3. Quaenam vota ab Ecclesia solemnia habentur. — Quaenam autem sint vota quae Ecclesia solemnia habet, ipsius est determinare: quemadmodum auctoritatis civilis est determinare quaenam testamenta, quosnam contractus velut solemnes agnoscat. Hoc lex civilis facit, ut dictum est, determinando aliquas conditiones (seu solemnitates, sensu dicto) quibus vestiri debent hi actus: simili modo Ecclesia statuit illud votum tantum esse solemne, quod adnectitur vel susceptioni ordinis sacri vel professioni religiosae in Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis. Ita BONIFAC. VIII, c. unico *de Voto,* in 6^{o}: « Nos attendentes quod voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiae est inventa,... praesentis declarandum ducimus oraculo sanctionis, illud solum votum debere dici solemne quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri ordinis aut per professionem expressam vel tacitam, factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis ». Hic clare dicitur conditionem, cui solemnitas est alligata, esse susceptionem ordinis sacri vel professionem in Religione approbata. Ita quidem tempore Bonifacii VIII. Decursu autem temporis fieri potuit, et revera factum est, ut distinctione stabilita inter varia Instituta religiosa, Ecclesia beneficium so-

lemnizationis attribueret tantum votis in quibusdam Institutis emissis, non in omnibus, et etiam in eodem Instituto, aliquibus solum votis specialibus circumstantiis vestitis, non caeteris. Hoc plane pendet ab Ecclesiae voluntate, si quidem voti solemnitas ex sola Ecclesiae constitutione inventa est.

Equidem in omnibus Institutis, vota religiosa nonnisi sub determinatis ab Ecclesia conditionibus et ex facultate ab ea concessa emittuntur et a Superioribus admittuntur; in hoc est aliqua omnium votorum religiosorum ab Ecclesia cognitio et confirmatio. Sed praeter hanc confirmationem, Ecclesia sub sua singulari tutela suscipit vota facta in aliquibus Institutis, eaque vult esse indispensabilia, nisi aliquando Supremo Ecclesiae Pastori in gravissimis casibus opportunum videretur ab eis dispensare. Igitur nunc ea vota solemnia sunt, quae in aliquibus Institutis religiosis emissa, tamquam solemnia ab Ecclesia habentur, et praeterea (in Ecclesia latina) votum castitatis sacrorum ordinum susceptioni adnexum.

4. An actus interni sint materia votorum religiosorum. — Dictum fuit supra (n. 1) materiam votorum substantialium Religionis non relinqui cuiusque profitentis voluntati, sed esse ab Ecclesia determinatam. Quaeritur ergo, an sub votis religiosis, tamquam eorum materia, veniant soli actus externi, an etiam actus interni [a].

Distinguendum est inter votum castitatis et duo alia vota.

In voto castitatis certissimum est, ait SUAREZ (tr. VII, l. IX, c. 2, n. 2), ipsummet actum internum cadere sub votum: nam votum castitatis est universalis promissio abstinendi ab omni actu voluntario castitati contrario, tam interno quam externo. Ita etiam FERRARIS, v. *Votum*, art. 2, n. 157 sq. et S. LIG., l. IV, n. 37. — In duobus aliis solus actus externus per se et directe cadit sub votum [b]; sed actus interni possunt indirecte cadere quando et quatenus ad actum externum referuntur. Vide BUCCERONI, *Theol. moral.*, t. II, n. 301.

Hoc paulo magis declarandum est. Actus interni duo sunt: desiderium et delectatio. Porro *desiderium* alicuius rei potest esse absolutum aut conditionatum. Desiderium, si est absolutum, v. g. desiderium habendi divitias non obstante voto, est

---

4. (a) Cf. PIAT, t. I, p. 236, q. 9; — SUAREZ, tr. VII, l. VIII, c. 10, n. 3, et l. IX, c. 2, n. 2.

(b) Hoc amplius declarabitur, ubi de materia voti paupertatis et voti obedientiae sermo erit.

peccatum grave contra votum ex genere suo. Si autem desiderium est conditionatum, et conditio excludat votum, v. g. si non haberem votum, cuperem has divitias habere, tunc tale desiderium non est contra votum; quod verum esset, etiamsi desiderium aliquam displacentiam voti contineret, dummodo firma sit voluntas servandi votum. Attamen talia desideria sunt ad minus inutilia, saepe nociva, et ad violandum votum inclinare possunt; unde non vacant omni culpa (SUAREZ, tr. VII, l. VIII, c. 10, n. 3).

Quoad delectationem morosam, « Probabilius existimo, ait SUAREZ, ibid., illum actum non esse contrarium voto, quando excludit propositum agendi contra votum, quia delectatio morosa ad summum speciem accipit a suo obiecto quando est intrinsece malum, non quando est malum quia prohibitum; nam in delectatione morosa abstrahitur a prohibitione. Ita SUAREZ, l. c. — Cf. PIAT, t. I, p. 236, q. 9.

Sed *simplex complacentia* de actu peccaminoso contra votum, v. g. de aliqua inobedientia sive commissa, sive simpliciter imaginata, esset peccatum contra votum. Fertur enim non iam in obiectum (quod apprehendi potest, abstrahendo a voto sub quo continetur), sed in ipsum actum peccaminosum.

5. De paupertate [a]. — Paupertas opponitur divitiis: est carentia divitiarum, seu bonorum pretio aestimabilium.

Paupertas religiosa est voluntaria renuntiatio divitiarum voto firmata [b].

Paupertas non potest esse absoluta. Nemo enim renuntiare potest cuicumque usui bonorum temporalium (siquidem aliquis eorum usus est ad vitae sustentationem omnino necessarius); sed in hoc usu rerum necessariarum aut convenientium potest homo plus minusve sese restringere. Unde paupertas religiosa varios gradus habet. Duo praecipue distingui debent. Primus gradus est, quo religiosus voto renuntiat *iuri*

---

5. (a) BALLER.-PALMIERI, n. 101, sqq.; SUAREZ, tr. VII, l. VIII, per totum.

(b) Cur paupertas sit medium seu instrumentum perfectionis exponit S. THOMAS, 2. 2.ae, q. 188, a. 7. Dicit primo perfectionem non consistere in paupertate; subiungit: « Paupertas autem est sicut instrumentum in exercitium perveniendi ad perfectionem,... in quantum per remotionem divitiarum tolluntur quaedam charitatis impedimenta, quae sunt praecipue tria. Quorum primum est sollicitudo quam secum divitiae afferunt; secundum est divitiarum amor, qui ex divitiis possessis augetur;... tertium autem est inanis gloria vel elatio, quae ex divitiis nascitur.... ».

utendi, scilicet *usui independenti* rerum pretio aestimabilium, quin eorum dominium nudum abdicet. Secundus gradus, quo non tantum usui independenti, verum et omni dominio voto renuntiat.

Primus gradus sufficit ad vitam religiosam. Patet 1° ex praxi Ecclesiae; 2° ex ratione: quia renuntiatione usus independentis bonorum temporalium satis removetur obstaculum perfectionis quod in divitiis reperitur; hoc obstaculum enim maxime invenitur in libero usu rerum (c).

Secundus gradus est perfectior; quia ipsum rerum dominium removendo, plenius hominem a divitiis earumque impedimento solvit (d).

(c) « Non est de essentia paupertatis religiosae, ait Lessius, *de Iure et Iust.* l. II, c. 4, n. 27, ut reddat hominem dominii incapacem, vel etiam ut dominio privet, sed tantum ut privet potestate utendi, ita ut absque Superioris consensu non possis ulla re uti aut de ulla disponere (et illo volente, tenearis etiam eius dominium abdicare). Ratio est, quia parvi momenti est dominium, cuius usus ita est impeditus ac dependens et alienatio sic obstricta et debita. Dominium enim rerum non aestimatur nisi propter usum et potestatem disponendi. Unde si potestas utendi et disponendi ita impediatur in aliquo per votum ac si non esset dominium, sane talis merito religiosae paupertatis cultor est censendus; nihil enim amplius habet in rebus temporalibus potestatis, quae in actum possit exire, quam is qui dominio caret ». Ita Lessius, quem citat et approbat Schmalzgr., l. III, tit. 35, n. 4. — Item etiam Ball.-Palm., l. c. n. 101.

Quod habet Lessius de obligatione dominium abdicandi, iubente Superiore, hoc dicit intendendo ad modum voti simplicis paupertatis, quale post biennium in Societate emittitur, quia eius tempore non erat exemplum paupertatis religiosae, cum qua perpetuum dominium bonorum temporalium permitteretur. Insuper, in animo habebat vindicare sufficientiam huiusmodi paupertatis ad constituendum aliquem vere religiosum. Sed quamvis haec obligatio sese abdicandi ab omni dominio, iubente Superiore, gradum paupertatis perfectiorem constituat, ratiocinium Lessii probat, ad religiosam paupertatem sufficere ut quis usum et liberam bonorum suorum dispositionem amplius non retineat, quamvis ab eorum dominio non se abdicet: quia, ut ait, ita dominium retinet ac si amplius non haberet.

(d) Notat Suarez, tr. VII, l. VIII, c. 5, n. 14, votum paupertatis per se et nude sumptum non habere hunc effectum ut voventem incapacem dominii efficiat: quia votum est promissio; porro promissio paupertatis non opponitur dominio, sed tantum illud illicitum reddit. Unde nequit aliquis nudo voto privare se capacitate possidendi et nova bona acquirendi. Quare si votum paupertatis religiosae hanc vim habet, hoc non ex se obtinet, sed ex iure ecclesiastico: scilicet Ecclesia votum paupertatis solemne non admittit nisi sub hac conditione quod vovens renuntiet omni dominio praesenti et futuro. (Cf. etiam ib., n. 19 et 20).

6. Votum simplex paupertatis generatim [a] in primo gradu paupertatis sistit. Scilicet, qui hoc votum simplex emittit, non abdicat proprietatem bonorum suorum temporalium quae possidet [b], sed tantum usumfructum, usum et administrationem [c], nec fit incapax nova acquirendi [d]. Verum renuntiat usui independenti cuiuscumque boni temporalis: ideo nulla re tamquam propria uti potest, sed in cuiuscumque boni temporalis dispositione (sive proprii, cuius dominium retinet, sive alieni, cuius usum facti habet) a voluntate sui Superioris dependet.

Haec in genere dici possunt. Nam in particulari quid ipsi liceat, maxime quoad dispositionem suorum bonorum, id ex approbatis cuiusque Instituti constitutionibus dignosci debet. WERNZ, n. 650, III [e].

---

6. (a) Dicitur *generatim:* aliter enim esse potest. Et revera votum simplex paupertatis coadiutorum formatorum S. I. etiam secundum gradum complectitur.

(b) S. CONGR. EE. ET RR., d. 6 *iun.* 1860, in animadversionibus ad Constitutiones alicuius Instituti, art. 9 aiebat: « Reformanda sunt quae de voto paupertatis edicuntur. Votum enim simplex paupertatis non privat professam dominio rerum, sed tantum usufructu ». (Apud BIZZARRI, p. 837).

(c) Semper Ecclesia prohibet administrationem propriorum bonorum. Quod intelligendun est maxime de administratione iuris seu independente, sed etiam, ut videtur, de administratione facti, seu dependente a Superiorum nutu. Haec quidem administratio dependens per se non repugnat cum voto paupertatis, verumtamen opponitur fini per emissionem voti intento, scilicet ut religiosus ab impedimento divitiarum liber remaneat. Ideo Ecclesia etiam dependentem administrationem prohibet Superioribusque vetat eam concedere, ut ex documentis infra citandis apparet. (V. SUAREZ, l. VIII, c. 5, n. 31).

(d) Non tamen dicitur quidquid religiosus post votum simplex paupertatis acquirit, sibi acquirere : quaedam sibi, quaedam Congregationi acquirit, iuxta Constitutiones Instituti approbatas. Vide infra *documentum* 5*um*, art. 124 et 126.

(e) « Qui vota simplicia tantum in aliquo Instituto vel pia Congregatione emittunt, ait BIZZARRI (*in nota*, p. 81), retinent dominium, ut aiunt, radicale, non vero administrationem (suorum bonorum). Quod si quaeratur quomodo de iisdem bonis post emissam professionem disponere possint, nullum aliud responsum dari potest, nisi opus esse ut sedulo inspiciantur Constitutiones respectivi Instituti : non enim generalis aliqua dispositio habetur, ideoque Constitutionibus et statutis ab Apostolica Sede approbatis standum prorsus erit ».

Nihilominus Sedes Apostolica semper magis ad uniformem voti simplicis paupertatis rationem tendit, ut apparet ex recentioribus documentis (f).

(f) QUINQUE DOCUMENTA praecipua afferre iuvat.

DOCUMENTUM I. Decretum *Sanctissimus* PII IX (12 *iun.* 1858), de natura votorum simplicium in Ordinibus proprie dictis. (Hoc decretum, Ordini Praedicatorum primo concessum, deinde extensum fuit pluribus Ordinibus, qui postulaverint). *Art.* 9 dicitur : « Professi votorum simplicium dominium radicale, ut aiunt, suorum bonorum retinere poterunt, sed eis omnino interdicta est eorum administratio et reddituum erogatio atque usus. Debent propterea ante professionem votorum simplicium cedere, pro tempore quo in eadem votorum simplicium professione permanserint, administrationem, usumfructum et usum quibus eis placuerit, ac etiam suo Ordini, si ita pro eorum libitu existimaverint ».

Declaratum fuit deinde, bimestre ante professionem a Tridentino, sess. XXV, cap. 16 statutum pro abdicatione bonorum, intelligendum esse bimestre ante solemnem professionem (*Decr. S. Congr. super stat. Regul.*, 1 *aug.* 1862).

DOCUMENTUM II. Decretum *Perpensis*, 3 *maii* 1902, quo Sanctimonialibus vota solemnia emittentibus extensa fuit dispositio decreti *Neminem* (1857), ac illis, sicut Ordinibus virorum, professio simplex post novitiatum imposita fuit. Quoad paupertatem, durante professione votorum simplicium eadem omnino statuuntur ac pro viris regularibus decreto *Sanctissimus*. Additur tantum: « Quod si, durante tempore votorum simplicium, alia bona legitimo titulo eis obvenerint, eorum quidem dominium radicale acquirunt, sed administrationem, usumfructum et usum cedere quamprimum debent ut supra, servata etiam lege non abdicandi dominium radicale nisi intra duos menses proximos ante professionem solemnem » (*art.* 9).

Duo sunt deinde documenta pro Institutis votorum simplicium, valde similia, imo eisdem omnino verbis concepta, cum aliquibus nihilominus differentiis. In utroque documento, ea quae sunt ei propria et in altero non leguntur, litteris italicis hic exprimentur.

DOCUMENTUM III. In Animadversionibus in Constitutionibus alicuius Congr. votorum simplicium, 12 *iul.* 1861, articulus 8 de paupertate sic concipitur : « Super voto paupertatis, sequens dispositio ab Apostolica Sede quoad nonnulla huiusmodi Instituta votorum simplicium constituta est: Professae dominium radicale, ut aiunt, suorum bonorum retinere poterunt ; sed eis omnino interdicta est eorum administratio, et reddituum erogatio atque usus, *donec in Instituto permanserint*. Debent propterea ante professionem cedere, etiam private, administrationem et usum quibus eis placuerit ac etiam suo Instituto, si ita pro earum libitu existimaverint. *Haec vero cessio vim amplius non habebit in casu egressus ab Instituto; quin imo* apponi poterit conditio, quod sit quandocumque revocabilis, *etiamsi*

Praecipua capita, quibus Ecclesia rationem voti simplicis paupertatis definire studet, comparatis inter se his documentis, habentur ea quae sequuntur.

---

in Instituto permanserint; sed professae, durantibus votis, hoc iure revocandi in conscientia minime uti poterunt, nisi accedente Apostolicae Sedis placito. Quod etiam dicendum est de bonis quae post professionem titulo haereditario eis obvenerint. Poterunt tamen de dominio sive per testamentum, sive, *de licentia tamen Moderatricis Generalis,* per actus inter vivos disponere; nec eis vetitum est ea proprietatis acta peragere, de licentia eiusdem Moderatricis Generalis, quae a lege praescribuntur » (apud Bizzarri, p. 846).

Nota: Idem articulus ad litteram repetitur in Constitut. Presbyterorum Maristarum, ad sexennium approbatis per modum experimenti, 15 *iun.* 1860; ubi tamen additur haec dispositio: « Quidquid professi sua industria, vel intuitu Societatis acquisierint, non sibi adscribere aut reservare poterunt; sed haec omnia inter communitatis bona refundenda erunt ». (Apud Bizzarri, p. 859).

Documentum IV. *Litterae d.* 30 *dec.* 1882 datae a S. Congr. EE. et RR., quae, ut dictum est, magna ex parte conveniunt cum praecedenti documento:

« Normae receptae ab hac S. Congr. EE. et RR. in omnibus, quae relationem habere possunt cum voto simplici paupertatis, sunt sequentes, et solet praescribere ut inserantur in Constitutionibus ab eadem Congr. approbandis. Professi dominium radicale, ut aiunt, suorum bonorum retinere poterunt, sed eis omnino interdicta est eorum administratio et reddituum erogatio atque usus. Debent propterea ante professionem cedere, etiam private, administrationem, *usumfructum* et usum quibus eis placuerit, ac etiam suo Instituto, si ita pro illorum lubitu existimaverint. Huic vero cessioni apponi poterit conditio quod sit quandocumque revocabilis; sed professus hoc iure revocandi in conscientia minime uti poterit, nisi accedente Apostolicae Sedis placito. Quod etiam dicendum est de bonis quae post professionem titulo haereditario eis obvenerint. Poterunt vero de dominio sive per testamentum, *de licentia tamen Superioris vel Superiorissae generalis,* sive per actus inter vivos *libere* disponere; *quo ultimo eveniente casu, cessabit concessio ab eis facta quoad administrationem, usumfructum et usum, nisi eam concessionem tempore eis bene viso firmam voluerint, non obstante cessione dominii.* Professis autem vetitum non est ea proprietatis acta peragere, de licentia Superioris aut Superiorissae quae a legibus praescribuntur. — *Quidquid professi sua industria vel intuitu Societatis acquisierint, non sibi adscribere aut reservare poterunt, sed haec omnia inter communitatis bona refundenda sunt, ad communem Societatis utilitatem* » (Apud Collect. de Prop. Fide, n. 2090). [Nota: in hoc documento conditio « de licentia tamen Superioris vel Superiorissae generalis » cadit super dispositionem per testamentum; in documento praecedenti bis repetito, cadit super dispositionem per actus inter vivos, non autem super dispositionem per testamentum. Similiter in normis a. 1901, art. 121,

1. Religioso licet post votum simplex paupertatis servare dominium bonorum suorum.

---

dispositio per actus inter vivos non permittitur sine S. Sedis approbatione (S. Sedes vult enim ut professi votorum simplicum servent bona sua); ad testamentum condendum vel mutandum, post professionem perpetuam requiritur eadem licentia (a. 122). Unde videtur dicendum in extensione documenti anni 1882 errorem irrepsisse: nam ad disponendum de bonis per actum inter vivos in Congregationibus votorum simplicium certe ad minus requiritur licentia Superioris generalis. Ita WERNZ, *nota* 377; PIAT, p. 261, q. 14, 3° et 4°].

DOCUMENTUM V. Tandem proferenda sunt quae statuta sunt circa paupertatem in NORMIS 28 *iun.* 1901, a S. Congr. EE. et RR. editis, de novis Institutis approbandis. In ipso documento monemur, quamvis Sororum Congregationes plerumque solae nominentur, has normas, nisi contrarium dicatur, convenire etiam Institutis virorum. De caetero non continent leges impositas Institutis, sed normas quibus utitur S. Congr. in approbandis novis Institutis.

Art. 113. Per votum simplex paupertatis Sorores renuntiant iuri licite disponendi de re quacumque temporali sine venia legitimorum Superiorum.

Art. 114. Prohibitum est Sororibus retinere per seipsas administrationem bonorum suorum quorumcumque.

Art. 115. Propterea ante primam votorum emissionem, disponere debent de usu et usufructu reddituum vel fructuum bonorum suorum quo modo ipsis placuerit, et etiam, si ita pro earum arbitrio existimaverint, in favorem sui Instituti. Debent etiam ante prima vota cedere administrationem suorum bonorum personae vel personis sibi bene visis, et, si libere velint, etiam proprio Instituto praemonito et acceptanti.

Art. 116. Cessio administrationis, usus et ususfructus vim amplius non habebit in casu egressus ab Instituto; quin imo apponi poterit conditio quod sit quandocumque revocabilis.

Art. 117. Revocatio autem et etiam mutatio horum actuum cessionis licite fieri nequit, durantibus votis, sine licentia Moderatricis Generalis.

Art. 118. Dispositio de usu et usufructu et designatio administratoris, de quibus supra, fieri possunt per actum sive publicum sive privatum.

Art. 119. Professae retinent dominium radicale bonorum suorum; immo ipsis prohibetur se abdicare hoc dominio radicali ante professionem votorum perpetuorum per actus inter vivos.

Art. 120. Convenit tamen ut omnes et singulae, antequam vota temporanea primo emittant, de suis bonis praesentibus et futuris per testamentum omnino libere disponant.

Art. 121. Ut Sorores in perpetuum professae licite se spoliare possint dominio radicali omnium bonorum suorum per actus inter vivos, requiritur licentia Apostolicae Sedis.

Art. 122. Sorores professae, tum ad faciendum tum ad mutandum testa-

2. Ipsi interdicitur bonorum suorum usus, usufructus, fructuum erogatio, et administratio. Et proinde de his omnibus ante prima vota disponere debet.

3. Post vota simplicia potest nova bona acquirere, sed debet statim de his disponere.

4. Ipsum bonorum suorum nudum dominium an, quando, quo modo abdicare possit aut debeat, in hoc adhuc diversitas adest(g).

5. Usus, usufructus, fructuum erogatio et administratio, prohibentur non solum si habentur independenter, quia esset contrarium ipsi paupertatis notioni; sed etiam dependenter

---

mentum, indigent venia Apostolicae Sedis. Attamen in casibus vere urgentibus sufficiet licentia vel Ordinarii, vel Moderatricis Generalis, vel etiam, si aliter fieri nequit, Superiorissae localis.

Art. 123. Sororibus vetitum non est ea proprietatis acta peragere quae a legibus praescribuntur, de licentia tamen Moderatricis Generalis, et si casus urgeat, Moderatricis localis.

Art. 124. De bonis, quae Sororibus post emissa vota quocumque legitimo titulo obvenerint, debent vel respective possunt disponere, iuxta normas hactenus statutas circa bona quae ante primam professionem possidebant.

Art. 125. De dote Instituto allata Sorores nullo modo disponere possunt.

Art. 126. Quidquid Sorores, post emissa vota, industria sua vel intuitu Instituti acquisiverint, non possunt sibi adscribere vel reservare, sed ea omnia communitatis bonis adiudicanda sunt, ad communem usum Instituti vel domus utilitatem.

Art. 127. Omnia in Instituto communia dicantur et sint, quoad supellectilem, victum et vestitum.

Art. 128. Supellex, qua Sorores permittentibus Superioribus utuntur, paupertati conveniat, nihilque superflui in ea sit; nihil etiam quod sit necessarium eis denegetur ».

Circa haec documenta notandum est, duo priora respicere professos votorum simplicium in Religionibus proprie dictis tum virorum tum feminarum, quae prius non habebant nisi professionem solemnem; tria alia documenta non esse decreta, nequidem particularia, sed tantum observationes vel normas directivas. — Ergo si qua Congregatio constitutiones habet a S. Sede approbatas, in quibus inveniantur aliquae dispositiones regulis in his documentis datis contrariae, ea circa paupertatem, sicut circa reliqua, suis approbatis constitutionibus, non his documentis regi debet. Nihilominus ex his documentis apparet ratio semper magis uniformis, qua S. Sedes votum simplex paupertatis circumscribere intendit.

(g) Non videtur esse necessario reputanda contraria voto paupertatis libera distributio bonorum, a religioso facta, quando nihil facit in proprium commodum. Nam eo ipso quod Ecclesia hanc liberam distributionem permitteret, hic usus non esset independens. Si autem ex constitutionibus Instituti approbatis distributio fieri nequeat sine Superiorum licentia, tunc distributio sine licentia facta, esset actus proprietatis.

haberi non possunt, quia non licet Superioribus ea subditis concedere. — Per se quidem hi actus, si fiant dependenter a Superiore, non sunt contra votum paupertatis, sed sunt contra finem huius voti : religiosum rebus temporalibus implicatum relinquerent.

6. Tandem prohibetur superfluitas in rebus quarum usus facti conceditur.

Notandum est *responsum* S. Congr. EE. et RR., 21 *nov.* 1902. Inter AA. controversum habebatur, an religioso liceret ante professionem cavere ut fructus sui capitalis ad capitale accresceret. S. Congr. interrogata respondit : « Negative ». — Ergo fructus debent distribui ; et religiosi est ante vota disponere quomodo velit eos distribui. Hoc responsum, datum pro Congregatione aliqua votorum simplicium, non est quidem decretum generale ; sed quaesitum et responsum sunt in sua forma generalia.

7. Si Religiosus de rebus suis, quarum dominium retinet, disponit illicite sine licentia, an ista dispositio etiam invalida censenda est?

Controvertitur. Sed sententia verior negat [a]. Nam, qui est dominus aliquorum bonorum, *per se* de iis disponere potest ; ergo, nisi adsit lex irritans talem dispositionem, est valida. Porro in casu nulla lex irritans affertur, sed tantum lex prohibens. Quod autem lex prohibens non irritet eo ipso actum quem prohibet, constat ex impedimentis prohibentibus matrimonii et multis aliis exemplis [b], et praeterea est declaratio Iuris [c].

---

7. (a) Ita Wernz, *nota* 377 ; Ball.-Palm., n. 102 ; Piat, t. I, p. 240 ; Schmalzg. tit. *de Regularibus*, III, 31, n. 9 ; Lugo, *de Iure et Iust. disp.* III, n. 77 ; — contra Molina, Lessium etc.

(b) V. g., in impedimentis ad ingrediendam vitam religiosam, Clemens VIII retinuit formam a Sixto V inductam, sed voluit ut deinceps non esset irritans (cf. c. II, n. 15) ; — In professione simplici praemittenda professioni solemni (cf. c. V, n. 2), Pius IX decreto *Neminem* (1857), quo instituit professionem simplicem in Religionibus votorum solemnium, clausulam nullitatis non decrevit pro professione solemni quam professio simplex non praecesserit ; sed hanc nullitatem decrevit alia Constitutione *Ad universalis* (1862). Unde, cum anno 1866 quaestio mota esset de aliquo religioso, qui ante Const. *Ad universalis* professionem emiserat solemnem, quin praemisisset professionem simplicem, et quaesitum esset « an dictus religiosus professionem solemnem validam emisisset », S. Congregatio, d. 16 *aug.* 1866 respondit : « Affirmative » (Vermeersch, t. II, p. 331).

(c) V. g., c. *Ad Apostolicam*, 16, *de Regularibus*, III, 31 : « Quia multa fieri prohibentur, quae si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem ».

Obiici quidem potest principium Bonifacii VIII, c. *Si religiosus*, 28, *de Electione*, I, 6, in 6°, quod religiosus velle et nolle non habet, proinde quod voluntas, qua de suis bonis disponit, nullum effectum habet. Sed respondetur primo, de valore huius principii disputari, an scilicet de illiceitate voluntatis religiosi, an de eiusdem valore agatur; secundo, in hoc capite Iuris non agi nisi de religioso solemniter professo.

Aliqui etiam religiosum assimilant filiofamilias minori, qui invalide de bonis suis disponeret. Sed respondetur: lex civilis has filiifamilias dispositiones invalidat, dum non affertur lex ecclesiastica certa irritans actus religiosi disponentis illicite de bonis quorum dominium retinet. — Non negatur quod Ecclesia irritare posset has dispositiones religiosi illicite factas: tantum dicitur hoc non fecisse.

Suarez, tr. X, l. IV, c. 6, n. 12, validas quidem eas habet, sed dicit esse a Superiore irritabiles. Hoc non est admittendum sine distinctione, ait Lugo. Vera est assertio, quamdiu dispositio adhuc a voluntate inferioris pendet, non autem cum, executione sequuta, iam dispositio ab eius voluntate non pendet: et ratio est, quia Superior in solam inferioris voluntatem potestatem habet, non directe in ipsius bona. Quare si religiosus iam bona sua dedit alteri et tradidit, Superior amplius donationem rescindere nequit; contra, si religiosus solum promisisset aut contractum onerosum fecisset, sed nondum rem de qua disposuit tradidisset, Superior promissionem aut contractum rescindere posset, prohibendo traditionem. Item, si inferior testamentum sine licentia condidisset, donec vivit, Superior illud irritare potest; post eius mortem iam non potest; quia nullam potestatem in illius voluntatem amplius habet[d]. — Imo ante actum Superior potest in antecessum per praeceptum irritare omnem dispositionem liberam et illicitam, ut facit lex irritans. Ita quoad omnia Lugo, *de Iure et Iust. disp.* III, nn. 80 et 81; Ball.-Palm., n. 103.

8. Votum solemne paupertatis secundum paupertatis gradum (vide n. 5) per se, seu generali regula includit. Scilicet,

---

(d) Contrarium censet Suarez, l. c., n. 14; Nec videtur eius sententia satis infirmari ratione Lugonis, ut non remaneat probabilis. Pendet enim quaestio ex lege ecclesiastica, qua religiosus ita subiectus esse potest Praelato, ut Praelatus rescindere possit omnes eius actus, etiam omnino praeteritos; ut ex lege civili tutor quosdam saltem contractus minoris rescindere potest.

quicumque votum solemne paupertatis emittit, ex dispositione Iuris, independenter a quavis renuntiatione praevia, 1° bonorum temporalium, quae in eius proprietate vel possessione erant, dominium tum directum tum utile, sc. usumfructum et usum iuris, item possessionem [a], vel ius aliud reale quodcumque ad quaevis bona, in perpetuum amittit; 2° incapax fit nova bona temporalia quaecumque sibi acquirendi, sive quoad dominium directum seu proprietatis, sive quoad usumfructum; 3° amittit etiam usum a Superiorum voluntate independentem cuiuscumque boni temporalis (Wernz, n. 650, II).

Hi sunt effectus ordinarii voti solemnis paupertatis.

Ultimus effectus, scilicet amissio iuris usus independentis est communis voto solemni et voto simplici: in eo reperitur essentia paupertatis religiosae. Sed primus et secundus effectus, scilicet incapacitas dominii directi retinendi aut acquirendi, cum non sint de essentia voti, ex sola iuris dispositione provenire potuerunt (Wernz, n. 650, II). Habentur autem tum ex decreto Gratiani, tum ex iure decretalium, tum ex Tridentino [b].

---

8. (a) Vide Suarez, l. c., c. 5, n. 24 et sqq.

(b) Greg. Magn. (c. 7 *caus.* XIX, q. 3): « Quia ingredientibus monasterium, convertendi gratia, nulla sit testandi licentia, sed res eorum eiusdem monasterii iuris fiant, *aperta legis definitione decretum est* ». — Et ibid., c. 9: « Si qua mulier aut vir monasticam vitam elegerit et intraverit monasterium, liberis non extantibus, monasterio quod ingreditur res eius competere *iubemus*.... Nunc autem cum monachus factus est, hoc ipso res suas (monasterio) obtulisse videtur, si prius testatus non sit; et exinde, iudicio eius cessante, *lege disponitur*, ut.... (hoc caput desumptum est ex *Auth.*, *const.* 9).

Innoc. III (c. *Cum ad monasterium*, 6, *de statu Monach.* III, 35): « *Prohibemus* quoque districte, in virtute obedientiae, sub obtestatione divini iudicii, ne quis monachorum proprium aliquo modo possideat; sed si quis aliquid habeat proprii, totum incontinenti resignet.... Quodsi proprietas apud quemquam inventa fuerit in morte, ipsa cum eo in signum perditionis extra monasterium in sterquilinio subterreatur: secundum quod beatus Gregorius narrat in Dialogo se fecisse. Unde si quicquam alicui fuerit specialiter destinatum, non praesumat illud accipere, sed Abbati vel Priori vel cellario assignetur ».

Trid., *sess.* XXV, c. 2: « Nemini igitur Regularium, tam virorum quam mulierum, liceat bona immobilia vel mobilia, cuiuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tamquam propria, aut etiam nomine conventus possidere vel tenere; sed statim ea Superiori tradantur conventuique incorporentur ». Et deinde: « Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usumfructum et usum, administrationem aut commendam ».

Haec igitur fuit lex a primis saeculis inducta, qua voti paupertatis religiosae amplitudo fuit definita, quod religiosi nihil proprium retinere aut acquirere possent, et nulla re tamquam propria uterentur. Non habebatur tunc distinctio voti solemnis et voti simplicis paupertatis religiosae; et igitur votum paupertatis semper hos omnes effectus producebat. Sed inductis deinde votis simplicibus Religionis, permissum fuit generaliter professis votorum simplicium retinere dominium directum bonorum suorum, nova etiam acquirere, sed remanente semper interdicto, tamquam essentiae paupertatis contrario, quocumque usu independente, seu usu rei tamquam propriae; et contra, incapacitas dominii directi remansit proprietas ordinaria voti solemnis.

9. — Verumtamen ipsa lex, qua religiosus post solemne votum paupertatis fit incapax omnis dominii, eo ipso quod sit lex mere ecclesiastica, dispensationi est obnoxia, sive in casu particulari, sive etiam modo generali (PIAT, t. I, p. 239, q. 1; PRÜMMER, q. 73; WERNZ, n. 650, XI; WERMEERSCH, t. I, n. 243).

Exemplum dispensationis particularis habetur in S. Francisco Borgia, qui cum adhuc dux Gandiae esset, professionem solemnem emisit, bonis suis adhuc per aliquos annos ex concessione pontificia retentis [a].

Dispensatio generalis videtur fuisse a S. Sede concessa Regularibus Belgii *rescripto* S. POENITENTIARIAE, d. 1 *dec.* 1820, deinde a LEONE XIII confirmato, d. 31 *iulii* 1878.

Rescriptum 1 *dec.* 1820 est tenoris sequentis: « S. Poenitentiaria intelligens velle omnino Gubernium, ut vetus illud decretum 18 *febr.* 1809 a Regularibus Belgii observetur, quo proprietas, possessio et administratio bonorum, quae ad eos pervenerunt, singulis religiosis vel monialibus vindicetur, concedit de expressa auctoritate Apostolica Regularibus utri-

---

9. (a) Equidem documentum authenticum huius concessionis non habetur; sed certum est S. Franciscum professionem solemnem fecisse anno 1548 (1 febr.) et postea tribus annis remansisse in saeculo, ut filios et filias honestis matrimoniis iungeret et res suas componeret; quo tempore, ait Polancus « administrationem ducatus et bonorum omnium retinuit ». Revera Polancus non ait bonorum dominium retinuisse; sed cuiusnam eo temporis intervallo fuisset dominium horum bonorum, de quibus disponebat in favorem filiorum et filiarum et ad varia negotia componenda, si ipse non retinuisset?

usque sexus iam solemniter professis, ut ea bona acquirere, retinere et administrare, deque iis in pios honestosque usus disponere possint, non obstante paupertatis voto, dummodo cum debita a Superioribus dependentia hoc faciant ».

Die autem 31 *iulii* 1878, S. Congr. negotiis extraordinariis praeposita declaravit rescriptum adhuc permanere in suo integro valore, ac proinde « omnes singulosque Belgii Regulares utriusque sexus, etiam qui vota solemnia nuncuparunt, praedictos omnes actus (scilicet bona acquirere, retinere, administrare, de iisque disponere) valide ac licite exercuisse et exercere, ac proinde potuisse ac posse tuta conscientia etiam cum iureiurando asserere, se voluisse, ad normam legum civilium, verum dominium bonorum a se possessorum acquirere, una cum iure de his disponendi. Super quibus Sanctitas sua mandavit hoc edi decretum ».

De sensu facultatis factae rescripto S. Poenit. et decreto posteriori difficile est dubium movere : nempe manifestum videtur hic agi non de sola proprietate legali seu coram lege, sed de vera proprietate in conscientia, qua quis bona ut sua detinet. Attamen, tum propter conceptum quem aliqui de voto solemni paupertatis habent, scilicet illud in incapacitate possidendi consistere, tum propter alia documenta circa religiosos dispersos Italiae, de vero sensu dubitatum est [b].

(b) Ad confirmandum dubium accessit rescriptum S. Congr. EE. et RR., d. 7 *mai* 1883, extendens ad aliquas familias Minorum declarationem S. Poenitentiariae 31 *iul.* 1878. Concessioni adiungebatur : « ea tamen sub expressa lege et conditione, quod omnes religiosi,... qui a Superioribus tamquam veri proprietarii immobilium, ad normam legum civilium deputati fuerint, in foro conscientiae se non nomine proprio, imo nec nomine Conventus, Provinciae aut Ordinis, sed tantum nomine S. Sedis possidere sciant ; ita ut de immobilibus, *quorum legalem et pure civilem habent proprietatem*, minime disponere valeant, sub poenis contra Regulares votum solemne paupertatis violantes a Iure statutis ». Forsan de hoc documento dici potest : per ipsum Minoribus fuisse extensum privilegium Regularibus Belgis concessum, non tamen tale omnino quale Belgis datum fuerat, sed limitatum (quae limitatio exprimitur his verbis : « ea tamen sub expressa lege et conditione.... ») ; id autem propterea factum fuisse, quia apud Minores solemne est non tantum singulos religiosos, sed ne quidem monasteria quidquam possidere, vel etiam propria immobilia et res alias ad vitam necessarias, sed omnia, quorum usum habent, a S. Sede possideri. Unde ex hoc documento d. 7 *maii* 1883 argumentum desumi non posset ad determinandum verum sensum rescripti a. 1820 et declarationis 31 *iul.* 1878. — Cf. Wernz, n. 650, *ultimo* §. — Vermeersch, t. I, n. 243 ; et t. II, p. 80.

Circa religiosos dispersos Italiae, S. Poenitentiaria in *Instructione* 18 *april.* 1867, *art.* 17, Superioribus Generalibus aut Episcopis committit ut religiosis subditis concedere possint, « non obstante solemni paupertatis voto, bona sibi legitimo iure spectantia ac etiam haereditates... recipere, adire ac retinere, de iisque nedum contractus inire, sed etiam in pios honestosque usus... disponere valeant, accedente ipsius Ordinarii aut Superioris, aut etiam, in casu necessitatis, confessarii consensu ».

Sane et hic de vero dominio in conscientia agi videbatur; sed ecce, d. 21 *maii* 1880, eadem S. Poenitentiaria, respondens dubio cuidam de extensione huius articuli, declaravit « mentem suam, in concedenda facultate expressa, nullatenus fuisse ut, per Superiores Generales Ordinum regularium, subditis in Italia suppressis indulgeri valeat proprietas seu dominium bonorum quacumque ratione sibi obvenientium, quae iidem Regulares, ratione solemnis professionis, non sibi sed monasterio seu Ordini acquirunt ». Unde concludendum est, quidquid in contrarium appareat, articulo 17 *Instructionis* praedictae solam facultatem faciendi actus civiles necessarios concessam fuisse, non verum dominium in conscientia.

Notandum. Contra facultatem dispensandi circa dominium bonorum simul cum voto solemni paupertatis retinendum, arguitur ex c. *Cum ad monasterium*, 6, *de Statu monach.* III, 35, Innocentii III: « Abdicatio proprietatis et custodia castitatis adeo est adnexa regulae monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere ». Suarez, tr. X, l. IV, c. 4, nn. 15 et 16, duplicem dat explicationem huius textus: primam, dominium repugnare statui monachali, non autem cuicumque statui religioso; alteram, verba « abdicatio proprietatis » intelligi debere non de abdicatione nudi dominii, sed dominii cum libero usu coniuncti: haec est enim vera *proprietas,* ut quis libere bonis suis utatur. Porro verum est ipsum Summum Pontificem non posse dispensare religiosum (in sensu composito) circa paupertatem, ita ut liberam habeat bonorum suorum proprietatem; haec enim essentiae paupertatis religiosae contraria est.

10. Principium « quidquid monachus acquirit, monasterio acquirit ».

Religiosus per votum solemne paupertatis fit ordinarie incapax dominii, et proinde nova bona *sibi* acquirendi; sed

nullo modo fit incapax bona suo monasterio acquirendi. Ecclesia enim numquam agnovit legem quam aliqua Iura civilia ei imponere voluerunt, qua religiosus esset *civiliter mortuus*, et proinde omni iure incapax ; unde praetendebant, si aliqua haereditas alicui religioso solemniter professo eveniret, eam non esse ipsi deferendam, sed illi qui eius defectu a testatore esset designatus, aut ab intestato succedere debebat [a]. Legibus illis civilibus contraria est lex canonica notissima: Quidquid monachus acquirit, monasterio acquirit.

Huius legis fundamentum invenitur in facto traditionis religiosi suo monasterio; cui fundamento accessit positiva Iuris dispositio, in capitibus supra citatis (n. 8, *nota* a) expressa [b]. Eiusdem legitimitas evidens est. Cum enim incapacitas dominii voto solemni paupertatis non ex natura rei, sed Iuris ecclesiastici dispositione adnexa est, eiusdem Iuris erat determinare cuiusnam essent tum bona quae professus tempore professionis possidebat et de quibus non disposuisset, tum ea quae post professionem ei forte obvenirent; disposuit autem quod obvenirent monasterio, cui religiosus incorporatur et a quo ali ac sustentari debet (Wernz, *nota* 371 ; — Lugo, *disp.* III, n. 190).

11. Varia notanda circa dictum axioma.

1. Axioma « Quidquid monachus... » proprie convenit religiosis solemniter professis: nam professi votorum simplicium, ut n. 6 dictum est, nova bona sibi acquirere possunt. Nihilominus etiam professis votorum simplicium aliqua ratione convenit: nam et ipsi non omnia, quae acquirunt, sibi acquirunt; sed minores donationes monasterio acquirunt, item ea

---

10. (a) Nec magis Ecclesia admittit hanc legem civilem, qua haeres titulo universali tenetur de debitis testatoris etiam supra vires haereditatis. Haec est lex civilis positiva, quam Ecclesia (utpote societas perfecta, legibus civilibus non subiecta) non admittit, ubi agitur de bonis quae causis piis, ecclesiis, monasteriis eveniunt (Wernz, *nota* 371).

(b) Aliquae sunt Religiones, quae huic iuri acquirendi nomine suorum professorum sive omnino sive partialiter renuntiarunt. Sic Minores observantes et reformati ac Capuccini nihil monasterio suo acquirunt (Trid. *sess.* XXV, c. 3). In Societate Iesu professi et coadiutores formati non acquirunt Societati haereditates quae ipsis eveniunt, quamvis ei acquirant legata caeterasque donationes (P. VI, c. 2, n. 12). Sed hoc nihil officit legi generali Ecclesiae, qua quidquid monachus acquirit, monasterio acquirit.

quae industria aut labore suo comparant, prout Ecclesia determinavit (vide supra, n. 6).

2. Illud « monasterio acquirit » intelligendum est iuxta proprias cuiusvis Ordinis constitutiones. Olim quidem, quando monasteria independenter unum ab altero a proprio Abbate regebantur, monachi nonnisi suo monasterio acquirere poterant. Sed a tempore Ordinum mendicantium, cum iam monasteria in provincias et in unicam familiam sub Provincialium et Generalis auctoritate et regimine coalescunt, et frequens fit transitus religiosorum ab uno in aliud monasterium, res aliter se habet, et religiosus suae domui aut Provinciae aut Religioni acquirit, iuxta leges proprii Instituti. Wernz, *nota* 373 [a].

Notant Lugo (*disp.* III, n. 226, sq.) et Sanchez (*Decal.* l. 7, c. 32, n. 50, sq.), aequitatem suadere ut bona professi ei domui aut provinciae eveniant quae, eum sibi adscribendo, obligationem ipsum alendi immediate suscepit. Porro haec adscriptio et obligatio in Ordinibus mendicantium fit communiter toti Ordini aut Provinciae, non singulis monasteriis. Ordini igitur aut Provinciae bona professi adscribere convenit [b]. Generalis vel Provicialis deinde erit haec bona aut eorum fructus inter varias domos distribuere, pro onere quod singulis in alendis religiosis imponitur, aut, si domui opes ad onus huiusmodi aliunde suppetant, ea aliis bonis operibus, secundum cuiusque Instituti leges, applicare.

3. Monasterium, cui obveniunt bona professi, ea accipit cum obligationibus quibus, ratione huius professi, obnoxia forte inveniuntur. Inde monasterium tenetur ad solvenda omnia debita a professo ante professionem licite aut illicite contracta, quantum vires bonorum sufficiunt; et hoc intelligendum est de omnibus bonis, non tantum quae professus tempore professionis monasterio affert, sed de his etiam quae post professionem ipsi fortasse evenient. De iis enim profes-

---

11. (a) S. Poenitentiaria in *declar.* 21 *maii* 1880 (supra n. 9), ait: « Quae (bona) iidem Regulares, ratione solemnis professionis, non sibi sed *Monasterio seu Ordini* acquirunt ».

(b) Hoc intelliges de bonis maioris momenti, praecipue quae per haereditates et legata eveniunt; nam donationes parvi momenti inter vivos ipsi domui, in qua religiosus vivit, communiter adscribuntur. Quamquam in hoc leges peculiares cuiusque Instituti observandae sint.

sus, si ea acciperet, sua praeterita debita solvere deberet; ergo etiam de iisdem solvere debet monasterium, quod ea accipit et unam personam cum ipso efficit.

Idem dicendum est, si professus post professionem debita illicite contrahat aut damnum tertio inferat. De his debitis aut damnis Religio modo generali non tenetur, sed tantum si ratione professi bona acquisivit [c].

4. Circa modum quo religiosus suo monasterio vel Religioni acquirit, notat Lugo, *disp.* III, n. 194, Religionem non fieri haeredem professi, sed omne ius quod erat in religioso transferri in Religionem, quae per iuris fictionem eadem est persona cum eo eumque in omnibus repraesentat. Ex quo sequuntur aliquae consequentiae. Pensiones vitalitiae, usufructus, aliaque iura similia, quae haeredi non transeunt, sed quae alicui durante sua vita debentur, non extinguuntur per professionem religiosam; sed transeunt in monasterium donec professus vivit. Simili modo, si religiosus ante professionem de bonis suis per testamentum disposuit, ea ad haeredem non transeunt nisi per mortem religiosi testatoris; sed dum vivit, tum fructus, tum etiam dominium horum bonorum in monasterium transeunt (Lugo, d. III, n. 197) [d]. Contra beneficia ecclesiastica, ex lege positiva, per professionem religiosam solemnem vacant (Vide c. V, n. 12, 6°).

5. Alia quaestio apud AA. controversa ea est: an axioma « quidquid monachus... » ita debeat intelligi, ut ea quae monacho eveniunt, *immediate* monasterium acquirat, an mediante tantum religioso. Duplex est sententia celebris, ait Lugo, *disp.* III, n. 94. Sanchezio probabilior videtur sententia quae tenet monasterium immediate acquirere. Quaestio non est

---

(c) Si bona eveniant post contracta debita aut illata damna, res clara est: nam haec bona non transeunt in dominium monasterii, nisi cum obligatione eis adnexa solvendi ex eis debita. E contra si bona monasterio fuerint acquisita ante contracta a religioso debita, et adhuc remaneant, magis controverti potest; verum eadem responsio sequitur ex principio quod monasterium unam personam moralem cum suis monachis efficiat.

(d) Haec ratio multis non videtur sufficiens, et ideo ratio cur bona, vivente religioso testatore, ad Religionem transeunt, non tam ex eo quod una eademque persona sit cum religioso, quam ex positiva Iuris dispositione repetunt. Vide Ball.-Palm., n. 109; — Piat, t. I, p. 260, q. 14; — Schmalzgr., l. III, *tit.* 26, nn. 184 et 185.

mere speculativa. Nam inter bona quae alicui eveniunt, alia sunt quae ei sine ullo ipsius actu acquiruntur, scilicet legata, fideicommissa de re determinata; alia autem aditione indigent, ut haereditates, aut acceptatione, ut donationes inter vivos. Si agitur de bonis primi generis, in utraque sententia ea, ex hoc ipso quod monacho eveniunt, monasterio acquiruntur. Sed quoad bona secundi generis quae aditionem aut acceptationem requirunt, si immediate monasterio acquiruntur, monasterii est ea adire aut consensum dare: et ideo, inscio religioso aut etiam mortuo priusquam haereditas (testatore praemortuo) ei delata fuerit, monasterium donationem vel haereditatem accipere potest; contra si monasterio nonnisi mediante religioso acquiruntur, ea monasterium accipere nequit, nisi religiosus consensum det aut haereditatem adeat: et ideo si religiosus moriatur antequam haereditatem adierit (quamvis post mortem testatoris), hanc haereditatem monasterium accipere nequit. Simili modo, repudiatio haereditatis vel donationis a religioso propria voluntate facta, semper erit illicita, sed valida aut invalida, prout mediante ipso, aut immediate monasterium acquirit.

12. De paupertate religiosa relative ad Iura civilia moderna. — I. **Quid ab Ecclesia in hac materia factum sit.** — Cum nostra aetate pleraque Iura civilia non agnoscant leges ecclesiasticas circa vim votorum et religiosae professionis, ac Religionibus conventibusque personalitatem civilem, seu ius possidendi et contrahendi denegant, hinc graves ortae sunt difficultates ex oppositione utriusque Iuris, ecclesiastici et civilis, quoad bona communitatum religiosarum. Quas ut minueret, Ecclesia non paucas nec leves dispensationes aut Iuris antiqui immutationes indulsit; v. g., interdictis aliquibus Ordinibus, feminarum praecipue, votis solemnibus, simplicia tantum vota eis in futurum permisit [a]; aliquando religiosos, non obstante voto solemni paupertatis, dominium bonorum temporalium retinere concessit [b]; Superiores Institutorum op-

---

12. (a) Sic S. Poenit., d. 19 *maii* 1829: « Vota quae in praesenti rerum statu a monialibus in regno Galliarum emittuntur, uti simplicia a S. Sede aestimantur ». — Et S. Congr. EE. et RR., d. 30 *sept.* 1864, Archiepiscopo Baltimorensi litteras scripsit de mandato S. Pontificis, ut significaret, paucis monialibus exceptis, vota ab aliis monialibus in monasteriis Statuum Unitorum deinceps emittenda esse simplicia (Apud Bizzarri, p. 791).

(b) Decreta pro religiosis Belgii, 1 *dec.* 1820 et 31 *iul.* 1878, vide supra n. 9.

portunis facultatibus munivit ut subditis suis, non obstante solemni voto paupertatis, licentiam dare valerent adeundi haereditates, caeteraque bona accipiendi, retinendi, de eis disponendi, contractusque ineundi [c]; aut tandem permisit religiosos, etiam solemniter professos, in foro civili tamquam veros bonorum communitatis proprietarios se sistere, quamvis dominium in conscientia non ad ipsos, sed ad conventum aut Religionem pertineret [d].

Vide WERNZ, n. 650, XI; VERMEERSCH, t. I, n. 244.

II. **De proprietate legali bonorum.** — Haec legalis proprietas in eo consistit, ut unus aut plures religiosi habeant proprio nomine legitimos titulos proprietatis bonorum communitatis (scilicet titulos a lege requisitos ut quis vere proprietarius agnoscatur), quamvis revera in conscientia ipsi proprietatem bonorum non habeant, sed Institutum aut domus sit verus proprietarius.

Igitur bona communitatis coram lege civili, tribunalibus, etc., non ab ipsa communitate possidentur (cui lex hoc ius denegat), sed ab aliquibus eius religiosis, quorum nominibus bona inscribuntur. Hi nova bona communitati, sed sub proprio nomine, per emptionem, haereditatem, legata, donationes aliosque contractus acquirunt atque aliis religiosis coram lege transmittunt per testamentum, venditionem aliosque contractus; tandem de omnibus his bonis, ex voluntate Superioris, per quoscumque locationis, oppignorationis aliosque contractus

---

(c) Ita in *Instruct. S. Poenitentiariae,* 18 *apr.* 1867, pro religiosis dispersis Italiae, § 17 (supra n. 9).

(d) Sic decretum *S. Congr. de Prop. Fide,* a GREGORIO XVI approbatum d. 15 *dec.* 1840, de modo quo provideri potest in Statibus Unitis possessioni bonorum ecclesiasticorum et religiosorum. In eo S. Congr., *art.* 10, testatur se « providere velle securitati bonorum communitatum omnium sive ecclesiasticarum, sive religiosarum, tum virorum, tum etiam puellarum »; *art.* 11, inter alia vult ut Superiores interrogentur « an bona omnia vel aliqua eorum pars a Superiore vel ab aliquo communitatis membro, vel a pluribus coniunctim possidentur; et an aliquem invenerint modum tuto ad successores bona praedicta transmittendi »; *art.* 12: « Si modus aliquis excogitatus fuerit possidendi bona per societatis contractum, quo bona in communi possidentur a tribus vel quatuor communitatis membris, ita ut ius illud possideant naturalis suae vitae tempore, etc.... ». Hanc agendi rationem S. Congr. approbat, et providet ut huius legalis proprietatis actus fiant exacte secundum leges, quo in tuto serventur bona temporalia communitatum.

disponunt; quamvis revera in ea nullum ius in conscientia acquirant, retineant, transmittant.

Porro hic possidendi modus est honestus, per se non repugnat voto solemni paupertatis, et in praesenti rerum conditione, ubi bona religiosa alio modo possideri nequeunt, accedente concessione Ecclesiae, est licitus. — Haec assertio probatur ex implicita et explicita Ecclesiae approbatione, et ex ratione (e).

Implicita approbatio habetur per praxim ex longo iam tempore in pluribus regionibus vigentem, a S. Sede et SS. Romanis Congregationibus bene notam. Porro si haec praxis esset inhonesta, aut voti solemnis naturae contraria, aut aliquo modo illicita, sane Ecclesia reclamare debuisset; quod non fecit.

Exempli causa afferri liceat *votum R. P. Zuppari,* S. Congr. EE. et RR. Consultoris, in una Veronesi, 20 *dec.* 1844. Aiebat: « Non erit extra propositum hic in memoriam revocare quod, ubi legibus civilibus prohibetur proprietas bonorum suorum ipsis Congregationibus seu Conventibus, *permittitur,* etiam in Institutis votorum solemnium, proprietatem reponi in caput aliquorum individuorum Instituti. Ita res se habuit et se habet in Anglia et in Gallia ». Ergo Congregationes Romanae praxim optime cognoscunt et non improbant.

Explicita habetur huius proprietatis legalis approbatio ex *decreto S. Congr. de Propaganda Fide,* a. 1840, a Greg. xvi confirmato (paulo ante, *nota d* relato); nam in eo non de solis Institutis votorum simplicium, sed de omnibus etiam votorum solemnium Ordinibus agebatur. Cum autem religiosis solemniter professis Americae facultas vere possidendi in conscientia non obstante voto solemni nullatenus concessa sit, consequens est proprietatem de qua in decreto quaestio est, « quam toto vitae suae naturalis tempore servare » possunt, non esse nisi proprietatem coram lege civili.

Alia huius modi possidendi approbatio habetur ex collatis duobus documentis S. Poenitentiariae pro religiosis Italiae, sc. ex *Instructione* 18 *apr.* 1867, in qua § 17 permittebatur religiosis professis « non obstante solemni paupertatis voto,... bona sibi

(e) Sequens probatio quoad substantiam desumitur ex manuscripto inedito Patris Rubillon. Cf. etiam Bouix, *de iure Regularium,* t. I, p. 396 sq.

spectantia... recipere, adire, retinere, de iis contractus inire, in pios honestosque usus disponere », — et ex *declaratione* 21 *maii* 1880, in qua manifestat suam mentem in concedenda facultate supradicta nullatenus fuisse, ut religiosis professis « indulgeri valeat proprietas seu dominium bonorum quacumque ratione sibi obvenientium, quae iidem Regulares, ratione solemnis professionis, non sibi sed Monasterio aut Ordini acquirunt ». Ergo verus proprietarius horum bonorum est Monasterium aut Ordo, et nihilominus expresse religiosis permittitur exercere circa eos actus civiles: recipere, adire, retinere, contractus inire, disponere.

Alia explicita approbatio proprietatis legalis habetur in rescripto S. Congr. EE. et RR., d. 7 *maii* 1883 (p. 329, *nota* b).

Legitimitas proprietatis huiusmodi etiam ratione probatur. Nam in eo modo possidendi nemini fit iniuria, nullum est mendacium, nulla invenitur deceptio, aut si aliqua invenitur, non intenditur sed tantum permittitur ex gravi causa; et tandem voto paupertatis non adversatur.

1° Nemini fit iniuria, nec communitati, nec personae extraneae cum qua religiosus coram lege contrahit, nec Statui.

Primo, non communitati: nam religiosus ex mandato communitatis seu Instituti et voluntate plane cum eis concorde agit, nec ullo modo vult sibi acquirere aut retinere quod scit ad communitatem unice pertinere.

Secundo, non personae extraneae: nam aut agitur de translatione dominii a persona extranea ad communitatem, aut de translatione dominii a communitate ad personam extraneam. In primo casu, si persona extranea cognoscit religiosum vices communitatis gerere et communitati, non sibi, acquirere, atque hoc approbat, manifestum est nullam ei fieri iniuriam. Sed etiam si persona extranea id ignoret, nulla adhuc fit ei iniuria: dat enim religioso, religiosus autem de bono sibi dato pro lubitu disponere potest; ergo, si vult illud suae communitati acquirere, nulla fit priori domino iniuria. Excipi tantum deberet casus quo ille poneret ceu conditionem sine qua non, ut dominium ad communitatem non transiret: quo in casu nec communitas, nec religiosus bonum huiusmodi admittere deberet, sive per donationem sive per contractum onerosum. — Si autem agitur de translatione dominii a communitate ad personam extraneam; tunc, cum plane concordes sint voluntates religiosi et communitatis, simul ac habentur formali-

tates externae requisitae ex parte religiosi, habetur ex parte communitatis voluntas transferendi dominium: nihil ergo deest ut revera fiat translatio dominii, et persona cum qua contrahitur nullam iniuriam patitur.

Tertio, nec Statui in eo modo agendi fit iniuria. Status quidem non agnoscit in communitate capacitatem acquirendi, possidendi, disponendi, et ideo non vult ut acquirat, possideat, disponat. Sed haec voluntas Status est iniqua et nullius valoris: nam agitur de bonis religiosis, proinde quae non reguntur lege civili, sed lege ecclesiastica. Ergo etiamsi res fiat contra voluntatem Status, non propterea fit ei vera iniuria; sed potius Status Ecclesiae et Religioni veram facit iniuriam, negando communitati capacitatem possidendi. — Quoad decimas, quae in translationibus bonorum publico aerario ex lege civili solvi debent, aliasque contributiones, taxas, etc., quae super bona mobilia aut immobilia imponuntur, haec omnia (quodcumque sit ius Ecclesiae ut ab his eximatur) eodem modo solvuntur ac a privatis personis solverentur.

2° Hic modus agendi non est in se inhonestus: nullum in eo invenitur mendacium, nulla deceptio. — Non mendacium: nam religiosus nomine Religionis aut conventus contrahens, legitimos profert titulos, ac se aptum atque promptum ad contrahendum exhibet; porro haec duo vera sunt. Etenim, si de alienatione agitur, legitimos proprietatis titulos a lege praescriptos habere valet ac supponitur revera habere; se aptum et promptum ad contrahendum merito praebere potest, ubi agit concordi animo cum communitate aut Superiore, qui eum ad contrahendum deputat: nihil enim tunc ad requisitum consensum veri proprietarii deest. — Deceptio autem aut nulla est, si alter contrahens conscius est totius modi agendi religiosi; aut si adest, non intenditur nec procuratur a religioso, sed tantum permittitur, dum non monet eum qui cum ipso, tamquam cum vero proprietario, se agere reputat; ad eum vero non monendum adsunt graves rationes, cum monere non possit quin contractus a Statu iniuste reiiciatur. De caetero, cum nulla contrahenti fiat iniuria nullumque damnum eveniat, non est cur religiosus deceptionem impedire teneatur. Ergo modus agendi est honestus.

3° Tandem non repugnat voto paupertatis. Quia religiosus bona non sibi acquirit, non ea retinet tamquam propria, non de iis disponit animo proprietario, nec quidquam independenter agit. Accedit, ut dictum est, implicita imo et explicita Ecclesiae approbatio.

Nullum igitur dubium superesse potest, quin hic agendi modus seu haec acquirendi, possidendi et alienandi ratio, ubi necessaria est, sit omni ex parte licita.

III. Sed hic subintrat alia quaestio. Quid, si religiosus sic nomine communitatis possidens et agens non admittitur ad ullum contractum, nisi attestetur se non esse personam interpositam nomine communitatis agentem, sed esse verum proprietarium bonorum, quorum titulos profert, ac de illis libere absque ulla a Superioribus dependentia disponere, atque ea quae acquirit, sibi, non communitati acquirere? — Sunt qui censeant religiosum has declarationes facere posse. Nam, aiunt, iudex aut quaelibet persona publica non potest exigere aliud nisi ut religiosus habeat titulos legitimos proprietatis, et gaudeat capacitate legali contrahendi, disponendi et recipiendi. Porro hos titulos, hanc capacitatem religiosus habet. Ergo, concludunt, religioso licet his et similibus iudicis aut personae cuiuscumque publicae interrogationibus respondere affirmative, intelligendo se habere quidquid legitime ab eo requiri potest ad contrahendum; et hanc affirmationem, addunt, etiam iureiurando, si necesse sit, firmare fas est.

Verum alii censent, quamvis forsan aliquibus interrogationibus modo aequivoco respondere liceat, alias tamen fieri posse, v. g. supra productas, quibus nulla responsio aequivoca remaneat. Nam quamvis iudex non habeat ius ita interrogandi, et proinde religiosus interrogatus possit non respondere: nullo modo tamen ei fas est affirmare se nomine proprio, non autem nomine communitatis agere, se esse verum proprietarium, libere de bonis disponere, et sibi, non communitati acquirere: talis responsio enim a vitio mendacii immunis non esset. Quid igitur in casu faciendum?

Fuit sententia Patris V. de Buck, *in hoc casu,* religiosum a communitate seu Superiore deputatum, revera verum in conscientia proprietarium fieri et ut proprietarium agere posse. Quod probat sequenti discursu. *a)* Incapacitas dominii in religioso solemniter professo non est nisi ex lege ecclesiastica (ut n. 8 dictum est), non autem ad essentiam voti solemnis pertinet. *b)* Omnis lex humana, quando fit generaliter in una regione inutilis, a fortiori nociva, eo ipso cessat: nam est proprietas essentialis legis cuiuscumque ut inserviat bono communi. *c)* Porro lex ecclesiastica statuens in solemniter professis incapacitatem dominii, fit nociva modo generali in his

regionibus, ubi negatur communitatibus religiosis tum facultas possidendi per se ipsas, tum facultas possidendi per aliquos suos religiosos: quia tunc nullum relinquitur eis medium quidquam possidendi aut quemcumque contractum faciendi, nisi bona sua tradant aliquibus suis religiosis vere in conscientia possidenda, cum iure de iisdem, accepta facultate et directione Superiorum, disponendi ac nova sibi acquirendi. Quod si communitates religiosae non faciant, subsistere non valebunt et penitus tollentur. *d)* Ergo lex ecclesiastica in his nationibus cessat ex se ipsa, et Superiores bona communitatis aliquibus religiosis tradere possunt, qui ea dicto modo possideant. *e)* Cum religioso sic bona communitatis possidenti nihil circa ipsa facere liceat nisi dependenter a Superiore, salvatur votum paupertatis etiam solemne, cuius essentia in eo est ut religiosus nulla re tamquam propria utatur, sed semper circa bona temporalia dependens sit a suis Superioribus. *f)* Ea agendi ratio certe non est expers gravissimis incommodis (nam, praeter alia, religiosus suis votis infidelis valide coram lege et etiam re ipsa de bonis Communitatis disponeret), sed licita dici debet. — Ita quoad substantiam Pater V. de Buck.

Contra hanc singularem sententiam dicendum est: principium, quod secundo loco adhibetur, non posse admitti nisi cum restrictione. Verum quidem est, essentialem proprietatem cuiuscumque legis esse ut conferat ad bonum commune, et proinde cessare legem quae generaliter fit nociva. Sed simul omnino retinendum est iudicium illud, an lex facta sit generaliter nociva et proinde cesset, in omni societate pertinere ad Superiorem qui leges condendi potestatem habet, non autem ad inferiores, nisi in casu quo impossibilis evadat recursus ad Superiorem. Porro in praesenti materia recursus ad summum Pontificem facile haberi potest. Ergo nullatenus admittendum est legem gravissimam de incapacitate dominii in religiosis solemniter professis cessare sine sententia S. Sedis.

Et sane varia documenta, supra n. 9 allata, ostendunt: 1° S. Sedem, ubi est necessarium, permisisse religiosis solemniter professis verum bonorum temporalium dominium (decisio S. Poenitentiariae pro Belgio); 2° S. Sedem hanc agendi rationem non permittere nisi ubi eam absolute necessariam iudicat (duae declarationes a. 1867 et a. 1880 pro religiosis Italiae); 3° tandem S. Sedem iudicium harum quaestionum sibi omnino reservare. Hoc sane perhibet declaratio 21 *maii* 1880.

13. Materia remota voti paupertatis sunt omnia bona temporalia pretio aestimabilia, sive immobilia sive mobilia, non autem bona incorporea, ut honor, fama.

De aliquibus rebus dubitatur; praecipue quaeritur de manuscriptis, de picturis, sculpturis aliisque fructibus artis aut ingenii, de reliquiis, piis imaginibus, medaliis, etc. — Notat Wernz (*nota* 372) ad diiudicandum utrum res illae liberae dispositioni religiosi relinquantur necne, non tam insistendum esse argumentis internis, saepe parum in hac materia efficacibus, quam praxi probatae Ordinum religiosorum. Igitur ea tenenda videntur[a]:

1. *Manuscripta* non cadunt sub voto paupertatis. Est sententia communissima, ait S. Lig., l. iv, n. 14. Ratio est, quia manuscripta pertinent ad scientiam, et ideo sunt quid spirituale. Sed ratio illa valet de manuscriptis propriis, non de alienis, quae a ratione cuiuscumque libri non differunt. Unde non posset religiosus sine licentia manuscripta recipere. — Eadem ratio probat quidem religiosum propria manuscripta retinere posse, quin Superiores ius in ea habeant; sed nullam vim habet ad affirmandum eum de his disponere posse. Hoc ei non licere dicendum est secundum sententiam omnino veriorem. Ita Lugo, *de Iure et Iust., disp.* iii, n. 230; Prümmer, q. 74 *b*, qui citat Passerinum in hunc sensum, et ait hanc sententiam praeferendam. Non desunt tamen qui censeant religiosum de propriis manuscriptis disponere et aliena recipere posse absque ulla licentia, quia manuscripta simpliciter sub voto paupertatis non cadunt. Ita videtur admittere S. Lig., l. c., ex declaratione, ait, Clementis viii hoc permittentis. Sed de hac declaratione non constat: eam plures negant, ait Piat, t. i, p. 243, q. 4, 2°.

2. *De picturis et sculpturis* multo maior est controversia an religiosus possit, salva paupertate, disponere de picturis aut sculpturis quarum est auctor (Piat, l. c.). Bona videtur sequens distinctio. Si pictura aut sculptura fit pro extraneo (qui materiam praebeat), non committitur peccatum contr votum paupertatis: nam religiosus non dat nisi quid spirituale, scilicet exercitium ingenii, artis, seu, ut ait Vermeersch, t. i, n. 254, censetur merum praestare obsequium. Ita Lugo

13. (a) Vide Piat, t. i, p. 241, q. 4, qui hanc quaestionem bene tractat.

disp. III, n. 149; BALL.-PALM., n. 140(b). Et hoc valet, etiamsi religiosus illicite operam suam dedisset picturae aut sculpturae, ei nempe tempus officio suo debitum impendendo. — Si autem religiosus non laborat pro extraneo, tunc non sibi, sed monasterio dominium picturae, sculpturae acquirit: nam haec postquam facta sunt, non sunt iam quid spirituale, sed sunt quid temporale, pretio aestimabile. Ergo ea dando alteri, de bono communitatis disponeret. Idem dicendum de aliis operibus arte factis.

3. *Reliquiae* (non autem thecae) materia voti paupertatis non sunt: dici nequeunt pretio aestimabiles.

4. *De imaginibus, medaliis, crucibus, rosariis* aliisque similibus, dicendum est ea per se sub voto paupertatis cadere (PIAT, l. c.). Sed in his maxime videndum est quid ferat usus legitimus, sive ut distribuantur aut accipiantur sive ut serventur asportentur de loco in locum. Nam usus legitimus licentiam generalem virtualiter continet.

14. Peculium. Eius notio. — Peculium est bonum pretio aestimabile (ordinarie pecunia), cuius dispositio religioso ad suos privatos usus permittitur. Ad rationem peculii non requiritur ut religiosus sit proprietarius huius boni, sufficit ut eius liberam administrationem habeat.

Dicitur « ad usus suos privatos »: nam si pecuniam non in proprium commodum, sed ad aliqua honesta opera, maxime si ad determinata retineret, iam ea non haberet rationem peculii.

Privati illi usus, ad quos peculium permittitur, duplicis generis esse possunt: nam vel permittitur ad victum, vestitum, supellectilem, sc. ad ea quibus vita communis maxime constituitur, et peculium ad hos usus privatos concessum, tollit rationem vitae communis; vel permittitur ad alia, puta ad studia, ad libros comparandos vel edendos, ad artem exercendam.

Quoad fontem ex quo peculium provenit, adhuc duplicis est generis. Nam vel permittitur religioso pecuniam ex suo

---

(b) Notandum est religiosum laborando pro alio, non fieri dominum suae operae: dominus est ille pro quo laborat. — Dictum fuit « si extraneus materiam praebeat ». Si autem religiosus materiam praebet, erit peccatum contra paupertatem, sed pro valore materiae, non pro valore operis arte facti.

patrimonio retinere, aut donationem pensionemve ab extraneis accipere, aut ex suo labore aliquid sibi comparare; vel ex bonis conventus aliqua pecunia, annuatim v. g., ei conceditur, ut ea ad suos privatos usus utatur.

Tandem peculium vel est independens, sc. cum pleno iure utendi, quin Superior illud revocare aut restringere possit; vel est dependens, ita ut tantum usus facti concedatur, ad nutum Superioris revocabilis.

15. His positis, quaeritur **an peculium sit licitum religiosis?** [a]

Resp. 1°. Peculium independens quodcumque, sc. cum pleno et irrevocabili iure utendi, habetur ut contrarium voto paupertatis, ideoque tale peculium Superior numquam concedere potest: nam concederet ius bonis temporalibus tamquam propriis utendi [b]. Et hoc valet, etiamsi religiosus nec dicatur nec sit proprietarius horum bonorum: nam si usus neque revocari neque circumscribi possit a Superiore, revera religiosus his bonis, tamquam si essent sibi propria, utitur; quod est contra essentiam paupertatis (n. 5 et 6) [c].

Haec sententia est communis. Schmalzg., in tit. *de Statu monach.*, III, 35, n. 11; Ball.-Palm., n. 115; Piat, t. I, p. 245, q. 6, B; Wernz, *nota* 379.

Resp. 2°. Peculium dependens, sc. revocabile et circumscriptibile ad nutum Superioris, non adversatur *per se* voto paupertatis: quia eo ipso quod a Superiore circumscribi aut revocari potest, religiosus a Superiore in eius usu dependet, et revera nec proprietatem nec usum talis peculii, tamquam rei propriae habet.

---

15. (a) Quaestio bene tractatur a Ball.-Palm., n. 113, sqq. — Vide etiam Piat, t. I, p. 244, q. 6; Suarez, tr. VII, l. VIII, c. 14.

(b) Cap. *Monachi*, 2, *de Statu Monach.* III, 35. « Monachi.... nec peculium permittantur habere.... Qui peculium habuerit, nisi ab Abbate ei fuerit pro iniuncta administratione permissum, a communione removeatur altaris; et qui in extremis cum peculio inventus fuerit, et digne non poenituerit, nec oblatio pro eo fiat nec inter fratres accipiat sepulturam. Quod etiam de omnibus religiosis praecipimus observari ».

(c) Inde infertur, ait S. Lig. l. IV, n. 15 (in fine), quod si religioso relinquatur legatum cum conditione ut illud possideat independenter ab arbitrio Superiorum, haec conditio tamquam turpis reiicitur, et legatum valebit in favorem monasterii.

Confirmatur ex eo quod videmus peculium a S. Sede toleratum fuisse, ut apparet ex ipsis documentis infra citandis, quae SS. Pontifices ad vitam communem, ubi collapsa est, restituendam ediderunt (cf. etiam Bened. xiv, *de Synodo*, l. xiii, c. 12, n. 21); aut etiam aliquando positive permissum esse aliquibus conventibus et integris Ordinibus (Cf. Piat, i, p. 245, q. 6, D, et Ball.-Palm., n. 117). Imo iuxta plures fuit positive permissum ipso Iure antiquo. Ita Schmalzgr. l. c., n. 12; cui tamen contradicit Wernz, *nota* 380, dicens peculium nullo fuisse unquam iure permissum vel prohibitum, sed sola consuetudine introductum et approbatum. Vide Ball.-Palm., n. 115, 3°.

Resp. 3°. Peculium etiam dependens multis videtur fuisse prohibitum C. Tridentino, *sess.* xxv, c. 2, *de Regul.* (d) (aliis tamen contradicentibus) et multo certius decreto *Nullus* Clementis viii (1599), ab Urbano viii confirmato.

In dicto capite Tridentini quatuor statuuntur (e).

1. Omnia bona quae Regularis acquirit, sive immobilia sive mobilia, ea tenetur statim tradere Superiori, et nullo modo retinere potest: scilicet neque potest possidere ut propria, quod patet, neque ea tenere nomine conventus, ita nempe ut dominium ad conventum pertineat et ipse sibi servet usum aut usumfructum aut administrationem. Insuper bona Superiori tradita conventui incorporari debent, id est, non possunt servari separatim ad usum religiosi, sed cum aliis conventus bonis sunt penitus confundenda, ita ut religiosus quibus evenerant, iam nullum ius ad ea habeat.

(d) « Nemini igitur Regularium, tam virorum quam mulierum, liceat bona immobilia vel mobilia, cuiuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tamquam propria, aut etiam nomine conventus possidere vel tenere; sed statim ea Superiori tradantur conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usumfructum vel usum, administrationem aut commendam. Administratio autem bonorum monasteriorum seu conventuum ad solos officiales eorumdem ad Superiorum nutum amovibiles pertineat. Mobilium vero usum ita Superiores permittant, ut eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat, nihilque superflui in ea sit, nihil etiam quod sit necessarium eis denegetur. Quod si quis aliter quicquam tenere deprehensus aut convictus fuerit, is biennio activa et passiva voce privatus sit, atque etiam iuxta suae regulae et Ordinis constitutiones puniatur ». (Trid., *sess.* xxv, c. 2 *de Regul.*).

(e) Tridentini caput expendit S. Lig., l. iv, n. 15. Cf. Suarez, l. c., n. 9.

2. Ex bonis sic incorporatis non licet Superiori ulla *stabilia* tradere religiosis, non solum ut eorum proprietatem habeant, quod evidens est, sed nec ad usumfructum, usum, aut administrationem; scilicet ita ut, dominio apud conventum remanente, religiosus usum aut usumfructum aut administrationem (sane in proprium commodum) habeat. — In hac Tridentini phrasi duae voces notandae veniunt. Primo, vox *stabilia*, quae videtur latius patere quam *immobilia*. Nam prius nominavit *immobilia* et *mobilia*, postea rursus *mobilia* nominat; si ergo hic sola immobilia Concilium intendisset, posuisset vocem *immobilia;* cum igitur non hanc vocem, sed aliam, sc. *stabilia* adhibeat, haec vox videtur hic intelligenda tum de immobilibus, tum de redditibus certis annuis, qui recte stabiles dicuntur. Hic sensus confirmatur ex nonnullis responsis S. Congr. Conc. infra citandis. — Secundo, notari debet vox *deinceps:* « nec deinceps liceat... ». Haec vox indicat aliquid novi a Concilio introduci, quod prius non existebat. Multum urget hanc vocem Suarez (tr. VII, l. VIII, c. 14, n. 7 et 11), ad probandum ius novum a Concilio fuisse introductum, scilicet prohibitionem peculii etiam dependentis, quod neque ex natura sua est contra paupertatem nec Iure antiquo prohibebatur. Sed forsan nimis urget. Nam haec vox sufficienter explicatur, dicendo Concilium voluisse prohibere abusus vigentes contra ius existens, quin novum ius statuerit.

3. Concilium vult administrationem bonorum communium solis officialibus committi, qui ea nomine conventus administrent, nec ullam utilitatem propriam inde capiant.

4. In ultima phrasi de *mobilibus* agitur. Eorum aliquem usum Superiores inferioribus concedere possunt: hi sane debent habere vestes, suppellectilem in cellis, libros, etc. Sed supellex debet esse statui paupertatis accommodata: ex una parte nihil necessarium denegari debet, sed ex alia nihil superfluum concedi. An hac phrasi prohibeatur Superiori aliquam summam pecuniae dare inferiori ad proprios usus, non clare apparet. Sane pecunia est quid mobile, et Superiores mobilia sub certa lege inferioribus dare possunt. Quodsi dicatur haec summa pecuniae tradita aliquid superfluum esse, et ideo hic vetari: responderi potest, non apparere cur summa pecuniae moderata, ad honestos usus concessa, superflua dici debeat; et insuper voces *nihilque superflui in ea* cadunt super *supellex,* non super *mobilia,* ut ex addito *in ea* constat; — quamvis concedendum sit neque in pecunia quae traderetur, aliquid superfluum esse permittendum.

Ergo concludendum videtur alias quidem formas peculii hoc Tridentini loco prohiberi; sed non certo prohiberi Superiores dare inferioribus summam aliquam pecuniae, non dico ad usus pios, — de quo non est quaestio, et nemo dubitat, — sed ad proprios usus et personalem utilitatem. Ita quidem ex solo textu Concilii.

Verum ex variis *responsionibus S. C. C.* videntur excludi revera a Concilio omnia peculia. Ferraris, v. *Votum,* art. 2, n. 49, hanc (sine data) refert: « An ex dispensatione inferiorum a S. Pontifice (sc. ex dispensatione cuiuscumque, qui sit S. Pontifice inferior; ergo, an ex dispensatione cuiuscumque Superioris regularis) liceat Regularibus possidere vel tenere agros, annuos reditus, aliaque bona, immobilia videlicet et mobilia superflua [f], non obstante decreto Concilii, sess. xxv, c. 2 *de Reg.?* — S. C. C. respondit: Non licere ». Hic igitur declaratur per decretum Concilii non licere Regularibus etiam cum dispensatione Superiorum, non solum possidere, sed etiam tenere (sunt verba Concilii) immobilia, reditus annuos et mobilia, quibus ad proprios usus utantur.

Referuntur duo alia responsa eiusdem S. C. C. [g]; unum 4 *iul.* 1602: « Nullo pacto licere Superioribus regularibus usum vel administrationem quarumcumque rerum immobilium, vel eorum mobilium, quae superflua fuerint, inferioribus concedere »; aliud, 12 *ian.* 1613: « Si Regulari aliquid donatum, legatum, vel alia ratione quaesitum fuerit, id recta deferri oportere ad manus Superioris regularis, qui primum inde provideat necessitatibus illius cuius opera vel contemplatione fuerit quaesitum, et quod reliquum est in usum totius monasterii convertat ». In hoc ultimo responso tria dicuntur: primo, quaecumque Regularis accipit, ea debet tradere Superiori; secundo, Superior ipse ex his debet providere necessitatibus inferioris, ergo non potest pecuniam tradere ut ipse inferior sibi provideat; tertio, si quid residuum fuerit, non potest cuiquam tradi, sed debet servari ad communem usum. His responsis Superiores prohibentur tradere aut relinquere inferioribus (nisi officialibus, in commodum totius monasterii)

(f) Mobilia superflua, scilicet ea quae supersunt postquam communitatis necessitatibus provisum est.

(g) Apud Petra, t. iv, p. 92, in *Constit.* v *Benedicti* xii, parte 2, n. 28.

quamcumque rem etiam ad administrationem, sive ex bonis monasterii, sive ex bonis ipsis datis ; ergo etiam pecuniam.

Clemens VIII, decr. *Nullus* (1599), art. 3-12, inhaerendo Tridentino et illud magis declarando, viam cuicumque peculio pressius interclusit (h).

(h) *Art.* 3. « Quo Tridentini C. decreta de paupertatis voto custodiendo fidelius observentur, praecipitur ut nullus ex Fratribus, etiamsi Superior sit, bona mobilia vel immobilia, aut pecuniam, proventus, census, eleemosynas, sive ex concionibus, sive ex lectionibus, aut tam in ecclesia quam ubicumque celebrandis missis, aliove ipsorum iusto labore et quocumque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorum aut piorum largitiones, legata aut donationes fuerint, tamquam propria aut etiam nomine conventus possidere possit ; sed ea omnia statim Superiori tradantur et conventus incorporentur, atque cum certis illius bonis, reditibus, pecuniis ac proventibus confundantur, quo communis inde victus et vestitus omnibus suppeditari possit.

Art. 4. « Neque Superioribus, quicumque illi sint, ullo pacto liceat eisdem Fratribus aut alicui bona stabilia, etiam ad usumfructum vel usum, administrationem aut commendam, etiam depositi aut custodiae nomine, concedere.

Art. 5. « Eorum vero, quae ad necessitatem concessa erunt, nullus quicquam possideat ut proprium neque ut proprio utatur.

Art. 7. « Nulla quorumque Superiorum dispensatio, nulla licentia, quantum ad bona mobilia vel immobilia, Fratres excusare possit quo culpae et poenae ab eiusdem Conc. decretis impositae, ipso facto incurrendae, obnoxii sint, etiamsi Superiores asseverent huiusmodi dispensationes aut licentias concedere posse : quibus in ea re fidem minime adhiberi volumus.

Art. 8. « Fratrum vestitus et supellex cellarum ex communi pecunia comparetur, et omnino uniformis sit Fratrum et quorumcumque Superiorum, statuique paupertatis, quam professi sunt, conveniat : ita ut nihil superflui admittatur, nihil etiam quod sit necessarium alicui denegetur.

Art. 12. « Nullus ex Superioribus locorum administrationem bonorum et aliarum rerum, dispensationemque pecuniarum et redituum sui conventus, etiam nomine conventus, per se ipsum habere sive exercere possit ; sed universum id onus tribus Fratribus eiusdem conventus a Generali ita demandetur, ut unus rerum et bonorum reddituumque colligendorum curam habeat, alter tamquam depositarius pecunias ac caetera ab illo collecta et exacta fideliter custodiat, alius de pecuniis et rebus a depositario acceptis, Priori, Fratribus ac conventui universo de necessariis, mandante tamen ipso Priore, non secundum proprium affectum, sed iuxta charitatis regulam, veluti bonus dispensator provideat, officiorum huiusmodi confusione penitus interdicta ». — De huius decreti vi, vide c. XI, n. 18).

Art. 3 explicatur prima phrasis Tridentini, et quidem duplici ratione. Primo, enucleatim declaratur quae bona religiosus tenere non possit, etiam nomine conventus: sunt immobilia, mobilia, *pecunia,* ex quocumque fonte proveniant. Secundo, haec omnia debent Superiori tradi, conventui incorporari, atque cum illius bonis *confundi* (ita ut nullum ius, nulla praetensio ad ea religioso competere possit); et ex his bonis sic incorporatis et cum aliis bonis confusis communis victus et vestitus omnibus suppeditari debet.

Art. 8 et 10 rursus affirmatur quod victus, vestitus, supellex debeant ex communi pecunia comparari et esse uniformes pro omnibus. Sic excluditur omne peculium ad ea quae sunt vitae communis comparanda.

Art. 4 repetitur secunda phrasis Tridentini, nihil addendo.

Art. 7 tollitur Superioribus omnis facultas valide dispensandi aut licentiam dandi contra ea quae sunt statuta art. 3 et 4.

Art. 12, si cum 3 sumatur, videtur excludi pro Superioribus omnis facultas dandi pecuniam inferioribus ad proprios usus. Nam art. 3 dicitur, quaecumque bona alicui eveniunt, esse Superiori tradenda, conventui incorporanda et cum eius bonis confundenda; articulo 12, quo praescribitur modus administrationis horum bonorum, statuitur ea non a Superiore ipso, sed a tribus Fratribus administranda esse, et tantum in bonum commune. Tertius ex illis de pecuniis acceptis providere debet ea quae omnibus et singulis sunt necessaria: non tradit pecuniam aliis ut sibi necessaria provideant, sed ipse necessaria providet. In hoc quidem de mandato Prioris agit, cuius est determinare quid cuique necessarium sit; sed tamen ipse, ut dictum est, necessaria providet. Et sic excludi videtur etiam ea forma peculii, qua Superior ex bonis communibus tribueret pecuniam alicui inferiori, non quidem ad ea quae sunt vitae communi necessaria, sed etiam ad alios usus honestos impendendam.

Resp. 4°. Quidquid sit de vi decreti Tridentini et decreti *Nullus,* certum est post haec decreta praxim peculii remansisse, aut aliquamdiu suppressam mox rursus instauratam fuisse in non paucis conventibus, imo et Ordinibus, etiam ad victum et vestitum.

Quae praxis, postquam introducta fuerit, legitimae consuetudinis vim obtinere potuit, ait Wernz, n. 650, IV: « Quoniam autem contra decreta disciplinaria Tridentini aliaque decreta Pontificia saltem toleratae quaedam consuetudines potuerunt

introduci, ideo peculia vere dependentia et modica et ad usus statui religioso conformes unice destinata, post C. Tridentinum in non paucis monasteriis usque ad nostram aetatem ex iuxta causa permissa, propter meram Ecclesiae tolerantiam, absolute et generaliter voto paupertatis contraria atque graviter illicita dici non possunt ». — Aliquando etiam S. Sedes aliqua peculia in quibusdam conventibus aut etiam Congregationibus, positive dispensando concessit. Sic CLEMENS VIII alicui monasterio peculium permisit, ut longe refert S. LIG., l. IV, n. 15; et INNOCENTIUS XI, a. 1691, approbavit constitutiones Ordinis S. Mariae de Mercede, in quibus peculium de Superioris licentia permittitur (Apud PIAT, p. 246). Nihilominus modo generali S. Sedes praxi peculii consuetudine invectae sese contrariam exhibuit, et institit ut vita communis, in conventibus et Religionibus in quibus defecerat, restitueretur: ita tamen ut eam non imponeret religiosis iam professis, sed solum ingredientibus Religionem [i].

In C. Vaticano, schema de vita communi in conventibus servanda, excluso quocumque peculio, praeparatum fuerat [j]. Conformes sunt NORMAE a. 1901 [k].

(i) Ita in variis decretis, quae de caetero pro sola Italia lata sunt. Decretum INNOCENTII XI *Sanctissimus* (1695); — Decretum *Ubi primum* PII VII, 22 *aug.* 1814, n. 6 et 10; — Litterae PII IX, d. 22 *aprilis* 1851, cum declaratione 1 *oct.* 1852 (Apud VERMEERSCH, t. II, pp. 314, 484, 294 et 296). — Cf. etiam BENED. XIV, *de Synodo*, l. XIII, c. 12, n. 21.

(j) Haec erant praecipua puncta : « Nulla in posterum nova domus religiosa erigatur.... sine expressa conditione ac lege in perpetuum servandae vitae perfectae communis (n. 2). Quicumque in futurum professionem emittet praecepto servandi vitam perfectam communem teneatur (n. 3). De reliquo, cum vita perfecta communis in eo consistat, ut bona quaecumque, reditus, emolumenta, aliaque omnia quae quovis titulo religiosis obveniant, in usum religiosae familiae *plene conferantur*, et ipsum victum, vestitum aliaque *necessaria a conventu in communi accipiant*, Superiores nihil quod sit necessarium religiosis denegent, et religiosi nihil quod sit superfluum exigant (n. 7) ». In hac definitione quodcumque peculium excluditur: nam religiosi omnia necessaria a conventu accipere debent et quidem in communi; et quidquid ipsis evenerit, illud in usum familiae religiosae plene conferri iubetur. Ergo nihil sibi retinere possunt nec ullum ius ad ea, quae ipsis obvenerint, praetendere.

(k) *Art.* 115. « Ante primam votorum emissionem disponere debent de usu et usufructu reddituum vel fructuum bonorum suorum; item cedere debent bonorum suorum administrationem. — *Art.* 124. Idem facere debent de bonis quae ipsis post emissa vota quocumque legitimo titulo obve-

Resp. 5°. S. Lig. (l. IV, n. 15) ita concludit ea quae de peculio dixit: « Ratione consuetudinis, quae hodie fere in omnibus Religionibus saltem non reformatis introducta est, puto..... rigorem Concilii hodie temperatum esse, et licere singulis religiosis ex consensu Superioris peculium habere, ut sibi provideant ad usus necessarios vel honestos, modo sint parati a se bona abdicare ad Superioris nutum, semper ac illis sufficienter subveniatur; nam alias non tenerentur peculium dimittere ». Nihilominus Superiores, qui usum peculii in monasterium introducunt, pronuntiat a peccato gravi excusari non posse, si non ob violationem voti paupertatis, saltem ob regulae relaxationem.

Wernz, § 654, IV, similia habet. Postquam, verbis supra citatis, dixit consuetudinem contra Tridentinum introduci potuisse et legitimam tractu temporis tolerantia Ecclesiae evadere, addit: « Si quis perpendat pericula quae ex peculiis etiam dependentibus voto paupertatis atque universae disciplinae religiosae immineant, facile intelliget cur Ecclesia, praesertim ex disciplina vigente, etiam peculiis hucusque toleratis non faveat, eorumque abrogationem urgeat, novamque introductionem penitus excludat ».

Severior est Piat, I, p. 247, q. 6. Postquam (sub litt. E) dixit: « Communior sententia docet huiusmodi peculium (sc. dependens) Concilio Tridentino adversari »; deinde (sub litt. F) ait: « Nihilominus negari nequit universalem fere vigere consuetudinem, quae Tridentino Decreto contraria omnino sit. Utrum vim habeat legem Tridentinam abrogandi, multi certe affirmant; sed nobis dubia res est, quum huiusmodi consuetudinis rationem numquam habuerint S. Romanae Congregationes ». Haec sententia severitate forte excedit. Nam, ut dictum fuit, ex ipsis documentis, quibus constat de desiderio et voluntate S. Sedis vitam communem, ubi non servatur, restituendi, apparet ipsam procedere non praecipiendo ut iam professi peculio renuntient, sed iniungendo ut non admittantur deinceps novitii et professi nisi sub conditione vitae communis servandae: alio modo ageret si peculium dependens esset abusus

---

nerint. — *Art.* 126. Quidquid post emissa vota industria sua vel intuitu Instituti acquisiverint, non possunt sibi adscribere vel reservare, sed ea omnia communitatis bonis adiudicanda sunt, ad communem Instituti vel domus utilitatem. — *Art.* 127. Omnia in Instituto communia dicantur et sint quoad supellectilem, victum et vestitum ». His regulis via ad quodcumque peculium occludi videtur.

nullo modo tolerandus. — Videri etiam potest Bened. xiv, l. c., quem fere refert schema decreti C. Vaticani de vita communi servanda, n. 10 et 11.

Nihilominus, si de iure agitur, certum est Ecclesiam et Superiores religiosos posse peculium ubi existit supprimere, siquidem solum peculium quod non repugnet, est peculium dependens et ad nutum Superioris revocabile. Peculium igitur tollere possunt, sub ea tamen conditione, ait S. Lig., quod necessaria religiosis a Conventu suppeditentur. Cf. apud Ferraris (v. *Votum*, a. 2, n. 49) responsum *S. C. Conc.* ad 4, 5 et 6.

Resp. 6°. Cum *origo peculii*, ut plurimum repetenda sit vel ex defectu facultatum in conventibus, vel ex incuria aut nimia parsimonia Superiorum, unde venit ut religiosi, necessaria ab ipso conventu non accipientes, ea alio modo sibi comparare studeant; — ideo hanc duplicem peculii radicem S. Sedes eradicare satagit. Primo, interdicit ne plures religiosi in conventibus admittantur quam ex eorum facultatibus aut communibus eleemosynis sustentari possint. Ita Trid. *sess.* xxv, c. 3 [1], ubi etiam in hunc finem permittit omnibus monasteriis (paucis exceptis) bona immobilia possidere; ita etiam decretum *Nullus* (1599), *art.* 14, decr. *Sanctissimus* (1695), n. 9, et multa alia decreta. Secundo, praecipit ut omnibus religiosis necessarium a Superioribus praebeatur. Ita Trident. *sess.* xxv, c. 2: « Nihil etiam quod sit necessarium eis denegetur »; quod repetitum invenitur in decreto *Nullus*, art. 8, et in decreto *Sanctissimus* (1695), n. 5: « Studeant vero praecipue (Superiores), ut ea omnia, quae tam ad victum et vestitum quam ad reliquas vitae necessitates pertinent, singulis religiosis prompte subministrentur, ac praesertim aegritudinis tempore nihil alicui desit, quod ad sanitatem recuperandam pertineat. — Similia in aliis multis decretis inveniuntur (Wernz, *nota* 383).

16. Livella, seu Vitalitia, seu annuae praestationes aut pensiones [a]. — His variis nominibus veniunt pensiones quae alicui religioso solvuntur.

---

(1) « In monasteriis et domibus tam virorum quam mulierum, bona immobilia possidentibus vel non possidentibus, is tantum numerus constituatur ac in posterum conservetur, qui vel ex reditibus propriis monasteriorum vel ex consuetis eleemosynis commode possit sustentari ».

16. (a) Wernz, n. 650, v; — Ferraris, v. *Votum, art.* 2, n. 52-63, et v. *Monialis*, a. 2, n. 71-92; — Piat, t. i, p. 248, q. 7.

1. Si religiosus est professus votorum solemnium, et generalius dominii incapax, omne ius personale ad has pensiones per professionem amittit, sed ius ad conventum transit (Lugo, d. III, n. 197; Wernz, n. 650 v), nisi ipse conventus sit harum pensionum incapax. Pensiones autem, quae solvuntur, bonis monasterii incorporari debent.

2. Si religiosus est dominii capax, harum pensionum dominium directum retinet, nisi ex peculiaribus Instituti legibus hoc dominii genus ipsi sit interdictum. Administratio autem et usus independens nulli concedi potest, quia hoc est contra votum paupertatis (cf. n. 6 et 15); administratio et usus dependens per se non est contra votum paupertatis, si sint revocabiles ad nutum Superioris; sed constituit aliquod peculii genus, et ideo, probabilius, ut dictum est, adversatur decreto Trident. (*sess.* XXV, c. 2, *de Regul.*) ac decreto *Nullus* (*art.* 3, 4, 7).

3. An autem consuetudine derogatum est Tridentino quoad has pensiones? — Respondendum S. Congr. Concilii suis decretis constanter exigere ut hae pensiones incorporentur bonis monasterii; ut a Superiore vel officialibus monasterii administrentur; ut religiosus, in cuius favorem fiunt, nullum ius sibi ex his vindicare possit, sed Superior libere eas in alios usus expendere possit, quamvis deceat ut inde eius necessitatibus primum provideat. Schmalzgr., *de Statu monac.*, III, 35, n. 16 et 17 (b); Bened. XIV, *de Synodo*, l. XIII, c. 12, n. 20. — Praeterea de his pensionibus sic statuit Pius VII, decreto *Ubi primum* (22 *aug.* 1814), in quo de restituendis *in Urbe* Ordinibus religiosis agebatur: « De annuis vero praestationibus, quae Livelli dici solent, aliisque pecuniis, quae religiosis viris quocumque nomine obvenerint, decreta serventur Romanorum Pontificum, *quibus praecipitur*, ut quamprimum in commune aerarium inferantur, et ea ratione custodiantur, quam singu-

---

(b) Citat S. C. Conc. responsionem. Huic quaesito: « An liceat Regularibus habere praedictos annuos reditus seu provisiones annuas, nomine conventus ac de suorum Superiorum licentia et dependenter ab eorum voluntate, ut sint immunes a culpa et a poena, de qua in cap. 2 sessionis XXV, de Regul. »? — S. Congr. respondit: « Negative ». Et hoc responsum confirmatum est alio 7 *april.* 1707. — Scilicet vult S. Congr. ut hae pensiones, simul ac solvuntur, incorporentur bonis monasterii, tota earum dispositio sit in manu Superioris, et nihil iuris ad eas sibi vindicare possit religiosus, quamvis deceat ut ex eis Superior ipsius necessitatibus provideat.

lorum Ordinum regulae et constitutiones praescribunt. Ex his vero pecuniis, subministrato exhibitori (sc. postquam subministratum fuerit religioso qui eas attulerit) quantum religiosae eius necessitates, status valetudinis laborumque ratione habita, expostulare videbuntur, reliquum penes aerarium remaneat ». Similes decisiones datae sunt a S. Congr. Conc. a. 1586 et 1601 (apud Bened. XIV, l. c.) (c).

Caeterum, ait merito PIAT, l. c., difficile ne dicamus impossibile videtur, discrimen instituere inter quaestionem hanc et quaestionem peculii : pensiones huiusmodi, si ad usum religiosi relinquuntur, sunt aliqua species peculii, eisque convenit quidquid de peculio dictum est (d). Si autem hae pensiones plene incorporentur bonis monasterii, et religiosus nullum ius ad eas retineat, non habent rationem peculii, sed habendae sunt ut mere eleemosynae annuae monasterio intentu religiosi factae.

17. De beneficiis ecclesiasticis. — Beneficium ecclesiasticum est proprie ius percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae propter aliquod munus spirituale, cui bona adnexa sunt. — Beneficia etiam dicuntur ipsa bona ecclesiastica, ex quibus fructus percipiuntur, simul cum munere ipsis adnexo.

Beneficia ecclesiastica alia sunt saecularia, alia regularia. Regularia sunt ea quae ex ipsa fundatione, aut ex consuetudine praescripta, aut ex legitima unione monasteriis incorporantur. Haec incorporatio triplici modo fieri potest. Alia enim

---

(c) *S. C. C., a.* 1601 : « Regularibus, sive viris sive mulieribus, non licere quidquam proprium possidere; sed quidquid acquisiverint, et ex donatione, eleemosyna, a parentibus vel aliunde obtinuerint, recta ad manus Superioris esse deferendum, qui prius prospicere debebit necessitatibus illius, cuius opera vel contemplatione pactum fuerit, et reliquum in totius monasterii usum convertere ». His decretis subiungit BENED. XIV : « Aequitate et prudentia refertae sunt huiusmodi resolutiones, quamvis haud videantur adamussim congruere severiori vitae communis instituto ; quod exposcere videtur perfectam aequalitatem et quamcumque praedilectionem excludere, nec aliam in expensis regulam agnoscere quam singulorum indigentiam, nulla penitus habita ratione illius religiosi aut monialis, quorum gratia munera seu praestationes in communes loculos pervenerunt ».

(d) Recordari lubet id quod V. Patri de la Colombiere a B. Margarita Maria nomine D. N. de simili pensione scriptum est, dum in Anglia versaretur.

beneficia quoad temporalia tantum uniuntur: tunc, si habent curam animarum adnexam, haec exercetur per sacerdotem saecularem, vicarium perpetuum, ordinarie a monasterio praesentatum, cui pensio ex fructibus beneficii assignatur, quin ullam partem, in beneficii administrationem habeat. Alia beneficia pleno iure incorporantur, scilicet sive quoad temporalia sive quoad spiritualia: tunc, si curam animarum adnexam habent, haec exercetur sive per clericum saecularem, cui etiam pensio ex fructibus beneficii assignatur, sive per religiosum, qui, quoad curam animarum, Episcopi iurisdictioni subiacet; si autem ab initio statutum fuit ut cura animarum per sacerdotem saecularem exerceretur, iam haec dispositio mutari nequit. Tandem aliqua beneficia plenissimo iure monasteriis uniuntur, et a iurisdictione Episcopi omnino eximuntur (vide c. XVI, n. 14).

Non eadem semper fuit disciplina Ecclesiae quoad aptitudinem religiosorum ad beneficia. Ex praesenti disciplina, beneficia saecularia saecularibus, regularia regularibus committi debent. Ut Regulares ad beneficium saeculare admittantur, indulto Apostolico indigent (vide c. XVII, 4).

His positis, quoad paupertatem haec tenenda sunt:

1° Si agitur de beneficiis regularibus, religiosus, ratione alicuius beneficii suo monasterio adnexi, ad animarum curam exercendam deputatus (seu, ut alias dicitur, in vicarium parochialem designatus) nulli iuri speciali subiacet. Nam beneficium quoad temporalia monasterio unitur, a quo proinde possidetur et administratur atque omnes fructus percipiuntur; religiosus autem in vicarium parochialem deputatus nihil praetendere potest, nisi forsan ut ex fructibus beneficii sustentetur; id vero paupertati non officit, nam omnis religiosus ius habet ad sustentationem ex bonis monasterii (hoc ius est fundamentum tituli paupertatis, quo Regulares ordinantur). Omnia vero quae religiosus parochus acquirit ratione sui muneris (iura stolae, donationes quaecumque), ea monasterio suo acquirit, iis exceptis quae, ex intentione donatorum aut usu aut praescripto Ordinarii, ipsi parochiae dantur ad fabricam, sacristiam, etc., et ipsi applicari debent (vide c. XIX, n. 20).

Solum remanet notandum, religiosum in vicarium parochialem deputatum, nisi parochiae adnexum sit monasterium, esse a vita communi revocatum; et si parochiae adnexum sit monasterium istud, nisi sufficientem numerum religiosorum habeat, non gaudere privilegio exemptionis (vide c. XVI, n. 12).

2° Si Regularis ex Sedis Apostolicae dispensatione beneficium saeculare residentiale obtinuerit, plerumque eius conditio, quoad paupertatem, obedientiam et vitam religiosam, ipso indulto quo eius electio permittitur, determinatur (a).

Quod si indultum nihil determinaret, ei applicandae videntur normae a Leone XIII datae pro Regularibus ad regendas Angliae parochias deputatis (vide c. XIX, n. 20). In genere, dicendum est: *a)* Quidquid parocho datur intuitu parochiae, parochiae applicari debet; *b)* quidquid intuitu personae aut ratione sui muneris ipsi datur, id Religioni suae acquirit; *c)* ius habet ut ex iis honeste sustentetur: *d)* beneficii administrationem ipse retinet et quidem a Praelato independentem (nam Praelatus nullum ius habet ad administrationem beneficii saecularis). Quidquid autem ex beneficii fructibus est superfluum, honesta sustentatione percepta, in causas pias, ut caeteri quicumque beneficiarii, impendere debet (b).

3° De beneficiis possessis a Regulari ante ingressum in Religionem, dictum fuit (c. v, n. 12, 6°) quamdiu retineri possint, et quando censeantur vacare, necnon cuinam eorum administratio sit committenda.

18. Usus rerum paupertati conformis. — Religioso usus plurimarum rerum est necessarius ad sustentationem, ad vestes, ad habitationem, ad studia, etc.: hic usus debet esse conformis paupertati. Ad hoc duo requiruntur: 1° ut sit a Su-

---

17. (a) Facultas huiusmodi concessa est a S. Poenitentiaria Regularibus dispersis Italiae (Instr. 18 *apr.* 1867, *art.* 16). — « Concedit Regularibus solemniter professis ut capellanias aut unum dumtaxat beneficium ecclesiasticum, etiam residentiale vel cum cura animarum,... in administrationem assequi ac retinere possint.... ».

(b) Ideo non videtur quoad omnia posse nunc admitti norma, quam tradit SUAREZ (tr. VIII, l. III, c. 19, n. 28): « Supposita translatione legitima Religiosi ad beneficium saeculare, quoad paupertatem idem iudicium est de illo quod de translato ad Episcopatum, servata proportione. Nam acquirit ecclesiae suae quocumque titulo acquirat; habet dum vivit administrationem horum bonorum. Quoad obedientiam, liber est a Praelatis Religionis, ad eam revocari non potest, non tenetur in suo regimine eis parere, nec etiam habere socium religiosum ». — Conferantur ea quae habet BENEDICTUS XIV, Const. *Quod inscrutabili* (1751), de Canonicis Regularibus ad beneficia saecularia ex dispensatione S. Sedis deputatis, §§ 25, 26, 27 et 28.

perioribus dependens; 2° ut res ipsae, quibus religiosus utitur, non sint a statu paupertatis alienae.

1° **Usus debet esse dependens.** — Hoc est essentiale voto paupertatis, ut dictum est n. 6. Haec regula valet sive agatur de religiosis votorum solemnium, sive de religiosis votorum simplicium, sive religiosus suis bonis utatur, quorum dominium retinet, sive utatur bonis communitatis aut bonis externorum. Si igitur independenter utitur, semper peccat contra suum votum. — An praeterea peccet contra iustitiam pendet ex natura bonorum. Si de propriis bonis utatur, non peccat contra iustitiam; si de bonis communitatis, contra iustitiam peccat: nam haec bona invito domino usurpat; si de bonis externorum utitur, peccat aut non peccat contra iustitiam, prout sine domini consensu, aut cum eius consensu eis utatur: sed in utroque casu votum paupertatis violat, sive in proprium commodum, sive etiam (probabilius saltem) in aliorum commodum bona dispenset (vide infra, n. 24).

Notandum est tamen licentiam, quae requiritur, posse esse generalem, et per Ordinis constitutiones aut per legitimam consuetudinem concessam (vide infra, n. 27) [a].

19. Sed praeterea, 2° **res, quibus etiam cum licentia religiosus utitur, debent statui paupertatis, quam professus est, esse conformes;** nec Superior licentiam dare potest ut rebus pretiosis utatur.

Ita Trident., *sess.* xxv, c. 2: « Mobilium vero usum ita Supe-

---

18. (a) Disputat Suarez, tr. x, l. iv, c. 8, n. 4 et seq., de usu clavis absque licentia: quaerit an sit peccatum et quale, leve an grave. — Respondet, si inferior non habet animum rem Superioris arbitrio subtrahendi, usus clavis erit contra Constitutiones (in Societate) vel contra obedientiam, non autem contra paupertatem; quia nullum usum proprietarium rerum affectat. Si autem uteretur clavi ad res subtrahendas arbitrio Superioris, non adhuc de gravi culpa, si non adsit alia circumstantia aggravans, reus esset. Quia, quamvis difficilior reddatur Superiori dispositio rerum quae sub clavi obseratae tenentur, attamen haec difficultas parvi momenti est, cum facile tolli possit, iubente Superiore. Sed circumstantia valde aggravans esset, si in absentia plurium dierum secum clavem deferret, nulla alia remanente; quia sic detraheret res, quarum usum habet, arbitrio Superioris: quod in magnam appropriationem redundaret. Tunc, ait Suarez, inferior valde esset reprehensibilis. (Non statim de peccato gravi arguit).

riores (subditis) permittant, ut eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat, nihilque superflui in ea sit, nihil etiam quod sit necessarium eis denegetur ». Ita etiam Decr. *Nullus* CLEMENTIS VIII (1599), a. 8: « Fratrum vestitus et supellex cellarum ex communi pecunia comparetur et omnino uniformis sit Fratrum et quorumcumque Superiorum, *statuique paupertatis, quam professi sunt, conveniat,* ita ut nihil superflui admittatur, nihil etiam quod sit necessarium alicui denegetur ». Cf. NORMAS *anni* 1901, *art.* 127 et 128 (supra, n. 6). Ideo communiter tamquam violatio voti habetur usus rerum superfluarum. Ita BALL.-PALM., n. 104: « Status ergo paupertatis vovetur, et cum hoc repugnant superflua. Quocirca facultas Superioris hac in re auferre quidem poterit vitium proprietatis (secundum probabilem sententiam), sed non efficiet ne id adversetur statui paupertatis, quam religiosus vovit ». Idem dicit VERMEERSCH, t. I, n. 240: « Votum paupertatis excludit quaedam iura, et praeterea abundantiam rerum superfluarum. Quare peccatur contra votum non uno proprietatis vitio, sed etiam mera rerum superfluitate. Cuius haec est ratio, quia voluntaria paupertas videtur in primis postulare statum paupertatis ». Ita LAYMANN, l. IV, s. 5, c. 7, n. 14. Est etiam sententia S. ALPHONSI, l. IV, n. 30 [a]: FERRARIS eam communem vocat (v. *Votum,* art. 2, n. 141).

LUGO, disp. III, n. 131, ait votum paupertatis non solum esse

---

19. (a) In hoc loco quaerit S. Doctor an licentia data ad illicita et *superflua* sit invalida. Refert primam sententiam dicentem esse validam, et proinde eam tollere vitium proprietatis, quamvis non tollat peccatum contra paupertatem. Verum, pergit, alia « sententia mihi omnino arridet. Nam, ut aiunt Less., Salm., Ronc. et alii plurimi, Superior non est dominus, nec aliam habet facultatem super bona monasterii, nisi in quantum Canones et Religio ei concedunt. Sed non potest dici (alterutrum) concedere ipsi facultatem dandi licentiam ad usus illicitos vel superfluos: neque S. Canones, cum ex eis contrarium eruatur, ut habetur ex Clement. I de Statu Monach., *ubi expresse prohibentur omnia superflua;* neque Religionem, quae numquam censetur id concedere in exitium spirituale suorum filiorum ». — Primam sententiam referendo, dicebat eius AA. tenere « religiosum, qui habet superflua ex licentia, *peccare quidem contra paupertatem, cum votum paupertatis obliget* non solum ad accipiendum cum licentia, sed etiam *ad non habenda superflua,* sed non peccare contra iustitiam, nec esse proprietarium, quando habet cum licentia ». Ergo ex S. Doctore, quaecumque teneatur sententia de validitate licentiae datae ad illicita aut superflua habenda, haec licentia non excusat a peccato contra votum paupertatis eum qui habet superflua.

de non utendo absque Praelati licentia. sed etiam *de conservando statu pauperis,* et ideo de non faciendis expensis quae pauperes non deceant: ideoque peccare contra votum paupertatis qui, etiam cum Superioris licentia, superflua habet.

Suarez, tr. VII, l. VIII, c. 12, n. 13, contrariam doctrinam tenet: scilicet censet votum paupertatis per se non se extendere ad obligationem non habendi superflua, sed hanc obligationem posse in aliqua Religione, ex positiva Regulae dispositione, superaddi obligationi communi voti [b]. Sed in tract. x, l. IV, c. 8, n. 14, videtur mutasse sententiam: admittit enim esse peccatum contra paupertatem, quamvis, dicit, non pertingat ad culpam gravem [c].

Igitur, ex sententia communi, religiosus duplici modo contra votum paupertatis peccare potest: peccato proprietatis, si aliqua re tamquam propria utatur, et peccato contra statum paupertatis, quem in usu rerum vovet se servare, si utatur superfluis.

Tria hic notanda sunt:

1° Statum paupertatis, quem quisque religiosus vovet, esse diversum in variis Ordinibus, strictiorem aut laxiorem, prout in constitutionibus determinatur (Cf. n. 31).

(b) « Si loquamur praecise ex generali obligatione voti paupertatis, non possumus hoc (usum superfluorum) damnare ut peccatum mortale per se et ex genere; quia ex vi talis voti non promittit aliquis nihil habere superfluum, sed solum nihil habere proprium nec per modum proprii, id est etiam usum vel administrationem sine facultate non usurpare. Si ergo hoc servetur circa rerum abundantiam, non violatur votum paupertatis generatim sumptae, si in generali tantum ratione sua sumatur. At vero si quis, vel ex speciali intentione vel ex particulari regula iuxta quam paupertatem vovet, obligetur ad specialem carentiam rerum superfluarum, tunc si votum est absolutum, non excusabitur a transgressione voti propter iniustam licentiam, quamvis excusetur a peccato proprietatis ».

(c) « Circa religiosam supellectilem (et item de vestibus et sumptibus dicendum) adverto, licet interdum contingat in aliquo esse superfluam, considerata ratione Instituti atque etiam consuetudine, tamen per se loquendo non inducere culpam gravem contra paupertatem, dummodo tota ex legitima facultate Superioris, et cum debita animi resignatione habeatur, *quia nulla certa mediocritas seu quantitas supellectilis cadit sub votum paupertatis* ut materia eius. Ergo, si alioqui evitetur proprietas et proprietarius usus, non erit in ea materia per se loquendo gravis culpa contra paupertatem ».

2º De regula, qua iudicari debet expensam aliquam esse superfluam, haec habet Lugo, *disp.* III, n. 184: « Regula non debet esse quod sumptus fiat circa res necessarias aut pias »: nam sumptus circa res necessarias et pias potest excedere statum pauperis; sed « regula debet esse, quod sumptus ille dedeceat statum religiosi, qui magis convenire videatur saeculari diviti quam religioso pauperi ».

3º Assertum Suarezii, in usu superfluorum ordinarie non inveniri culpam gravem (vide *notam* c), potest admitti ad tollendum scrupulum, ubi dubium habetur de gravitate excessus; sed ratio ipsa ab eo allata probat, si certus sit excessus gravis, de gravitate culpae non remanere dubium.

20. De paupertate in communi. — (Cf. Suarez, tract. VII, l. VIII, c. 17). Non repugnat voto paupertatis, ut religiosi habeant bona in communi, non tantum bona mobilia (v. g., eleemosynas collectas, frumentum, vinum, pannos, etc.), sed etiam bona stabilia cum redditibus, quae possideantur vel a singulis domibus, vel a tota Religione, vel ab aliqua eius parte, v. g. a Provincia, tamquam a persona iuridica, et quae vel a Capitulo vel a Superioribus administrentur.

Facultas possidendi stabilia omnibus Religionibus, exceptis Capucinis et Minoribus Observantibus, a C. Tridentino facta est, sess. XXV, c. 3, *de Regul.* [a].

Possunt tamen Religiones strictiorem paupertatem profiteri, ita scilicet ut nec Religio, nec eius domus aut pars alia, quaecumque bona aut saltem bona stabilia cum redditibus possidere valeant [b]. Haec strictior paupertas est propria Ordi-

---

20. (a) « Concedit S. Synodus omnibus monasteriis et domibus tam virorum quam mulierum, et mendicantium, exceptis domibus Fratrum S. Francisci Capucinorum et eorum qui Minorum de Observantia vocantur, etiam quibus aut ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex Apostolico privilegio non erat concessum, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat ». — Huic privilegio Societas Iesu in Congr. II, d. 33, renuntiavit pro domibus professis.

(b) Utrumque paupertatis genus indicat Alexander III, c. *Recolentes*, 3, *de Statu Monach.* III, 35. Monet Cistercienses ut, secundum primaevam suam institutionem, non admittant domos cum possessionibus. « Si enim, relictis originalibus Ordinis institutis, ad communia volueritis aliorum monasteriorum iura divertere, oportebit vos communi iure censeri.... Caeterum domus illae, quae de aliis Institutionibus ad vestrum Ordinem se transtulerint, vestris omnino se satagant usibus conformare, et relictis possessionibus, vel etiam commutatis, quas Institutio vestra non recipit,

num mendicantium (vide dicta c. I, n. 20) [c]: eorum professi dicuntur servare paupertatem etiam in communi atque *ex incerta mendicitate vivere*.

Quibus limitibus contineatur haec paupertas in communi, multum pendet ex constitutionibus uniuscuiusque Religionis. Generatim haec dici possunt:

1° Per eam interdicitur mendicantibus habere bona immobilia ad sustentationem, non ad habitationem: interdicitur autem non tantum dominium, sed etiam possessio iuris, sc. ita possidere haec immobilia ut libere eis utantur ad sustentationem, quamvis dominium ad alium spectet.

2° Non possunt habere redditus certos ad sustentationem. Non tamen per se interdicitur habere ad fabricam, ad ecclesiam, nisi specialiter regula interdicatur (SUAREZ, l. c., nn. 27, 28).

3° Mobilia pecuniamque habere et servare possunt, sed in quantitate quae professioni paupertatis non repugnet (n. 4 et 5).

21. Materia proxima voti paupertatis [a]. — Sunt illae actiones quae exercentur circa bona temporalia et in quibus invenitur proprietas voto paupertatis contraria vel usus rerum statui paupertatis contrarius (WERNZ, *nota* 372).

Vitium proprietatis in eo consistit, quod circa bona temporalia religiosus ius exerceat quo paupertatis voto se exuit.

Proprietas autem, quam religiosus illicite usurpat, potest esse tum dominii, tum simpliciter usus, ususfructus, possessionis, administrationis, prout dominium rei aut tantum usum, usumfructum, possessionem, administrationem voto prohibitam usurpet.

Ergo contra votum paupertatis est:

1° Omnis acceptio, retentio, assumptio rei alienae aut monasterii, si fiat sine licentia Superioris expressa, tacita aut praesumpta. Si de re aliena agitur, semper est peccatum contra votum, etiam annuente domino; domino invito, erit insuper peccatum contra iustitiam. Si de re monasterii agitur, semper

---

sic se in omnibus Religioni vestrae cooptent, ut quemadmodum gaudent se in Societatem Ordinis et habitus identitatem assumptas, sic etiam in paupertate saecularium rerum se laetentur vestris institutionibus conformatas ».

(c) De variis gradibus paupertatis in communi et quis gradus diversis Religionibus conveniat, dicit S. THOM., 2. 2.ae q. 188, a. 7.

21. (a) Vide PIAT, I, p. 253, q. 9; SCHMALZGR., in *lib.* III, *tit.* 35, nn. 18-23.

duplex erit peccatum, contra votum paupertatis et contra iustitiam.

2° Omnis dispositio, donatio, distributio, alienatio cuiuscumque boni temporalis, sive monasterii, sive alieni, sive etiam proprii, si fiat independenter a Superiore (vide tamen num. seq. 5°). Si de propriis bonis dispositio fiat, unicum est peccatum, contra votum; si de bonis monasterii aut alienis invito domino, est insuper peccatum contra iustitiam.

3° Omnis usus independens sive rerum monasterii aut externorum, sive propriarum.

4° Etiam amissio aut deterioratio, cum culpa lata (b), rerum sibi commissarum. Nam his rebus religiosus uti debet ut usuarius, qui precario rerum alienarum usum adhibet, non ut dominus, qui libere prout vult suis rebus utitur. Lugo, d. III, n. 169; Piat, I, p. 254, q. 9, 6°; Prümmer, q. 77, 4°.

Ex his actionibus aliquae sunt diligentius explicandae.

22. Donationum acceptatio aut repudiatio. — 1. Solemniter professus, aut quicumque per votum factus est incapax dominii, peccat quoties *sibi* acquirit.

Religiosus qui remanet capax dominii, non ideo potest quascumque donationes sibi acquirere. Quas sibi, quas monasterio tantum possit acquirere, ex peculiaribus Instituti sui approbatis legibus desumendum est (Cf. supra, n. 6, *documenta* 3, 4, 5).

Ex iisdem legibus habebitur utrum ad accipiendum indigeat Superioris licentia, an non. Modo generali, quoties dominium non acquiritur nisi mediante aliqua acceptatione, hanc independenter religiosus dare nequit: requiritur aut licentia Superioris aut statutum regulae generale.

2. Renuntiando donationi, religiosus etiam peccare potest contra votum: peccat, quoties renuntiatio actum proprietatis continet. Ergo peccat renuntiando haereditati, legato, retributioni sibi debitae: nam in his casibus ius ad rem iam est acquisitum aut religioso, si est capax dominii, aut Religioni, si ipse est incapax: renuntiat igitur iuri acquisito, et ideo actum proprietatis exercet. Excipiendus est casus quo religiosus et monasterium sunt ambo haereditatis aut legati aut

---

(b) Culpa lata in aliqua actione aut omissione habetur, cum non adhibetur illa diligentia, qua homines communiter in similibus casibus uti solent in usu rerum suarum.

alicuius iuris incapaces, quia tunc renuntiatio est mera declaratio incapacitatis, et nullus actus proprietatis exercetur. Notandum est praeterea, si religiosus renuntiat rei quam non sibi sed monasterio acquirit, secundum probabiliorem sententiam, invalidam esse eius renuntiationem (supra, n. 11, 5°).

Renuntiando simplici donationi ad quam ius non habebat, religiosus non peccat contra votum paupertatis: quia donatio non perficitur nisi acceptatione; ergo renuntiando simplici donationi oblatae, nulli iuri renuntiat et proinde nullum actum proprietatis exercet. Ita Lugo, d. III, n. 95. Sed forte peccabit contra caritatem, aut contra obedientiam, si aliquod erat praeceptum donationes accipiendi. Verum est autem non adesse peccatum contra paupertatem, sive donatio ipsi religioso sive etiam monasterio fiat: quia monasterium, donec Superior acceptaverit, nullum ius adhuc ad rem oblatam habet. Sed renuntiatio religiosi tunc nullum valorem habet[a].

3. Acceptando donationem pro monasterio sine licentia speciali, religiosus ex praesumpta licentia agit; sed eius acceptatio, quamvis valida, est rescindibilis a Superiore.

Modo generali omnes contractus facti a religioso ex praesumpta licentia, aut etiam sine licentia, sunt validi: quia religiosus per votum obedientiae non abstulit a se ius naturale contrahendi; res statim monasterio acquiritur. Sed contractus est rescindibilis a Superiore (Lugo, d. III, n. 152).

4. An religiosus peccaret contra votum paupertatis, acceptando pro monasterio contra cognitam sibi Superioris voluntatem? — Affirmandum videtur: quia acceptando, ius ad rem acquiritur; ergo actus proprietatis exercetur. Haec autem acceptatio non est dependens a voluntate Superioris, siquidem est contra eius voluntatem. Ergo hic habetur actus proprietatis independens, et proinde peccatum contra votum.

5. An acceptatio sine licentia pecuniae aut rei cuiuscumque, quae aliis distribuatur, sit contra votum paupertatis? — Resp. 1°. Si religiosus distribuit nomine proprio, affirmative; quia tunc hanc pecuniam aut rem prius suam facit, et distribuendo, de illa ut dominus disponit. Sunt qui tunc maiorem

---

22. (a) Vide Ball.-Palm., n. 137; Piat, I, p. 244, q. 5; Wernz, *nota* 397; Prümmer, q. 75.

quantitatem requirunt ad peccatum mortale, quam illa quae satis fuisset si sibi accepisset; quia eo ipso quod non sibi acquirit, actus minus proprietatis videtur habere (Apud S. Lig. l. IV, n. 24); sed forsan haec sententia parum solido nititur argumento.

Resp. 2°. Si religiosus nomine alieno, scilicet donatoris distribuit, duplex casus. Si donator personas et partem cuique dandam determinat, religiosus nullum actum proprietatis exercet, sed est mere executor voluntatis alienae. Si contra determinatio personarum et partis cuique distribuendae religioso relinquitur, controvertitur (Piat, I, p. 261, q. 15). Sanchez in hoc actu vitium proprietatis non agnoscit, quia, inquit, nec electio personarum, nec determinatio partis cuique tribuendae, nec materialis eleemosynae erogatio actum proprietatis continent. Consentit Suarez, tr. VII, l. VIII, c. 15, nn. 15 et 16. Ball.-Palm., n. 132, eum citat et non dissentit. Ciravegna, *de Paupert.*, n. 184, eamdem sententiam sequitur; citat Lugonem, d. III, n. 155, sed Lugo de hoc non loquitur. — Notandum est autem decretum 21 Congr. XVI. Quaerebatur « An contra regulam et paupertatem peccet is qui oblatam pro missa eleemosynam non accipit pro se, sed ut eam pauperibus largiatur. Congregatio censuit eum utique peccaturum, si oblatam eleemosynam non omnino relinquat offerentis arbitrio, sed de illa etiam ad pios usus quacumque ratione disponat ». Revera electio personarum, determinatio eleemosynae eis dandae, si coniungitur cum erogatione, videntur actum proprietatis continere.

6. An quando datur religioso, cum licentia Superioris, conspicua summa pecuniae aut res pretiosa, Superior facilius possit concedere ut inferior ea utatur ad aliquem finem honestum, v. g. ad piam operam, ad comparandos libros? — R. si summa pecuniae absolute data sit religioso, tunc statim incorporatur bonis monasterii, et de illa Superior non magis disponere potest, quam de aliis bonis monasterii. Si pecunia data fuit expresse et acceptata in commodum talis religiosi, tunc Superior facilius potest ei concedere usum honestum et conveniens, etiamsi non posset eamdem pecuniam ei concedere ex bonis monasteriis. Ratio est, quia etiamsi dominium pecuniae transeat ad monasterium, transit sub conditione cum qua pecunia fuit acceptata; haec pecunia non est simpliciter incorporata bonis monasterii. Nihilominus Superior non potest concedere nisi usum convenientem statui religioso; insuper

considerandum est quid regula et consuetudo permittant aut prohibeant in diversis Institutis (Suarez, l. c., nn. 19-23).

Absumptio rei, v. g. cibi, potus absque licentia, est contra votum paupertatis: nam qui rem absumit, eam sibi appropriat eaque utitur, imo eam destruit; ergo duplicem actum proprietatis exercet. Nisi igitur ex praesumpta licentia agat, contra votum peccat.

Notant AA. absumptionem cibi vel potus communiter non esse peccatum grave propter parvitatem materiae, nisi aut res valde rara et exquisita, et ideo magni pretii, absumeretur vel res magna quantitate acciperetur, quae non una vice, sed pluribus paulatim absumeretur. Notant insuper, sive res monasterii absumatur, dummodo sit ex communibus, sive alicuius externi cibum aut potum praebentis, Superiorem non esse invitum ad substantiam sed ad modum, scilicet, ei solum displicere quod subditus clam, aut extra tempora praefixa, aut extra domum manducet vel bibat: (Lugo, d. III, nn. 178 et 179). Haec consideratio ad diiudicandum de gravitate culpa omnino adhibenda est (vide n. 27 — 3ª dispositio).

23. I. **Permutatio** per se est peccatum contra votum, quia continet alienationem et acceptationem. Verum si res quae inter se commutantur sint eiusdem speciei et valoris, generaliter non excedit veniale, quamvis ipsae sint valoris qui ad mortale sufficiat. Lugo, n. 157, exemplum dat permutationis breviarii. Ratio est, quia in rei possessione maxime intenditur eius utilitas [a], quae remanet eadem, ubi res quae permutantur sunt eiusdem speciei et valoris.

Si res sint diversae speciei, etiamsi eiusdem valoris, tunc permutatio multo magis vitio proprietatis laborat, praecise quia arbitrio permutantis fit ut species mutetur. Et revera emptio-venditio non est nisi permutatio rerum eiusdem valoris sed speciei diversae, scilicet rei et pecuniae. — Attamen adhuc permutatio rerum diversae speciei inter religiosos eius-

---

23. (a) Sed potest intendi aliud, v. g. si aliqua res esset donum personae celebris, tunc permutatio huius rei pro alia re eiusdem speciei et eiusdem valoris materialis excusari non posset a gravi culpa, quia quod in re huiusmodi intenditur non est iam eius utilitas, sed aliud, scilicet existimatio et valor eius apud homines ex eo quod huius personae celebris olim fuerit. Ergo gravitas permutationis tunc desumi non debet ex absoluto valore rei permutatae, de qua religiosus disponit ut dominus.

dem conventus, facilius a gravi culpa excusatur, quia usus tantum harum rerum inter religiosos commutatur, et dominium utriusque rei remanet apud conventum, et propterea etiam Superior minus invitus merito supponitur.

Si res quae permutantur sint diversi valoris, tunc aut plus datur aut plus accipitur; et praeter proprietatem quae invenitur in permutatione etiam rerum eiusdem valoris, est alia, scilicet quod plus accipiatur aut detur(b).

II. **Mutuum et commodatum.** — Quando religiosus mutuans aut commodans securus est de restitutione, tunc morali appreciatione, non de re ipsa, sed de eius usu per aliquod tempus disponit. Ergo adest quidem vitium proprietatis, sed eius gravitas desumi debet non ex valore rei mutuatae aut commodatae, sed ex valore usus eiusdem ad tempus plus minusve longum concessi: tempus concessionis gravitatem auget aut minuit.

Si autem religiosus de restitutione rei commodatae aut mutuatae non est securus, sciens et volens periculum rei amittendae incurrit; unde in appreciatione morali commodatio donationi plus minusve aequivalet.

De caetero gravitas culpae ex duplici alio capite mensurari debet. Nam considerandum est primo, an religiosus commodet rem ipsi ad usum concessam, an rem illicite ex bonis communitatis sumptam, v. g. librum e bibliotheca communi; secundo, an is cui commodet aut a quo mutuetur, sit externus aut religiosus eiusdem conventus. Etenim, si commodet rem sibi quoad usum concessam, minor est proprietas quam si rem communitatis commodaret. Si commodet religioso eiusdem con-

---

(b) Quatuor gradus in permutatione (independenter a valore eodem aut diverso rerum quae permutantur) assignari licet: 1us, si aurei cum aliis aureis permutentur: in hoc nullum vitium proprietatis invenitur, quia in pecunia solus valor attenditur; 2us, si res eiusdem speciei permutentur, breviarium pro breviario, horologium pro horologio, vestis pro veste; 3us, si res diversae speciei permutentur, breviarium pro horologio; 4us, si res cum pecunia: est venditio-emptio. — Notat Lugo, in permutatione rei eiusdem aut diversae speciei, alios gradus etiam attendi posse; nam potest species infima esse diversa, species autem suprema eadem, ut in libris: possum permutare breviarium cum breviario, aut Horatium cum Virgilio, aut duas editiones diversas Virgilii. Ergo ad taxandam gravitatem culpae contra paupertatem, prudens aestimatio necessaria est. — Cf. Baller.-Palm., nn. 125, 126.

ventus, etiam minor est proprietas (quia res monasterii ad utilitatem Fratrum sunt destinatae) et Superior est minus invitus. Item si mutuetur ab alio religioso, solum usum mutuatur, dominio semper apud conventum remanente. Cf. Ball.-Palm., n. 127; Lugo, n. 157.

III. **Depositi acceptatio.** — Si religiosus obligationem veri depositarii suscipit, scilicet compensandi si res apud se sua culpa pereat, obligatio haec voto paupertatis contraria est: igitur peccat contra paupertatem. Si hanc obligationem non suscipit, merum obsequium praestat, sine proprietatis actu: peccabit forsan contra obedientiam, si prohibitio existit deposita quovis modo recipiendi, non contra paupertatem. Ball.-Palm., n. 133.

IV. **Fideiussio,** quia in ea onus pro altero forsan rependendi assumitur, est contra votum paupertatis. Prohibetur expresse Iure Communi (c).

24. Usus. — 1° Peccat religiosus si usum independentem habeat: quia prohibetur religioso ne re quacumque tamquam propria utatur. Unde Superior nequit concedere religioso usum irrevocabilem cuiuscumque rei. Ball.-Palm., n. 118.

2° Peccat religiosus si rem sibi ad usum concessam ultra tempus praefixum retineat, aut si rem occultet ne a Superiore ipsi auferatur (Lugo, n. 156).

Habere aliquid sub clave, eo animo ut Superiori subtrahatur, est contra paupertatem: quia talis usus est proprietarius. Non tamen erit ordinarie peccatum mortale, quia facile Superior clavem petere potest. Excipe, si religiosus abesset per longum tempus et ita rei usum (qui aestimaretur magni pretii) liberae Superioris dispositioni subtraheret (Suarez, tr. x, l. iv, c. 8, nn. 4, 5. — Vide supra n. 18 *nota* a).

Peccat etiam religiosus, si re sibi ad aliquem usum concessa utatur ad alium usum; quod maxime considerandum est, ubi

---

(c) Innoc. iii. c. *Quod quibusdam*, 4, *de Fideiussione*, iii, 22: « Quod quibusdam religiosis a Sede Apostolica est prohibitum, volumus et mandamus ad universos extendi: Ne quis videlicet religiosus, absque maioris partis Capituli et Abbatis licentia, pro aliquo fideiubeat, vel ab aliquo mutuam pecuniam accipiat, ultra summam communi providentia constitutam. Alioquin non teneatur conventus pro his aliquatenus respondere, nisi forte in utilitatem domus ipsius manifeste constiterit redundasse ».

sermo est de pecunia ad finem determinatum concessa. Inde non licet religioso dare de victu quod parcius vivendo sibi subtraxit, aut de vestimentis suis. Excipe, si certa quantitas taxative a monasterio daretur, quia tunc liber usus concedi censetur (Lig., l. iv, n. 23).

3° Ait Lugo (n. 154) religiosum accipientem sine licentia librum e bibliotheca vel ex alterius cubiculo cui erat applicatus aut concessus, a fortiori usurpantem manuscripta alterius ut ea transcribat, posse peccare graviter contra votum. Gravitas autem non ex valore libri vel manuscripti, sed ex valore usus desumenda est. Ipse valor usus tum ex aestimatione in quo liber vel manuscriptum habetur, tum ex diuturnitate temporis quo servatur desumendus est. Si quis pluribus annis detineat librum rarum et utilitatis magnae, cuius non est aliud exemplar in bibliotheca, sane graviter peccaret: talis usus enim magni aestimatur.

4° Peccat religiosus qui pecunia ad honestos usus data (ut fit, cum religiosus notabili tempore extra conventum degere debet) ad res superfluas emendas utitur: tum quia haec pecunia non fuit ei ad hoc concessa, et proinde independenter eam impendit, tum quia superflua repugnant statui paupertatis (supra, n. 19). Sed etiam peccaret, si ad res quidem utiles, sed contra voluntatem Superioris impenderet, v. g. si libros, etiam pro bibliotheca, emeret: quia pecunia non fuit ipsi data ad hunc usum. Excipe, si voluntatem Superioris legitime praesumeret.

5° Rerum, quae ad usum ipsi dantur, religiosus curam habere debet: non est enim earum dominus, sed usuarius precarius. Ergo si eas destruat, si eius culpa lata pereant [a] aut deteriorentur, peccat contra votum: quia agit contra usum sibi concessum; usus enim concedebatur sub conditione quod de eis curam haberet (Lugo, n. 169).

6° Peccat per se religiosus qui rem sibi ad usum concessam, alii tradit. Ratio est, quia ipsi solus usus facti, non ius utendi ad arbitrium, fuit concessus. Attamen in casibus particularibus considerandum est quid liceat ex consuetudine vel ex praesumpta licentia (Suarez, tr. vii, l. viii, c. 15, n. 8).

Destructio rei alienae animo damnificandi est quidem peccatum contra iustitiam, non autem probabiliter contra pau-

---

24. (a) Supra n. 21, nota a.

pertatem: quia ita agens nullam rei proprietatem usurpat. Non est enim verum, uti aliqui dicunt, quod ille qui rem alienam destruit, eam prius suam facit, quemadmodum facit ille qui rem alienam vendit aut donat.

25. Administratio. — Administratio bonorum alterius non adversatur voto paupertatis: est simplex obsequium alteri praestitum (Ball., n. 131; Lugo, n. 155). Sed restrictio addi debet, ut in materia depositi: dummodo religiosus non suscipiat ullam obligationem, etiam in casu malae administrationis.

Administratio proprii boni religioso simpliciter professo interdicitur (cf. *docum.*, n. 6); ita communiter est. Cum autem haec administratio non sit de se contraria paupertati, aliquando a S. Sede indulgeri potest. — Administratio autem proprii boni religioso interdicta, non est tantum administratio independens (haec enim contraria est paupertati, quia multos actus proprietatis necessario requirit), sed etiam dependens, ut in dictis documentis dicitur.

An si Superior concederet inferiori administrationem dependentem propriorum bonorum, invalida esset licentia, propter prohibitionem Ecclesiae et ideo, non obstante licentia, religiosus sua bona administrans per se peccaret contra paupertatem? — Videtur affirmandum. Nam in decreto *Sanctissimus* (1858) his verbis interdicitur administratio, art. 9: « Professi votorum simplicium dominium radicale, uti aiunt, suorum bonorum retinere poterunt, *sed eis omnino interdicta est eorum administratio* ». Quod est omnino interdictum a Summo Pontifice, a nullo Superiore permitti potest: ergo dicendum est invalidam esse omnem licentiam administrandi propria bona a Superiore regulari concessa. Proinde religiosus omnes actus proprietatis, quae necessario fiunt in bonorum administratione, sine valida licentia exerceret, et consequenter *per se* contra votum paupertatis peccaret[a].

Notandum est tamen Decretum *Sanctissimus* respicere solos

---

25. (a) Forsan haec sententia confirmari potest ex decreto *Nullus* (1599). Art. 7 dicitur: « Nulla quorumcumque Superiorum dispensatio, nulla licentia, quantum ad bona mobilia vel immobilia, Fratres excusare possit quo culpae et paenae.... innoxii sint.... ». Attamen, si hic articulus cum 3° conferatur, probabilius agitur de bonis datis religioso ut eis in proprium usum utatur: ad hoc certe non valet dispensatio a Superiore data; sed tunc, iam de alia re sermo est.

professos votorum simplicium in Ordinibus proprie dictis. Prohibitiones, quae spectant ad religiosos aliorum Institutorum, non sunt proprie leges aut praecepta, sed potius normae quae mentem S. Sedis exprimunt (vide n. 6). Ergo, nisi ex constitutionibus approbatis alicuius Instituti constaret eodem modo (scilicet, ita absolute ut irritetur omnis licentia in contrarium data) eius alumnis interdici propriorum bonorum administrationem, de nullitate licentiae a Superiore concessae non esset tamquam de re certa pronuntiandum, nec igitur religiosus de peccato contra votum paupertatis esset arguendus.

26. Testamentum (De Lugo, d. III, sect. 6; Suarez, tr. VII, l. VIII, c. 16; Ball.-Palm., t. III, nn. 772 sqq.).

1. Certum est solemniter professum non posse testari nec mutare testamentum ante professionem factum [a]. Ita ex Iure, c. *Quia ingredientibus*, 7, *causa* 19, q. 3 [b].

Sed prohibitio haec, ait Lugo, l. c., n. 109, tota est de iure humano: nam ex natura rei non repugnat religiosum testari. Etenim, quemadmodum R. Pontifex potest concedere professo ut in vita sua aliquorum bonorum usum habeat aut etiam dominium, ita potest permittere ut de iisdem per testamentum disponat. Hoc aliquando concedit saecularizatis [c], et etiam fuit concessum Regularibus Belgii rescripto S. Poenitentiariae 1 *dec.* 1820 [d]. (Vide dicta n. 12).

---

26. (a) Idem dicendum est de religiosis simpliciter professis, qui dominii incapaces sunt, ut Coadiutores formati Societatis.

(b) « Quia ingredientibus monasterium, convertendi gratia, ulterius nulla sit testandi licentia, sed res eorum eiusdem monasterii iuris fiant, aperta legis definitione decretum est ». Hic causa assignatur cur religiosus testari non possit: quia per professionem omnia eius bona, de quibus antea non disposuerat, iam bona monasterii facta sunt. Ergo nihil habet de quo disponere possit per testamentum.

(c) Sic in responsis 26 *iun.* 1829, de haereditate religiosorum, a Pio VIII approbatis. Quaerebatur 3°: « Cui competat ius succedendi haereditati Regularis professi, qui Apostolicum indultum obtinuit acquirendi bona, haereditates et legata, et de iisdem acquisitis disponendi?... » — Responsum fuit: « Si dictus religiosus Apostolico indulto disponendi de bonis legitime usus est,... ius de quo agitur illi competere, cuius favore facta est dispositio ».

(d) Hoc rescripto concedebatur ut solemniter professi in Belgio bona « acquirere, retinere et administrare, deque iis in pios honestosque usus disponere possint, non obstante paupertatis voto, dummodo cum debita a Superioribus legitimis dependentia hoc faciant ».

Alio modo religiosus professus testari posset, sc. de aliquibus bonis monasterii cum licentia Praelati. Nam quemadmodum Praelatus potest, positis circumstantiis aliquibus, subdito aliquid concedere de bonis monasterii, ut per donationem inter vivos illud distribuat; ita, re in se spectata, concedere posset ut per testamentum daret. Sed AA. ex dicto Iuris capite concludunt communiter hoc non licere, nisi vi indulti Apostolici. Lugo, nn. 109 et 118; Ball.-Palm., l. c., n. 775.

2. Solemniter professus non potest ante professionem reservare sibi ius mutandi testamentum: haec enim mutatio esset dispositio circa bona quae iam non habet. Adest insuper *declaratio* S. Congr. Conc., 5 *iul.* 1628 (apud Ferraris, v. *Novitius*, n. 51). — Nec ei licet testamentum a se ante professionem conditum moderari per viam declarationis. Eadem est ratio, et adest *declaratio* S. C. C., 4 *aug.* 1685 (apud Piat, t. I, p. 131, q. 19). Sed si testamentum esset obscurum, posset illud declarare, nihil immutando dispositionibus prioribus (Ferraris, v. *Testamentum*, art. 3, nn. 32 et sq. — Lugo, disp. III, n. 120).

3. Si religiosus de bonis suis disposuit per testamentum ante professionem, facta professione, dominium bonorum transit ad Religionem (modo sit capax possidendi talia bona) usque ad mortem testatoris, et superveniente eius morte, testamentum effectum suum habet; ubi Religio non est capax possidendi, dominium statim ad haeredes transit. Piat, I, p. 260, q. 14. — Sed plura iura moderna non agnoscunt has dispositiones Iuris Canonici; ideo bona religiosi professi, de quibus per testamentum disposuit, ipsius remanere usque ad mortem reputant, et validas habent mutationes aut revocationes testamenti quas post professionem faceret. Propterea in Societate provisum est ut renuntiatio non fieret per testamentum, sed per donationem inter vivos (Congr. VII, d. 17, n. 4).

4. Professi votorum simplicium in Ordinibus proprie dictis testamentum condere possunt. Nam, cum bona sua servent usque ad professionem, nil prohibet quin de iis per testamentum disponant; et quidem non tantum quando renuntiatio permittitur, intra duos menses proximos ante professionem, sed quovis alio tempore: per testamentum enim non amittunt dominium bonorum suorum. — Praeterea, etiamsi debeant bonis suis renuntiare per actum inter vivos, utile est testamentum condere, ut provideant morti quae praeveniret

professionem (Piat, t. I, p. 130, q. 15; Ball.-Palm., tomo III, tract. 8, n. 731 sqq.). — Testamentum huiusmodi fieri potest sive ante sive etiam post renuntiationem (excepta Societate, in qua renuntiatio statim effectum suum habet). Sed notandum est, quod si religiosus duobus modis diversis, per testamentum et per renuntiationem, de bonis propriis disponat: cum renuntiatio ex Tridentino non valeat nisi sequuta professione, superveniente morte ante professionem, testamentum valebit non renuntiatio: e contra, superveniente professione, renuntiatio statim effectum suum habet et testamentum amittit omnem valorem.

5. In Institutis votorum simplicium non tantum licet, sed omnino convenit ut religiosi ante prima vota aut, si ante non fecerint, post prima vota de bonis per testamentum disponant. Cum enim eorum dominium usque ad mortem servent, et etiam in nonnullis Institutis non permittatur ut ab eis per actum inter vivos se abdicent nisi speciale indultum S. Sedis obtinuerint, per testamentum de his disponere debent(e).

6. *An ad testamentum aut renuntiationem faciendam requiritur licentia Superioris?* — Notandum est primo de validitate non agi: nam religiosus de propriis bonis disponit, ergo valide: sed de sola liceitate. Notandum est secundo quaestionem de liceitate duplicem sensum habere: 1, an requiratur licentia ad ipsum renuntiationis actum? 2, an praeterea ipsa dispositio bonorum approbari debeat a Superiore?

His praenotatis, sic ad propositam quaestionem respondetur.

a) Olim in Ordinibus proprie dictis neutra ex his duabus quaestionibus locum habebat: cum enim solemnis professio statim post novitiatum emitteretur, dispositio bonorum, sive per testamentum sive per actum inter vivos, fiebat ante quaecumque vota, et proinde omnino libere fieri poterat, aut saltem sine voti laesione.

b) Instituta Societate, S. Ignatius lege generali non definivit, nec in Examine nec in Constitutionibus, an scholastici (quibus dominium bonorum suorum, approbante S. Sede, permittebat) indigerent licentia Superiorum, sive ad actum

(e) Cf., n. 6 huius capitis, documenta 3, 4 et 5.

renuntiationis sive ad modum distributionis. Tria tantum statuit: primum, quod post unum novitiatus annum abdicare se suis bonis deberent, statim ac Superior iniungeret; alterum, quod si aliqua bona Societati relinquere vellent, tunc Superior dispositionem approbare deberet (EXAM., c. IV, n. 2; CONST., P. III, c. I, nn. 7 et 9); tertium, quod si propinquis bona sua distribuere vellent, tunc etiam approbatio Superioris, modo in Examine (c. IV, n. 3) explicato, requireretur. Si autem bona sua in opera pia extra Societatem distribuere proponant, liberam omnino dispositionem eis relinquit (CONST., l. c., n. 7).

Sed CONGREGATIO V, decretis 10, 50 et 59, definivit « eum qui, post emissa tria vota substantialia nostrae Religionis, sua bona distribueret sine Superioris facultate, votum paupertatis Societatis violare ». Utrum autem hoc decretum fuerit mera declaratio comprehensiva Constitutionum, an potius extensiva, scilicet Constitutiones extra sensum suum naturalem extendens et novam legem stabiliens, incertum habet SUAREZ (tr. X, l. IV, c. 6, nn. 3 et 6).

c) Inducta a PIO IX professione votorum simplicium in Ordinibus formalibus, et statuto per *decretum* 1 *aug.* 1862 quod renuntiatio Tridentina fieret inter bimestre ante professionem solemnem, nihil fuit explicite determinatum de necessitate licentiae Superioris regularis. In decreto 1 *aug.* 1862, ubi, si est necessaria, exprimi debuisset, nihil invenitur: in decreto *Sanctissimus* (1858), ubi determinatur disciplina paupertatis pro professis votorum simplicium, haec tantum habentur: « Professi votorum simplicium dominium radicale, uti aiunt, suorum bonorum retinere poterunt; sed eis omnino interdicta est eorum administratio, et redituum erogatio atque usus ». De renuntiatione, nihil. Dici quidem potest renuntiationem reputandam esse actum administrationis, et consequenter esse ipsis interdictam: sed reponi potest, renuntiationem esse actum omnino specialem, qui sub voce « Administratio » saltem non necessario comprehenditur. Insuper cum renuntiatio sit actus in lege praevisus, atque Ius praescribat tempus quo sit facienda et licentiam Episcopi exigat, dici minime potest religiosum independenter agere in renuntiatione, etiamsi eam faciat absque Superioris regularis licentia. Accedit quod licentia Episcopi ideo videtur a Tridentino requisita, ut novitius omnino independenter ab influxu Superiorum de suis bonis disponat. Ergo de necessitate licentiae Superioris non constat, sive ad actum sive ad modum renuntiationis.

d) An in Institutis votorum simplicium religiosi ad disponendum de suis bonis indigeant licentia Superiorum suorum, ex documentis allatis n. 6 incertum remanet. In diversis Institutis diversa lex esse videtur. Quod si in aliquibus Institutis inveniatur statutum approbatum licentiam requirens, illud servari debet. Si non inveniatur, haec duo videntur esse tenenda: ad disponendum de propriis bonis per actum inter vivos post vota sive temporanea sive perpetua, religiosi indigent licentia Superioris Generalis, aut etiam indulto S. Sedis; ad condendum testamentum post vota, si antea non fecerint, dubium remanet quanam indigeant licentia. Ita Bizzarri, p. 81 in nota; Wernz, n. 650, III (Cf. Normae, a. 1901, art. 120 et 121). Si tamen agatur de bonis quae ipsis post vota evenerint, tunc de iis testamentum libere condere possunt. Normae, art. 124 (f).

27. Licentia. — Essentia paupertatis religiosae in eo consistit ut religiosus non habeat usum independentem ullius boni temporalis. Usus autem non est independens, si religiosus agit cum sui Superioris licentia.

(f) AA. de hac quaestione aut tacent aut obscure loquuntur. Wernz, n. 650, III, ponit principium: « Qui nuncupat votum simplex paupertatis rerum suarum liberam dispositionem et usum independentem a licentia Superiorum amittit ». Subiungit: « Qua in re cum difficulter regula quaedam generalis statui possit, praesertim in Congregationibus religiosis, legitima statuta singulorum Institutorum attendenda sunt ». Et in *nota* 377 ad h. l.: « Idem professi de dominio suo, sive per testamentum, sive de licentia competentis Superioris religiosi etiam per actus inter vivos, disponere valent »: ubi videtur dicere saltem renuntiationem per testamentum sine licentia Superioris religiosi esse licitam. Sed statim restringit suam sententiam, dicendo: « Si professus de suis bonis absque requisita licentia competentis Superioris disponit, certe ex sententia magis fundata ponit actum illicitum, sed validum... ». Deinde tamen subiungit: « Imo in *quibusdam* Institutis, saltem pro condendo licito testamento, permissio Superioris religiosi non requiritur ».

Piat, ubi de renuntiatione agit, hanc de Superioris licentia quaestionem non tangit (pag. 121 et sqq.); sed pag. 260, q. 14, ubi de testamento religiosorum, fere eamdem doctrinam habet ac Wernz; ait (resp. 3 et 4): « Si vota tantum simplicia emiserit, certe valide de suis bonis testari potest... Imo et licitam esse huiusmodi dispositionem declaravit S. Cong. EE. et RR. 18 *feb.* 1853 ». Sed hic nimium asserit; nam responsio 18 *feb.* 1853 est sententia in casu valde particulari data, in quo speciales aderant rationes.

Insuper hi duo Auctores permixtim de religiosis Institutorum et de religiosis Ordinum proprie dictorum simpliciter professis loquuntur.

I. Licentia ex parte Superioris duas conditiones requirit. — *Primo*, debet esse voluntaria. Ergo licentia dolo extorta nulla est; item, si obtinetur obreptione aut subreptione, quae in causam motivam cadant (obreptione, id est falsa allegando : subreptione, tacendo necessario exprimenda). « Idem censeo dicendum (id est invalidam esse licentiam ex defectu voluntatis) ait Suarez, tr. x, l. iv, c. 8, n. 3, quando intercedit moralis quaedam violentia, quae involuntarium etiam causat : ut, si subditus expresse vel tacite comminetur se excitaturum turbas aut aliquod scandalum daturum, aut gravem inimicitiam vel odium concepturum, nisi hoc ei permittatur : tunc enim illa est potius pura Superioris permissio ad excusandum maius malum, quam facultas, et ideo non reddit tutum in conscientia, etiam in ordine ad violationem paupertatis ». Similia habet Lugo, *disp.* iii, n. 129: « Licentia, ut valida sit, debet esse libera, non per metum vel fraudem obtenta. Unde, si concedatur, quia timet Superior quod subditus querelas et murmurationes effundat, non videtur voluntaria, nec sufficiens ».

Secundo, licentia non debet excedere facultatem Superioris, ut patet (Vide infra, n. 29).

II. Triplex praecipue distinguitur licentia : expressa, tacita, praesumpta [a].

1. *Licentia expressa* ea est quae positive exprimitur. Potest esse specialis aut generalis, explicita aut implicita. Implicita ea est quae in alia continetur : v. g., licentia iter instituendi implicite continet facultatem faciendi expensas ad iter necessarias. Notandum est licentiam implicitam esse suo modo expressam seu positivam.

2. *Licentia tacita* (quae ab implicita diversa est) proprie est illa quae nullo modo positive exprimitur, sed quae ex aliquibus indiciis legitime deducitur adesse. Maxime locum habet, quando Superior conscius rei quae fit a subdito tacet, cum facile contradicere posset. Inde eius nomen. Habetur etiam, cum aliquid fit ex consuetudine communitatis, conscio Superiore et non petita licentia, quamvis res ex se licentia indigeret. — Notandum est licentiam tacitam esse absolutam licentiam, non hypotheticam : non tantum daretur, si peteretur : vere datur per silentium Superioris approbationi aequivalens.

---

27. (a) Vitanda est expressio « licentia interpretativa », quae amphibologice dicitur sive de tacita sive de praesumpta.

Ex licentia tacita legitimari possunt parvae donationes vel acceptiones, quae fiunt inter religiosos eiusdem domus: legitimantur, ex eo quod Superiores usus conscii non contradicant. Notat Suarez (tr. VII, l. VIII, c. 11, n. 8), etiamsi consuetudo non esset probanda, si Superior conscius tacet, cum consuetudinem reprobare deberet et posset, culpam esse Superioris; sed adesse licentiam tacitam, quae sufficit ad eximendum subditum a peccato proprietatis contra votum, etiamsi ab omni culpa non semper excuset.

3. *Licentia praesumpta* est licentia quae revera non existit, sed praesumitur quod daretur, si peteretur. Proinde conditionata dici potest.

III. Praecipua quaestio circa licentiam est: *an liceat agere cum licentia praesumpta* (vide S. Lig., l. IV, n. 18). — Verior sententia distinguit hoc modo. Triplex Superioris habitus aut dispositio, quoad hanc licentiam quae praesumitur, supponi potest:

1. Superior rogatus daret licentiam, et simul praesumitur approbaturus ut inferior egerit non petita licentia. In hoc casu licet inferiori agere cum praesumpta licentia, quia non agit revera nisi dependenter a voluntate Superioris. Lugo, d. III, n. 127; Suarez, l. c., c. 11, n. 10. Et hoc valet etiamsi inferior forsan erraverit, praesumendo licentiam quam revera Superior rogatus negasset: quia in sua aestimatione non egit nisi dependenter a praesupposita Superioris voluntate.

Sed tria adnotanda veniunt: *a)* Quando licentia necessaria est ad validitatem actus, licentia praesumpta, etiamsi sufficiat ad honestatem actus, non sufficit ad eius validitatem, quia de facto non existit[b]. Ideo si quis ex praesumpta licentia alienat rem monasterii aut rem alienam pro monasterio accipit, alienatio aut acceptatio non erit valida, nisi superveniat licentia absoluta Superioris, expressa aut saltem tacita. Alienatio enim fieri nequit nisi ex voluntate domini aut administratoris cui bona commissa sunt. Donatio etiam non valet nisi ex positiva acceptatione eius cui datur aut eius qui constitutus est administrator bonorum eius. Contra licentia tacita, quia vere existit, sufficit ad validitatem actus.

b) Si agitur non de re transeunte, sed de re quae post actum adhuc remanet, v. g. de acceptatione alicuius rei, etiamsi

---

(b) Hanc distinctionem propugnat S. Lig., n. 18, § *Sed his non obstantibus*. Cf. Ball.-Palm., n. 144.

licentia praesumpta sufficiat ad cohonestandam ipsam acceptionem, non ideo semper sufficit ad cohonestandam rei retentionem, et petenda erit ad eam retinendam licentia expressa (PIAT, I, p. 256, q. 11, 4°; LUGO, d. III, n. 128; SUAREZ, c. 11, n. 3; et c. 15, n. 2). Sic si religiosus ab extraneo ad proprium usum aut ad usum communitatis accipit rem aliquam, v. g. librum, ex praesumpta Superioris voluntate, quem tunc adire nequit, debet ad eum retinendum licentiam petere et obtinere.

c) Non facile supponendum est Superiorem, qui rogatus licentiam daret, ideo approbare quod inferior agat ea non petita, quando petere potest. Nam Superior qui ita afficeretur, enervaret omnem disciplinam: imo actum esset de dependentia in paupertate, quia quoties de re rationabili ageretur, licentia praesumi posset. Tunc tantum ordinarie supponendum est Superiorem approbaturum ut inferior non petita licentia agat, quando aut nullo modo aut nonnisi cum difficultate (pro rei gravitate maiori aut minori) eam petere potest.

Et inde apparet cur licentia praesumpta quae sufficit ad accipiendum, saepe non sufficiat ad retinendum: quia scilicet Superior adiri non poterat ad petendam licentiam accipiendi; adiri autem potest ad petendam licentiam retinendi, et tunc Superior vult ut petatur.

Praeterea, « circa hanc praesumptam licentiam, specialiter advertendum est, non aeque faciliter esse admittendam circa usum et dispensationem bonorum Religionis, quam in aliis actibus accipiendi vel retinendi aliquid: quia distractio bonorum ex se est magis nociva Religioni (quam acceptio vel retentio), et ideo regulariter potius praesumitur contra voluntatem Superioris » (SUAREZ, tr. VII, l. VIII, c. 15, n. 2).

2. Altera dispositio Superioris haec esse potest: rogatus licentiam concederet: sed quia non petitur, simpliciter non vult ut inferior agat, det aut accipiat. Tunc patet inferiorem, qui huius dispositionis conscius nihilominus ageret, sine ulla licentia agere et proinde peccare contra votum. Haec Superioris dispositio est omnino rationabilis, si ipse facile adiri potest; hanc debet habere, ne enervetur disciplina, et consequenter, ut plurimum, supponi debet.

3. Tertia dispositio: Superior rogatus daret licentiam; si non petitur, displicet ei: attamen quia res de qua agitur est rationabilis, aut utilis, forsan necessaria, aut adest aliqua difficultas ad ipsum adeundum, non adversatur quominus res

fiat, etiam non petita licentia; v. g. si inferior sine licentia dat panem pauperi graviter indigenti. Superior dicitur tunc esse consentiens quoad substantiam rei, invitus quoad modum: approbat quod eleemosyna pauperi detur, quia vere indiget; displicet quod detur sine licentia et quoad hunc modum est invitus.

In tali casu, inferior non peccat graviter contra votum paupertatis, quia non agit independenter a voluntate Superioris; verum agit contra obedientiam, vel adhuc peccat contra paupertatem, sed venialiter tantum: quia si quoad substantiam actus dependenter agit, agit independenter quoad modum (c).

Sufficit autem ut subditus probabilem habeat licentiam praesumptam Superioris, non requiritur certa. Ita S. Thomas, 2. 2.ae q. 32, a. 8, ad 1, allegatus a S. Lig., l. c.

28. De Licentia implicita. Circa eam variae sunt quaestiones.

1. An facultas uni concessa dandi Fratribus conventus, censenda sit continere implicite pro istis licentiam accipiendi? — Resp. Pendet ab intentione Superioris. Potest enim Superior concedere licentiam dandi iis tantum quibus fuerit concessa licentia accipiendi, aut absolute dandi cuicumque ex Fratribus conventus. Ergo haec intentio prudenter interpretanda est. « Certe, ait Ball.-Palm., n. 129, haec generalis regula statui nequit, ut facultas facta uni donandi sit hoc ipso facultas facta ceteris accipiendi, aut vicissim ».

2. Eodem fere modo, facultas accipiendi ab aliis potest continere pro aliis facultatem dandi huic, aut non. V. g., si quis acceperit facultatem *petendi a quocumque* parvas res quibus indiguerit, chartam, pennam, etc., eo ipso ii a quibus petit habent licentiam dandi ei. Sed laxior videretur sententia qua diceretur licentiam datam Petro *accipiendi* ab aliis, continere reciprocam facultatem aliis factam ipsi dandi. Nec propterea inutilis erit haec facultas accipiendi: duos effectus habet, primum ut possis accipere ab iis qui dandi licentiam habuerint; alterum ut tuta conscientia ipse ab omnibus accipias, dum-

---

(c) Suarez, tr. vii, l. viii, c. 11, n. 11; Schmalzgr., l. iii, tit. 35, n. 28; Lessius, l. ii, c. 41, n. 79; Lugo, d. iii, n. 125; S. Lig., l. iv, n. 17; Piat, t. i, p. 257, q. 11, 4° b; Vermeersch, t. i, n. 260; Ball.-Palm., n. 143, qui ait: « Si praelatus sit invitus solum quoad modum, ita ut haec displicentia non redundet in ipsam substantiam, convenit facile inter omnes peccatum subditi leve esse ».

modo eorum peccato, qui dent indebite, sciens non coopereris. Cf. Lugo, d. III, n. 163, sq.; Ball.-Palm., n. 129.

3. Qui habet facultatem accipiendi aut petendi plura numismata, cruces, coronas, imagiunculas, eo ipso habet facultatem eas distribuendi: nam facultas ipsi data tot accipiendi, certe non data est ut ea sibi servet, sed ut distribuat.

4. Ait Lugo (d. III, n. 159) illum qui habet simul facultatem dandi et accipiendi, posse vendere et emere, quia emptio et venditio non sunt nisi contractus in quo unum datur et alterum accipitur. Verum nec res, nec ratio allata placent: nam potius attendenda est voluntas Superioris, qui non intendit (saltem ordinarie) concedere hanc facultatem, sed facultatem dandi si locus est donationi, aut accipiendi, si aliquid datur. Praeterea facultas accipiendi non debet intelligi de facultate accipiendi pecuniam, nisi haec expresse concedatur.

29. Variae aliae quaestiones de licentia.

1. *De licentia ad illicita concessa.* — Quaestio est an licentia huiusmodi sufficiat ut inferior, quoniam dependenter a Superiore agit, a peccato proprietatis sit immunis [a]; v. g., si detur licentia ad commessationes et potationes, ad ludendum, ad iter inutile, ad superflua comparanda. — Quaestio ad hoc reducitur: an talis licentia sit non tantum illicita (propter quod peccat Superior eam concedens), sed etiam invalida. Nam si est invalida, perinde est ac si data non fuisset; quare inferior sine licentia ac proinde independenter agit, ac *per se* peccat vitio proprietatis (quamvis forsan ex formata conscientia peccatum absit).

Duplex est sententia. Lugo censet has licentias esse validas (d. III, nn. 130-143); eum sequitur Ball.-Palm., nn. 149-150. — Censent invalidam Lessius, Schmalzgr., l. III, tit. 35, n. 25. — S. Lig., l. IV, n. 30, relata Lugonis sententia, ait: «Hanc sententiam non audeo omnino reprobare propter auctoritatem tantorum doctorum: sed prima sententia (quae has licentias invalidas habet) mihi omnino arridet [b]. Piat, t. I, p. 255, q. 11,

---

29. (a) Dicitur «a peccato proprietatis», non a peccato contra pauperatem. Nam si inferior cum licentia sibi comparat superflua, etiamsi probabiliter a peccato proprietatis sit immunis, peccabit tamen contra pauperatem, quae superflua interdicit.

(b) Ratio praecipua Lugonis est, quia si religiosus cum licentia contractum huiusmodi illicitum init, v. g. si superfluos libros emit, tenet contractus, et nemo condemnat bibliopolam ad restituendum pretium.

invalidam habet licentiam huiusmodi, et allatis Tridentino *sess.* XXV, c. 2 *de Reg.*, et decreto *Nullus* Clementis VIII, n. 7 (vide supra, n. 16, resp. 3°), concludit : « De nullitate licentiae post haec documenta amplius dubitari non potest ». Sed in hoc excedit : nam in his duobus locis de casu peculiari peculii agitur, in quo revera est decretum irritans omnem licentiam de peculio habendo. SUAREZ tenet, etiamsi licentia sit invalida et proinde non excuset a peccato iniustitiae, attamen eam sufficere ut excuset a peccato proprietatis contra votum ; quia religiosus id vovit : nihil accipere voluntate propria (ita, tr. VII, l. VIII, c. 11, n. 15; c. 12, n. 11).

LUGO etiam censet, si inferior, licentia generali accepta faciendi expensas, aliquas inutiles facit, eum per licentiam generalem a vitio proprietatis excusari, quia licentia generalis ad omnes expensas sese extendit, etiam ad inutiles. S. LIG. l. c., inferiorem ita agentem nondum de certo peccato proprietatis audet damnare, quamquam sententia eum condemnans multo probabilior ipsi habeatur.

Merito observat WERMEERSCH. n. 263. in dubio an licentia concessa licita sit necne, licitam esse censendam : praesumptio enim Superiori favet.

2. *An invalida censenda est licentia quam Superior dare prohibetur?* — Resp., non idcirco in omni casu invalidam esse : fieri enim potest ut sit tantum illicita, sive prohibitio a lege proveniat, sive a statuto aut a praecepto Superioris. Nam Ecclesia aut Superior non irritant quidquid prohibent : ut appareat ex impedimentis solum impedientibus matrimonii et multis aliis legibus necnon ex textu Iuris (vide supra, n. 7). Ideo quando legislator vult irritare licentias datas contra suam prohibitionem, illud clare exprimit, ut fecit CLEMENS VIII in decreto *Nullus*, art. 7 : PIUS IX, Constit. *Universalis* (1862). — Ergo in singulis casibus inquirendum est an prohibitioni adiuncta sit clausula irritans.

Alia ratio, quia nulla lex affertur irritans has licentias. — Ratio S. LIGUORI est, quod Superior non aliam habet auctoritatem ad disponendum de bonis monasterii, et ideo ad dandas licentias circa ea, nisi eam quam ipsi dant SS. Canones et Constitutiones Ordinis ; porro nec Canones, nec Constitutiones ei permittunt disponere de bonis monasterii ad illicita, imo prohibent.

3. *Quid si licentia ab uno Superiore negata, ab alio Superiore petitur et impetratur?* — Resp. Per se valet licentia impetrata, sive secundus Superior auctoritatem supra priorem habeat (tunc dubium moveri nequit), sive etiam priori subiiciatur: nam eo quod Superior mediatus licentiam negavit, non propterea ab immediato Superiore potestatem abstulit eam concedendi (S. Lig., l. IV, n. 51). — Dicitur per se ita esse: quia si in aliquo Ordine existat aliquod statutum prohibens sub poena nullitatis, licentiam ab uno Superiore negatam ab alio petere, quin iste moneatur licentiam fuisse a primo negatam; tunc, si conditio non adimpletur, invalida est licentia propter vitium subreptionis. Idem dicendum esset, ait S. Lig., l. c., si Superior mediatus non tantum licentiam recusasset, sed prohibuisset rem petitam exsequi, quia Praelatus inferior nequit dare validam licentiam contra prohibitionem Praelati maioris, a quo dependet.

His autem duobus casibus exceptis, etiamsi subditus peccet forsan contra obsequium priori Praelato debitum, licentiam ab eo denegatam ab alio Praelato petendo, non peccabit contra paupertatem utendo licentia impetrata.

4. *Quid de licentia petita et iniuste negata* (c)? An peccet contra paupertatem qui nihilominus agit? — Respondeo duplicem casum esse distinguendum.

Primus casus, licentia negatur ad aliquid quod sine peccato omitti nequit: tunc inferior non tantum potest, sed debet agere, quamvis licentia fuerit negata; v. g., si negetur licentia dandi de rebus monasterii pauperi in extrema necessitate versanti (d).

Secundus casus, licentia negatur irrationabiliter tantum, ita v. g. ut religiosus privetur aliqua re convenienti et propterea aliquo modo ei debita. In hoc casu communiter abstinere debet et peccaret contra paupertatem, agendo sine licentia (Suarez, tr. VII, l. VIII, c. 11, n. 19). Dicitur « communiter »: quia aliquando agere nihilominus posset. Etenim, quamvis tunc non possit agere ex solo motivo quod Superior licentiam negando ipsi iniuriam facit, aliquando ex alio motivo liceret. Nam illi fas

---

(c) Piat, t. I, p. 258, q. 12; Suarez, tr. VII, l. VIII, c. 11.

(d) Non dicatur in hoc casu licentiam dandi non esse necessariam : Superioris enim est disponere de rebus monasterii, non inferioris ; atque ex eo quod obligationem dandi Superior habet, non sequitur inferiorem, eo inconsulto, dare posse.

est alium Superiorem adire, et exposita negatione a priore accepta, petere ab ipso licentiam, et ea obtenta agere. Sed si hunc alterum Superiorem adire nequit, posset etiam, positis ponendis, licentiam praesumere. Cf. Piat, t. I, p. 258, q. 12. S. Lig., l. IV, n. 33, ait: « Quaestio est an licentia petita sed indebite negata excuset a transgressione voti paupertatis. Resp. non excusare, nisi periculum gravis damni sit in mora: tunc enim praesumitur adesse consensum Superioris maioris; et si iste tunc etiam licentiam neget, potest aliquando prudenter iudicari legem sive votum in tanto discrimine non obligare ». Schmalzgr., in l. III, t. 35, n. 35, alio modo distinguit, sc. utrum licentia sit tantum debita ex parte Superioris, qui irrationabiliter eam negat: an etiam sit debita ex parte inferioris, qui ius ad eam habet, v. g. ad cibum, ad vestes, etc., iuxta morem Religionis. Si licentia negata prioris sit generis, non licet agere cum sola licentia petita et negata; si secundi generis, ait inferiorem posse accipere aliunde rem quae ei a Superiore negatur: quia Religio aut ipsa natura supplet. Hanc responsionem refert et approbat S. Lig., l. c.

Patet in praxi non esse nisi valde circumspecte admittendum ut quis agat cum licentia sibi negata.

5. *An licentia a Superiore data expiret simul ac officio suo functus est?* — Resp. Per se expirare non videtur. Ratio haberi potest ex analogia cum simili casu, nempe ex doctrina quam DD. tradunt, ubi tractant de dispensatione a legitimo Superiore concessa, sed nondum executioni mandata priusquam moriatur (cf. Lig., l. I, n. 197; Piat, t. I, p. 257, 5°). Est dispositio Iuris, quod gratia concessa, licet nondum executioni mandata, morte concedentis non cessat. Ex hoc principio argumentum sumit Bonifacius VIII, in cap. *Si super gratia*, 9, *de officio et potestate iudicis*, I, 14, in 6°.

Praeterea videndum est an non existat in Ordine aliquod statutum peculiare. Sic in Societate Iesu provisum fuit per Congr. VII, dd. 36 et 72. — *Decr.* 72 dicitur demortui Generalis ordinationes, responsa ad provincias, privilegia, particulares concessiones, eiusque generis alia, eamdem vim habent, quam vivo Generali habebant, donec a successore revocentur. — *Decr.* 36: « Qui Superiorum munus obeunt, maxime vero Provincialium, tenebuntur, ubi primum illis commodum fuerit, subditos praesentes et coram monere, ut privilegia et facultates a praedecessoribus concessas aperiant, ut illas ipsi vel confirment vel abrogent, prout in Domino expedire iudicave-

rint. Usque ad quam denuntiationem, facultates omnes in suo robore manebunt: qua peracta, si subditi illas non aperiant, pro abrogatis de facto habendae erunt ». Ergo in Societate licentiae ab antecessore datae non censentur eius morte cessare.

6. *Superior, promissione facta suo inferiori dandi ipsi aliquid, non tenetur ex iustitia dare.* Ratio est, quia inferior ius ad rem habere nequit, sed usus rerum quae ipsi conceduntur remanet revocabilis ad nutum Superioris. Veruntamen Superior ex fidelitate tenetur praestare id quod promisit, nisi adsint rationes quae ipsum a sua promissione solvant. VERMEERSCH, t. I, 264; LUGO, d. III, n. 114.

7. *Numquam dari potest licentia irrevocabilis.* — Est sententia communis. Ratio est, quia si daretur, religiosus in *possessione* rei concessae iam a Praelato non penderet, sed eam ut propriam retineret (SUAREZ, tr. VII, l. VIII, c. 12, n. 14).

30. Materia gravis in peccatis contra paupertatem. — « Communis iam et recepta sententia est, ait LUGO, d. III, n. 170, illam esse sufficientem materiam ad violationem gravem voti, quae sufficit ad peccatum grave furti contra iustitiam: quam docent communiter Doctores, quos affert et sequitur Sanchez ». Haec regula, ait n. 171, non debet ita intelligi, quod non adsit peccatum grave contra paupertatem, nisi quando est grave contra iustitiam, sed ita « quod quantitas illa quae sufficeret ad peccatum grave, si acciperetur contra iustitiam, sufficiat ad peccatum grave contra votum, si accipiatur vel detur sine licentia Praelati ».

Cur vero haec norma assumpta sit, hanc dat rationem SANCHEZ (*Decal.*, l. VII, c. 20, n. 3): « Quia hoc proprietatis peccatum se habet instar furti. Sicut enim in furto res usurpatur invito domino, ita in peccato proprietatis res usurpatur invito Superiore, cui per votum paupertatis omnes suas actiones, quoad recipiendum, retinendum aut distribuendum aliquid pecunia aestimabile, religiosus subiecit » (a).

---

30. (a) Haec regula in similitudine quadam fundatur. Cum religiosus voto paupertatis obligationem suscepit nulla re tamquam propria utendi, sed dependenter a Superiore agendi in omnibus suis actibus circa bona temporalia: si deinde sine eius dependentia agit, *quasi* furtum erga illum committit; disponit de re quae in manu Superioris facta est.

Ballerini-Palmieri, n. 122, ingenue fatetur hanc regulam non plene satisfacere. Haec est etiam sententia Suarezii, l. c., c. 6, n. 9, qui, postquam regulam communem enuntiavit, fatetur difficile applicari. « Ratio est, ait, quia ex diverso capite oritur malitia et gravitas sacrilegii proprietatis et furti. In furto enim attenditur laesio proximi in bonis externis ad usum vitae necessariis...; in violatione autem paupertatis, solum consideratur infidelitas servandi promissionem Deo factam, *et iniuria quae inde in Deum redundat* ». (b) — « Nihilominus, pergit Ballerini, cum nulla alia intimior regula suppetat ad discernendam quantitatem gravem in violatione voti paupertatis, adoptata est regula supradicta propter eam analogiam quam Sanchez declarat. Nec verendum est, ait, ne regula sit rigidior quam par est: nam religio voti non minus in suo ordine postulat, quam ius hominis in suo ».

Sed multo verior videtur sententia et explicatio P. Vermeersch t. 1, n. 265, et t. II, pag. 99-103. Per votum paupertatis, ut dictum est n. 19, *assumitur status paupertatis* (qui essentialiter consistit in eo, quod religiosus nulla re tamquam propria utatur, et insuper pro solemniter professis et quibusdam aliis, ut omne dominium bonorum temporalium abdicent): ideo *haec materia gravis erit contra votum paupertatis, quae statui paupertatis, quem religiosus amplexus est, graviter adversatur.*

Hic autem status paupertatis diversus est in diversis Religionibus: rigidior, v. g., apud Franciscanos, Capucinos (apud eos accedit ad statum pauperum, qui vitam eleemosynis comparant), in aliis minus strictus. In Societate Iesu est status honestorum sacerdotum regionis, ut habetur in formula Instituti Iulii III (1550). — Inde diversa erit materia quae habenda erit ceu gravis in diversis Ordinibus, pro rigidiore aut minus rigida paupertate quam profitentur. In genere, gravis erit materia quae esset gravis expensa pro personis quarum tenorem

---

(b) Idem Suarezius deinde minus feliciter, ad gravitatem peccati contra paupertatem determinandam, ut regulam desumit quantitatem qua gravis efficeretur violatio voti faciendi eleemosynam. — Sed bene notat (nn. 11 et 12), solemniter professum acquirere monasterio quidquid acquirit; unde fit ut plerumque, sive sibi aliquid accipiat sive de re aliqua disponat, simul ac peccat contra paupertatem, peccet etiam contra iustitiam erga monasterium. Per hoc facilius intelligitur lex ordinarie data, eam quantitatem esse gravem in peccato paupertatis, quae furtum grave erga monasterium constitueret. Vide etiam n. 13.

vitae sectantur, aut quae grave damnum illis afferret, si in hac quantitate damnum paterentur. Pro Capucinis gravis erit materia quae gravis esset expensa aut grave damnum pauperi mendicanti; pro religioso Societatis Iesu, gravis erit ea materia quae esset gravis expensa aut grave damnum sacerdoti honesto regionis (ex beneficio suo vivente).

Practice haec sententia fere coincidit cum sententia a Lugone et Sanchezio prolata: sed rationem intimam gravitatis verius explicat. Dicitur « fere »: nam ubi agitur de peccatis contra paupertatem solam, ea tollit quaestionem inter AA. agitatam, an religiosus haberi debeat uti filiusfamilias, an uti extraneus, an in aliquo statu intermedio. — Sed quaestio remanet, quando peccatum contra paupertatem est simul peccatum contra iustitiam in damnum monasterii: quaeritur scilicet quaenam materia faciat grave peccatum iniustitiae in monasterium. Lugo quaestionem tractat n. 172, et concludit religiosum quoad monasterium non posse assimilari filiofamilias, neque extraneo; sed quantitatem quae requiritur ad gravitatem peccati contra iustitiam, maiorem esse quam esset in extraneo, minorem quam in filiofamilias. Insuper cum gravitas damni illati pendeat a statu damnificati, plus requiritur ad peccatum grave iniustitiae, si monasterium est opulentum, minus si est pauper.

Notetur praeterea, quando peccatum contra paupertatem est simul contra iustitiam, quoniam gravitas peccati utriusque, ex sententia exposita, e diversis rationibus desumitur. idem peccatum posse esse grave contra paupertatem et leve contra iustitiam, aut vice versa leve contra paupertatem et grave contra iustitiam.

31. Applicatio ad casus particulares. — Posita regula generali de quantitate necessaria ad peccatum grave contra paupertatem: ad diiudicandum in casibus particularibus an inveniatur materia gravis necne, animadvertere oportet gravitatem materiae non esse unice desumendam ex valore absoluto rei de qua religiosus disponit sine licentia. Iam observatum est cum Lugone (supra, n. 23), aliud esse disponere de re ipsa, aliud de usu rei; et ideo, dum peccatum mortale esset contra paupertatem dare extraneo librum bibliothecae, puta qui 20 fr. valeat, non erit peccatum mortale eumdem commodare. Ad diiudicandum ergo de gravitate proprietatis quae invenitur in aliqua actione, « debet considerari eius qualitas, ait Lugo (n. 172); aliquae enim actiones ex se habent plus de

proprietate quam aliae, ex eo quod per illas magis aliquid extrahitur a communi usu quam per alias [a]. Res melius intelligetur, propositis aliquibus exemplis » [b].

1. Accipere pecunias ex his quae Procurator aut alius habet ad usus communes easque dare externis, maxime est contra paupertatem.

2. Fere idem dicendum est, si pecunias mihi ad aliquem usum datas aliis distribuam. Attamen hic iam est aliqua differentia ex parte termini a quo. Nam hae pecuniae iam extractae erant ab usu communi, ut mihi applicarentur, « atque ideo fortasse quantitas maior ad peccatum grave requiretur » (Lugo, n. 173).

3. « Idem fere est, si ex pecuniis ad usus communes destinatis acciperem ad meos usus particulares: in quo casu, ex parte termini ad quem, hae pecuniae non ita extrahuntur a communitate, cum deserviant ad meos usus, qui sunt pars communitatis » (n. 174). Sed immediate distinguit, et recte, ad quem usum eae impendantur, an ad vestes, ad libros, qui remaneant intra conventum (ad quem usum hae pecuniae aliquo modo destinabantur); an ad alios usus, ad quos minime destinabantur, v. g. ad res curiosas emendas, ad itinera non necessaria? In primo casu « maior quantitas, ait, necessaria videtur ad peccatum grave, quia minus proprietatis in ea usurpatione invenitur ».

4. « Si ex vestibus communibus, quae aliis nondum sunt applicatae, nec mihi sunt superfluae, aliquas ad meum usum accipiam, maior procul dubio quantitas necessaria videtur ad peccatum grave » (n. 175). Nota conditionem « quae mihi non sint superfluae »: nam qui superfluis utitur, contra statum

---

31. (a) Sensus est: cum res monasterii ad communem usum omnium destinentur, qui ea usurpat ad distribuendum aliquibus de communitate, eas minus retrahit ab usu ad quem erant destinatae, et ideo minorem actum proprietatis exercet, quam si eas destrueret aut daret extraneo. Accedit quod in hoc casu, propter eamdem rationem, scilicet quia res minus detrahuntur a communi usu, Praelatus est minus invitus, et proinde minus independenter agit religiosus. Hanc rationem etiam attingit Lugo, ibidem.

(b) In allatis exemplis saepius rationes ex damno maiore minoreve communitati allato affert. Rationes huiusmodi valent quidem ad determinandam gravitatem peccati contra iustitiam; sed non ad gravitatem peccati contra paupertatem, ut dictum est.

paupertatis agit : et vestes communes ad usus necessarios aut utiles, non ad superfluos destinantur.

5. « Si autem aliquis ex vestibus sibi ad usum applicatis aliquam mihi dat, ita ut non ideo plus debeat conventus expendere ut illi subveniat, non erit grave, licet ad valorem viginti argenteorum usus ille perveniat » (n. 175). Hic distinguere oportet peccatum contra iustitiam et peccatum contra paupertatem. Contra iustitiam nullum quidem erit peccatum, quia conventus nullum patitur damnum. Quoad paupertatem, religiosus dans vestem suam alteri religioso, eam ad usum adhibet, propter quem non fuit ipsi data : libere ergo disponit, et proinde peccat contra paupertatem. Nihilominus vestis illa non multum distrahitur ab usu suo, praesertim si supponitur unam esse ex vestibus communibus : fuerat confecta pro aliquo de communitate indeterminate : quod huic aut illi applicetur, parum in se refert. Ergo vitium proprietatis, quamvis revera adsit, non est tantum.

6. « Si religiosus aliquis dat alteri religioso eiusdem conventus librum valoris quinque aureorum, Rodriguez et Sanchez putant non esse mortale, quia cum liber ille maneat in eodem conventu, non videtur esse graviter invitus Praelatus : parum enim extrahitur ab usu communi per illam donationem » (addi debet usum tantum dari, non rem ipsam). « Et in universum, pergit Lugo, Suarez (tr. VII, l. 8, c. 15, n. 6) observat maiorem quantitatem requiri ad culpam gravem, quando aliquis dat aliis religiosis eiusdem conventus, cum res illae maneant adhuc intra eamdem communitatem, nisi forte fiat distributio ex bonis quae adhuc in communi reservata sunt pro tota communitate » (sc. maius est proprietatis vitium si accipitur ex bonis ad usum totius communitatis destinatis, quam si accipitur ex bonis quae singulis debent distribui). Ita Lugo, n. 176; cui consentit S. Lig., l. IV, n. 24, dicens : « Cum autem donatur res religioso eiusdem conventus, *certe* plus requiritur ».

7. « Si aliquis externus dat mihi vestem aut librum, quem quidem retineo ad usum, dominium autem applico ipsi communitati, maior valor requiritur ad culpam gravem, cum ibi nihil extrahatur ex communi nisi solus usus » (Lugo, n. 177).

8. Si sumitur ex esculentis et poculentis communitatis ad communem usum reservatis, minor est proprietas, quam si sumitur ex iisdem reservatis pro infirmis aut pro alio usu; quia minus retrahitur ab usu cui sunt destinata, et Superior est minus invitus. Si ab extraneis accipitur et statim consu-

mitur, etiam vitium proprietatis non est tantum, et Superior invitus est potius ad modum quam ad substantiam.

9. Communiter habetur minus esse proprietatis, si quis pecuniam ab externis accipiat, quam pauperibus proprio nomine distribuat, quam si retineret ad proprios usus; et ideo maiorem quantitatem requiri. Ita S. Lig., l. IV, n. 24: « Si vero accipiatur aliquid ab extraneis (ultro concedentibus) ad praestandum aliis, adhuc plus requiritur ».

10. Censet Suarez maiorem quantitatem requiri, si religiosus votorum simplicium de propriis bonis distribuat, quam si de alienis: ratio est, quia si de alienis dat, duplicem actum proprietatis exercet, accipit et distribuit; si de propriis, unicum (c). Sed forsan melius dicendum est: quando de alienis distribuit, praeter peccatum quod esse potest contra iustitiam, duplex committit peccatum contra paupertatem, unum accipiendo, alterum distribuendo: quando autem de suo distribuit, unicum peccatum committit. Sed peccatum, quod committit distribuendo, est eiusdem gravitatis, sive de suo sive de alieno distribuat. Ergo eadem materia in utroque casu requiritur, quoad peccatum distributionis, ad efficiendum peccatum grave.

11. Eadem solutio danda videtur huic quaesito: an requiritur maior quantitas, si quis sine licentia disponit de pecuniis ad usus utiles, quam si disponit ad usus varios et superfluos? Resp.: in secundo casu duplex potius invenitur malitia, una ex illicito pecuniae usu, altera ex emptione superfluorum ad usum. Malitia ex illicito pecuniae usu eadem est in utroque

---

(c) Ita rem proponit Suarez, tr. X, l. IV, c. 6, n. 4, loquendo de scholastico qui dat sine licentia ex propriis bonis: « Considerare oportebit, quia res quae expenditur non est Religionis, sed propria, et quia de ea disponitur non usurpando et retinendo, quod magis repugnat paupertati quam abdicatio; ideo maiorem quantitatem requiri, ut appropriatio talis usus (ut ita dicam) grave peccatum censeatur. In particulari vero prudens viri arbitrium necessarium erit ». Et hoc probabiliter dicitur: nam revera abdicare se propriis bonis minus est contrarium paupertati quam accipere aliena; imo non est contrarium paupertati nisi ex lege positiva. Sed admitti nequit quod dicit Vermeersch, n. 266, 3° : in distributione bonorum, « non tam res, quam ipsa distributio seu administratio usurpatur »; non videtur admittenda talis distinctio : quandonam etenim de re ipsa agetur, si de ea non agitur quando ipsum rei dominium transfertur? — Nec admitti potest assertio alia: ubi distributio propriorum bonorum fit in causas pias, vix graviter invitum esse Praelatum; unde sequeretur tunc vix grave peccatum committi (vide dicta n. 27, III, c.).

casu: dependet a quantitate pecuniae expensa: sed in secundo casu superadditur emptio superfluorum.

12. An religiosus possit peccare contra paupertatem pigritia sua?

Resp. 1°. Si religiosus pigritia sua causa est cur, deficiente suo labore, famuli adhiberi debeant, non peccat contra paupertatem: nam nullus actus proprietatis in hoc invenitur, nullaque superfluitas. Sed neque probabiliter erit peccatum contra iustitiam: quia religiosus, etiam conversus, suam operam Religioni debet quidem ex obedientia, fidelitate; non autem, ut videtur, ex iustitia.

Resp. 2°. Si religiosus pigritia sua causa est cur res ipsius curae commissae deteriorentur, peccat contra paupertatem: quia debet res illas ut bonus administrator servare; et ideo si sua culpa lata corrumpuntur, moraliter de his disponit quasi essent propriae (vide n. 24, 5°). Et ideo communiter religiosi culpam suam dicunt de rebus sua negligentia destructis aut corruptis. — Praeterea peccat contra iustitiam, quia muneri sibi commisso non satisfacit.

32. An levia peccata contra paupertatem possunt coalescere in unum grave, sicut furtula[(a)]? — Videtur distinguendum, ut fit pro furtulis, inter acceptionem et retentionem. Furtula, si a diversis accipiuntur, ratione acceptionis non coalescunt: nemini enim fit grave damnum; sed ratione retentionis, quando perventum est ad materiam gravem, sub gravi servari non possunt, quia nemini ex sua iniustitia ditescere licet. — Sic levia peccata contra paupertatem, ratione quidem acceptionis numquam coalescunt[(b)]; sed ratione retentionis, quando pervenitur ad summam gravem, peccatum

---

32. (a) Quaestionem tractat S. Lig., l. iv, n. 25, sed non distinguendo peccatum contra paupertatem a peccato contra iustitiam. Tractat etiam Lugo, d. iii, nn. 180, 181, 182; sed et ipse non distinguit.

(b) In hoc est differentia cum furtulis, quae ratione acceptionis etiam coalescere possunt, si fiunt accipiendo ab eadem persona intra breve tempus, propter damnum illi allatum.... Notetur insuper hic questionem de peccato contra paupertatem moveri, non de peccato contra iustitiam. Nam Religiosus per repetita furtula facta communitati, peccabit graviter contra iustitiam, quando ad eam summam pervenerit, quae ipsi grave damnum inferret, etiamsi furtula non servaverit, sed tunc non videtur peccasse graviter contra paupertatem, quia ratione proprietatis haec furta non coalescunt.

grave erit, quia retinere bona temporalia tamquam propria est contra paupertatem. Et ideo non videtur requiri quantitas maior, sive repetitis vicibus sive una vice fiat acceptio: statim ac pervenitur ad summam quae retineri nequit sine peccato gravi contra paupertatem, erit peccatum grave, quamvis singulae acceptiones fuerint veniales tum ratione paupertatis tum ratione iustitiae.

Unde plene responderi potest: levia peccata contra paupertatem nunquam coalescunt, sive ratione distributionis, sive ratione acceptionis (c), sed tantum ratione retentionis; et tunc peccatum fit grave, quando retinentur pecuniae aut res aliae in ea quantitate quae graviter voto paupertatis adversatur. Haec autem est quantitas quae graviter adversatur statui paupertatis, quae singulis Institutis est propria (iuxta dicta n. 30).

33. Votum paupertatis non versatur directe nisi circa actus externos. « Omnes fere conveniunt, ait Bucceroni (*Theol. mor.*, t. II, n. 301) circa votum paupertatis, quod actus dumtaxat externos proprietatis attingat, tamquam *proprium* obiectum. Quod non excludit, uti patet, quod quis peccare possit contra paupertatis votum etiam actu interno ». Scilicet, ex communi DD. sensu et omnium religiosorum praxi, non autem ex textu aliquo positivo Iuris, habetur votum paupertatis solos actus externos directe comprehendere. Textus quidem Iuris de solis actibus externis loquuntur, v. g., c. *Cum ad monasterium*, 6, *de Statu monach.*, III, 35; sed hoc non sufficeret ad excludendum actus internos ab ambitu materiae voti, nisi accederet praedictus communis sensus.

Votum paupertatis tamen indirecte versatur etiam circa actus internos desiderii et complacentiae, qui pro obiecto habeant ipsos actus exteriores voto prohibitos: et hoc est commune omni desiderio et complacentiae rei prohibitae. Non autem versatur circa alios actus internos, v. g. affectus ad divitias: et ratio est, quia voto paupertatis, ex modo quo in

---

(c) Ita Ball.-Palm., n. 141. Sed ipse non examinat retentionem rerum acceptarum; et deinde non distinguit peccatum contra paupertatem a peccato contra iustitiam, cum § 3 addit: Si vero detrimentum afferatur, poterunt coalescere.... Bene autem Vermeersch, n. 267: « Nisi ab initio consulto modica accipias cum animo progrediendi ad materiam gravem, vel ex pluribus servatis concrescat gravis valor, sacrilegia parva, etsi saepe repetita, non videntur coalescere, ita ut propter hanc causam gravia fiant ».

Ecclesia accipitur, religiosus tantum sibi interdicit proprietatem et usum independentem bonorum temporalium [a].

34. An autem existat **virtus paupertatis,** quae latius extendatur quam votum, sc. ad actus mere internos? - Id supponit GURY, t. II, n. 155, et BALLERINI (*Theol. mor.,* in h. l.) videtur admittere: nam refert sententiam Gury, quin ullam notam adiiciat. Contradicit VERMEERSCH, n. 253; sed indebite ut videtur. Negari enim nequit inordinatum affectum ad divitias esse peccatum. Ideo virtus sit aliqua oportet, quae affectum circa divitias moderetur; et haec est virtus paupertatis. Praeterea Christus eos qui volunt perfectos esse, ad paupertatem effectivam invitavit, omnes autem ad paupertatem spiritus. Christus autem nonnisi ad virtutem sectandam allicit. Haec autem virtus ad generalem temperantiae virtutem reducitur. S. THOMAS (2. 2.^{ae} q. 186, a. 3) ei tamquam obiectum proprium assignat, quod affectum hominis totaliter abstrahat a rebus mundanis. Non est propria religiosorum. Omnes enim possunt divitias indebite appetere, aut eas quas habent inordinate retinere vel amare: quod est vitium avaritiae. Sed e contrario possunt ab his vitiis abstinere e motivo virtutis oppositae, sicut aliquis a luxuria vel a matrimonio abstinet ex amore castitatis. Religiosus praeterea potest molestias, quae ei eveniunt e vita communi circa cibum, vestitum, supellectilem et alia, patienter tolerare ex amore status pauperis a Christo propositi, aut ex eodem motivo sese restringere in

---

33. (a) De peccatis internis contra paupertatem haec habet SUAREZ (tr. VII, l. VIII, c. 19, n. 1): « Si loquamur de peccatis pure internis, per inutilia desideria habendi divitias et dominium earum, vel per morosas delectationes in huiusmodi obiectis cogitatis, facile potest peccari *desiderando* directe proprium dominium.... Oportet autem advertere hoc desiderium posse in obiecto includere compositionem cum voto, ut si desiderium sit habendi divitias non obstante voto,.... et tunc clara est inordinatio gravis sacrilega et voto contraria. Si autem tale desiderium non includat dictam compositionem, sed potius votum excludat, tunc per se loquendo non est actus contra votum; licet ex alio capite sit peccaminosus, saltem quia inutilis.... Unde si aliquis simplex affectus (cum conditione quae votum excludat) in praesenti habetur, talis est quoad bonitatem vel malitiam, qualis esset sine voto, quia per conditionem appositam illud excludit, et materia talis est quae possit separari a voto ».

usu rerum etiam licitarum, quemadmodum legitur in vita tot Sanctorum. Hi actus erunt actus virtutis paupertatis[a].

35. Peculiaris obligatio Superioris religiosi quoad paupertatem (vide Lugo, *disp.* III, n. 183 et seq.). — Obligatio specialis Superioris quoad paupertatem ad duo spectat: ad licentias dandas circa eam, et ad expensas ex bonis communibus faciendas.

I. Peccat contra paupertatem Superior qui dat subditis licentias ad superflua, scilicet ad ea quae statum paupertatis proprii Instituti dedecent (iuxta dicta n. 19), a fortiori ad res alias illicitas (Lugo, n. 183).

II. Bona communia nonnisi in res communitati utiles vel ipsi convenientes impendere debet: nam non est dominus bonorum communitatis, sed administrator: ergo sicut prudens administrator ea expendere tenetur. « Communitas autem religiosa, ait Lugo, n. 185, est quasi persona faciens professionem paupertatis, quae non potest ita splendide ac liberaliter expendere ac communitas saecularis. Qui autem sumptus prudenter censeantur fieri, aestimandum est ex circumstantiis, ex mensura redituum, necessitatis, obligationis, onerum, utilitatis. Regula generalis esse posset, ut illud dicatur prudenter expendi quod universa communitas, penes quam est non sola administratio sed dominium bonorum, si in unum conveniret, prudenter vellet expendere et facere hic et nunc. Praelatus enim substituitur loco totius communitatis ».

Inde deducit aliquas consequentias.

1. Non sufficit titulus pietatis, ut Superior prudenter expendat. « Potest enim res esse pia in quam expenditur, et tamen non esse iuxta paupertatem religiosam (ad quam ipsa communitas tenetur); ut si Superior vellet expensis suis procurare canonizationem alicuius Sancti et ad hoc expendere 50 millia aureorum, vel extruere ecclesiam magnificam, vel

---

34. (a) « Virtus paupertatis, ait Ferrari, p. 158, latius patet quam votum. Hoc enim solos religiosos obligat; illa, in quantum excludit affectum inordinatum ad bona temporalia, obligat quoque saeculares.... Perfectio autem istius virtutis in eo consistit ut stricte necessariis contenti vitam revera pauperem, ad exemplum Christi et Sanctorum religiosorum, sincero animo amplectamur, atque adeo privationes redundantiae, viliora in victu, vestitu, supellectili, habitatione, melioribus praeferamus, et sic paupertati affectivae effectivam adiungamus ».

quid simile, quae non videntur habere proportionem cum paupere » (n. 184).

2. « Potest tamen et debet facere eleemosynas ex bonis communitatis, plures vel pauciores pro maiori vel minori necessitatum occurrentia; et hoc non solum ex superfluis, sed ex necessariis (si necessitas aliorum id exigat). Attenta perfectione status religiosi, adest obligatio dandi exemplum in erogandis eleemosynis (n. 186).

3. Potest etiam donationes aliquas moderatas ex aliis honestis titulis et causis facere, iuxta tamen Constitutiones pontificias de largitione munerum (vide c. XI), v. g. ex gratitudine, ad conciliandos communitati saeculares, non autem ad liberalitatis ostensionem (n. 186).

4. Potest, causa vitandi lites, transactiones facere, cedere de iure communitatis, quando ad pacem, ad conservandum bonum Religionis aut Conventus nomen, necessarium erit. Et in hoc puncto magis inclinandum videtur ad liberalitatem, quam ad rigorem, salvis tamen legibus Ecclesiae de alienationibus (n. 187).

5. « In iis quae spectant ad victum et vestitum subditorum, retenta semper decentia et obligatione paupertatis religiosae, magis etiam debet inclinare ad liberalitatem, quam ad parsimoniam; cum verissimum sit illud Bernardi pronuntiatum: ubi non est abundantia, non est observantia » (n. 188).

III. Quod ad propriam personam aut suorum cognatorum spectat, non potest plus Superior quam subditus. « Non indiget quidem alterius licentia ad donandum, accipiendum, expendendum » (n. 183); sed non potest ipse plus agere, quam subditis permittere posset.

CAPUT IX.

DE PAUPERTATE IN SOCIETATE IESU

1. Praenotandum. — 2. De paupertate ex votis biennii. Scholastici aliique post vota biennii dominium bonorum suorum retinent. — An Nostri post vota biennii nova bona acquirere possunt? cui acquirunt? — 3. Abdicatio bonorum: tempus quo fieri debet. — 4. De usu, administratione et distributione propriorum bonorum. — 5. Dispositio de fructibus annuis bonorum. — 6. Abdicatio bonorum: eius qualitates. Pactiones cum parentibus. — 7. De vi renuntiationis universalis. — De simplici renuntiatione. An Nostri post renuntiationem nova bona sibi acquirere

possunt ? — 8. De renuntiatione in favorem alterius. — 9. Paupertas professorum, coadiutorum formatorum, scholasticorum aliorumque post vota biennii. — 10. Decreta Congregationum circa paupertatem. Pensiones annuae Nostrorum. — 11. Vita communis. — 12. Peculium et depositum, mutuum, legata confidentialia. — 13. De his quae speciem negotiationis habent. Pacta cum bibliopolis. — 14. Stipendium et eleemosyna in compensationem pro ministeriis spiritualibus. 1° Quid Constitutiones statuant. — 15. 2° Quid Congregationes generales aliaque documenta. — 16. Conclusio quaestionis. — 17. De stipendiis Missarum. — 18. Materia gravis contra votum paupertatis. — 19. De paupertate in communi. Paupertas Societatis professae et domorum professarum ex Constitutionibus. — 20. Variae annotationes et decreta circa ipsam. — 21. Paupertas collegiorum et domorum probationis. — 22. De obligationibus seu conditionibus quae admitti non debent in fundatione collegiorum. — 23. Pensio convictorum et retributio scholarium. — 24. De lectionibus extra nostra collegia factis: an aliqua retributio pro eis admitti possit? — 25. De collegiorum inchoatorum paupertate. — 26. Paupertas residentiarum, provinciarum, missionum. — 27. Notanda de bonis Societatis. — 28. De variis arcis, seminarii, fundationum, causarum piarum, elemosynarum. — 29. De subiecto in quo residet dominium bonorum Societatis. — 30. Votum professorum de non relaxanda paupertate.

1. **Praenotandum.** — Cum paupertas diversos gradus habere possit, quosnam effectus votum paupertatis in singulis Institutis habeat, ex peculiaribus eorum constitutionibus et statutis ab Ecclesia approbatis desumi debet. Societas Iesu autem facultatem habet leges et statuta condendi in Congregationibus generalibus, quae, eo ipso quod conditae sint, a S. Sede approbatae censeantur, ut dicitur in Const. Pauli III, *Iniunctum* (1544); quod privilegium deinde saepius confirmatum est, v. g., a Gregor. XIII (Cf. Comp. Privil., n. 360). Ideo paupertatis forma et limites in Societate desumenda sunt 1. ex SS. Pontificum Constitutionibus: 2. ex S. Patris Ignatii Examine generali et Constitutionibus: 3. ex Congregationum generalium decretis.

2. De paupertate Scholasticorum, aliorumque qui sola vota post biennium emiserunt.

1. Qui sola vota biennii emiserunt, bonorum suorum dominium retinent usque ad renuntiationem. Ita Exam., c. IV, n. 2. — Const. P. III, c. 1, n. 7 et *litt.* F. — P. IV, c. 4, *litt.* E. — P. VI, c. 2, n. 11 et *litt.* H. — Gregor. XIII, in duplici Const. *Quanto fructuosius* (1583) et *Ascendente Domino* (1584) [a].

2. (a) Exam. *c.* IV, *n.* 2. « Quod si statim (ante ingressum) bona sua non relinquet, promittat se prompte relicturum omnia.... post unum ab in-

2. **An scholastici aliique post vota biennii nova bona sibi acquirere possint?** — Dicitur *sibi:* nam quod possint, sicut professi, domui in qua versantur aut Religioni acquirere, certum est.

Gravis quaestio, « de qua, ait Lugo, *de Iure et Iust.*, d. III, n. 82, nihil invenio expressum in nostris Constitutionibus, nec apud nostros Doctores. Solum enim dicitur in communi, eos retinere posse dominium bonorum suorum per aliquod tempus, donec scilicet ex licentia vel praecepto Superiorum illud renuntient ».

Ad huius quaestionis solutionem illud praemittendum est. Multi sic argumentantur: scholastici aliique per vota post biennium non fiunt incapaces dominii: ergo nova bona sibi

---

gressu absolutum annum, quandocumque per Superiorem iniunctum ei fuerit in reliquo tempore probationis; quo completo, ante professionem professi, et ante tria vota publica coadiutores, re ipsa relinquere, ac pauperibus, ut dictum est, dispensare debent ». — Ergo bona sua usque ad professionem aut vota coadiutorum Nostri servare possunt.

P. III, *c.* 1, *n.* 7. « Quamvis necesse non sit, probationis tempore, possessione bonorum suorum se abdicare, nisi id Superior, post elapsum primum annum, iuberet.... ». — Probatio, hic ut supra in Examine et infra in P. IV, c. 4, E, et P. VI, intelligitur totum tempus usque ad professionem aut vota coadiutorum.

P. IV, *c.* 4, *E.* « Haec consuetudo (admittendi ad vota simplicia post biennium) facit ut, quamvis paupertatis votum sit emissum, bona tamen temporalia haberi possint ad certum usque tempus, quod Superiori intra probationis spatium videbitur ».

P. VI, *c.* 2, *n.* 11, dicitur: « Ut nihil proprium domi teneri, ita nec foris apud alios potest ». Quod sic declaratur *litt.* H: « Intelligendum est hoc absolute de professis et coadiutoribus formatis. Caeterum in scholasticis et aliis qui tempus probationis nondum expleverunt, hoc intelligi debet de rebus iis quae in praesentia subsint eorum dispositioni: nihil enim horum habere debent, nisi conscio et approbante Superiore. Neque vero sermo est de bonis, quae forte procul inde illi habent, de domibus scilicet vel rebus aliis; sed quod ad hoc attinet parati etiam esse debebunt, ut illis se abdicent, quandocumque Superiori videretur, ut in Examine dictum est ».

Gregor. XIII, C. *Quanto fructuosius* (1583): « Quod vero ad paupertatem attinet, quamvis bonorum suorum ius atque dominium, iustas ob causas, ad tempus retinere valeant.... ».

Idem, C. *Ascendente* (1584): « Et licet qui ad gradus professorum et coadiutorum formatorum nondum pervenerunt, bonorum suorum ius atque dominium ad tempus Generalis Praepositi iudicio praescribendum retinere valeant.... ».

acquirere possunt [b]. Consequentia non videtur bona, aut si magis placet, antecedens distinguendum est. Scholastici et alii per vota biennii non fiunt incapaces dominii, distinguo : non fiunt incapaces sua bona retinendi, concedo; non fiunt incapaces nova acquirendi, praecise haec est quaestio. Nam vota religiosa hanc habent vim quam Ecclesia ipsis confert aut agnoscit. Ergo ex eo quod Ecclesia concessit ut scholastici aliique, non obstante voto paupertatis post biennium facto, bonorum suorum dominium retinere valeant, non inde sequitur eos esse capaces alia nova acquirendi, sed hoc vel ex S. Sedis documentis vel ex ipsius Societatis Constitutionibus et decretis determinandum est.

Porro, Constitutiones Societatis et documenta S. Sedis statuunt quidem ut scholastici aliique post vota biennii bona sua servare valeant, an autem nova acquirere possint, non dicunt, ut notat Lugo, et ex locis supra citatis constat.

Attamen Lugo, l. c., nn. 84 et 85, ex variis Constitutionum locis et ex praxi Societatis *deducebat* scholasticos aliqua nova bona sibi acquirere posse, non quaecumque : sibi acquirere quidquid ad patrimonium spectat; reliqua non sibi, sed Societati aut domui in qua versantur, sicut professi et coadiutores formati, acquirere [c].

Et haec fuit perpetua Societatis praxis, recens per Congr. xxiii, *d.* 32, sancita. Decretum est huiusmodi : « Postulatum fuit ut Congregatio decreto confirmet et ad universam

---

(b) Ipse Lugo, qui, d. iii, nn. 84 et 85, probat scholasticos non quaecumque bona sibi acquirere, deinde n. 86 admittit ex licentia Superiorum omnia licite sibi acquirere posse, et sine licentia omnia valide ; et rationem dat, « quia votum (simplex) paupertatis solum obligat ad non exercendum actum dominii propria auctoritate ». Sed, etiamsi haec sententia, pro tempore quo scribebat, excusari possit (quia nondum quaestiones de natura et effectibus votorum simplicium, uti post approbata tot Instituta votorum simplicium factum est, erant elucidatae), attamenetiam eius tempore votum simplex coadiutorum formatorum eos incapaces cuiuscumque dominii efficiebat. Inde patet vim et effectus voti simplicis paupertatis ex positiva Ecclesiae lege esse desumenda ; et proinde, si ita sit ab ea statutum, votum simplex paupertatis post biennium non tantum illicitam reddet scholasticis acquisitionem aliquorum bonorum, sed invalidam, eosque incapaces efficiet aliqua aut quaecumque bona sibi acquirendi.

(c) Haec solutio conformis est regulae datae in Normis *a.* 1901, *art.* 124 et 126 (c. viii, n. 6, 5°) ; idem etiam in documentis 3 et 4, ibidem relatis, statuitur.

Societatem dilatet responsum, quod Pater noster, a. 1856, ad provincias Hispaniae dedit: — Bonorum omnium dominium, quae post vota biennii (scholastici vel coadiutores approbati) acquisierunt vel deinceps acquirent, penes Religionem remanere, nisi patrimonium suum constituant, vel ad illud, ob peculiarem aliquam rationem bonorum, aut ex donantium voluntate, spectare videantur. — Respondit Pater noster se illud postulatum admittere et approbare, utpote legibus, spiritui et praxi Instituti nostri prorsus conforme.... Congregatio unanimis illud approbavit ». Hoc decretum est authentica declaratio, qua vis et ambitus voti paupertatis scholasticorum determinatur.

Res igitur est nunc certa. Scholastici aliique post vota biennii non possunt sibi acquirere nisi ea quae ad patrimonium suum spectant. Caetera non sibi, sed Religioni aut domui, sicut professi, acquirunt. — Ergo donationes parvae, et etiam plerumque maiores inter vivos, insuper ea quae suo labore aut industria acquirunt, item bona derelicta quae invenerint, haec non sibi, sed Religioni aut domui acquirunt (Lugo, nn. 90, 91): haec enim omnia ad patrimonium non spectant.

3. Remanet determinandum quaenam ad patrimonium pertineant. Congr. xxiii, *d.* 32, sic ea enumerat: *a)* quae patrimonium constituunt; *b)* quae ob peculiarem bonorum rationem, aut *c)* quae ex donantium voluntate, ad patrimonium spectare videntur.

Magis explicite Lugo scripserat, n. 90: « Haec in primis sunt quae habebant priusquam in corpus Societatis per vota admitterentur. Deinde ea quae a parentibus non solum ex necessaria successione, sed etiam ex libera dispositione habere possunt: item, quae a consanguinibus vel affinibus, non solum ab intestato, sed etiam ex testamento vel donatione mortis causa aut etiam inter vivos habuerint.... Idem dicendum puto de legatis vel donationibus quae ab amicis, etiam non cognatis haberi possunt: in quibus tamen considerandum est, an fiant titulo mere saeculari, an vero titulo religiosi status contracti, nam in hoc secundo casu non credo acquiri eis de facto dominium ad illud retinendum ». Et n. 91: « Item, fructus fundi vel census, cuius dominium habent: hi fructus enim eo ipso fiunt domini rei » (d).

(d) De his fructibus decrevit Congr. vii, d. 17, § 3 ut distribui debeant in causas pias, *ab ipso scholastico* eligendas. Ergo agnoscit scholasticum eos sibi acquirere.

4. **An scholastici licentia indigeant ad ea acquirenda quae ad patrimonium spectant?** Notant SUAREZ (tr. X, l. IV, c. 4, n. 6) et LUGO (disp. III, n. 91) ex bonis quae scholastico evenire possunt, aliqua sub eorum dominium transire sine eorum actu, v. g., fructus bonorum suorum, legata rei determinatae: alia autem requirere acceptationem, et consequenter ad ea licite acquirenda necessariam esse licentiam Superiorum: acceptatio enim, qua dominium rei acquiritur, actus est proprietatis, qui independenter exerceri nequit. Si ergo actus talis independenter fit, est illicitus, sc. peccatum est contra paupertatem, licet sit validus, a Superiore tamen rescindibilis propter generalem dependentiam voluntatis religiosi a suo Superiore (SUAREZ, l. c.). Quamvis de hac licentia in contrarium dici possit, maxime post decretum Congregationis XXIII, generalem sufficienter dari ipso iure Societatis, particularem stricte non requiri. — Ad acquirenda bona primi generis, quae acceptatione non indigent, nulla licentia requiritur.

5. *Consequentiam* supradictae doctrinae indicare iuvat. Si religiosus Societatis omnibus quae eis evenire possint renuntiavit in favorem tertii (sive extranei, sive alicuius domus Societatis, sive cuiuscumque causae piae), haec dispositio non valet nisi de bonis quae aliquando *ipsi* evenient, ergo tantum de bonis quae ad eius patrimonium aliquo modo, ut dictum est, spectabunt et ei ante ultima vota contingent. Nam alia non sibi acquirit, sed domui suae aut Societati, et ideo de iis disponere nequit.

3. Abdicatio bonorum: tempus quo fieri debet. — Scholastici, aliique omnes qui Societatem ingrediuntur, ex Constitutionibus parati esse debent sua bona abdicare, quandocumque Superiores, post absolutum primum probationis annum, iniunxerint [a]. Ad hoc promissione se obligant (EXAM., c. IV, n. 2). Haec autem promissio nec est votum nec simplex propositum, ut declaravit CONGR. III, d. 19. Inducit ergo obligationem fidelitatis; ad quam adimplendam praecepto stricto in virtute obedientiae cogi possent. Circa hanc abdicationem aliqua veniunt observanda.

1. Quamvis C. TRIDENT. (*sess.* XXV, c. 16) prohibeat ne renuntiatio fiat nisi intra bimestre ante professionem, et antea factam declaret irritam, nihilominus Societas in ipso decreto

3. (a) Vide textus Constitut. n. 1, *nota* a.

Tridentino expresse a lege generali excipitur. Item eximitur a decreto Pii IX, 1 *aug.* 1862 (quo, stabilita professione simplici, renuntiationem nonnisi intra duos menses ante solemnem professionem esse faciendam statuit). Ita declaravit S. Congr. super statu Regul. (Cf. c. IV, n. 33). Ergo in Societate renuntiatio adhuc fieri potest post primum novitiatus annum, quandocumque Superiores iniunxerint.

2. S. Ignatius nullum tempus, quo bona servari possint, magis determinavit, nisi quod ante professionem aut vota coadiutoris formati renuntiatio fieri debeat, et quod post primum novitiatus annum eam Superiores iniungere possint.

3. Congregatio VII, d. 17, statuit tempus illud, quo possessio bonorum permittitur, ordinarie fore quadriennium, ut P. Claudius constituerat; nec esse ultra prorogandum, nisi gravi ex causa et ex solius Pr. Generalis iudicio (l. c., § 5).

4. Sed postea mos invaluit ut bonorum dominium retineatur usque ad ultima vota et tunc tantum renuntiatio fiat. Huius novi usus ratio est difficultas dimittendi ante ultima vota eos qui iam bonis se abdicaverint. Crevit difficultas ex quo S. Sedes a dimissis, qui in ordinibus sacris sint, exigit ut de patrimonio sibi provideant, secus suspensi remaneant; praesertim quum valde dubium evaserit, post duo decreta Urbani VIII, a. 1624 et 1626 data, an bona Societati a scholastico data possint ei restitui in dimissione. Lugo (*Resp. mor.*, lib. IV, dub. 45) censet non posse; cui sententiae novum robur adiecit renovatio Constit. *Ambitiosae*, de non alienandis bonis ecclesiasticis, a Pio IX in C. *Apostolicae Sedis* facta (Cf. Comp. Priv. n. 22).

4. De usu, administratione et distributione propriorum bonorum. — Usus bonorum suorum ac eorumdem administratio necnon libera distributio nostris scholasticis omnino interdicitur.

1. In Constit., P. III, c. 1, n. 7, *de usu* habetur brevis sed clara interdictio: « Doceantur omnes quod nulla re tamquam propria uti debeant »: nulla re, ergo etiam bonis suis. Res paulo magis explicatur P. VI, c. 2, n. 11, et *litt.* H. De illo qui Societatem ingressus est, dicitur n. 11: « Ut nihil proprium domi teneri, ita nec foris apud alios potest ». Declaratur *litt.* H hoc modo: « Intelligendum est hoc absolute de professis et coadiutoribus formatis. Caeterum in scholasticis et aliis qui tempus probationis nondum expleverunt [a], hoc intelligi debet

4. (a) De integro tempore, quod ultima vota praecedit, agitur.

de rebus iis quae in praesentia subsint eorum dispositioni: nihil enim horum habere debent, nisi conscio et approbante Superiore. Neque vero sermo est de bonis quae forte procul inde illi habent, de domibus scilicet et rebus aliis ».

Simili sensu in Exam., c. IV, n. 4: « Admoneantur quod post ingressum in domum, nemo pecuniam apud se nec apud amicum aliquem externum in eodem loco habitantem habere potest; quin potius eam in pia opera dispenset vel asservandam ei tradat, cui cura huiusmodi domi commissa est ».

His locis clare prohibetur omnis usus rei cuiuscumque tamquam propriae, et propterea prohibetur etiam ne scholastici et alii rem quamcumque, sive apud se sive apud alium, sub propria dispositione habeant.

De administratione et distributione bonorum nihil explicite in Constitutionibus habetur, sed tantum implicite, quatenus administratio et distributio bonorum sunt eorum aliquis usus.

2. Postea Congr. V, d. 50, § 4, declaravit peccare contra votum paupertatis illum qui quacumque ratione utitur rebus suis tamquam propriis aut ea sine facultate distribuit[b]; — et cum rursus eadem Congr. interrogaretur, « an distribuere sua bona et abdicare se suis bonis sine Superioris facultate, sit contra votum paupertatis Societatis vel contra Constitutiones tantum? » [c] definivit, d. 59, « eum qui, post emissa tria vota substantialia nostrae Religionis, sua bona distribueret sine Superioris facultate, votum paupertatis violare » [d]. Haec

---

(b) « Verba illa P. III, c. 1, n. 7, « doceantur omnes quod nulla re tamquam propria uti debent » sic accipienda sunt ut qui rebus suis utitur, quacumque ratione illis utatur tamquam propriis, vel ea distribuat sine facultate Superioris, faciat contra votum paupertatis ».

(c) Ex dictis c. VIII, n. 6, *nota f*, apparet rem non definiri ex natura ipsius voti paupertatis, sed pendere ex lege Ecclesiae aut ex uniuscuiusque Instituti constitutionibus. Suarez, t. X, l. IV, c. 6, n. 3, incertum habet an haec Congregationis declaratio sit mere comprehensiva (sc. legem existentem declaret) an extensiva.

(d) In decreto, de sola *distributione* dicitur eam esse contra votum; unde aliquis quaerere posset an *nuda renuntiatio* sine ulla dispositione esset etiam contra votum. Dubio in hac quaestione ansam praeberet tota ratio huius decreti. Congregatio enim interrogabatur an *distribuere* bona sua *et abdicare* se suis bonis esset contra votum aut contra Constitutiones, et respondet de sola distributione hanc esse contra votum. Attamen dubium esse non debet meram abdicationem esse etiam ex mente Societatis contra votum. Qui se propria voluntate abdicat, actum pro-

omnino conformia sunt recentioribus Ecclesiae legibus in hac materia.

Inde sequitur quod, si Superior aliquem modum distributionis denegat, quia v. g., inferior imperfecte, contra dicta Exam. Gen., c. IV, nn. 2 et 3, vult distribuere, non posset inferior distribuere hoc modo prohibito, quin votum paupertatis violaret. Sed aliter esset iudicandum, si Superior, improbando (actu solius iudicii) modum distributionis, eum tamen permitteret quamvis imperfectum: tunc enim inferior non distribueret sine licentia (Ita SUAREZ, tr. X, l. IV, c. 6, n. 5).

De caetero numquam Superior poterit obligare inferiorem ad distribuendum hoc aut illo modo. Institutum enim nullibi hoc ius illi confert, sed contra aperte dicit inferioris esse bona sua distribuere prout ei placuerit « iuxta propriam devotionem » (ut ter repetitur, in EXAM. GEN., c. IV, nn. 1 et 5, et in CONST., P. III, c. 1, n. 7); imo nec ulli Superiori hoc ius conferri posse videtur: nam bona distribuenda propria sunt inferioris, et Religio, imo ipsa Ecclesia dominium nullum in ea habet.

3. Si autem scholasticus illicite de bonis suis disponeret, valida esset dispositio, secundum sententiam multo probabiliorem, ut dictum est c. VIII, n. 7. Nam in Societate nulla invenitur Constitutio aut decretum, quo talis actus irritus habeatur: ita LUGO (d. III, n. 79) et SUAREZ (tr. X, l. IV, c. 6, n. 12). Haec dispositio esset tamen infirma et irritabilis, ait Suarez (ibid.).

4. Non tantum usus, sed *administratio* bonorum suorum est Nostris interdicta.

CONGR. VII, d. 17, § 1: « Omni omnino Nostros bonorum suorum administratione, ut primum novitiatum ingressi fuerint, exuere se debere ». Confirmatum fuit a CONGR. X, *decr.* 2, quae Patri nostro commendavit executionem decreti 17 Congr. VII, « maxime vero illud: ne cuiquam permittatur suorum bonorum administratio vel liber usus, etiam eo tempore quo dominium retinet ».

---

prietarii facit, nam re tamquam sua, eam abdicando, utitur: quod solus proprietarius facere potest. Ergo aliqua generalis licentia in Instituto assignari oporteret, qua simplex abdicatio permitteretur. Porro nullibi in Instituto distinguitur simplex abdicatio a distributione. Ergo non minus prohibetur nuda abdicatio sine licentia, ac ipsa distributio.

Congr. xvii, d. 11, exactam eiusdem decreti observationem commendat, quamvis agnoscat Patrem Generalem posse permittere alicui administrationem bonorum suorum: sed vult ut raro fiat, ex gravi urgente necessitate, ad statum tempus et cum obligatione reddendi rationem administrationis immediato Superiori (Vide n. 5, *notam* a.).

5. Annui redditus. — 1. De annuis redditibus idem dicendum est ac de bonis ipsis: de his scholastici disponere nequeunt sine licentia Superioris: sed Provincialis potest permittere ut de iis disponant in causas pias. Ita Congr. vii. citato decr. 17, § 3 [a].

2. Si ipsis permittitur bona sua ultra quadriennium retinere, tunc annuos redditus, qui post novitiatum evenerint, in causas pias distribuere tenentur, nec eos possunt servare ut suis bonis addant. Ita cit. decr., § 6 [b].

---

5. (a) « Quadriennii tempore, quo bonorum suorum dominium retinent, licet nihil ex annuis proventibus sola voluntate sua in proprios aut Nostrorum usus convertere, aut certo alicui collegio, multoque minus loco in quo resident, donare possint; poterunt tamen ex illis, assensu Provincialis accedente, ea iis locis ac piis causis per modum eleemosynae applicare, quae maxime tali subsidio egere Provincialis in Domino iudicaverit ». Aliter disponitur in decreto *Sanctissimus* (1858) aliisque recentioribus documentis (cf. c. viii, nn. 6, et 25). In dicto decr. art. 9, professis votorum simplicium « omnino interdicta est bonorum suorum *administratio* et *reddituum erogatio* atque usus. Debent propterea *ante professionem* votorum simplicium cedere, pro tempore quo in eadem votorum simplicium professione permanserint, *administrationem, usumfructum* et usum quibus eis placuerit ». — Sed hoc decretum Societatem non obligat, neque alia documenta; nec est ullum generale Ecclesiae decretum obligans Societatem ne umquam scholastico concedatur administratio bonorum suorum et reddituum erogatio, sub Superiorum dependentia. Ergo videtur adhuc servari posse ea quae decretis Congregationum generalium permittuntur. Haec est tamen nunc mens Ecclesiae, ut fructuum erogatio ante prima vota determinetur, ita ut post vota iam religioso non sit curandum de eorum annua distributione, etiamsi si cum dependentia a Superioribus fiat. (Vide, c. viii, n. 6, responsum S. Congr. EE. et RR., 29 *nov.* 1902).

(b) « Quando vero, iudicio Patris nostri, ob graves causas ultra quadriennium prorogata possessio fuerit, nullo modo ex annuis post novitiatum proventibus voluit (Congregatio) quidquam possessionibus illorum posse accrescere; sed in causas pias, e Provincialis iudicio, fructus tales, cum in potestate Nostrorum fuerint, impendendos censuit ». Haec praescri-

Ex his verbis habetur quod, si Nostri sua bona non ultra quadriennium servant, redditus quatuor primorum annorum servare possunt, et de iis simul ac de bonis suis capitalibus, expleto quadriennio, cum Generalis assensu disponere; si autem sua bona ultra quadriennium servant, iam redditus quotannis a finito novitiatu, cum Provincialis assensu, distribuere debent; eos nec servare nec in proprios usus. etiam cum licentia, impendere possunt.

3. Orto autem dubio, quaenam esset obligatio distribuendi hos redditus *in causas pias,* prout in hoc decreto exprimitur, Congr. xi, d. 15, respondit: « Relicta in suo vigore paupertatis obligatione intuitu subditi bona possidentis, nullum Provinciali per laudatum decretum, in materia votove paupertatis gravamen imponi, neque valorem actuum elidi quibus ipse de fructibus illis aliter disponat aut disponere permittat ».

Verba « relicta in suo vigore.... » sic videntur intelligi debere, ut peccaret contra votum paupertatis scholasticus qui annuos proventus post quadriennium servaret et non distribueret; non autem peccaret contra votum si cum licentia aliter distribueret ac in causas pias, v. g. si consanguineis non egentibus relinqueret: sic disponendo, ageret quidem contra consilium Christi et Constitutiones, quibus iubetur ea pauperibus dare, non contra paupertatem, nam nec servaret nec independenter distribueret. Si autem sine licentia distribueret, peccaret contra votum paupertatis, ex Congr. v, *decr.* 59.

4. Quaeri potest, an de iis fructibus Provinciali disponere li-

---

ptio omnino concordat cum praedicto responso S. Congr. EE. et RR. *(nota praec.).* — In decreto *Congr.* vii, conditio « e Provincialis iudicio » difficultatem parit; nam Provincialis, ut dictum fuit, nequit determinare ut scholasticus in has aut illas causas pias sua bona eroget; aliunde scholasticus post quadriennium fructus bonorum suorum distribuere tenetur. Non apparet igitur cur Provincialis iudicium requiratur. Non requiritur ad actum distributionis: nam ab Instituto praecipitur; non ad modum: Provincialis enim non potest determinare in quas causas pias fieri debeat. Responderi potest requiri, tum ut per specialem Provincialis licentiam actus distributionis sit magis remotus ab omni independentia, tum ut Provincialis sciat fructus fuisse iuxta leges Societatis distributos. Sic videmus dispensationem aut licentiam peti debere, etiam ubi est de iure, v. g., peti debet licentia transeundi ad strictiorem Religionem; a clerico licentia ingrediendi Religionem; a Regulari benedictionem Episcopi ut in propria ecclesia praedicet.

ceat, inscio aut invito scholastico? — Respondendum negative. Nam haec bona non sunt bona communitatis sed religiosi, qui dominium in ea servat, quamvis cum obligatione distribuendi. Ergo ultima verba citati decreti « quibus ipse (Provincialis) disponat aut disponere permittat », sic debent intelligi: quibus disponat, si scholasticus ea liberae Provincialis dispositioni relinquat; aut disponere permittat, si scholasticus velit ipse in causas pias ea impendere: quo casu, non posset Provincialis suam voluntatem imponere et alias causas pias eligere quae ipsi praeplacerent, nam non est dominus horum bonorum. Ita de dispositione bonorum expresse statuitur P. III, c. 1, n. 7: et non est ratio cur aliter de redditibus annuis sentiatur. — De pensionibus dicetur infra, n. 11.

6. Abdicatio bonorum: eius qualitates.

1. Debet esse *universalis*, sc. comprehendere *a)* omnia quae renuntians actu possidet; *b)* omnia iura quae habet ad ea quae sperat; *c)* etiam bona ad quae ius non habet, sed quae ei evenire possunt: haec tria clare exprimuntur in EXAM., c. IV, nn. 1 et 2, et in CONST., P. III, c. 1, *litt.* F [a]; *d)* etiam beneficia ecclesiastica: ita P. III, c. 1, *litt.* F, ubi dicitur quod abdicare debent bona « sive saecularia illa, sive ecclesiastica sint », et EXAM., c. IV, n. 5 [b]; *e)* etiam pensiones: ita CONGR. VII, *decr.* 17 (infra, n. 10).

6. (a) EXAM., c. IV, n. 1: « Debent omnia bona temporalia quae habuerint distribuere, — et renuntiare ac disponere de iis quae ipsis obvenire possent ». — Prima pericope respicit bona quae habent: ea actu iam distribuere debent; secunda, bona quaecumque eis evenire possent, etiamsi ius nullum ad ea habeant nec etiam praevideant an aliqua sint umquam habituri: ea actu distribuere non possunt, sed disponere debent cuinam dari debebunt, siquando eis deferrentur. — Iura, quae actu habent, potius ad primum membrum spectant, iuxta explicationem datam in CONST., P. III, c. 1, F. « Possessione bonorum suorum se abdicare, tam de propriis bonis intelligendum est quae habet penes se vel alios, quam de iure vel actione quae ei competit ad bona quae sperat, sive saecularia illa sive ecclesiastica sint ».

(b) EXAM., c. IV, n. 5: « Admoneantur (illi qui Societatem ingredi petunt), si ecclesiastici sint, quod postquam in Societatis corpus ut professi aut coadiutores cooptati fuerint, nulla beneficia ecclesiastica possunt retinere; et quod tempore probationis, post primum annum absolutum,... quandocumque Superiori visum fuerit, ea relinquere debent ». — CONGR. I, d. 140, permiserat ut beneficia, secundum Constitutiones, servari possent usque ad professionem. Postea quidem CONGR. V, d. 19, statuit ut, « finito

2. Abdicatio debet esse *absoluta*. Ita ORDIN. GEN., c. I, n. 10, 4°: « Abdicatio debet esse absoluta, absque ulla prorsus conditione, qua posita possit quis ullo umquam tempore abdicata recuperare ». Inde abdicatio fieri iubetur « absoluta inter vivos donatione » (CONGR. VII, d. 17, n. 4): et sic excluditur in Societate id quod permittitur in aliis Religionibus, ut renuntiatio fiat per testamentum (Vide c. VIII, n. 26). Duplex huius specialis statuti ratio assignari potest. Prima, ut facta renuntiatione per donationem inter vivos, statim amittatur a religioso omne dominium: quod non evenit, ubi renuntiatio fit per testamentum: tunc enim religiosus dominium servat usque ad professionem (aut vota coadiutoris formati) (c); et hoc esset contra manifestam voluntatem Societatis, ut dictum est n. 3, et haberet speciale inconveniens in Societate, in qua professio tamdiu differtur: vult enim S. Pater ut, quandocumque Superiores bona abdicare alicui iniunxerint, is ab omni bonorum suorum dominio sese exuat. Altera ratio est, quod propter iura civilia moderna minus firma est renuntiatio per testamentum facta. Nam pleraque iura civilia non agnoscunt effectum professionis religiosae; unde apud ipsa religiosus non amittit

---

biennio probationis, priusquam vota simplicia scholasticorum emittant, omnino resignentur ». Verum CONGR. VII, d. 17, cum non excipiat beneficia ecclesiastica, eorum possessionem, sicuti aliorum bonorum, per quadriennium videtur permittere. Et nunc, abdicatione usque ad professionem communiter dilata, non videtur adesse obligatio beneficia prius resignandi, nisi Superior praecipiat (vide BENED. XIV, C. *Ex quo dilectus*, § 15).

(c) P. CIRAVEGNA *(de Paupertate S. J.*, n. 103) hic differentiam facit inter professum et coadiutorem formatum. Coadiutor formatus, ait, dimitti potest, et dimissus a voto solvitur capaxque dominii rursus efficitur; unde recuperaret bona quibus per testamentum renuntiasset. Sed de huius rationis valore dubitare licet. Nam coadiutor formatus per vota quae emisit etsi simplicia, factus est incapax dominii (et de hoc plane consentit P. Ciravegna); unde statim ac vota emisit, bona quibus per testamentum renuntiavit ab ipsius dominio irrevocabiliter avulsa sunt (cf. c. VIII, n. 11); quare solutus a votis per dimissionem, quamvis rursus capax dominii et bona acquirendi efficiatur, non recuperat dominium priorum suorum bonorum, a quo iam irrevocabiliter per vota se spoliavit. — Sententia P. Ciravegna vera esset in alumno Congregationis votorum simplicium, qui de suis bonis per testamentum irrevocabile disposuisset, quia ille, etiamsi testamentum revocare non possit, attamen adhuc dominium retinet, et ideo solutus a votis recuperaret facultatem disponendi de suis bonis: pro illo enim irrevocabilitas testamenti a votis pendet, et ideo, votis solutis, cessat.

dominium bonorum suorum per professionem, sed per solam mortem. Proinde religiosus qui bonis suis per testamentum renuntiasset, posset, illicite quidem et etiam invalide in conscientia, sed tamen cum effectu, eorum possessionem coram tribunalibus reclamare.

3. Renuntiatio, ut dictum est, debet esse *irrevocabilis*. De intentione S. Patris et Societatis dubitari nequit, et clare patet ex textu supra citato Ordinationum, c. I.

Si bona praesentia per donationem inter vivos distribuuntur, tunc irrevocabiliter amittuntur: sed si fit renuntiatio bonorum quae forte evenient, undenam renuntiatio habet ut sit irrevocabilis? Hoc habet ex voluntate Societatis clare manifestata. Si enim Superior potest irritare actus subditi, quia eius voluntas per votum obedientiae et traditionem ab ipso dependens facta est, potest etiam in antecessum irritare aliquos actus, quos inferior attentaret. Dicendum est hic quod irritat omnes actus quos aliquis attentaret ad revocandam renuntiationem.

4. Renuntiatio ordinarie fieri debet *secundum leges civiles* (cf. c. IV, n. 23).

Congr. VII, d. 17, § 4, statuit ut Nostri sese bonis exuant, ubi primum per aetatem et *patrias leges* licebit: unde clare apparet eius voluntas, ut renuntiatio secundum leges civiles fiat.

Congr. XV, d. 8, explicans haec verba, ait: « Se quidem velle ut Nostri *ordinarie* in hoc negotio se potius legibus accommodent; nolle tamen propterea praeiudicare iuribus a Sede Apostolica sibi concessis et a S. Tridentina Synodo approbatis ».

Congr. XX, d. 7, § 4°: « In renuntiatione bonorum quae a Nostris fieri debet post quadriennium ab admissione, nisi aliter ob iustas rationes iudicet Praepositus Generalis, *omnino servandae sunt formalitates legales*, ut, iuxta Ordinationem P. Aquavivae, omnis spes abscindatur umquam redeundi in possessionem bonorum quibus renuntiatum est; quod aliquibus occasio esse posset tentationis et inconstantiae ».

Sed graves causae adesse possunt, propter quas non liceat renuntiationem facere servando formalitates legales. Quid in casu fieri oporteat, indicat S. Congr. EE. et RR., in responso *d.* 16 *sept.* 1885, ad procuratorem generalem Ordinis Minorum de Observantia. Exponebat ille duas difficultates inveniri in renuntiationibus ad praescripta legum civilium perfi-

ciendis: 1am, quod potestas civilis non agnoscit renuntiationes ante annum vigesimum primum factas; 2am, quod omnem bonorum cessionem irrevocabilem habet: hoc autem adversari Tridentino volenti renuntiationem effectum non habere nisi professione sequuta. Petebat an propterea renuntiatio fieri posset debito tempore coram solo Superiore regulari aut Ordinario, postea ratificanda cum solemnitatibus Iuris Civilis. — S. Congr. respondit: « Cum agatur de renuntiatione super illis bonis, quibus ius certum haberi potest, parte nempe haereditatis paternae vel maternae, emissa suo tempore iuxta C. Tridentini renuntiatio ipsa renovetur, *quando opus est*, quin tamen illa immutari possit. Si vero agatur de renuntiatione eorum quae accidentaliter evenire possunt, in singulis casibus recurrendum ad hanc S. Congregationem ». Hoc ultimum videtur dici propter difficultatem materiae in casu bonorum quae accidentaliter eveniunt, ut dicetur num. seq. — Notandum est hanc responsionem esse rescriptum privatum: non est ergo lex omnes obligans. Aliqua norma a S. Congr. petebatur: dedit normam generalem pro renuntiatione bonorum ad quae ius certum habetur; pro bonis quae accidentaliter eveniunt, noluit normam generalem dare, sed rescripsit in singulis casibus recurrendum esse ad ipsam Congr. — Quae nunc dicta sunt, inservire possunt ad explicandum decretum octavum Congr. XV supra recitatum.

5. Abdicatio fieri debet *in favorem pauperum*, iuxta consilium D. N. I. C. Renuntians tamen liber remanet in eligendis causis piis, quibus bona sua distribuat. (Exam., c. IV, nn. 1, 2, 5: Const., P. III, c. 1, n. 7 (d)), et ideo stricte non indiget speciali approbatione, qua Superior ratihabeat suam dispositionem, sed sufficit generalis facultas aut praeceptum renuntiandi (Suarez, l. IV, c. 6, nn. 6-10) (e). — Si autem distribuit in causas non pias et sic agat absque (peculiari) licentia, peccat contra votum (*ibid.*, n. 4), quia facit contra id quod est determinatum in Instituto de paupertate. Si autem cum licentia agat, tunc non est contra votum, etiamsi esset contra perfectionem (f).

(d) « Qui se exuit bonis suis, sequatur Christi consilia; pro sua tamen devotione ad hoc potius quam illud quis dispensare bona sua vel illorum partem poterit.... ut in Examine dictum est » (P. III, c. 1, n. 7).

(e) Vide tamen n. 5 *notam* b.

(f) Notat Suarez (l. c., c. 5, n. 4) Superiorem dare posse consensum in causas non pias, non tantum quia distributionem v. g. in favorem pro-

6. Si quis vellet in Societatis subsidium bona sua vel illorum partem dispensare, hortandus est ut plenam dispositionem P. Generali relinquat. Quod si intenderet ea applicare ad aliquem locum, de hoc monendus esset Generalis, qui iudicabit an renuntiatio sub hac conditione admitti debeat. Ita P. III, c. 1, n. 9 et *litt.* H. Vide CONGR. II, *decr. Definitorum* (post *decr.* 23), in quo aliqua statuuntur de hac materia.

Si renuntians bona sua consanguineis distribuere vellet, quid faciendum sit dicitur EXAM., c. IV, n. 5 et CONST., P. III, c. 1, *litt.* G.

7. Si is, qui in favorem Societatis bona sua renuntiasset, deinde dimitteretur, an ei bona sua reddi possint aut debeant? CONST., P. II, c. 3, *litt.* B. habetur « prudentiae Superioris dimittentis relinqui, ut habita ratione tum aequitatis tum aedificationis, statuat num illi aliquid amplius quam quod invenitur de rebus ipsius dari debeat, necne ». CONGR. V, interrogata de praxi huius declarationis, nihil definire voluit (d. 8). COMP. PRIV., n. 483, ait: « De iure nihil ei restituendum ». Addit: si quid restituatur, « cavendum ne in huiusmodi nova translatione bonorum aliquid fiat contra prohibitionem alienandi inconsulta Sede Apostolica ».

8. *Pactiones* cum parentibus et aliis de bonis ad se pertinentibus Nostri, quando renuntiant, inire possunt: sed illi prius monendi sunt Societatem ad ea bona ius nullum habere. Insuper Praep. Generalis de re diligenter informandus est. Ita CONGR. III, d. 39.

7. Vis renuntiationis universalis. — Tractat LUGO in *Respons. Moral.*, l. IV, *dub.* 4 et 5. Quaestio est satis difficilis et intricata.

Primum, duo sunt distinguenda: nuda et simplex renuntiatio seu abdicatio, qua renuntians a bonis et iuribus suis sese abdicat, nihil de eis disponendo: — ac renuntiatio in favorem alterius seu dispositio de propriis bonis et iuribus.

Haec distinctio fieri videtur in EXAM., c. IV, n. 1, ubi dicitur quod Nostri « *distribuere* debent omnia bona temporalia quae habuerint, et *renuntiare* ac *disponere* de iis quae ipsis obvenire possent ». Hic primo distinguuntur bona praesentia quae iam

---

pinquorum reputat esse in se magis convenientem propter illorum indigentiam, sed etiam ad vitandas querelas, odia, inimicitias.

habuerint, et bona quae evenire possunt. Bona praesentia *distribuuntur;* quoad bona quae forte eis evenient, duo Nostri facere possunt aut debent : *renuntiare* et *disponere*. — « Aliud est, ait Lugo (*dub.* IV, n. 7) dare ius alteri ad haereditatem, aliud vero abdicare a se ius ad haereditatem... Quando aliquis non dat alteri ius ad haereditatem, sed abdicat a se ius quod habet vel poterit umquam habere, non intendit facere quod nomine suo alius sit haeres, sed solum aufert ex parte sua impedimentum quod aliquando posset esse ut alius sit haeres, et permittit alium esse haeredem, si ei aliunde haereditas competat ».

Omissis ergo bonis praesentibus, quae simpliciter actu distribui debent, nunc tantum de bonis futuris agitur, quae renuntians non habet, sed ei evenire poterunt. Duplex est quaestio. Prima, an renuntiatio sese extendat ad omnia bona quae postea evenire possunt, etiam ad ea quae nullo modo praevidentur; altera, utrum renuntiatio statim valeat, an contra effectus eius suspendatur usque ad professionem, uti in decreto Tridentino de renuntiatione (*sess.* XXV, cap. 16) et decreto *Nullus* Clementis VIII statuitur.

Prima quaestio facile solvitur : nam nulla est difficultas de possibilitate, scilicet ut renuntiatio, si talis sit intentio renuntiantis, sese extendat ad omnia prorsus bona quae ei evenire possint, etiam ad ea quae nullo modo praevidentur. Atqui talem esse renuntiationem in Societate S. Ignatius voluit, ut patet ex Exam., c. IV, n. 1. Ibi enim dicitur : « Qui ingredi volent Societatem.... debent omnia bona temporalia quae habuerint distribuere, et *renuntiare* ac disponere de his quae ipsis evenire *possent* ». Sine distinctione ac limitatione dicitur renuntiationem esse faciendam de his quae evenire possent; ergo etiam de his quae non praevidentur; secus dixisset : de his quae praevidentur. Res sat clara videtur. Nihilominus Congreg. XV, *Actione* 24, cum Patres in diversas hac de re irent sententias, nihil definire voluit.

P. Ciravegna (*de Paupertate*, n. 94) censet scholasticos, post renuntiationem, adhuc sibi acquirere bona quae accidentaliter ipsis eveniunt et ad patrimonium suum spectant. Relatis argumentis sententiae contrariae, sic sententiam suam profert et probare satagit : « Nihilominus dubitandum non est, quin scholastici et coadiutores approbati, etiam post suorum iurium et bonorum abdicationem, alia acquirere possint. Ratio est,

quia per abdicationem nullatenus immutatur natura voti simplicis paupertatis, ac propterea, etiam post factam abdicationem, remanet in abdicante capacitas bona possidendi atque acquirendi ». Ita ille.

Sed hoc argumentum est valde infirmum, aut potius nullum. Non enim agitur de valore voti simplicis paupertatis post biennium emissi, sed de valore renuntiationis: et quaestio est an renuntiatio facta de omnibus bonis praesentibus et futuris, ad haec etiam sese extendat ad quae renuntians ius nullum habebat tempore renuntiationis, et quae forte nullo modo praevidebantur. Porro ita omnino rem se habere probatum est. Locus Examinis, c. IV, nn. 1 et 2, peremptorius videtur: ibi enim dicitur omnes debere « omnia bona quae habuerint distribuere, et renuntiare ac disponere *de iis quae ipsis evenire possent* ». Pater Ciravegna vult limitare sensum horum verborum ex verbis P. III, c. 1, *litt.* F: « Possessione bonorum suorum se abdicare, tam de propriis bonis intelligendum est, quae habet penes se vel alios, quam de iure vel actione, quae ei competit ad bona quae sperat ». Contendit verba Examinis, *de iis quae ipsis evenire possent* debere intelligi, secundum hanc declarationem, tantum de bonis quae sperat et ad quae ius et actionem habet. Sed hoc sine fundamento asseritur. Nam in his duobus locis, non omnino de eadem re agitur: in loco tertiae Partis, accidentaliter tantum de abdicatione bonorum agitur, occasione huius regulae quod « Nostri nulla re tamquam propria uti debeant »; et dicitur hoc fieri debere, etiamsi Nostri dominium bonorum suorum retineant, quod exprimitur iis verbis: « quamvis necesse non sit, probationis tempore, possessione bonorum suorum se abdicare ». Tum *litt.* F explicatur quid sit *possessione bonorum suorum* se abdicare, et dicitur esse spoliare se non tantum propriis bonis quae in re quis detinet, sed omni iure et actione ad alia quae sperat. — Verum in toto hoc loco non agitur nisi de bonis quae scholasticus habet, *de possessione bonorum suorum*, ita ut quamvis ea retineat, nulla re tamquam propria, utatur, disponendo sive de re sive de iure ad rem; non vero agitur de renuntiatione eis quae evenire possent, nec in eo loco de iis sermo fieri debebat. Contra in Examine sedulo distinguuntur ea quae abdicans actu habet (sive bona sive iura), et ea quae eis evenire possent. Prima distribuere debet, caetera renuntiare et de eis disponere.

Secunda quaestio sic resolvitur. Renuntiatio in Societate sta-

tim valet, nec suspenditur eius effectus usque ad professionem: ideo, ea facta, scholasticus iam nullum bonum temporale, quocumque modo ipsi eveniat, sibi acquirere potest.

Probatur: 1° ex variis Instituti et Constitutionum Apostolicarum locis, in quibus dicitur eos qui Societatem ingrediuntur, bonorum suorum ius et dominium retinere non posse nisi usque ad tempus a Praep. Generali praescriptum[a]. Porro si renuntiationis effectus usque ad professionem suspenderetur, ius usque ad hoc tempus semper retinerent. — 2° Intentio S. Ignatii est manifesta: vult ut bona quae habent scholastici, post unum probationis annum, ubi iniunctum fuerit a Superiore, statim re distribuant. Si vult ut ea quae habent non expectata professione distribuant, multo minus permittit ut nova acquirant: quod fieret, si ius ad aliqua retinerent. — 3° Nullibi in Instituto praevidetur secunda distributio bonorum, nec praxis illa usquam viguit: porro si post primam distributionem et renuntiationem scholasticus alia acquirere posset, fieri deberet secunda et tertia distributio.

Eisdem argumentis utitur Card. De Lugo, *de Iure et Iustitia, disp.* III, n. 84, ad probandum scholasticos post renuntiationem nullius boni dominium amplius acquirere, neque propria industria, neque ex donatione, neque quocumque alio titulo.

8. De dispositione bonorum, seu renuntiatione in favorem alterius. — Duplex casus distingui debet: primus de bonis ad quae renuntians ius non habet, secundus de bonis ad quae renuntians ius habet, quando de iis disponit. Et in utroque casu praeterea, etiam distinguendum est an bona eveniant renuntianti ante vel post professionem.

Primus casus, de bonis ad quae renuntians ius non habet quando renuntiat. — Praenotandum est, hic non agi nisi de bonis quae ad patrimonium renuntiantis aliquo modo pertineant. Nam alia bona, post votum paupertatis biennii, iam non sibi acquirit, sed Religioni aut domui cui addictus est, ut dictum fuit n. 2, et proinde de his disponere nequit: nemo enim dat quod non habet, nec unquam habebit.

Hoc praenotato, si bona, ad quae ius non habet et quibus renuntiavit in favorem alterius, deferuntur ante professionem,

---

7. (a) Loca data sunt n. 1, *nota a*. Sunt maxime duae Constitutiones Gregorii XIII.

debentur illi in cuius favorem fuerunt renuntiata. Res est evidens. Ratio etenim cur renuntians haec bona sibi non acquirat, non est votum simplex paupertatis: nam post illud adhuc haec bona, quae ad patrimonium pertinent, sibi acquirere poterat; sed est renuntiatio. Renuntiatio autem non fuit simplex et nuda, sed fuit facta in favorem alterius. Ergo vi eiusdem renuntiationis, qua sibi iam non acquirit, haec bona alii in cuius favorem renuntiavit, debentur.

Si autem haec bona post professionem deferuntur, num adhuc ratione renuntiationis debentur illi in cuius favorem fuerunt renuntiata? Respondendum est negative. — Ratio videtur clara, ait Lugo (*Resp. mor., lib.* IV, *dub.* IV, n. 3): quia haec bona numquam fuerunt renuntiantis, nec ad ea unquam ius habuit; ergo ea aut ius ad ea dare non potuit. Nemo enim dare potest nisi ea quae habet aut aliquando habebit. Antecedens probatur: Ante professionem nec bona nec ius ad ea habuit: hoc supponitur: post professionem (aut vota coadiutoris formati) habere non potuit: nam per professionem aut vota coadiutoris formati, factus est incapax omnis proprietatis et omnis iuris ad bona temporalia. Ergo dispositio facta a renuntiante nullum influxum exercere potest in haec bona [a].

Cuius igitur erunt? Eius cui de iure debentur. Ergo, si agitur de bonis quae per testamentum aut ab intestato professo eveniunt, quoniam Societas non succedit tamquam haeres loco suorum professorum aut coadiutorum formatorum, haec bona deferri debent illi cui de iure, si professus mortuus fuisset, deberentur. Si autem haec bona per legatum aut donationem quamcumque inter vivos professo eveniunt, haec Societati acquiruntur: nam Societas non est incapax legatorum et donationum quae suis professis eveniunt: professi ergo Societati ipsi acquirunt [b].

---

8. (a) Remanet tamen aliquis casus intermedius: nempe, tempore renuntiationis, renuntians nec aliqua bona nec ius ab ea habebat; post renuntiationem et ante professionem, non quidem bona sed ius ad ea renuntianti deferuntur. Quid resolvendum? — Resp. Ius ad bona videtur quidem transire ad eum in cuius favorem renuntiavit, ut probat argumentum supra factum, de bonis quae deferuntur ante professionem: ius ad bona enim est etiam aliquod bonum. An autem tunc bona ipsa, si post professionem tantum deferuntur, ei acquirantur in cuius favorem renuntiavit, est alia quaestio quae reincidit in secundum casum mox examinandum.

(b) Haec est solutio quam dat Lugo, *dubio* IV. Agebatur de aliquo qui renuntiaverat in favorem alicuius collegii omnibus bonis quae ipsi eve-

Secundus casus, de bonis ad quae renuntians ius habet quando renuntiat. — Si haec bona deferuntur ante professionem, nulla est difficultas, debentur illi in cuius favorem renuntiavit: per renuntiationem enim omnia sua iura renuntians in eum transtulit.

Sed si bona post professionem deferuntur, res est controversa: alii dicunt renuntiationem effectum suum habere et bona deberi illi in cuius favorem facta fuit: alii negant, et sentiunt bona deberi cui de iure si professus mortuus esset.

Ratio primae sententiae est, quod renuntians omnia sua iura transtulit in eum in cuius favorem renuntiavit. Ergo is ius ad ea bona habet quando deferuntur.

Ratio secundae sententiae est quod ius omne quod renuntians habebat, cessare debebat per professionem (si non renuntiasset); non autem potuit cedere ius maius illo iure quod habebat; ergo cessit quidem vere sua iura alii, sed iura cessanda per suam professionem. Quemadmodum si quis omnia

---

nire possent. Post ipsius professionem, moritur intestatus aliquis eius consanguineus, cui ipse erat proximior, et ideo ei defertur haereditas. Quaerebatur an collegio acquireretur. Lugo respondet haereditatem non deberi collegio; casum late discutit n. 7. Sic totam rem resumit: « Si novitius aut scholaris etiam Societatis, post vota biennii renuntiat haereditatem parentis viventis in favorem alicuius consanguinei, tunc si parens moriatur antequam renuntians sit professus vel coadiutor formatus, et haereditas ad ipsum vel ab intestato vel iure filiationis pertinere deberet, pertinebit ad illum in cuius favorem renuntiata fuit. Si vero renuntians factus sit iam professus vel coadiutor formatus, non pertinebit haereditas ad illum in cuius favorem renuntiata fuit (nisi *aliunde* ad ipsum ab intestato vel ex testamento defuncti spectaret), sed deferetur ad illos qui vel ex testamento defuncti vel ab intestato ei succedere debent, quia ex renuntiatione nullum ius ad haereditatem eo tempore delatam acquirere potuerunt » (haec ultima verba evidenter mendosa sunt; deberent sic substitui: quia ex renuntiatione nullum ius ad haereditatem eo tempore delatam acquirere potuit *ille in cuius favorem facta fuit*).

Eodem modo, *dubio* v, resolvit casum similem. Professus Societatis ante suam professionem renuntiaverat in favorem alicuius collegii omnia bona et iura sua praesentia et futura. Post professionem defertur ei aliquod legatum ipsi relictum: cuinam debetur? — Respondet, non collegio in cuius favorem renuntiaverat, sed domui suae quam nunc habitat. Renuntians enim numquam ius habuit ad legatum: non ante professionem, ut constat; non post, quia tunc, vi professionis, erat incapax et proinde illud collegio dare non potuit. Ergo illud habere debet is cui de iure, sc. in casu domus aut ipsa Societas.

sua iura ad haereditatem aliquam cedit alteri, ille revera acquirit iura ad haereditatem ; sed si donator moritur, pereunt iura omnia apud donatarium, et haereditas non ei, sed cui de iure defertur. — Reponunt quidem patroni primae sententiae professionem non habere eamdem vim ac mors naturalis habet. Omnis enim vis professionis a iure positivo ecclesiastico venit, atque nullus textus iuris affertur, quo probetur ius tertio per donationem acquisitum donatoris professione perire. — Sed ad hoc responderi potest, verum esse professionem non assimilari, ut Iuristae volunt, morti naturali, at ex Iure ecclesiastico haberi quod per professionem professus omne dominium aut ius ad bona temporalia amittit, et haec ad Religionem transferuntur, si haec est capax dominii huius. Remanet ergo quod omnia iura professi extincta sint per professionem, et non possit per renuntiationem plus transmittere quam habere debebat. — In contrarium tamen reponi potest, iura quae religiosus ad hereditatem aut alia bona ante renuntiationem habebat, esse natura sua indefinita quoad durationem; per renuntiationem ea talia qualia habebat alteri transmittere : non apparere ergo cur apud alterum haec iura cessarent per professionem eius qui ea iam non habet, etiamsi debuissent cessare apud ipsum per professionem, si non praecessisset renuntiatio.

Lugo utramque sententiam refert, *dub.* IV, n. 8, et utramque probabilem habet (c).

(c) Loquitur de eo qui ius maioratus in favorem alterius renuntiavit, et haec habet : « In illo casu professus ante professionem disponit de re sua quam iam habet, si quidem tunc habet vere ius retinendi haereditatem vel maioratum pro toto tempore vitae suae, quod ius transfert ad alium. Quamvis autem lex voluerit professionem aequiparari morti, et ideo facta professione transeant bona ad successorem vocatum, *multi* tamen dicunt fictionem iuris non operari in praeiudicium tertii, cui iam ius sit acquisitum. Quidquid sit de veritate huius doctrinae.... ». Per haec ultima verba, rem indecisam relinquit ; quod rursus facit in *dubio* V, n. 9, ubi totam doctrinam de renuntiatione quoad bona, quae post professionem renuntianti deferuntur, sic resumit : « Respondetur renuntiationem illam ante professionem factam posse dupliciter considerari : primo, quatenus est abdicatio iuris post professionem adventi ; secundo, quatenus est translatio illius iuris in alium. Primo modo, diximus posse renuntiari ius ad haereditatem vel legata futura : nam tunc, in rigore loquendo, non renuntiatur aliquid futurum, sed praesens, nempe capacitas ad illa: qua capacitate renuntians se spoliat, et quidem in gratiam alterius, cui non dat ius ad illam haereditatem vel legata, sed in

Sed si haereditas fuit relicta Societati ab uno e Nostris et haec ei post professionem eveniat, R. P. DE NOYELLE, *Epistola* 12 *aug.* 1683, statuit, quoad praxim attinet, renuntiationem huiusmodi Societati non esse profuturam. Quaestio haec posita fuerat in Congr. XII, et argumentis in alterutram partem prolatis Congregatio solutionem P. Generali remiserat. P. de Noyelle igitur nitens responsis quatuor ex suis praedecessoribus declaravit: « renuntiationes huiusmodi a nobis habendas esse perinde ac si factae non fuissent, adeoque non posse ex vi illarum adiri aut acceptari a Societate haereditatem ullam, quae professo obveniret post emissam professionem » (Epistola citatur a CIRAVEGNA, *Docum.* VII). — Si autem haereditas non Societati, sed alii relicta fuisset, nil decisum fuit nec definiri potuit: utraque sententia probabilitatem suam in praxi servat.

9. Paupertas variorum graduum in Societate.

I. **Paupertas professorum** sic declaratur in *prima formula Instituti,* PAULI III (1540): « Voveant singuli et universi perpetuam paupertatem, declarantes quod non solum privatim, sed neque etiam communiter possint, pro Societatis sustentatione aut usu, ad bona aliqua stabilia aut ad proventus seu introitus aliquos ius aliquod civile acquirere; sed sint contenti usum tantum rerum sibi donatarum, ad necessaria sibi comparanda, recipere » (Const. *Regimini*). — Similia in *secunda formula* IULII III (1550) habentur, necnon in CONST., P. VI, c. 2, ut mox declarabitur.

II. **Paupertas coadiutorum formatorum** similis est paupertati professorum. — Nihil quidem de ea dicitur, nec in

---

eiu gratiam aufert impedimentum, reddendo se incapacem, ut, eo impedimento sublato, possint postea bona illa ad ipsum pertinere: et ad hoc potissimum deservire videtur illa renuntiatio. Secundo autem modo, non videtur posse renuntiari ius quod nondum habetur nec unquam habebitur, transferendo illud in alium, in praeiudicium alterius....: quia tunc renuntians positive daret alteri id quod ipse nec habet nec unquam habebit. Aliter dicendum esset de renuntiatione legitimae, quam quidem licet actu filius non possideat vivente patre, habet ius ad illam et haec est filio debita: quare de hac non nego posse ante professionem renuntiari a filio in favorem alterius, cui ex nunc eam donet ». Notetur hic opponi legitimam et haereditatem. Haereditas intelligitur de bonis quorum pater liberam dispositionem habet; legitima, de bonis quae filiis necessario transmittere debet.

Constit. *Exponi nobis* (1546) Pauli III, in qua primo datur facultas coadiutores admittendi, nec in secunda formula Instituti, ubi tantum dicitur quod tria vota, quamvis non solemnia, emittunt. Sed in Exam., c. I, n. 4, et in Constit., P. VI, c. 2, coadiutores professis quoad paupertatem aequiparantur.

Notae paupertatis professorum et coadiutorum eae sunt:

1. Ipsi nullum dominium, nec ius ad rem quamcumque, sive ad bona stabilia, sive ad proventus aut redditus quoscumque, nec in particulari nec in communi, habere possunt (formulae Instituti; — Exam., c. I, n. 3; — Const., P. VI, c. 2, n. 2).

2. Domus, in quibus habitant, nullos redditus habere possunt, nec etiam ad fabricam vel ad sacristiam, nullasque possessiones, praeter id quod ad usum aut habitationem est valde necessarium vel conveniens (Exam.; c. I, nn. 3 et 4; — Const., P. VI, c. 2, nn. 2 et 5).

3. Propterea professi et coadiutores in domibus ex eleemosynis vivunt (P. VI, c. 2, n. 3).

4. Possunt tamen in collegiis vivere, cum necessitas aut magna utilitas collegiorum id exigeret, et tunc eorum redditibus vivere permittuntur (P. VI, c. 2, nn. 3, 4 et *litt.* C); sed cum desierint esse utiles collegiis, desinent in eis habitare. — Imo Iulius III, Const. *Sacrae Religionis* (1552), concessit ut professi « senio confecti vel infirmitate gravati et ad operandum in vinea Domini non idonei, de licentia Praep. Generalis in collegiis habitare et de eorum redditibus sustentari possint ». — Forte comparando n. 3, ubi de professis, et n. 4, ubi de coadiutoribus agitur, quatenus utrique in collegiis habitare valent, aliqua differentia inter eos statuitur: scilicet quod tunc tantum professi in collegiis (excepto munere lectorum) ad diversa munia exercenda vivere debeant, quando haec eadem coadiutoribus committi nequeunt.

5. Sunt ipsi incapaces haereditariae successionis, et praeterea domus, collegia et ecclesiae Societatis, ratione eorum (P. VI, c. 2, n. 12, et Const. *Ascendente* Gregorii XIII, 1584).

Non sunt autem incapaces legatorum et donationis cuiuscumque: quae tamen non sibi, sed domibus quas inhabitant aut Societati acquirunt. Haec capacitas quidem non exprimitur explicite in Instituto, sed est iuris communis; ergo, cum in Instituto solummode incapaces successionis haereditariae declarantur, quoad legata et donationes professi et coadiutores Societatis reguntur iure communi. Ita Lugo, d. III,

n. 100 [a]. Praeterea si S. Ignatius eos legatorum aut donationum incapaces voluisset, aliis verbis usus fuisset nec de sola incapacitate ad successionem haereditariam mentionem fecisset.

6. Quando ad missiones mittuntur, nullum viaticum exigere possunt (Exam., c. I, n. 5; — Const., P. VI, c. 2, n. 13).

7. Non possunt accipere ullum stipendium aut eleemosynam in compensationem pro ministeriis spiritualibus, sed debent gratis dare, quod gratis acceperunt (Exam., c. I, n. 3; — Const., P. VI, c. 2, n. 7, etc.). — Quaestio haec infra, n. 16, tractabitur.

8. Ratio victus, vestitus, supellectilis debet esse communis et paupertati conformis (Exam., c. I, n. 6, et c. IV, n. 26; — Const., P. VI, c. 2, nn. 15 et 16). In formula secunda, sc. Iulii III (1550), declaratur eam esse honestorum sacerdotum [b].

III. **Paupertas scholasticorum et aliorum post vota biennii.** — Ea in pluribus differt a paupertate professorum.

1° Usque ad renuntiationem dominium bonorum suorum et iura ad haereditates servant (Exam., c. IV, n. 2; Const., P. III, c. 1, n. 7; P. IV, c. 4, *litt.* E).

2° Post renuntiationem usque ad ultima vota, quaecumque ipsis eveniunt ratione haereditatis, aut per legata vel donationes quae ad eorum patrimonium pertineant, ea omnia acquirunt eis in quorum favorem renuntiaverunt (supra, n. 7).

3° Usque ad ultima vota in collegiis habitare possunt et eorum redditibus sustentari (Exam., c. I, n. 4).

4° Si in missiones mittuntur, videtur quod non tenerentur ire sine viatico. Obligatio enim haec solis professis et coadiutoribus imponitur in locis Instituti in quibus de ea agitur (de hoc dicetur cap. seq.).

5° Quoad caetera, eorum paupertas eadem est cum paupertate professorum.

10. Congregationum Generalium statuta quoad paupertatem. — Congregationes generales aliqua particularia magis

---

9. (a) « Quoad legata, non solum collegia et domus probationis ac domus etiam professae, sed singuli, etiamsi sint professi vel coadjutores formati, sunt capaces legati, licet hi professi et coadjutores formati non possint esse haeredes.... Si vero legatum relinquatur professo vel coadjutori, formato, acquiritur domui vel collegio, in quo residet, sicut et alia quae ei donantur » (Lugo, l. c.).

(b) « In his quae ad victum, vestitum et caetera exteriora pertinent, honestorum Sacerdotum communem et approbatum usum sequantur ».

definiverunt; spectant maxime ad pensiones annuas, vitam communem, deposita, gratuitatem ministeriorum, retributiones quae in collegiis admitti possunt.

Pensiones annuae. — Hae aliquando Nostris assignantur, vel parentum destinatione, vel per modum legati, vel titulo eleemosynae, vel etiam eas sibi forte NN. reservarunt in bonorum renuntiatione quam fecerunt priusquam Societatem ingrederentur. Ita Congr. XII, d. 37 [a].

De his pensionibus haec statuta sunt:

1° In renuntiatione bonorum, iis sese exuere NN. debent. Ita Congr. VII, d. 17, § 4 [b]. Possunt eis renuntiare in favorem alterius, etiam Societatis, aut alicuius eius collegii; sed post renuntiationem ipsi nullum ius ad eas retinent.

In eodem decreto fit exceptio pro pensionibus ecclesiasticis, quae sunt personales. Eas, cum in favorem alicuius renuntiare nequeunt, retinere possunt; sed duplici hac conditione, quod earum administrationem non servent, ac distribuant quando P. Generali videbitur. Hae pensiones non cessant per professionem, sed professus eas, quemadmodum legata ipsi relicta, Societati, scilicet collegio designato acquirit. Hoc saltem est probabile: nam Societas nonnisi successionis hereditariae in locum professi aut coadiutoris incapax declaratur.

2° Congr. XII, d. 37, tria circa has pensiones statuit: *a)* « liberum huiusmodi pecuniarum usum nemini prorsus esse concedendum; *b)* pensiones huiusmodi, quoad eius fieri potest, certo alicui Societatis domicilio applicandas, ad cuius Superiorem plena de pecuniis inde provenientibus dispositio pertineat...; *c)* denique si haec ex aliquo casu fieri applicatio non possit, id certe fixum semper ratumque sit: debere summam integram pecuniarum illarum sive pensionum venire in ma-

---

10. (a) « Circa pensiones pecuniarum annuas, quae Nostris aliquando assignatae sunt aut assignari possunt, tum ex parentum seu consanguineorum destinatione, tum ex testamento per modum legati seu titulo eleemosynae, aut quas sibi quis in bonorum suorum renuntiatione ante suum in Societatem ingressum facta reservaverit, aut quacumque tandem alia ratione, sic statutum est a Congregatione.... ».

(b) « Bonorum dominio, si quod habent, etiam pensionum ac censuum, sive realium sive personalium,... absoluta inter vivos donatione,... quando id consultum Pater noster iudicaverit et fieri imperaverit, exuere se teneantur ».

nus potestatemque Superioris vel localis vel provincialis, pro arbitrio Generalis ».

Omnia haec statuuntur, ne occasione harum pensionum locus detur alicui peculio.

3° Congr. xx, d. 7, § 1, renovans hoc Congregationis xii decretum, voluit insuper « ut singulis declararetur has pecunias sive pensiones accipi ut eleemosynam Societati factam, ad quam ius nullum retinent ».

11. Vita communis. (a) — De ea haec habet S. Ignatius (Const., P. vi, c. 2, n. 11): « Quisque iis, quae de communi data fuerint ad usum suum necessarium aut convenientem, resecatis superfluis, sit contentus ».

Hanc vitam communem Congregationes semper illibatam servari voluerunt, et abusus, si qui irreperè timerentur, resecuerunt.

Congr. vi, d. 21, statuit non licere Nostris, eo quod sint confessarii principum aut cum eis tractent, sed nec aliis confessariis, concionatoribus, praeceptoribus et similibus, « quidquam ad proprium usum et dispositionem accipere, neque ad id Superiores facultatem concedere posse » (b).

Congr. xii, d. 43 (1682): « Ut vita communis, quae hactenus Dei beneficio in Societate semper floruit, incolumis etiam ac illibata conservetur in posterum, decrevit Congregatio: ut in his, quae pertinent ad victum, vestitum, cubiculique supellectilem, et alia vitae communi necessaria, uniformitas tam Superiorum cum inferioribus quam inferiorum inter se omnino

---

11. (a) Vita communis in eo consistit, ut ea quae sunt vitae necessaria religiosus a conventu accipiat, non autem sibi ipse comparet.

(b) Id quod Superiores hoc decreto prohibentur concedere, est usus independens: nam eos posse concedere usum dependentem habetur ex declaratione Patris Aquavivae. Quae declaratio eo maiorem vim obtinet, quod Congregatio vi, a qua decretum latum fuit, ipso Patre Aquaviva praeside habita fuit, et quod decretum 21 non sit nisi confirmatio instructionis [ab ipso antea confectae. Declaratio autem habetur in epistola circulari ad Provincias d. 20 *aprilis* 1610 data; in ea dicebat: « Nullus subditus possit ad proprium usum accipere quidquam a poenitentibus, praelatis aut alia quavis persona, *nisi eo qui sequitur modo:* ut quod offertur, accipiatur cum facultate Superioris tamquam aliquid collegio datum aut domui ubi ipse commoratur, et ita quidem ut eidem subdito usum rei acceptae Superior possit arbitrio suo definire » (vide Ciravegna, n. 185). — Sed facultas hic data a P. Aquaviva restringi debet iuxta *decretum* 43 Congr. xii, aliaque decreta quibus illud confirmatum fuit.

retineatur, eaque omnia teneantur Superiores inferioribus suis, qua par est charitate, suppeditare. Ideoque etiam voluit nulli licitum esse ea sibi alia quacumque via quaerere aut per alios procurare, nec penes ipsos Superiores, ac etiam Provinciales vel quoscumque alios esse, hanc illis facultatem dare » (c). — Ergo, etiamsi possint Superiores cum discretione permittere ut alia sibi inferiores per extraneas personas comparent aut ab eis accipiant, dummodo usus remaneat dependens et ad nutum revocabilis, v. g. libros, pecuniam ad pios honestosque usus; quoad ea quae pertinent ad res vitae necessarias, potestas concedendi inferioribus licentiam ea sibi procurandi Superioribus tollitur. Et ideo semper peccat contra votum paupertatis religiosus Societatis sibi ab extraneis comparans necessaria ad vitam, etiamsi licentiam a Superioribus obtinuerit: nam haec licentia nulla in decreto declaratur, ideoque non tollit usum independentem (d).

Congr. xviii, d. 22, n. 2. « Si quae sunt quae vitae communi adversentur, ea (Superiores) omnino resecent ».

Regula 90 Provincialis: « Ne permittat Nostros quidquam petere a parentibus, cognatis et amicis, sed omnia ei necessaria a Societate provideantur ».

12. Peculium et depositum, mutuum, legata confidentialia. — Peculio et deposito illud commune est quod utrumque sit aliqua summa pecuniae, cuius dominium religiosus non habet, sed de qua cum licentia Superioris disponere possit; differentia inter utrumque est, quod peculium etiam ad proprios vitae communis usus, depositum tantum ad bona aliqua opera, vel etiam ad alios honestos usus praeter id quod ad vitam communem pertinet, conceditur.

(c) Hoc decretum confirmarunt Congr. xvi, *decr.* 27, — Congr. xx, d. 7, n. 3, — Congr. xxii, dd. 25 et 26.

(d) Decretum Congr. xii prima fronte videtur contradicere declarationi Patris Aquavivae; sed conciliari possunt. 1) Congr. xii prohibet ne Nostri sibi *quaerant* aut *procurent* ea quae vitae sunt necessaria, nec id ei Superiores valide permittere possunt. Pater Aquaviva permittit in genere, ut si quid *ultro offertur,* inferior possit cum Superioris licentia accipere. 2) Decretum Congr. xii non respicit nisi victum, vestitum, supellectilem ; declaratio Patris Aquavivae omnia quae ultro offeruntur respicit, et etiamsi exciperentur victus, vestitus ac supellex, quoad alia remaneret. Sed etiam si vestis alicui offertur, si aegro cibus delicatior mittitur, accipi posse videtur.

1. **Peculium** Societas nullo modo unquam permisit, ut constat ex dictis de vita communi (n. 11).

2. **Deposita** proprie dicta Societas non ita omnino prohibuit, verumtamen nonnisi cum restrictionibus concessit, tum propter alias rationes, tum quia facile est paulatim ea ad propria commoda impendere; saepiusque institit ad resecandos omnes abusus[a].

Iam S. Ignatius plura statuerat. Exam., c. IV, n. 4: « Nemo pecuniam apud se nec apud amicum aliquem externum in eodem loco habitantem habere potest »[b]. Const., P. VI, c. 2, n. 11: « Nihil proprium domi teneri, ita nec foris apud alios potest ».

Congr. XII, d. 41, praecludit omnem viam ad eludendam hanc Constitutionum praescriptionem. « Etsi et Praepositorum Generalium litteris statutum satis iam videtur, Nostrorum neminem posse pecuniam habere depositam vel apud alium, penes quem eius dominium remaneat, vel apud se, ita ut dominium spectet ad alium, ac ea tum deinde obtenta Superioris facultate uti; hancque facultatem nullam ac irritam esse declaravit A. P. N. Vincentius Caraffa, sive huiusmodi depositi conscius Superior fuerit, sive non: hoc tamen iterum ac magis praesenti decreto Congregatio declarat atque confirmat »[c].

Restrictiones autem et conditiones quibus deposita coarctantur, praescribuntur Congr. XII, d. 42, — Congr. XVI, d. 27, — Congr. XX, d. 7, nn. 2 et 3, — Congr. XXII, d. 26, nn. 1 et 3. Sunt eae quae sequuntur:

a) Deposita raro tantum iustasque ob causas, iunioribus praesertim et coadiutoribus, permittantur (Congr. XII, d. 42).

b) Eiusmodi deposita apud Superiorem domus servari debent. Ita Congr. XII, d. 42; et Congr. XX, d. 7, voluit ne Superiores dispensare valeant ut aliquis Nostrorum pecuniam huiusmodi quocumque praetextu apud se retineat.

c) Superiori libera remanet dispositio depositi, inscio etiam

---

12. (a) Qui abusus timeri possint, desumere licet ex *Actionibus* 22 et 23 Congreg. XVI.

(b) Cur ponatur restrictio « in eodem loco » explicatur in Constit. P. VI, c. 2, *litt.* H. Ponitur propter scholasticos qui, dum bonorum suorum dominium servant, tum alias res, tum pecuniam apud externos quidem habere possunt, sed non « quae in praesentia subsint eorum dispositioni ».

(c) Deposita huiusmodi non sunt per se contra votum paupertatis (Lugo, d. III, n. 150): in Societate igitur lege speciali sunt prohibita.

aut invito inferiore; ita tamen ut, si datum fuerit ad certum opus, in illud non in aliud impendatur (Congr. xxii, d. 26).

d) Ne eiusmodi deposita alantur et aliquo modo perpetua fiant, Superioribus commendatur (ib.).

3. **Mutuum.** — Congr. xvi, d. 28, statuit: « Ut variis periculis et incommodis occurratur, Congregatio prohibet omnibus Nostris in virtute sanctae obedientiae: ne quis, sine expressa superioris facultate, pro se vel pro aliis ab ullo externo mutuam accipiat pecuniam, etiam in pios usus expendendam ».

Notandum est non dici esse contra votum paupertatis id quod praecepto obedientiae prohibetur. Revera in discussione huius decreti, plures censebant non opus esse decreto, « quia, in re tam evidenter voto paupertatis prohibita, praeceptum obedientiae non magis terrebit quam religio voti »; sed alii putabant non deesse casus in quibus dubitari possit an talis pecuniae mutuatio sit contra votum paupertatis, v. g., si mutuetur pro determinato aliquo, et sit spes certa restituendi. — Cum requiratur facultas *expressa,* praecluditur porta ut quis reputet se mutuum contrahere posse cum praesumpta licentia. Tunc enim, si non contra votum paupertatis, saltem contra votum obedientiae peccaret.

4. **Legata confidentialia**[d]. Congr. xii, d. 38: « Congregatio omnibus interdictum voluit legatorum huiusmodi executionem acceptare, eaque plane ratione qua Const., P. vi, c. 3, n. 7, testamentorum executio prohibetur »[e].

Est igitur prohibitio; sed non ideo res esset contra votum paupertatis. Quod probatur tum ex rei natura: quia, in acceptando et exsequendo talia legata, nullus fit actus proprietatis nullusve habetur usus cuiuscumque rei tamquam propriae; tum ex ipsis verbis decreti: nam testamentorum executio prohibetur in P. vi Constitutionum, non quidem in c. 2, quod est de paupertate, sed in c. 3, quod est de aliis rebus; tum tandem ex ratione quae affertur ad prohibendum, scilicet quia « est res saecularis, a qua NN. abstinere debent, ut spiritualibus vacent ». Ergo legata confidentialia, quae ea plane ra-

---

(d) Legata confidentalia sunt ea quae testator testamento relinquit alicui personae, cui vivens manifestavit suam voluntatem de usu huius legati.

(e) De sensu huius Constitutionis videri potest Lugo, *Resp. mor.*, l. iv, dub. 29.

tione prohibentur qua testamentorum executio, non sunt materia voti paupertatis.

13. Negotiatio et quaecumque speciem habent negotiationis. — Ea ad paupertatem etiam referri possunt. Iure communi aut Instituti legibus prohibentur.

Ius commune omnem negotiationem clericis et religiosis interdicit (vide c. XI, n. 10). Institutum ea etiam, quae speciem negotiationis habent, prohibet.

Haec interdictio iam aliquo modo indicatur in CONSTIT. P. VI, c. 2, *litt.* F, et c. 3, n. 7; sed magis explicite CONGR. II, d. 61: « Omnia quae speciem habent saecularis negotiationis, in colendis videlicet agris, vendendis in foro fructibus, et similibus, intelligantur prohibita esse Nostris ».

CONGR. VII, d. 84, quatuor enumeravit quae negotiationis speciem habent, quin hac enumeratione omnia recensere voluerit. Sunt autem 1° conducere agros alienos ut ex eis lucrum et quaestum faciamus; 2° emere aliqua, ut nostra postea industria carius vendantur; 3° typographiae sumptus pro edendis Nostrorum libris suppeditare, exemplaque damno lucroque nostro divendenda accipere; 4° typographiam habere in collegiis, in qua libri excusi externis divendantur ». Vide tamen exceptiones in ipso decreto.

Si haec prohibita exerceantur, an habeatur tantum violatio Instituti, an peccatum contra legem Ecclesiae, an peccatum contra votum paupertatis, in casibus particularibus videndum est. Revera, si haec fiant a Superioribus aut cum illorum licentia, saltem in collegiis, non apparet facile ubi sit vitium proprietatis vetitae.

Quoad sumptus pro typographia, notandum venit id quod legitur in ORDINATIONE P. BECKX, *de evulgandis Nostrorum libris*, § 17: « Generatim vetitum est d. 84, § 3, CONGR. VII, typographiae sumptus pro edendis Nostrorum libris suppeditare et exempla damno lucrove nostro divendenda accipere. Ubi autem aliorum periculo edantur, non est prohibitum scriptoribus, conscio et approbante Provinciali, vel pro manuscripto iustum pretium vel certum exemplarium numerum exigere,... quae etiam vendi possint » [a].

---

13. (a) Hic est aliqua difficultas. Certe contractus onerosus potest fieri inter Societatem et extraneos: res aliquas temporales eis vendere licet. Sed pro manuscriptis specialis est ratio dubitandi an vendi possint. Nam scribere libros videtur unum esse ex ministeriis Societatis propriis, pro

14. Stipendium et eleemosyna in compensationem pro ministeriis. — Nostri, ex prohibitione Instituti, non possunt recipere stipendium ullum aut eleemosynam in compensationem pro ministeriis spiritualibus, necnon et pro aliis quibuscumque officiis quibus Societas dat operam et nominatim pro munere docendi.

Ut bene intelligatur in hac re mens S. Ignatii et Instituti, plura distinguere oportet: 1° circa notionem stipendii et eleemosynae; 2° circa diversos modos quibus peti vel accipi potest; 3° circa varia Societatis ministeria. Deinde attente perpendi debent loca ubi S. Ignatius hanc materiam tractat, et similiter varia decreta Congregationum generalium.

1° *Stipendium* est id quod ex iustitia propter praestitam operam debetur aut datur. — *Eleemosyna in compensationem* est illa quae datur intuitu operae praestitae ad illam compensandam, etiamsi ex iustitia non debeatur. — Sed praeter eam, plures *aliae eleemosynae* diversi generis, quae Nostris dari possunt, distingui debent: *a)* eleemosyna pura et liberalis, quae fit omnino spontanee et gratuito; *b)* eleemosyna quae datur pro viatico aliisque expensis necessariis factis a religioso cuius opera adhibetur; *c)* eleemosyna pro sustentatione religiosi, principaliter pro eius victu; *d)* eleemosyna data ad significationem grati animi, post operam praestitam, quin comparatio fiat inter operam et eleemosynam atque haec habeatur tamquam compensatio illius.

2° *Stipendium aut eleemosyna* potest *a)* vel simpliciter admitti, si datur; *b)* vel ante praestationem operae, poni ut conditio sine qua non operae, sive intercedat pactum strictum ex iustitia, sive simplex promissio et ideo obligatio ex sola fidelitate; *c)* vel peti post praestitam operam; peti autem potest aut tantum veluti quid conveniens et ex aequitate debi-

---

quibus stipendia accipere prohibetur. Nonne quemadmodum gratis docet, gratis quoque scribere tenetur, etiamsi non agatur de ministerio spirituali? — Responderi forsan potest, iuxta ea quae nn. 15 et 16 mox dicentur, prohiberi quidem stipendium et eleemosynam in compensationem pro ipso ministerio, non autem pro expensis saepe factis haud modicis, nec pro sustentatione debita et necessaria. — Insuper prohibetur stipendium accipere ab iis in quorum favorem ministerium exhibetur; sed non scribitur in favorem bibliopolae: pro bibliopola manuscriptum non est nisi res temporalis pretio aestimabilis. Ergo ipsi manuscriptum vendi potest.

tum, aut etiam veluti aliquid ex fidelitate debitum propter promissionem, imo ex iustitia propter pactum; *d)* vel potest omnino exigi, etiam in foro publico coram iudice.

3° *Ministeria Societatis* sunt: *a)* ministeria spiritualia in bonum animarum, scilicet SS. Missae sacrificium, Sacramentorum administratio, praedicatio, lectio sacra (cui S. Ignatius assimilat lectionem theologiae), catechismi traditio, Exercitia spiritualia; *b)* iis proxime accedunt opera misericordiae: visitatio pauperum, vel infirmorum in hospitiis, vel incarceratorum, reconciliatio dissidentium; *c)* quodlibet docendi munus; *d)* quodcumque aliud ministerium in utilitatem proximi.

1. **Quid Examen et Constitutiones hac de re statuant.** Exam., c. 1, n. 3: « Nec etiam, quamvis aliis sit licitum, pro Missarum sacrificiis, vel praedicationibus, vel lectionibus, vel ullius sacramenti administratione, vel quovis alio pio officio ex iis quae iuxta suum Institutum Societas potest exercere, stipendium ullum vel eleemosynam, quae ad compensationem huiusmodi ministeriorum dari solent, ab alio quam a Deo.... possunt admittere » [a].

Const., P. VI, c. 2, n. 7: « Omnes, qui sub obedientia sunt Societatis, meminerint se gratis dare debere quae gratis acceperunt, nec postulando nec admittendo stipendium vel eleemosynas ullas, quibus Missae vel confessiones vel lectiones vel visitationes vel quodvis aliud officium ex iis quae Societas iuxta nostrum Institutum exercere potest, compensari videatur » [b]. Et n. 8: « Ut omnis avaritiae species evitetur, *praecipue* in piis ministeriis, quibus ad animarum auxilium Societas utitur.... ». *Litt.* G: « Non debet quidquam accipi, tamquam stipendium vel eleemosyna pro iis quae ob solum Christi D. N. obsequium eis (sc. benefactoribus) communicantur, ita ut hoc detur aut accipiatur pro illo » [c].

P. VII, c. 4, n. 4: « Missarum etiam sacrificiis (Nostri proxi-

---

14. (a) Hic notandum est, voce « lectionibus », quae invenitur inter voces « praedicationibus » et « Sacramenti administratione », non posse intelligi nisi lectio sacra, sc. lectio Scripturae Sacrae, quae fit in ecclesiis.

(b) *Lectiones* hic etiam Sacrae Scripturae intelligi debent; *Visitationes* autem, pauperum, infirmorum in hospitiis, incarceratorum.

(c) Ex *d.* 37 Congr. 1 habemus verba « vel eleemosyna pro iis quae ob solum Christi D. N. obsequium eis communicantur » fuisse a Congregatione textui S. Patris addita.

mum) iuvare possunt, et aliis divinis officiis, nulla pro eis eleemosyna accepta ». *Litt.* B, additur tamquam declaratio ultimi incisi: « ut in sexta parte explicatum est ».

P. X, n. 5: « Refert plurimum.... procul admodum omnem avaritiae speciem ablegasse, nullos redditus vel possessiones vel stipendia pro verbi Dei praedicationibus, aut lectione, aut Missis, aut administratione Sacramentorum, aut demum rebus quibuslibet spiritualibus, ut est in sexta parte dictum, admittendo.... »

P. IV, c. 7, n. 3: « Cum tam proprium sit nostrae professionis, nullum temporale praemium accipere pro spiritualibus ministeriis, in quibus iuxta nostrum Institutum in proximorum auxilium occupamur, non convenit ullam collegii dotationem admittere, per quam ad dandum concionatorem, aut confessarium, aut lectorem aliquem theologiae Societas obligetur ». Ratio haec datur: quia « non sunt recipiendae obligationes vel conditiones, quae sinceritatem impediant nostri in procedendo modi, qui est dare gratis quod gratis accepimus ». Et additur: « quamvis pro eorum sustentatione, qui communi bono collegiorum serviunt vel propter illud student, dotatio, quam fundatorum charitas assignare ad gloriam divinam solet, admittatur ». — *Litt.* E, ad verba « Lectorem theologiae » fit haec declaratio: « Ubi Praep. Generalis vel Societas curam susciperet alicuius Universitatis, non repugnaret huius Constitutionis intentioni ut sese ex consequenti obligaret ad lectiones illius ordinarias, quamvis inter illas aliquae theologicae essent ».

Super hoc textu tria notanda veniunt. *a)* Haec Constitutio, sc. P. IV, c. 7, n. 3, cum eius declaratione E, non erant in libro Constitutionum, sed extra corpus libri Constitutionum repertae sunt, a S. P. Ignatio non recognitae, quod sciatur; sed in ipsum librum introductae fuerunt a Congregatione prima (vide CONGR. I, dd. 72, 74, 75).

b) Tempore S. Ignatii, munus docendi theologiam a multis habebatur tamquam ministerium spirituale. Inde est quod hic ministeriis spiritualibus assimilatur [d]. In hoc loco enim non agitur de munere docendi alias scientias, sed tantum theologiam.

(d) Sed haec sententia est antiquata. Cf. CIRAVEGNA, n. 54, qui refert epistolam Patris Claudii, hac ratione explicantis cur fiat hic mentio lectoris theologiae.

c) Quod hic prohibetur est accipere dotationem *specialem* qua Societas obligetur ad dandum concionatorem, aut confessarium aut lectorem theologiae, ita ut obligatio commensuretur dotationi: nam tunc fieret aliqua comparatio et compensatio inter ministerium spirituale et dotationem specialem. Si autem agitur de dotatione generali, non prohibetur eam accipere talem, ut ex ea sustentari valeant etiam confessarii, concionatores, et lectores theologiae; imo ex declaratione, potest non tantum *admitti* dotatio quae ad hos sustentandos sufficiat, sed etiam, oblata dotatione, suscipi *obligatio* dandi lectorem theologiae (e).

P. IV, c. 15, n. 4: « Quemadmodum gratis docet, ita et ad gradus Societas gratis promoveat ». Hic incidenter et quasi res nota profertur obligatio gratis docendi, quamvis nusquam alias explicite sit expressa, imo potius in aliis locis prohibitio recipiendi stipendia et eleemosynam in compensationem videatur restricta ad ministeria spiritualia. — Additur: « Videat etiam Rector ne magistris vel ullis aliis de Societate sibi aut collegio pecuniam aut dona quaevis ab ullo, pro re quavis in ipsorum utilitatem facta, accipere permittat: quando quidem praemium nostrum solus Christus Dominus iuxta nostrum Institutum futurus est, qui est merces nostra magna nimis ».

Fere iisdem verbis dicitur in EXAM., c. IV, n. 27: « Quandoquidem exigit nostrae professionis ratio, ut parati et in procinctu simus ad ea omnia, quae quovis tempore in Domino nobis iniuncta fuerint, nec petendo nec expectando praemium ullum in praesenti hac et labili vita; sed eam quae undecumque aeterna est, ex summa Dei misericordia semper sperando ».

Tandem P. IV, c. 17, *litt.* F, dum permittitur ut in Universitate notarius (qui non sit de Societate) percipiat aliquod com-

---

(e) An ex hac declaratione obligatio assumi posset dandi concionatorem vel confessarium, dubium est, praecise quia S. Ignatius non permittit explicite nisi assumere obligationem dandi lectorem theologiae : si voluisset permittere etiam ut ex dotatione generali obligatio assumeretur dandi concionatorem vel confessarium, illud dixisset. Insuper est ratio specialis permittendi ut assumatur obligatio circa lectorem theologiae: scilicet quia ubi acceptatur cura Universitatis, lectiones theologiae omnino fieri debent. Totus textus num. 3 favet huic restrictioni. Attamen non est omnino evidens quod, acceptata dotatione generali, prohibeatur assumere obligationem ex consequenti dandi concionatorem aut confessarium, si fundator exigat. — Cf. CIRAVEGNA, nn. 56 et 57.

modum ab iis qui testimonium suorum graduum ab ipso requirent, additur conditio: « Nihil in Societatis commodum redundet ».

Habetur praeterea in 2ª FORMULA INSTITUTI (1550): « Gratis omnino et nullo pro suo in praedictis omnibus labore stipendio accepto ». *Praedicta* autem quae enumerantur, sunt « praedicationes, lectiones et aliud quodcumque verbi Dei ministerium, Exercitia spiritualia, puerorum ac rudium in Christianismo institutio, confessiones et aliorum Sacramentorum administratio, dissidentium reconciliatio, visitatio carcerum et hospitalium, ac reliqua charitatis opera ».

5° Collatis omnibus his locis, sequentia tamquam mens genuina S. Ignatii haberi possunt:

a) Certo prohibetur tum petere tum admittere stipendium aut eleemosynam in compensationem pro ministeriis spiritualibus.

b) Debemus gratis docere; unde prohibemur quidquam accipere pro munere docendi.

c) Videtur etiam stipendium aut eleemosyna in compensationem prohiberi pro quocumque Societatis ministerio. — Nam quamvis de solis ministeriis spiritualibus agatur in fere omnibus locis allatis (et non sunt alia de hac quaestione), attamen P. IV, c. 15, n. 4, prohibetur magistris accipere pecuniam aut dona *pro re quavis* in utilitatem cuiusquam facta; in EXAM., c. IV, n. 27, dicitur nos deberi esse paratos *ad omnia* quae nobis iniuncta fuerint, nec petendo, nec exspectando praemium ullum in hac vita; P. VI, c. 2, n. 7, prohibemur accipere stipendium aut eleemosynam ullam, quo *quodvis aliud officium,* ex iis quae Societas exercere potest, compensari videatur.

d) S. Ignatius restringit prohibitionem ad stipendium et ad eleemosynam in compensationem (f).

Valde enim notandum est, ubicumque S. Pater prohibet eleemosynam pro ministeriis accipere, semper explicare hanc eleemosynam, quam prohibet, esse eleemosynam in compensationem (Exam. c. I, n. 3; P. VI, c. 2, n. 7), aut eleemosynam

---

(f) Praeterea prohibet *dotationem specialem* pro ministerio spirituali in collegiis admittere (CONST., P. IV, c. 7, n. 3), necnon *redditus* aut *possessiones* pro iisdem ministeriis (P. X, n. 5). Sed nunc de stipendiis et eleemosynis agitur, et dicitur solum prohiberi stipendium et eleemosynam in compensationem, non alias eleemosynas.

qua hoc datur pro illo (ib. *litt.* G), vel remittere ad haec loca (P. VII, c. 4, n. 4, et P. X, n. 5). Ipsi patres Congregationis V, prohibendo, d. 29, eleemosynam pro ministeriis accipere, hanc limitationem « eleemosynae in compensationem » retinuerunt, ut mox dicetur.

Ideo elemosynae, quae non sint in compensationem, tum a S. Patre tum a Congregatione implicite admitti videntur. Eae autem sunt: *a)* eleemosynae omnino liberales et spontaneae, *b)* eleemosynae pro viatico et aliis expensis factis, *c)* eleemosynae etiam pro sustentatione.

Contra tertiam assertionem, nihil posse in compensationem cuiuscumque Societatis ministerii accipi, aliqui arguunt, conando explicare tria loca Instituti allata in quibus fundatur.

Primo, circa ultimum textum, notant in P. VI Constitutionum, unde locus desumitur, agi de solis professis et coadiutoribus formatis: hos autem unice ministeriis spiritualibus destinari; igitur illud « quodvis aliud officium » intelligi debere de ministerio spirituali; animadvertunt praeterea, omnia officia ante enumerata, sc. missas, confessiones, lectiones, visitationes, esse ministeria spiritualia, ergo illud « quodvis aliud officium » intelligi debere de officio eiusdem generis; deinde observant, in loco parallelo Examinis, c. I, n. 3, dici « vel quovis alio *pio* exercitio », ergo etiam hic de pio officio, seu de ministerio spirituali sermonem esse. — *Secundo,* quoad ea quae leguntur in Examine, c. IV, n. 27, dicunt illa non habenda esse tamquam strictam praescriptionem, sed ibi tantum commendari dispositionem internam et maioris perfectionis, ut non raro fit; eo magis quod ea obiter proferuntur, occasione mendicationis quae NN. aliquando imponi potest. — *Tertio* dicunt, in P. IV, c. 15, agi de aliquo casu particulari, scilicet de magistris, qui iam ex dotatione collegii vivunt, et iis prohiberi praeter dotationem, dona aut pecuniam accipere, nec deesse rationes ad explicandam hanc specialem prohibitionem. — Ita illi; nec forte istis observationibus deest omnis probabilitas.

15. Decreta Congregationum circa stipendia et eleemosynas.

Congregationes, praeviis his S. Parentis legibus, magis definierunt quaenam eleemosynae permittantur, quaenam prohibeantur.

1. Ex ipsis constat, eos qui acciperent stipendium aut eleemosynam in compensationem pro ministeriis Societatis, peccare non solum contra Constitutiones, sed contra votum paupertatis. Equidem CONGR. V noluit rem definire, sed CONGR. XII eam omnino supponit, et CONGR. XVII (*in Actis*) plane asserit.

CONGR. V interrogata fuit « an accipere aliquid pro ministeriis Societatis tamquam stipendium vel eleemosynam in compensationem sit contra votum paupertatis Societatis vel contra Constitutionem tantum? — Ei placuit nihil in alterutram partem definire aut declarare, sed exactissimam illius gravissimae Constitutionis observationem, ad maiorem aedificationem et *paupertatis nostrae sinceritatem ac puritatem retinendam pernecessariam*, vehementer omnibus commendare; ac omnino prohibere, ne ullus Superior, ac ne ipse quidem Praep. Generalis in ea dispenset » (CONGR. V, d. 29) [a].

CONGR. XII, d. 39, huic decreto duo addidit: 1° videtur definivisse acceptationem stipendii vel eleemosynae in compensationem esse contra votum; et 2° statuit licentiam a quocumque Superiore datam fore irritam. Ecce decretum: « Fuit a Congregatione postulatum ut declararet, an accipere aliquid tamquam stipendium vel eleemosynam in compensationem pro missis, concionibus, aliisque id genus Societatis nostrae ministeriis, *ita sit contra paupertatis nostrae votum*, ut non tantum id re ipsa non liceat, sed neque ex ulla Superiorum licentia fieri licitum possit. Censuit Congr. ex dec. 29 Cong. V^ae videri satis clarum ex nulla Superiorum licentia id fieri licitum posse. Ne tamen in ea re ullus supersit dubitandi locus, declarat insuper: Nullius Superioris, ac ne Generalis quidem, posse super ea vel licentiam vel dispensationem seu licitam seu validam esse ».

Super hoc decreto duo notanda veniunt: 1° Id quod Congr. V noluit definire, hic supponitur in postulato tamquam certum,

---

15. (a) Idem refert SUAREZ de Congregatione II (tr. X, l. IV, c. 8, n. 9), et ipse, discussis rationibus ex utraque parte (nn. 6 et 11), concludit (n. 11): « Haec igitur controversia mihi dubia est, et facile potest pro utraque parte defendi ». Ex his autem quae addit, iam post decretum 39 Congr. XII dubitari nequit esse contra votum. Dicit enim: « Si religiosus Societatis accipiat haec stipendia sine ulla licentia, clarum est incurrere in vitium proprietatis ». Porro Congr. XII declaravit omnem licentiam ad hoc datam esse invalidam. Ergo etiam qui accipit cum licentia, quoniam licentia est invalida, in vitium proprietatis incurrit (rem obiective considerando).

sc. acceptare stipendium aut eleemosynam in compensationem esse contra votum. Verum est definitionem non inveniri in parte dispositiva decreti; sed si dubia res Congregationi fuisset, non permisisset poni in decreto, absque ulla observatione, « an ita sit contra votum, ut ». Congregatio, haec verba admittendo, admittit esse contra votum. — 2° Dum Congr. v loquitur de stipendio vel eleemosyna *pro ministeriis Societatis,* Congr. XII adhibuit verba *pro missis, concionibus, aliisque id genus Societatis nostrae ministeriis,* sc. expressionem generaliorem qua ministeria omnia Societatis comprehendebantur, ad sola ministeria spiritualia restringere videtur.

Tandem CONGR. XVII (in *Actis, sess.* 33) censuit « tam clarum esse ex decreto 39 Congregationis XII, quod peccet in paupertatis votum qui in compensationem aliquid accipit, ut non sit opus nova declaratione ».

II. Decretis Congregationum aliisque documentis fuit magis determinatum quae eleemosynae et quibus cautionibus admitti possint. Documenta sunt: Congr. VI, d. 39, n. 4. — Caput I Ordinationum Generalium, n. 14. — Epistola Patris Sotwelli supra hanc ordinat. — Epistola P. Piccolomini. — Congr. XII, d. 40. — Congr. XIV, d. 25. — Congr. XXII, d. 42. — CONGR. XXIV, d. 18.

Congr. VI, d. 39, n. 4, statuit: « De eleemosynis vero, quae Nostris aliquando mittuntur, postquam alicubi concionatum est in Adventu aut in Quadragesima, aliove tempore, servetur diligenter, quod in Instructione dicitur a R. P. N. Generali (Claudio) hac de re edita ». Porro in Instructione hac, ex qua desumptum est c. I, ORDINAT., n. 14, dicitur: « Si (eleemosynae) ab iis mittantur quorum filii scholas nostras frequentant, et coniectura sit, sumpto iudicio ex circumstantiis personarum ac modo dandi et loquendi, mitti *pro compensatione vel intuitu ministerii,* admitti non debent, donec plane intelligant, accipi non posse nisi nomine eleemosynae, *secluso omni alio respectu,* atque hoc eodem modo ipsi quoque largiantur. Idem est iudicium de eleemosynis quae, postquam Nostri alicubi concionati sunt, ad domos vel collegia quandoque mittuntur a Praelatis vel a civitatibus vel ab aliis ».

Interrogatus P. SOTWELLIUS, secretarius Societatis, super sensu huius Ordinationis, respondit 1 *maii* 1665: « Multos alios pridem torsit dubium R^ae V^ae, et satis stricte concepta fuit illa P. Claudii explicatio n. 14. Recentiora responsa Generalium sunt aliquanto molliora, et permittunt admitti eleemo-

synas etiam post ministeria, quando offeruntur ex gratitudine, et praemissa, ut saepe fit, protestatione ex parte nostra, nos non posse accipere pro compensatione aut stipendio.... Quare verba illa « pro compensatione vel intuitu ministerii » intelligi debent: intuitu ministerii per compensationem vel stipendium remunerandi. Et congruit decisioni seu declarationi, quam invenio approbatam manu S. P. N. Ignatii, qua dicebatur ponendum esse in Bulla pro Instituto, non posse nos accipere pecunias seu illorum valorem pro Missis, nec pro administratione Sacramentorum, et pro verbo Dei, vel pro aliis ministeriis; ita tamen ut nullus scrupulus relinqueretur accipientibus eleemosynas *post* eiusmodi Missas, etc., sed non *pro* illis. Haec approbavit S. Ignatius circa annum 1548. » Ita P. Sotwellius anno 1665 (Apud Ciravegna, *docum.* viii, p. 151).

Congr. xii (1682), *decreto* 40, distinguit inter eleemosynam datam pro viatico vel sustentatione, et eleemosynam quae ultra daretur: illa simpliciter accipi potest, haec nonnisi ultro et sponte detur ac titulo purae et liberalis eleemosynae. Deinde aliqua statuit. *a)* Vult ut stipendium concionatori oblatum ab ipso non admittatur, sed potius offerens stipendium remittatur ad Superiorem, nisi concionator alibi quam ubi sit domicilium Societatis concionatus fuerit. — *b)* Sive Superior sive concionator « nihil praeter id quod ad sustentationem et viaticum expensum necessariumve fuerit admittet », declarando offerenti quod nihil possit ultra accipere, « ideoque quidquid ultra reliquum fuerit, reddat ». — *c)* « Si tamen urgeat ille, velitque ultro et sponte ac titulo purae et liberalis eleemosynae dare, poterit in eo casu accipi in utilitatem domus seu collegii ».

Iam antea P. Piccolomini, in *Epistola* 28 *ian.* 1651, aiebat § 5: « Poterit tamen pro concionatoribus nostris, quando concionantur extra nostras ecclesias, admitti sine scrupulo quantum necesse est pro viatico et honesta sustentatione tempore concionum, ut saepe declararunt P. Lainius, P. Claudius, P. Mutius » (apud Ciravegna, *Docum.* ii).

Congr. xiv, d. 25, explicans et corrigens verba, non sensum, decreti 40 Congr. xii, non vult ut eleemosyna accepta pro viatico et sustentatione dicatur stipendium, aut eleemosyna in compensationem pro ministerio, cum revera non sit compensatio pro ministerio.

Congr. xxii, d. 42, eamdem quaestionem novo examini subiecit, occasione retributionum scholarium (de quo, infra n. 23);

res per plures actiones discussa fuit, et in decreto dicitur: « Cum varia, quae in Constitutionibus, Congregationum decretis et responsis Praepositorum Generalium hac de re habentur, serio fuissent examinata atque perpensa, Congregatio quidem censuit: certissime nihil licere Nostris *pro ministeriis vocationis nostrae* accipere in compensationem seu stipendium; verum ubi agitur de debita ac necessaria Nostrorum sustentatione, quae aliter haberi non potest, maior Congregationis pars opinabatur id Instituto nostro non prohiberi ». Congr. xxiv, d. 18, hanc sententiam, repetitis iisdem verbis suam fecit.

In his duobus decretis duo notanda sunt: 1° Congr. censet stipendium seu eleemosynam in compensationem non posse accipi *pro ministeriis vocationis nostrae,* et ideo non tantum pro spiritualibus ministeriis, sed pro quibuscumque ministeriis Societatis; et revera in casu agebatur de munere docendi, — et hoc « certissimum » habet. — 2° Animadvertenda sunt verba « *debita* ac *necessaria* sustentatio ». Quando Nostri operam suam in utilitatem proximorum impendunt, sustentatio eis ex aequitate *debetur;* ergo oblata accipi potest. Haec eleemosyna pro sustentatione non est compensatio pro ministerio, sed sola subministratio operanti facta eorum quae necessaria sunt ut operam suam praestet, quin inde commodum quodcumque percipiat. Sed si insuper sustentatio aliter haberi nequit, tunc non tantum est debita ex aequitate, sed est necessaria omnino, et proinde ut conditio sine qua non ex necessitate apponi potest.

Congr. xxiv, *Act.* 45 (quamquam decretum facere noluit, quia de re omnino exceptionali agebatur) permisit residentiis Angliae, quae adnexam parochiam habent, ut Patres parochiae addicti sustentationem a beneficio parochiae seu ab oblationibus fidelium aut iuribus stolae acciperent.

16. Tota haec quaestio sic breviter resumi potest.

1. *Stipendium* seu *eleemosyna in compensationem* pro Societatis ministeriis quibuscumque admitti nequit, et qui admitteret non tantum contra Institutum, sed etiam contra paupertatis votum peccaret.

2. *Eleemosyna pura et liberalis* semper admitti potest. Et talis est eleemosyna etiam post ministerium oblata, si offerens sponte et ultro eam praestet et sciat nos nihil posse accipere, nisi titulo merae liberalitatis.

3. *Eleemosyna pro sustentatione* simpliciter *accipi* potest; imo si sustentatio aliter haberi nequit, potest *peti* aut etiam *poni uti conditio sine qua non ;* non autem, ut videtur, in pactum strictae iustitiae deduci. — Si autem sustentatio aliter habeatur, tunc eleemosyna pro sustentatione admitti quidem posset, sed non videtur posse poni uti conditio sine qua non nec etiam peti [a].

4. Eleemosyna, seu potius *compensatio pro viatico et aliis expensis necessariis*, videtur non tantum ex aequitate, sed ex iustitia deberi; hoc enim est de natura rei, etiamsi nullum pactum intercesserit, quanquam non conveniat ut in foro repetatur.

17. De stipendiis missarum. — Prohiberi acceptationem stipendii pro missis, patet ex dictis tribus nn. praecedentibus.

Congr. xvi nonnulla circa eleemosynas seu stipendia pro missis determinavit.

1° Ab ea « postulatum fuit ut Congr. declararet, an contra regulam et paupertatem peccet is, qui oblatam pro missa eleemosynam non accipit pro se, sed ut eam pauperibus largiatur. Censuit Congr. eum utique peccaturum, si oblatam eleemosynam non omnino relinquat offerentis arbitrio, sed de illa etiam ad pios usus quacumque ratione disponat » (*decr.* 21).

In responso ergo Congr. affirmat illum peccare; sed non dicit, utrum contra solam regulam, an etiam contra paupertatem. Interrogatio tamen non erat, an peccaret contra solam regulam aut etiam contra votum, sed an peccaret contra regulam et votum; respondendo affirmative sine distinctione, sensus est quod peccet contra utrumque, scilicet quia regula voti materiam determinat (Vide cap. viii, n. 22, 5°).

2° In *Actis* eiusdem Congr. legitur postulatum fuisse, quid censendum sit de sacerdote nostro qui, nulla accepta pecunia, obligatione se adstringit missas celebrandi pro externis sacerdotibus, qui plurium quam possunt missarum celebrandarum onus suscipiunt. Responsum fuit: Si sacerdotes externi nondum acceperunt stipendium, sacerdos Societatis non debet

---

16. (a) Ratio cur admitti possit, est quia ex aequitate debetur; ratio cur non possit poni ut conditio, nec etiam peti (si sustentatio aliter habeatur et ideo non sit absolute necessaria), est illa quam saepe inculcat S. Ignatius: quod « tam proprium sit Societatis gratis dare quod gratis accepimus »; unde si necessitas absoluta non cogat petere, gratis dat.

sumere hanc obligationem. — Duplex ratio esse potest: prima, quod sacerdos Societatis aliquo modo de stipendio videretur disponere: ab eius enim obligatione dependet ut sacerdotes externi accipiant aut non accipiant stipendia; alia, quod sacerdos Societatis postea ex iustitia ad missas dicendas obligaretur. — Si autem externi sacerdotes iam acceperunt stipendia, potest hanc obligationem suscipere, ut docent AA. probatissimi. Ratio est, quia mera caritas tunc exercetur, nulla est aequivalens stipendii dispositio, et obligatio suscepta a sacerdote Societatis est merae fidelitatis (dummodo, si missas non dicat, moneat sacerdotem externum). Noluit tamen Congregatio de ea re decretum facere.

3° Eadem Congr. (in *Actis* etiam) declaravit nullo modo licere sacerdoti nostro dicere missam ad intentionem alterius, ea conditione ut hic eleemosynam ordinariam pauperi aut operi determinato largiatur. — Sic enim videretur aequivalenter accipere stipendium pro missa ac de eo disponere; ideo hic casus in alium, sc. decreti 21, reincidit. Nihilominus Congregatio censuit non esse faciendum decretum « ad rem prohibendam tam aperte legibus nostris repugnantem ac proinde illicitam ».

Praeterea, in Const., P. x, n. 5, dicitur: « Refert plurimum omnem avaritiae speciem ablegasse, nullos redditus vel possessiones vel stipendia, pro verbi Dei praedicatione, aut lectione, aut missis, aut administratione Sacramentorum, aut demum rebus quibuslibet spiritualibus admittendo ». Ex his verbis Lugo (*Resp. mor.*, l. iv, *dub.* 30, n. 7) deducit Societatem, aut eius collegium vel domum non posse accipere redditus aut possessionem aut fundum, cum obligatione missas dicendi. Nam hic non tantum stipendia, sed etiam redditus et possessiones pro missis prohibentur [a].

Quaeri potest: Si stipendia vetita illicite accepta fuerint

---

17. (a) Imo, cum redditus et possessiones prohibentur non tantum pro missis, sed etiam pro quibuslibet ministeriis spiritualibus, pari ratione non posset suscipi obligatio missiones dandi, aut lectionem Scripturae sacrae vel aliquam praedicationem habendi. — Attamen forsan aliqua differentia habetur inter haec ministeria, et accipi posset pro missione redditus aut fundus ad honestam sustentationem missionariorum et compensationem aliarum expensarum necessariarum, si haec sustentatio et compensatio aliter haberi non posset. — Quod pro missis locum non habet.

ab uno e Nostris, sive bona sive mala fide, num domus ea retinere potest? — Resp.: si missae nondum fuerint dictae, Superior contractum rescindere debet, ubi potest, et si non rescindit, peccat: quia non rescindendo cum possit, approbat quod ab inferiore factum fuit indebite, et stipendium vere admittit; donec enim habeatur ratificatio Superioris, contractus inferioris non erat firmus (v. cap. VIII, n. 22, 3°). — Si missae iam dictae fuerint, an stipendia restitui debeant vel possint servari, controvertitur. SANCHEZ (*Decal.*, l. VII, c. 18, n. 11) censet esse restituenda; CASTRO PALAO (tr. XVI, d. 3, p. 11, n. 9) putat posse servari: nam (ait) iustitia non violatur, siquidem pactum servatur, nec votum paupertatis violatur retinendo stipendium; violatum quidem fuit, accipiendo stipendium et non rescindendo contractum antequam missae dicerentur, sed hoc iam impediri nequit; ergo retinendo non amplius violatur. P. CIRAVEGNA (n. 135) hanc Palai sententiam multo probabiliorem habet. Sed res non est tam clara. Ultima conclusio (qua dicitur, retinendo stipendium, votum, quoniam antea iam violatum fuit, non amplius violari) non videtur vera aut saltem remanet dubia. Etenim peccatur contra votum paupertatis non tantum rem acquirendo, sed etiam illam indebite servando; ut apparet in eo qui in abdicatione bonorum non se exueret omnibus suis bonis, aut in eo qui rem sibi a Superiore concessam occultat, ne Superior eam forsitan tollat. Idem dicendum videtur de Superiore qui retinet stipendium pro missa acceptum: nam votum paupertatis prohibet stipendium pro missa et accipere et retinere. Simile quid invenitur in furto: peccatum est accipere rem alienam, sed peccatum est etiam rem furto acceptam retinere. Et quamvis retentio non sit necessario peccatum distinctum ab acceptione, attamen qui accepit in statu peccati versatur donec restituat. — Notetur quod in casu nostro, quoniam, missis dictis, non iustitia sed paupertas sola violatur, stipendium servari quidem non potest, sed non debet necessario restitui largitori, qui nullum ius retinet; in bona opera ergo a Superiore (non a subdito) erogari licet.

18. De gravitate materiae in peccatis contra paupertatem. (Cf. dicta cap. praec., n. 30). In ORDINAT. IV, n. 10, determinatur materiam gravem in peccatis contra paupertatem eam esse « quantitatem, quae furto sublata satis esset ad constituendum peccatum mortale contra septimum praeceptum ». Haec regula rem non omnino determinat: nam gravitas furti ex con-

ditione personae, contra quam committitur, desumitur. Iuxta explicationem datam, l. c., materia gravis contra votum paupertatis illa dicenda est quae furto sublata ipsi religioso esset furtum grave, aut, quia nostra conditio externa est conditio honesti sacerdotis, ea quantitas quae honesto sacerdoti sublata furtum grave constitueret.

19. De paupertate in communi in Societate. — Cap. praec. n. 20, dictum fuit non repugnare voto paupertatis, etiam solemni, ut Regulares possideant bona in communi; imo Conc. Trident. hanc facultatem concessisse omnibus Religionibus etiam Mendicantium, exceptis Capucinis et Fratribus Minoribus de Observantia.

Societas Iesu, ex Instituto suo, non eodem modo servat paupertatem in communi in suis diversis partibus et domibus.

1. **De paupertate Societatis professae et eius domorum.** (Suarez, tr. x, l. iv, c. 9). — Determinatur maxime ex Constitutionibus, quibus Congregationes aliquas declarationes ex Constitutionum mente addiderunt.

1. *Quoad possessiones.* Societas professa aut eius domus non possunt habere nisi domum quam habitant, cum ecclesia et horto, ac etiam vineam vel villam ad honestam recreationem aut valetudinem (Const., P. vi, c. 2, n. 5). Et ideo, si alia bona stabilia Societati professae aut alicui ex eius domibus dantur, debet quamprimum (non exclusa tamen opportunitate) ea vendere et pretium pauperibus distribuere [a]. Pauperes, quibus pretium distribui debet, intelliguntur sive ex Societate, sive externi. Unde si ipsa domus indigeret, pretium aut aliquam eius partem retinere posset (ibid., *litt.* E).

2. *Quoad res mobiles.* « Rerum mobilium, pecuniarum vel librorum, vel earum quae ad victum et vestitum pertineant, potest in communi Societas proprietatem ad usum suum habere » (ibid.) [b].

---

19. (a) Quid si benefactor relinqueret legati possessionem cum conditione contraria paupertati Societatis, v. g., domum cum conditione quod non vendatur? — Suarez ait: Societas accipere posset, habita conditione pro non adiecta; sed haeres non teneretur in conscientia legatum tradere, cum de voluntate testatoris non constet, qui forte conditionem tamquam sine qua non adiecerat (l. c., n. 15).

(b) Quantam vim pecuniae, aut quantas provisiones rerum ad vitam utilium conservare posset, non determinatur.

3. *Quoad redditus. a)* Nullos redditus, nec ius ullum ad bona stabilia aut ad redditus certos aut census habere potest, nec redditibus collegiorum uti (P. VI, c. 2, n. 2. — P. X, n. 5. — EXAM. c. I, nn. 3 et 4. — UTRAQUE FORMULA INSTITUTI [c]. — GREG. XIII, C. *Ascendente* (1584) [d].

b) Redditus prohibentur non tantum qui ad sustentationem inserviant, sed etiam qui sint ad sacristiam, ad fabricam aut ad quemlibet alium finem applicati (P. VI, c. 2, n. 2 et *litt.* A) [e].

Declaratur tamen, ibid., *litt.* B : « Si aliquis ex fundatoribus domorum vel ecclesiarum vellet redditus aliquos ad fabricae usum relinquere, dummodo nec dispositio eorum ad Societatem pertineat, nec sit unde competat actio in illos, et sic in rebus similibus, non esset id a paupertate Societatis alienum ». Dicitur etiam quod non prohibetur ut de solutione horum reddituum cura habeatur. Et n. 6 additur, Societatis domos vel ecclesias posse accipere eleemosynas perpetuas, si aliqui sponte sua eas relinqueret, dummodo nullum ius civile ad eas petendas in iudicio acquiratur.

Prohibentur autem non tantum redditus perpetui sed etiam ad aliquos annos, si ius ad eos habeatur: nam paupertas Mendicantium est ut ex incertis vivant eleemosynis. Insuper verba Constitutionum excludunt etiam hos redditus. Ita SUAREZ, l. c., n. 10 [f].

c) Societas professa ex redditibus collegiorum nullum commodum percipere potest (P. VI, c. 2, n. 3, et in pluribus aliis locis hic citatis). — Nihilominus *litt.* D declaratur collegium posse professum hospitem viatico aut eleemosyna iuvare, ves-

---

(c) In prima formula PAULI III, dicitur Societatem non posse habere ius *civile* ad redditus; sed ex aliis locis certum est nec posse habere ius naturale (vide SUAREZ, l. c., n. 5).

(d) Quid si benefactor vellet concedere domui professae usum aut etiam usumfructum alicuius villae? — Si mere usum aut usumfructum *facti,* sine ullo iure concedat, admitti potest: non est enim nisi aliqua eleemosyna, etiamsi per plures annos concederet. Sed non posset admitti ususfructus proprie dictus, sc. *ius usufruendi:* quia esset ius ad redditus annuos; nec etiam *ius utendi,* si domus professa aliam villam habeat: nam una villa, non plures permittuntur. Etiam caveri debet ne villa huiusmodi a paupertate religiosa sit aliena. SUAREZ, l. c., n. 13.

(e) SUAREZ, l. c., n. 3, sic declarat verba « nec ad quemlibet alium finem » : non pro famulis, nec pro novitiis, nec pro hospitibus, nec pro itineribus agendis, multoque minus ut ipsi professi in missionibus ex eis sustentari possint.

(f) De hac declaratione, cf. num. seq. 20, 6⁰.

tes ei praebere, ipsum per aliquot dies in villa ad vires reficiendas aut ad recreationem recipere, et in similibus subvenire », dum tamen expensis collegii, quamdiu sunt in domibus, non alantur. Et P. IV, c. 2, *litt.* F, datur haec regula, quod res istae exiguae pro nihilo reputantur.

4. Societas est incapax *successionis haereditariae* ratione suorum professorum aut coadiutorum formatorum (P. VI, c. 2, n. 12; — GREG. XIII, C. *Ascendente,* 1584). Haec incapacitas non afficit tantum domos professas aut Societatem professam, sed in genere Societatem et omnes eius partes et domos: « Non solum particulares professi vel coadiutores formati haereditariae successionis non erunt capaces, verum nec domus aut ecclesiae, nec collegia, eorum ratione » (CONST., P. VI, c. 2, n. 12).

Sed ipsa Societas aut eius domus non sunt haereditatis incapaces, et ideo haeredes institui possunt(g). Nec Societas eiusve domus sunt incapaces legatorum, ratione suorum professorum aut coadiutorum; imo quidquid hi acquirunt quocumque titulo, excepto successionis haereditariae, non sibi sed Societati aut domui acquirunt (vide supra, n. 9).

5. *De fructibus horti.* Si domus professa hortum habuerit, non potest eum locare aliis, nec fructus, qui reddituum loco esse possint, percipere (P. VI, c. 2, n. 5). *Litt.* F declaratur: « Huiusmodi essent, si vini vel olei vel tritici proventum dictae possessiones ferrent; vel si fructus vel olera ex hortis

---

(g) Hoc habetur implicite eo ipso loco. Nam *a*) Societatis domus non declarantur incapaces successionis haereditariae nisi ratione suorum professorum aut coadiutorum: « eorum ratione »; *b*) P. IX, c. 3, n. 6, dicitur Generalis esse disponere de his « quae Societati relinquuntur: sive bona stabilia illa sint, ut domus aliqua vel praedium, sive mobilia. *c*) PAULUS III, C. *Licet debitum* (1549): « Et insuper si contingat socios ipsos, ut, adiuvante aliquo principe.... vel quavis ad id potente et facultatibus abundante persona, aliquam domum, ecclesiam aut collegium Societatis praedictae aedificent et construant, seu id per alicuius similis personae *testamentum* mandari seu *quovis modo* ei offerri: domum, ecclesias seu collegia huiusmodi, cum omnibus ad id necessariis et opportunis, construi et aedificari, ac locum pro huiusmodi constructione oblatum recipi posse.... decernimus ». *d*) Est de iure communi, et in Instituto nihil contra statuitur (CIRAVEGNA, n. 20).

venderentur, quorum nihil licebit, quamvis fructibus aut parte ipsorum ad commodum domus suae uti possint » (h).

(h) Quod ad fructus huiusmodi spectat, sat difficile est distinguere quid permittatur et quid prohibeatur, et rationes propter quas unum permittatur et aliud prohibeatur. — Tractat LUGO, *Respons. moral.*, l. IV, dub. 10. N. 2 ait: Certum videtur inprimis posse religiosos domus professae vesci ex oleribus et fructibus horti seu villae, et *hoc absque ulla limitatione*, comprehendo etiam uvas, olivas et fructus hiemales seu quae per totam hiemem conservantur. Idem dicit, n. 3, de leguminibus, sc. ciceribus, lentibus et similibus. Non tamen liceret ex uvis superfluis aut olivis vinum vel oleum exprimere; quia, ait, haec expresse prohibentur, et reddituum nomine ibi comprehenduntur. Idem dicerem, pergit, si ex pomis sicera fieret, vel ex hordeo cerivisia. N. 16 et 17, censet fructus superfluos non posse vendi, nequidem ut alii qui desunt emantur, nec posse cum aliis permutari. Ratio proxima harum conclusionum ex ipsis Constitutionum verbis desumenda est; ratio penitior ipsius Constitutionis sic exprimitur a Lugone, n. 17: « Vult ergo Constitutio ne ex fructibus horti directe vel indirecte quidquam utilitatis ad domum professam redundet *praeter merum usum*, quo eos fructus in suorum victu consumere potest. Si autem liceret fructus superfluos permutare pro aliis, iam ex ipsis fructibus *alia utilitas* perveniret ad domum professam praeter usum eorum in ordine ad proprium victum ».

P. CIRAVEGNA, n. 32, idem sentit: « Fas est domui professae, ait, horti et villae fructibus quocumque modo uti et frui.... Hoc unum adversatur Constitutioni, quod ex horto aut villa habeantur proventus vini, olei et tritici, aut fructus vendantur, vel cum alia re pretio aestimabili permutentur ».

Sed revera haec doctrina non caret difficultate. In dicto Const. loco, P. VI, c. 2, n. 5, prohibetur « habere fructus, qui reddituum loco esse possint ». Porro fructus, olera, legumina ex horto aut villa per plures menses aut integrum annum habere, ita ut non sit necessarium ullum ex his emere pro numerosa communitate, videtur esse loco reddituum, non minus quam proventus vini, olei, tritici. Insuper non solum proventus vini, olei, tritici prohibentur (haec dantur exempli gratia, ad declarandum quaenam fructuum perceptio prohibeatur; dicitur enim « *huiusmodi* essent si proventus etc. »); sed lex generalis est ut prohibeatur fructuum perceptio qui reddituum loco esse possint. Ergo conformius menti et etiam verbis Constitutionum videretur adhibere hanc regulam: permittuntur quae levioris sunt momenti, prohibentur quae reddituum loco essent. Sic ibid., *litt.* D, et P. IV, c. 2, *litt.* F, explicatur quid collegium in utilitatem domorum professarum facere potest: res parvi momenti conferre licet; quia, dicitur, res minimae pro nihilo ducuntur. Ita SUAREZ, tr. X, l. IV, c. 9, n. 12.

LUGO eodem loco disputat de *animalibus* quae conservari possunt, ut utilitas ex eis habeatur, de gallinis et ovis aut pullis, de columbis, de apibus et melle, de piscibus in piscina enutritis.

Eadem *litt.* F dicitur in his villis posse haberi *colonum,* huic licere ex horto huiusmodi proventus percipere, aut fructus et olera vendere, « dummodo tunc nec ad domos, nec ad particulares personas Societatis utilitas interim ulla perveniret » (i).

6. *In ecclesiis non permittitur habere arcam* in qua eleemosynae accipiantur. P. VI, c. 2, n. 8.

7. Si domus aut ecclesia a fundatore daretur qui nonnullas conditiones poneret, aliquae esse possunt quas nullo modo suscipere liceret.

Cura animarum aut mulierum religiosarum, earumve confessiones audiendi, suscipi nequit (P. VI, c. 3, n. 5); nec obligatio ad missas perpetuas (*ib.* n. 6). Quamvis enim collegia aliquarum missarum obligationem accipere possent, id domibus professis interdicitur (ibid., *litt.* C, et P. IV, c. 2, *litt.* B).

Haec est igitur paupertas Societatis Professae a S. Ignatio in Constitutionibus descripta.

20. Decreta Congregationum circa eamdem. — Congregationes generales aliqua dubia circa paupertatem Societatis professae declararunt, et aliqua nova statuta condiderunt.

(i) CONGR. XVII (*Act.* 33) interrogata: « An domus professa, quae hortum habet, possit ex eius fructibus, iis sibi reservatis qui necessarii sunt ad usum domus, superstites, pacto inito, colono pro eius cultura relinquere »: censuit, non posse; et rationem sumpsit ex eo loco Constitutionum, ubi dicitur « dummodo ex iis quae colono permittuntur nulla utilitas ad domos perveniat ». Referuntur praeterea ibidem varia responsa Generalium antea data: Prov. Castellanae (1613): « Hortulano horti domus professae non possunt dari eius fructus loco stipendii »; Prov. Flandriae (1633): « Repugnat paupertati nostrae ut cultori horti domus professae in partem stipendii dentur olera aut fragmenta ex sepibus decisa ».

LUGO autem (l. c., nn. 18, 19) distinguit inter colonum et colonum. Si Societas, ait, ut se ab onere culturae eximat, constituat colonum, qui suis sumptibus et ut villam propriam eam colat ac fructus sibi accipiat, retento solo iure habitationis et recreationis (sc. retento sibi usu, non usufructu), hoc fieri potest. Si vero domus professa ita det colono horti fructus, ut sibi retineat non solum usum ad recreationem et habitationem, sed etiam partem fructuum qui coloni cultura indigent, hoc credo non licere. Ratio est, quia hoc esset in rigore hortum locare colono pro parte fructuum: quod non licet. Dum in primo casu, domus professa dat gratuito usumfructum, servat usum tantum.

1. Congr. II. *decr.* 33 renuntiavit facultati omnibus Religionibus a Trid. factae, ut, non obstantibus suis Constitutionibus, bona stabilia in communi possiderent [a].

2. Quoad *redditus domui professae prohibitos,* Congr. VII, *d.* 50 « censuit videri cum Instituto et peculiari paupertatis professorum voto pugnare, si collegium admittat annuos perpetuos redditus cum onere partem illorum domui professae dandi vel erogandi ». Et ratio est, quia in hoc casu, quamvis ipsa domus professa nullum ius habeat ad redditus, attamen *dispositio illorum ad Societatem pertinet*, contra conditionem a S. Patre positam (P. VI, c. 2, B) ut pensiones huiusmodi a domo professa admitti possint. Ita Lugo, *Resp. moral.,* l. IV, *dub.* 8, n. 1; et *dub.* 9, n. 4; — Ciravegna, n. 65.

3. Eadem Congr. VII, interrogata: « Possitne domus professa domum sibi contiguam et aliquando habitationi aut aedificando templo necessariam locare locationisque pretio frui, donec commoditas aedificandi se obtulerit », *decreto* 51 censuit « *ad breve tempus* locare et locationis pretio frui posse; quod si, ratione huius emptionis onus aliquod contraxisset, posse locationis illius pretio uti, donec se onere alieni aeris exemerit » [b].

4. Tamquam consequentiam huius decreti, Ordinatio *pro administratione Bonorum temporalium* habet, n. 10: « licitum videri residentias pecuniam servare, ut ex eius foenore pendant gravia tributa quae bonis sibi propriis a guberniis imponuntur » [c].

---

20. (a) « Placuit magno consensu Patribus, ut cederemus cuicumque iuri ex Concilio nobis provenienti, et, iuxta nostras Constitutiones et vota quae post professionem emittuntur, paupertatem in professis ac ipsorum domibus retineremus: et ita cesserunt totius Societatis nomine ». (Vide infra, n. 30).

(b) In primo casu utitur pretio locationis ad proprium commodum; porro redditus ad proprium commodum prohibentur domui professae. Ergo, tali pretio tantum uti potest tamquam eleemosyna annua per aliquot annos erogata, non autem ita ut redditus stabiles constituat. — In secundo casu, domus professa ius habet ad emendam domum, ergo ad comparandum pretium quo aes mutuatum solvat.

(c) Cum bona religiosa exemptione gaudeant, tributa contra ius ecclesiasticum ipsis imponuntur. Ergo redditus ad ea solvenda non sunt nec ad sustentationem nec ad proprium commodum, sed ut domus ab iniusta

5. Congr. xi, *d.* 20 censuit collegia aut domos probationis posse gravari a fundatore aut testatore onere solvendi certum redditum annuum ad aedificandum domui professae templum aut domum, idque donec fabrica duraverit, etiam si ad 30 aut 40 annos et amplius duraret.

Haec solutio non pugnat cum *decreto* 50 Congreg. vii (suprâ, 2°), quia domus professa ius habet ad templum: ergo pensiones annuas ad illud aedificandum admittere potest.

6. S. Ignatius (P. vi, c. 2, B) permisit aliquos redditus a fundatoribus ad fabricam relictos admittere, sed sub quibusdam conditionibus: 1ª ut a fundatoribus relicti fuerint; 2ª ut ad fabricae usum sint, 3ª ut non competat actio civilis ad ea; 4ª ut dispositio eorum ad Societatem non pertineat (vide n. 19, 3°).

Circa primam quaeri potest: quid, si redditus non a fundatore, sed ab alio benefactore relicti fuerint? — Congr. xxiv, d. 16, respondit posse acceptari a quocumque alio benefactore (d).

Circa secundam notandum est, quamvis S. Ignatius prius dixerit « ad fabricae usum », deinde adiungit « et sic in rebus similibus ». Interrogata eadem Congr. xxiv, quaenam essent hae res similes, respondit (*decr.* 16): « Ad sacristiae vel bibliothecae usum, atque etiam ad sustentationem » (e).

---

vexatione vindicetur, et assimilari potest pretio locationis soluto ad extinguendum aes alienum contractum pro emptione domus necessariae. — Alia ratio affertur: Si non permittuntur hi redditus ad solvenda gravia tributa, saepe impossibile evadet servare paupertatem a Constitutionibus praescriptam. Ergo melius est hoc genus reddituum permittere: quod non est omnino contra Constitutiones. — Fatendum est hanc solutionem non carere difficultate. Nam si S. Ignatius non permisit redditus ne quidem ad sacristiam et fabricam, quamvis pro eis expensae sat graves aliquando fieri debeant, cur censendus sit eos ad tributa solvenda permittere? Urgeri potest locus Exam., c. i, n. 3: « Nec possit redditus ullos ad suam sustentationem, *nec ad quodvis aliud* habere », et P. vi, c. 2, A: « Innovari quod ad paupertatem attinet, est relaxari ad redditus.... ad sacristiam, vel ad fabricam, vel *ad aliquem alium finem* admittendum ».

(d) Et revera non apparet cur ita non esset. Dici potest vocem a fundatore S. Ignatio positam fuisse exempli gratia, quia redditus huiusmodi maxime a fundatoribus relictum iri existimantur; aut hos benefactores etiam loco fundatorum habendos esse. Conferantur Lugo, *Resp. mor.*, l. iv, *dub.* 9, n. 3, et Suarez, tr. x, l. iv, c. 9, nn. 7 et 9.

(e) Ratio esse potest, quia si duae aliae conditiones verificantur, redditus huiusmodi potius eleemosyna quam veri redditus dici debent.

Tertia conditio clara est: si ius habetur, tunc vera redditus ratio invenitur; si abest, hi redditus rationem eleemosynae annuae inducunt.

Quarta conditio eodem modo explicanda est. Si dispositio ad Societatem pertineat, etiamsi domus professa ius non habeat, hi redditus fierent ipsi certi; quod est contra paupertatem mendicantium, qui ex incertis eleemosynis sustentari debent (Lugo, *Resp. mor.*, l. IV, d. 8, n. 1).

7. Circa *incapacitatem successionis haereditariae,* proposita fuit Congr. XV et Congr. XVI quaestio: Utrum ex Constitutionibus Societas sit incapax *omnis* successionis haereditariae, ratione suorum professorum et coadiutorum formatorum, an tantum successionis necessariae aut ab intestato, non autem successionis ex testamento gratioso et voluntario. Ratio dubitandi est, quia testamentum gratiosum et voluntarium donatio vel legatum potius est quam successio haereditaria. — In Congr. XVI, actione 33, PP. deputati ad postulata censebant excludi capacitatem cuiuscumque successionis; aiebant Greg. XIII, c. *Ascendente*, Societatem professam « omnis successionis haereditariae (ratione suorum professorum aut coadiutorum) incapacem » declarasse; et rationem a S. Patre allatam « ut, omnibus litibus et controversiis praecisis, caritas cum omnibus servetur », hanc interpretationem requirere. Nihilominus Congregatio nihil decernere voluit, tum (ait) quia pars utraque sua probabilitate non caret, tum quia nec PP. Generales nec Congr. XV, in qua fuse haec quaestio tractata fuit (*Act.* 27 et sqq.), rem definire voluerunt (f).

8. *Circa arcam in nostris ecclesiis,* Congr. II, d. 78, prohibuit arcam non tantum ad eleemosynas pro nobis colligendas, sed etiam in favorem alicuius operae piae. — In hoc tamen casu, certo non esset contra paupertatem, cum ne minimum commodum inde Societati eveniret.

An si arca poneretur ad eleemosynas pro nobis corrogandas, v. g. in sacristiam, esset contra paupertatem? — P. Ciravegna, n. 18, negat: quia, inquit, hae eleemosynae non sunt

---

(f) An Societas succedat haereditati loco professi qui ante professionem omnia sua bona in favorem Societatis renuntiavit, dictum fuit n. 8. Si autem professus in favorem alicuius Collegii aut externi renuntiavit omnibus suis bonis, cuinam eveniant legata ipsi professo relicta, ibidem tractatum est.

redditus certi; paupertas autem non prohibet eleemosynas accipere. — Sed haec responsio non videtur sufficiens. Nam timendum est ne fideles qui ministeriis Societatis utuntur, eleemosynas in arcam iniiciant in compensationem pro eis: eas tunc accipiendo, Societas contra paupertatem ageret, ut dictum est, n. 15, 6°. — Et haec videtur esse ratio quae movit S. Ignatium ad prohibendam arcam in ecclesiis: « Ut omnis avaritiae species evitetur, praecipue in piis ministeriis quibus ad animarum auxilium Societas utitur, nulla sit in ecclesia arca in quam eleemosynae ab iis qui ad conciones, missas vel confessiones et reliqua spiritualia ad eam conveniunt coniici solent ».

Ex motivo a S. Ignatio ad prohibendum arcas in ecclesiis allato, concludendum est (quamvis prohibitio in P. VI, quae est de professis, inveniatur) prohibitionem etiam ecclesias collegiorum comprehendere: nam stipendium pro ministeriis accipere omnibus prohibetur. Sic intellexit CONGR. II, quae, d. 78, sine ulla distinctione prohibuit arcam ponere « in ecclesiis nostris », etiam in commodum aliorum. Ita etiam *regula* 15 *praefecti ecclesiae.*

21. Paupertas collegiorum et domorum probationis.

1. Collegia bona stabilia et redditus seu census habere possunt, usibus et necessitatibus scholasticorum destinata [a]. His bonis constituitur dotatio vel fundatio collegiorum.

2. Domus probationis sunt veluti membra collegiorum (EXAM., c. I, *litt.* B) et redditus, ut collegia, habere possunt (Ibid. I, 4). Quod intelligi debet etiam de domo tertiae probationis. Ita CONGR. VII, d. 31 [b].

---

21. (a) EXAM., c. I, n. 4; — 1ª ET 2ª FORMULA INSTITUTI; — PAULUS III, C. *Licet debitum* (1549). In Constitut. facultas habendi bona stabilia et redditus in collegiis potius supponitur (sed evidenter) quam affirmatur directe. Sic P. IV, c. 2, n. 2 et *litt.* G; et c. 7, n. 3; — item P. VI, c. 2, nn. 3 et 4.

(b) « Cum vero quaesitum fuisset, liceretne per Constitutiones tertiae probationis dotatas redditibus annuisque proventibus domos admittere ab aliis omnibus Societatis domibus et collegiis separatas: (Congr.) censuit tales admitti posse, neque hanc rem Constitutionibus repugnare, quin magis conformem illis esse ». — Est magis conformis, quia una ex rationibus cur novitii et scholastici in domibus dotatis vivant et non sustententur eleemosynis fidelium, est quia non convenit ut qui in fidelium bonum non laborant, a fidelium eleemosynis sustententur: quae ratio etiam pro domo tertiae probationis valet. — Res etiam implicite invenitur in EXAM., c. I, n. 4.

3. Quemadmodum collegia, etiam Universitates Societas admittit, quae dotari possunt (P. IV, c. 11, n. 1 et A).

4. Dotari possunt non tantum collegia in quibus inveniuntur scholae pro Nostris, sed etiam collegia quae Societas habet in Universitatibus, in quibus Nostri vivunt, dum scholas Universitatis frequentant. Hoc Collegiorum genus in PROOEMIO PARTIS IV, *litt.* A, recensetur, et explicite dicitur admitti posse cum conditionibus in Constitutionibus Apostolicis contentis. — De caetero eadem ratio valet ad dotationem collegiorum utriusque generis admittendam.

5. Dotari etiam possunt collegia in quibus tantum habentur scholae pro externis. Ita CONGR. VI, d. 18 (c). Tres rationes huius responsionis dantur: 1ª quod ex variis locis Constitutionum, Litterarum Apostolicarum et praecedentium Congregationum ita res videatur; 2ª quod ita fuit praxis perpetua Societatis a tempore S. Ignatii; 3ª ad tollendum omnem scrupulum, Congregatio, cum ius habeat declarandi dubia Instituti, hanc authenticam declarationem facit.

6. Societas in collegiis gratis docere debet. Dicitur incidenter, sed explicite P. IV, c. 15, n. 4: « Quemadmodum gratis docet, ita etiam ad gradus gratis promoveat » (d).

Dotatio collegiorum non opponitur obligationi gratis docendi. Ratio est, quia dotatio 1° non accipitur ab his in quorum favorem Societas operam suam in collegiis praebet: ergo hi vere gratis docentur; 2° non est compensatio pro officio, sed tantum necessaria sustentatio ut Societas possit docere;

(c) « Non solum collegia, ubi sunt eiusmodi seminaria (sc. ubi sunt scholastici qui studiis vacant), sed etiam alia, in quibus litterarum studia tractantur et scholae in proximorum utilitatem apertae sunt, esse consentanea Constitutionibus et Instituto, et professos et coadiutores formatos, de quibus esse poterat maior dubitatio, qui eiusmodi collegiis etiam ut operarii necessarii aut utiles sunt, posse in eis sine ullo scrupulo *sustentari* ».

(d) Et infra: « Videat Rector ne magistris vel ullis aliis de Societate sibi aut collegio pecuniam aut dona quaevis ab ullo, pro re quavis in eorum utilitatem facta, accipere permittat: quandoquidem praemium nostrum solus Christus Dominus, iuxta nostrum Institutum futurus est, qui est merces nostra magna nimis ».

3° non datur singulis pro sua opera, sed datur collegio, ut sustententur omnes qui in eo laborant (e).

7. Personae, quas in collegiis ex dotatione sustentari licet, sunt 1° scholares nostri: pro ipsis collegia primario admittuntur (Ex., c. I, n. 4) (f); — 2° omnes ii qui apud scholares, sive nostros sive extraneos, munere aliquo funguntur: lectores, rector, praefectus, pater spiritualis, minister, procurator, coadiutores temporales (Const., P. IV, c. 2, *litt.* F, et P. VI, c. 2, nn. 3 et 4; item P. IV, c. 10, n. 7 et *litt.* A et H; c. 6, n. 3, B et C; c. 5, D; c. 17, nn. 1, 5, 7); — 3° aliqui operarii pro confessionibus, concionibus, qui fundatorum intentioni et fidelium expectationi satisfaciant, dummodo non sit dotatio specialis pro ipsis, nec obligatio assignato redditui commensurata (P. IV, c. 2, n. 5 et F; c. 7, n. 3 et B; Congr. II, d. 8, et formula collegiorum P. Laynez [post decreta Congr. II]; Congr. VI, d. 18); — 4° etiam aliqui, scribendi causa, ratione boni communis; sed hoc per exceptionem, ad aliquod tempus, et ex permissione Generalis (P. VI, c. 2, *litt.* C; Congr. XXIV, d. 19); — 5° professi et coadiutores formati infirmi et senio confecti, ex concessione Iulii III, C. *Sacrae* (1552) (g).

8. Quoad *eleemosynas* quae in collegiis recipi possunt, P. IV, c. 2, n. 6, statuitur: « In iis collegiis, quae duodecim scholasticos praeter praeceptores ex propriis redditibus alere possunt, ob maiorem populi aedificationem, nec petantur eleemosynae nec illae aut dona ulla oblata admittantur. Si redditus minores fuerint quam huic numero alendo sufficiant, admitti quidem, non autem peti aliquae eleemosynae possent,

---

(e) P. IV, c. 7, n. 3: « Non sunt recipiendae obligationes seu conditiones, quae sinceritatem impediant nostri in procedendo modi, qui est dare gratis quod gratis accepimus. Quamvis *pro eorum sustentatione*, qui communi bono collegiorum inserviunt vel propter illud student, dotatio quam fundatorum charitas assignare ad gloriam divinam solet, admittatur ».

(f) Exam., c. I, n. 4: « Et quamvis habeat Societas collegia et domos probationis redditibus dotatas ad scholasticorum sustentationem, antequam in Societatem professam vel eius domos recipiantur.... ».

(g) « Insuper religiosis Societatis pro tempore senio confectis aut aliqua infirmitate gravatis et ad operandum in vinea Domini non idoneis, etiam professis, in collegiis Societatis.... morari et ex illorum redditibus et proventibus se sustentare absque aliquo conscientiae scrupulo libere et licite valeant, plenam.... facultatem et licentiam concedimus ».

nisi tanta paupertate collegium premeretur, ut etiam petere saltem a quibusdam esset necessarium ».

Congr. III, d. 25, circa hanc Constitutionem declaravit: « Cum finis huius Constitutionis sit populi aedificatio, ut dicitur expresse, ad huius finis normam tam intelligentiam quam praxim huius Constitutionis (arbitrio Praepositi Generalis) exigendam esse ». Et idem confirmavit Congr. VIII, d. 59 (h).

Fundationis augmentum semper admitti potest. — Ita ex eodem cap. 2, *litt.* G.

9. Collegia, non minus quam domus professae et eorum ecclesiae, sunt *successionis haereditariae* incapacia, ratione suorum professorum aut Coadiutorum formatorum. Ita expresse P. VI, c. 2, n. 12 (Cf. supra, n. 19, 4°).

10. Prohibitio facta, P. VI, c. 2, n. 2, ne in ecclesiis redditus ulli, ne quidem sacristiae aut fabricae applicati, haberi possint, non respicit nisi ecclesias domorum professarum, non autem collegiorum. Quod probatur 1° ex ipso textu: « In domibus vel ecclesiis quae a Societate admittentur *ad auxilium animarum,* nulli redditus ne sacristiae quidem aut fabricae applicati, haberi possint, sed neque ulla alia ratione »: porro nec collegia nec eorum ecclesiae admittuntur primario ad salutem animarum, sed ad scholarium utilitatem. Probatur 2°, quia tota haec Pars VI est de professis, et c. 2 de paupertate professorum. 3° Nulla est ratio cur collegiorum ecclesiae dotari non possint; contra eaedem rationes, propter quas collegia dotantur, valent ut dotatio etiam pro eorum ecclesiis admittatur.

11. Quamvis collegia bona stabilia et redditus habere possint, *administratio bonorum collegiorum* est primario apud Societatem professam et Patrem Generalem, non apud collegium ipsum aut eius Rectorem, qui dependenter tantum administrat. Ita Const., P. IV, c. 10, n. 1: « Supremam curam vel superintendentiam collegiorum, iuxta Sedis Apostolicae litteras, professa Societas habebit »; et c. 2, n. 5: « Generalis, cum nec in suum nec in professae Societatis usum bona tem-

(h) Suarez, tr. X, l. IV, c. 11, n. 11, ait: « Existimo obligationem huius constitutionis, non excedere debitum perfectionis, nec per se esse ad culpam: quia non continet propriam materiam paupertatis.... Superior si debitum ordinem in hoc excedat, aget quidem imperfecte contra regulam, non tamen contra votum ».

poralia collegiorum possit convertere, eo purius sese in eorum superintendentia gerere poterit ». Item P. X, n. 4, et in *utraque formula Instituti.*

22. De natura obligationis quae erga fundatorem assumi potest.

Praenotandum. Collegia ad nostrorum Scholasticorum utilitatem primaria eorum institutione erant destinata, et ideo fundatores collegiorum huiusmodi proprie bonum Societatis eiusque augmentum intendebant. Quapropter minor cura eis erat de usu quem Societas faceret collegii et eius fundationis; sed id curae fundatoribus esse poterat, ut in his collegiis aliquod munus spirituale exerceretur, conciones vel lectiones Scripturae sacrae haberentur, confessiones audirentur; maxime si principes, duces, Episcopi, civitates collegium in propria ditione fundabant. Quando autem collegia alterius generis admissa sunt, in quibus scholares externi docerentur, tunc in his fundandis saepius fundatores magis bonum civitatis quam Societatis intendere coeperunt, et de numero scholarum ac lectionum quae in eis haberentur solliciti, stricta obligatione Societatem stringere voluerunt [a].

In Constitutionibus autem praecipue collegia prioris rationis spectantur, ut patet ex PROOEMIO PARTIS IV. Propterea minor adhibetur cura ut natura obligationis, quam Societas

---

22. (a) Ut huic malo (quod statim sese prodiit) occurreret, P. LAYNEZ, *in formula de Collegiis acceptandis* (invenitur post decreta Congregationis II), strictam obligationem a Societate suscipi prohibet: « Visum est mihi ut in collegiis, quae deinceps divina Maiestas fundare dignabitur, novae a nobis obligationes non admittantur; sed qui divino instinctu... collegium aliquod fundare voluerit, *pure et libere, absque conditione vel modo, donationem faciat dotationis;*... Societas vero *non ex nova obligatione* (sc. quae contraheret erga fundatorem), sed ex illa sua antiqua quam habet (ex Instituto), curet ut, secundum numerum eorum qui ex tali fundatione sustentari poterunt, in tali collegio numerus operariorum constituatur ». Ergo P. Laynez nullam obligationem volebat in fundatione suscipi; sed hoc in praxim transire non potuit. P. CLAUDIUS, ut videmus in *Ordinatione* XVI, *de acceptandis collegiis*, n. 4, supponit obligationes suscipi, quin dicat an sint obligationes iustitiae aut mere fidelitatis: « Quia Congr. V *onerum seu obligationum mensuram*, scholarum scilicet et magistrorum numerum non determinavit, Praepositi Generalis erit *obligationes et gravamina* huiusmodi fundationibus attemperare.... ». Et n. 5: « Quod si fundator aliquis *exigat* lectionum.... plenitudinem,... hic fundationem augere *debebit* ».

erga fundatores assumit, definiatur. Nihilominus haec tria videntur ex variis Constitutionum locis erui:

1. Quantum fieri potest, S. Ignatius vult ut nulla obligatio erga fundatorem assumatur, sed ut, facta liberali collegii dotatione, Societas secundum suum Institutum in eo operam suam impendat (b).

2. Obligatio strictae iustitiae ad ministeria Societatis propria videtur non posse assumi (c).

(b) P. IV, c. 1, n. 1: « Quoniam valde aequum est ut, quod in nobis erit, illorum devotioni ac beneficentiae correspondeamus, quibus Divina Bonitas ad fundationem ac dotationem collegiorum utitur administris.... ». — P. IV, c. 2, n. 1: « Ad collegia, quae libere Societati offeruntur ut iuxta suas Constitutiones omnino eis utatur, admittenda.... ». — P. IV, c. 7, n. 3: « Quamvis enim aequitatis et gratitudinis ratio nos ad serviendum cum maiori diligentia in dictis ministeriis (sc. spiritualibus), quae Instituti nostri sunt propria, moveat in collegiis quae maiori cum liberalitate et devotione fundata sunt, non tamen sunt recipiendae obligationes vel conditiones quae sinceritatem impediant nostri in eis procedendi modi, qui est dare gratis quod gratis accepimus ».

(c) Hoc enim sat clare exprimitur in CONST., P. IV, c. 1, n. 3 et *litt.* C, ubi loquens de candela, quam iubet singulis annis fundatori offerri, sic S. Pater significationem huiusmodi oblationis explicat: « Per huiusmodi candelam significatio fit gratitudinis erga fundatores tenendae, non iurispatronatus, aut *actionis ullius*, quae illis aut eorum successoribus ad collegium vel eius bona temporalia competat: *nihil enim tale erit* ». — P. CIRAVEGNA, n. 58, distinguit inter obligationes ad officia quae sunt nostrae vocationis et obligationes quae sint ad alia. Obligationes primi generis negat assumi posse ex iustitia, quia tunc ea officia iam gratis non exerceremus, et fundatio esset verum stipendium. — Sed haec ultima assertio forsan non est omnino exacta; nam ad rationem stipendii pertinet ut sit proportio inter ipsum et rem pro qua datur; si ergo accepta fundatione generali collegii, admittitur obligatio etiam ex iustitia concionandi, v. g., singulis dominicis, ex defectu proportionis inter fundationem generalem et hanc levem obligationem, evanescit ratio stipendii. Sed vera ratio, cur obligatio ex iustitia circa ea quae sunt vocationis nostrae assumi non debet, exprimitur P. IV, c. 7, n. 3, et est, quia obligatio iustitiae « sinceritatem impediret nostri in procedendo modi, qui est dare gratis quod gratis accepimus »: scilicet, ea quae nostrae vocationis sunt ex mera charitate exhibere debemus, ad summum ex fidelitate, si ea promisimus; nunquam autem ex debito iustitiae: quod proinde admittere prohibemur. — Quod addit CIRAVEGNA, posse assumi obligationem ex iustitia ad ea quae non sunt vocationis nostrae, v. g., solvendi aliquam pensionem, erogandi aliquas eleemosynas, hoc verum videtur: nulla ratio apparet cur id prohiberetur.

3. Non repugnat absolute, ut assumatur obligatio fidelitatis, saltem ad litteras profanas docendas [d].

Consequenter, si fundatores aliquas conditiones seu obligationes imponere volunt:

1° Eae conditiones cum magna cautela sunt admittendae (P. IV, c. 2, n. 2; — c. 11, n. 2 et *litt.* A; — P. IX, c. 3, n. 17).

2° Non praestandum, sine Generalis consensu, plus quam id ad quod est obligatio; si quid ultra fiat, tunc constet obligationem nullam ad hoc suscipi (P. IV, c. 11, *litt.* A).

3° Aliquae obligationes nullo modo suscipi possunt: scilicet, *a)* cura animarum penitus interdicitur: bis dicitur P. IV, c. 2, n. 4 et *litt.* B [e].

b) Obligationes ad missas celebrandas videntur etiam penitus interdictae, P. IV, c. 2, n. 4; sed in *declar.* B huius loci, res explicatur aliqua distinctione: « De non admittendis obligationibus, sic intelligitur: quod missarum obligationes, vel huiusmodi, *quae assignato redditui commensurari videantur,* assumi nequeunt ». Ideo si datur generalis dotatio et a fundatore exigantur aliquae missae, haec obligatio si sit exigui oneris, admitti potest. — Idem dicitur de aliis obligationibus huiusmodi, quae sint exigui oneris et parvae distractionis.

(d) P. IV, c. 7, *litt.* E: « Ubi Praepositus Generalis vel Societas curam susciperet alicuius Universitatis, non repugnaret huius Constitutionis intentioni, ut sese ex consequenti *obligaret* ad lectiones illius ordinarias, quamvis inter illas aliquae theologicae essent ». — P. IV, c. 11, *litt.* A. « Cum fundator a Societate assignari certum Lectorum numerum vel alias *obligationes suscipi* vellet, animadvertendum est quod, si admittantur,... omnino in eis implendis deesse non oportet,... etc. ».

(e) N. 4: « In collegiis Societatis nec curae animarum nec obligationes ad missas celebrandas.... admittantur »; — et *litt.* B, facta declaratione: « Non tamen perinde inconveniens existimatur aliquam facilem et exiguam obligationem admittere », inseritur expressa exceptio: « quae tamen non sit cura animarum ».

Ideo cum in collegio Conimbricensi admissa fuissent, tamquam beneficia ad dotationem, monasteria quaedam cum parochialibus ecclesiis adnexis, CONGR. I, *decr.* 124, voluit ut quam primum collegium ab animarum cura liberaretur, et CONGR. II, d. 59: « Quoad unionem beneficiorum, quae curam animarum habent, pertinet, definitum est ut in futurum non admittantur ». — Attamen si beneficia huiusmodi quoad temporalia tantum uniuntur collegiis, et cura animarum ab aliquo vicario saeculari exercetur, admitti possunt. Ita fuit responsum a. 1727 (apud CIRAVEGNA n. 50).

c) Congr. I, dd. 103 et 134, noluit in ecclesiis collegiorum cappellanias admitti, etiam quae sacerdotibus saecularibus committerentur[f]. Eas non condemnat tamquam paupertati contrarias, nec absolute prohibet, sed mitius dicit non expedire ut admittantur. Ideo P. Ciravegna (n. 16) concludit, quod prohibuit Congreg. I, id posse ab alia Congregatione permitti; quin imo, addit, PP. GG. pluries declararunt id licere: dummodo ex illis cappellaniis nullus redditus domui professae vel eius ecclesiae proveniat[g].

d) « Non convenit ullam collegii dotationem admittere per quam ad dandum concionatorem aut confessarium aut lectorem aliquem theologiae obligetur Societas » (vide supra, n. 14).

e) Quod dicitur de non assumenda obligatione dandi confessarium aut concionatorem, videtur etiam intelligendum de obligatione dandi aliquas missiones: assumi non debet. Missiones enim sunt ministerium spirituale valde Societatis proprium, pro quo obligatio, ex iustitia saltem, admitti non debet. An permitti possit dotatio (pro collegio, nunquam pro domo professa), propter quam collegium ex fidelitate ad missiones dandas obligetur, res in Congr. XII fuit valde agitata. In *Actione* 39 huius Congr. legitur: discussum fuit « an in acceptandis missionum fundationibus aut dotationibus, si fundatores non sint contenti praecepto Generalis, quo collegiorum Rectoribus praecipiat ut missiones fiant et in missionibus alimenta atque viaticum subministrent missionariis, expediat a Congregatione decerni praeceptum illud esse inexorabile neque dispensationis capax », hoc non placuit. « Propterea

(f) « An recipi debeant in nostris collegiis cappellaniae, quibus inserviant clerici saeculares, quos possint Nostri eligere: nam ex eorum censibus huiusmodi collegia augeri posse videntur. — Responsum fuit: non expedire ut in nostris ecclesiis erigantur huiusmodi cappellaniae » (d. 134).

Notandum est Gregorium XIII, C. *Salvatoris* (1576), qua licentiam dat Societati aedificandi intra cannas, inniti ad concedendum privilegium hac ratione, quod Societas in suis ecclesiis non admittit « defunctorum funera nisi rara, nulla Missarum vel sepulchralia stipendia, nullas sepulchrorum vel cappellaniarum fundationes ».

(g) Cappellaniae sunt beneficia ecclesiastica cum onere missam celebrandi diebus statutis in ecclesia aut ad altare determinatum. Si ergo cappellania in favorem alicuius sacerdotis saecularis, etiam a Nostris designandi, fundaretur in ecclesia domus professae, nihil esset contra paupertatem, quia nullum inde emolumentum domus acciperet.

quaesitum est an Instituto nostro repugnet ut, citra obligationem faciendi missiones, collegium *obligationem suscipiat* dandi viaticum et alimenta missionariis, si missiones fiant, aut si missiones non habeantur, eam summam impendendi in aliud opus pium: fuit plurimorum sententia et fere omnium id Instituto non repugnare, non vacare tamen suis incommodis ». Ideo EADEM CONGR., d. 27, censuit posse acceptari fundationem aliquam quindecim missionum liberaliter factam, pro qua fundator declaraverat se has missiones Societati nostrae « iuxta eiusdem leges et Institutum commissas traditasque voluisse ». Approbata hac declaratione, Congregatio, ut in *Actis* videre est, fundationem accepit, ita tamen ut non admitteret obligationem iustitiae, fundatio alicui collegio applicaretur non domui professae[h], et si missiones non darentur, fundatio aliis operibus piis applicaretur. Ita CONGR. XII. — Praeterea fundatio admitti nequit ut eleemosyna in compensationem operae praestitae, sed tantum ad necessariam missionariorum sustentationem aliaque missionis expensas.

4. Si fundator exigit, accipi possunt obligationes ad lectiones profanas determinatas; hoc tamen fieri nequit nisi cum magna consideratione et cum approbatione Pr. Generalis. CONST., P. IV, c. 2, *litt.* B[i].

5. Aliae obligationes leves, quae a studiis non multum distrahunt, si sit causa sufficiens, admitti possunt (supra, *nota* e).

23. De pensione convictorum et retributione scholarium. Restituta Societate, collegia admissa sunt non dotata, sed in quibus convictores pensionem solverent, qua non tantum ipsi sustentarentur, sed etiam quae esset loco dotationis collegii; alia etiam admissa sunt collegia in quibus scholares,

---

(h) Hoc vetat explicite S. Ignatius P. IV, c. 2, *litt.* B. Ibi, postquam dixit aliquam levem obligationem posse in collegiis suscipi (supra, *nota* e), addit: « In domibus autem professorum, quando nec illae redditus ullos habent, nec ipsi ita stabilem habitationem, huiusmodi obligationes non tolerantur ».

(i) « De aliis obligationibus lectionum vel lectorum hic non agitur. Verumtamen et eae ipsae in collegiis et universitatibus non sine magna consideratione, nec ultra limitem quem Pr. Generalis convenire iudicaverit, assumentur ». Cf. formulam de acceptandis collegiis P. Claudii (ORDIN. GENER., c. XVI), et vide supra, *notam* a.

etiamsi non convictores, minervalibus seu retributione aliqua similiter dotationem supplerent.

Proposito dubio an haec collegia consentanea essent Instituto (et ratio dubitandi est, quia in ipsis non gratuito doceri videtur, contra Instituti praescriptum) CONGR. XXII, d. 43, pronuntiavit: collegia « quae bona stabilia non habent, scholas autem habent et numerosissimos convictores, quorum pensionibus suppletur fundatio, quae nec est nec in presentiarum sperari potest,... paupertati nostrae non repugnari ».

In eadem CONGR. XXII mota est quaestio alia, de retributione scholarium, scilicet, an « in iis collegiis, ubi ob acerbitatem temporum necessaria dotatio, qualis in Instituto praescribitur, neque habetur neque haberi potest, liceat Nostris, loco eiusmodi dotationis, a scholaribus seu eorum parentibus retributiones pro sua sustentatione accipere, quin hoc censeatur esse contra nostrum Institutum? — Maior pars Congregationis opinata est id Instituto nostro non prohiberi. Attamen Congregatio.... statuit nullum de hac re fieri debere decretum; sed hoc negotium R. Patri nostro committendum esse » (d. 42).

CONGR. XXIV rogata fuit ut plane definiret hanc quaestionem « de fundatione collegiorum retributionibus scholarium supplenda. Ei autem « visum est decretum non esse condendum, idque sufficere ut praesens Congregatio sententiam Congregationis XXII suam faciat. Censuit igitur, nihil licere Nostris pro ministeriis vocationis nostrae accipere in compensationem seu stipendium; verum ubi agitur de debita ac necessaria Nostrorum sustentatione, quae aliunde haberi non potest, opinatur[a] id Instituto nostro non prohiberi. Quare.... declarat Congregatio praesentem collegiorum statum, in quo retributiones scholarium externorum ad sustentationem Nostrorum accipiuntur, posse permitti, dum talia adiuncta perduraverint.... Conandum tamen et omni ope nitendum erit Patri nostro ut, cum per rerum et temporum adiuncta licebit, collegia nostra in pristinam et Instituto magis consentaneam formam, quoad fieri possit, restituantur » (d. 18).

Rationes cur collegia huius generis admittantur, duae sunt: 1ª, quia in his, cum retributiones ad solam Nostrorum necessariam sustentationem accipiantur, vere dici potest Societa-

---

23. (a) In CONGR. XXII decreto dicitur: « Maior Congregationis pars opinabatur »; in decreto CONGR. XXIV: « Congregatio opinatur ».

tem in eis *gratis docere,* et proinde nihil in iis esse contra Institutum; 2ª, quia de caetero si haec ratio sustentationis non admitteretur, collegia impossibilia impraesentiarum evaderent. — Rationes autem cur tam caute admittantur et ea, ut primum fieri poterit, ad antiquam formam sint reducenda, tres sunt: 1ª, retributio, quae ab iis qui docentur solvitur, *speciem habet compensationis et stipendii* pro munere docendi, et ideo Institutum violari videtur; 2ª, facillimum est (ut experientia non minus quam ratio docet) plus accipere quam exigitur a necessaria Nostrorum sustentatione: quod si fieret, Societas commodum temporale pro ministerio suae vocationis acciperet, quod est contra Institutum: promptum est in hunc abusum incidere, quia pro maiore minoreve scholarium numero, summa retributionum maior minorve erit, et ex alia non parte potest perpetuo mutari retributionis taxa; 3ª, haec forma collegiorum aliena est ab illa quae in Constitutionibus statuitur.

24. De lectionibus extra nostra collegia factis. — An, si quis ex Societate datur ut lector aut magister in aliqua Universitate aut in aliquo collegio, retributio accipi potest, non quidem pro ipso docendi munere, sed ad sustentationem, loco fundationis quae habetur in collegiis nostris? — Respondendum videtur, distinctionem faciendo inter professorem theologiae et professorem scientiarum profanarum, philosophiae, rhetorices, grammaticae, etc. Accipere retributionem pro professore theologiae, prohibetur Constitutionibus, P. IV, c. 7, n. 3: « Non convenit ullam dotationem admittere, per quam ad dandum concionatorem aut confessarium aut professorem theologiae Societas obligetur »: si prohibetur dotatio specialis pro professore theologiae, eadem ratione retributio, quae dotationis locum teneat. — Huic solutioni duo obiici possunt. Primum est, hanc prohibitionem specialem pro lectore theologiae positam fuisse a S. Ignatio, quia eius tempore munus theologiam docendi adhuc probabiliter habebatur uti ministerium spirituale: hanc autem sententiam esse nunc antiquatam: non esse proinde iam amplius locum distinctioni inter professorem theologiae et professorem aliarum scientiarum. Altera obiectio est, prohiberi quidem ut Societas ex dotatione aut retributione *obligationem* docendi suscipiat; non autem prohiberi ut, accepto munere docendi, postea aliqua retributio admittatur, quin de ea pactum fuerit.

Si autem agitur de lectore aut magistro scientiarum profanarum, an accipi possit retributio, non quidem in compensationem pro ipso munere docendi, sed loco fundationis ad solam sustentationem? — Ratio dubitandi est locus Constit., P. IV, c. 15, n. 4, ubi duo dicuntur: unum, quod Societas gratis docere debeat; alterum, ut « videat Rector ne magistris vel ullis aliis de Societate, sibi aut collegio pecuniam aut dona quaevis ab ullo, pro re quavis in ipsorum utilitatem facta, accipere permittat ». — Responderi potest ad primum: quemadmodum dotatio non impedit quin gratis doceatur, ita nec retributio ad solam sustentationem. Et haec ratio, post duo decreta Congr. XXII et XXIV, quibus permittitur accipere retributionem scholarium in collegiis loco fundationis pro debita et necessaria sustentatione, admittenda videtur. Ad alterum respondetur, prohibitionem factam esse Rectori ne admittat ullam pecuniam etc..., quia supponitur collegii dotatio, tunc enim pecunia et dona in compensationem pro re facta accipiuntur; sed si dotatio non habetur, permitti ut pecunia a scholaribus accipiatur loco dotationis: a fortiori ergo ab aliis accipi potest eadem ratione.

Huic solutioni obiicitur *decretum* 118 Congr. I. Proposita quaestione, « An essent admittendae cathedrae publicae in Universitatibus aut alibi: visum est non esse admittendas si fit cum disceptatione suffragiorum et oppositione: si tamen sponte offerantur,... et *gratis praelegatur*,... admitti possent». — Ad hoc respondetur, prohiberi quidem acceptare stipendium ordinarium aliorum professorum; sed retributionem pro sola sustentatione, si non datur ex stricto pacto, non prohiberi his verbis, quia non impedit quominus gratis praelegatur.

Opponitur etiam *decretum* 24 Congr. II. In eo examinatur casus alicuius e NN. publice docentis humaniores litteras, pro cuius opera collegio Perusino solvebantur centum aurei in eleemosynam, loco stipendii quod praelectoribus huiusmodi lectionis solvi solebat. « Actum fuit an in posterum, quovis modo vel titulo darentur, essent admittendi; et visum est in Domino expedire, ut nec lectionis huius munus nec centum illi aurei in posterum admitterentur ». — Sed haec obiecto non est adhuc peremptoria. Nam primo, dicitur tantum *non expedire,* non autem Constitutionibus *prohiberi;* secundo, centum illi aurei, quamvis ceu eleemosyna acciperentur, attamen erant stipendium aliis professoribus dari solitum; et ideo non tantum rationem sustentationis necessariae, sed et compensa-

tionis pro officio habebant; tertio, hi centum aurei hoc tempore superabant sustentationem; quarto, Congregatio aestimavit ipsam lectionem non convenire: quibus ex causis, nescitur.

Ergo non improbabilis remanet sententia, retributionem pro lectione huiusmodi, si in solam sustentationem datur, accipi posse, sive de aliqua profana sive etiam de theologiae lectione agatur, dummodo non plus accipiatur quam sustentatio, aut si plus detur, tamquam mera et libera eleemosyna tribuatur. Et haec est sententia Patris Ciravegna, n. 141.

Notandum est tamen hanc responsionem valere tantum pro socio in collegio degente, non pro aliquo qui in domibus versaretur: nam ratio responsi nititur in hoc, quod talis retributio locum habeat fundationis, quae in collegiis permittitur; in domibus professis autem Nostri ex eleemosynis vivere debent, nec ipsis permittuntur ulli redditus certi, etiam ad necessariam sustentationem. Nihilominus si talis retributio non daretur ex pacto, sed ut mera eleemosyna sponte oblata, fortassis etiam acceptari posset. Sane Congr. xxiv, d. 16, explicans voces *et sic in rebus similibus* (P. vi, c. 2, *litt.* B), censuit redditus a fundatore relicti, si nulla competat Societati actio in illos, accipi posse etiam in sustentationem, quia merito tamquam mera eleemosyna habentur.

25. De collegiis inchoatis: quid ipsis quoad redditus permittatur. — Distinguendum est inter domos quae accipiuntur ut collegia inchoata, et eas quae tantum in spem futuri collegii admittuntur. Haec distinctio fit in Congr. ix, *d.* 18, quo declaratum fuit, « eas tantum domos collegia inchoata censeri, quae a Patre nostro, *non tantum in spem futuri collegii,* sed etiam, quamvis ad complementum multa desint, *acceptatae sunt in collegium* ».

Haec distinctio, cum consequentiis quoad paupertatem, iam apparet in duobus anterioribus decretis, scilicet in *d.* 71 Congr. ii, et in *d.* 43 Congr. iii. In primo dicitur: « Si qua collegia sint hactenus absque sufficienti dotatione fundata, in quibus Nostri non legant nec scholasticos alant, poterunt tamen illa hac ratione retineri, si ex fructibus videlicet eorum, per publicam aliquam personam conservatis, detur opera ut plene fundentur.... Nostri tamen interim bonis illis non utantur, sed ex eleemosynis vivant, ac simul dent operam ut praedicta collegia sufficienter etiam dotentur ».

In secundo decreto: « Collegia, in quibus propria collegiorum munia non exercentur, vel quia nondum plane constituta sunt, licet sint inchoata, vel quia aedificandi necessitas non patitur Nostros legere nec scholasticos nostros illic ali, R. P. Generalis iudicabit, an et quamdiu ex eleemosynis vel ex redditibus vivere debeant, et faciet quod in Domino expedire iudicaverit. Neque enim hic casus idem est cum illo qui in decreto 71 secundae Congregationis continetur ».

Differentia formalis, ut ita dicatur, inter duos casus, est quod in collegiis inchoatis, sc. in secundo casu, collegium est absolute acceptatum a nostro Patre, proinde fruitur iuribus collegiorum, nempe, ut dicitur in Congr. IX, d. 18, eorum Superiores a nostro Patre nominantur et ius ad Congregationem provincialem habent, et ipsa collegia iam nequeunt dissolvi nisi a tota Societate (P. IV, c. 2, n. 2). Contra in primo casu, domus non adhuc acceptatae sunt in collegia, sed tantum in spem plus minusve certam collegii, et ideo possunt dimitti ex sola voluntate P. Generalis, et interea earum Superiores a Provinciali nominantur nec ius habent ad Congregationem provincialem. Haec est differentia formalis.

Differentia autem obiectiva, qua fit ut aliquae domus uti collegia inchoata a Patre nostro admittantur, aliae tantum in spem collegii, non determinatur in decreto et Patris nostri arbitrio relinquitur. Videtur desumenda esse ex circumstantiis, quae vel tales sunt, ut collegium certe erigendum sit in loco, aut contra tales, ut adhuc incertum remaneat. Circumstantiae autem possunt esse: opportunitas loci ad collegium, spes fundationis sufficientis ad sustentationem nostrorum, et aedificii apti ad scholas atque habitationem; ex parte nostra, competens Sociorum numerus. Patris Generalis est diiudicare de his circumstantiis.

Quoad paupertatem, 1° in domibus utriusque generis, bona stabilia et redditus haberi possunt (et per hoc a domibus professis differunt); 2° in domibus quae in spem collegii tantum fuerunt acceptatae, Nostris ex redditibus vivere non licet: sed redditus servari debent ad aedificium vel ad augendam fundationem; in collegiis inchoatis contra, Nostri, arbitrio P. Generalis, ex redditibus sustentari possunt aut ex eleemosynis vivere debent.

26. Paupertas residentiarum, provinciarum et missionum. In Constitutionibus duo tantum genera domorum distinguun-

tur: domus professae et collegia; istorum domus probationis sunt membra (Exam., c. I, *litt.* B). Iamvero regula generalis paupertatis in Societate est, ut nullas possessiones, nullos redditus certos ipsa habeat, sive ad suam sustentationem sive ad quidvis aliud: exceptio huic regulae fit pro solis collegiis Exam., c. I, nn. 3 et 4[a]; *Duae formulae* Pauli III et Iulii III; Const., P. VI, c. 2, nn. 2 et 5). — Hinc concluditur residentias, nisi sint membra collegiorum aut domorum probationis, non posse habere nec possessiones nec redditus certos: quia comprehenduntur lege generali et non fit pro eis exceptio.

Idem dicendum est ob eamdem rationem de provinciis, missionibus, aliisve quibuslibet partibus Societatis: non enim solum de domibus professis, sed de ipsa Societate saepius dicitur quod nec redditus nec possessiones habere possit, et non fit exceptio pro ulla parte nisi pro solis collegiis; imo P. VI, c. 2, n. 5, dicitur: « Non solum redditus, sed nec possessiones ullas habeant, nec in particulari *nec in communi,* domus vel ecclesiae Societatis ». Porro quid est provincia aut missio, nisi aliqua collectio domorum? Ergo nec ipsae provinciae vel missiones possunt possessiones aut redditus habere.

Ideo P. Piccolomini (in Epistola *de paupertate,* a. 1650[b], ad eliminandos aliquos abusus qui irrepserant scripta), vult ut Provinciales et Visitatores inquirant: « 1° An ipsa Provincia nomine suo possideat aliquos redditus annuos, vel bona stabilia? 2° An idem contingat in missionibus, vel residentiis quae non sunt inchoata collegia vel membra collegiorum? Nam (addit), cum iuxta Constitut., P. VI, c. 2, *litt.* A, et alibi, sola collegia et domus probationum capacia sint annuorum reddituum, perspicuum fit eiusmodi redditus non posse possideri nomine proprio nec a provinciis, nec a missionibus, nec a residentiis quae non sint collegia inchoata vel membra collegiorum ».

Quod in Constitutionibus clare quidem sed non omnino explicite continebatur, id definivit Congr. XXIV, *dd.* 15 et 17. *Decr.* 15: « Congr. statuit et declaravit: 1° Residentias, quae

---

26. (a) « Tria vota in ea (Societate) emittuntur; sic paupertatem accipiendo, ut nec velit nec possit redditus ullos ad suam sustentationem nec ad quidvis aliud habere. Quod non tantum in particulari de unoquoque, sed etiam de ecclesiis et domibus Societatis professae est intelligendum.... Et quamvis habeat Societas collegia et domos probationis redditibus dotatas ad scholasticorum sustentationem.... ».

(b) Apud Ciravegna, *docum.* I.

sunt collegia inchoata, prout haec describuntur Congr. IX; d. 18, posse vivere ex redditibus bonorum suorum, secundum declarationem Congregationis III, d. 43. Si autem sunt membra alicuius collegii vel domus probationis, horum redditibus posse sustentari, atque etiam uti posse fructibus bonorum quibus donatae sunt (c), modo talium bonorum dominium sit penes collegium vel domum probationis. 2° Residentias, quae non sunt collegia inchoata nec membra collegii vel domus probationis, quoad paupertatem aequiparari domibus professis, atque adeo redditus stabiles habere non posse, sive pro sustentatione Nostrorum sive pro sacristia et ecclesiae fabrica. 3° Inesse Praeposito Generali facultatem, iuxta constantem praxim Societatis, uniendi residentiam collegio aut domui probationis tamquam membrum, servatis tamen servandis tum ex Iure communi tum ex Iure nostro, P. VI, c. 2, n. 3, *litt.* C, expresso » (d).

Id quod exprimitur in Iure nostro, l. c., est ut professi in collegiis non habitent, sed in domibus, ibique ex eleemosynis vivant, nisi sit necessarium aut conveniens ad ipsius collegii bonum ut in ipsis vivant; et datur exemplum, « ut si in spiritualibus exercitiis confessionum et concionum ad scholasticos, qui id praestare deberent, sublevandos occuparentur; vel quando etiam necessarium aut conveniens ad universale bonum id videretur ». — Dicitur etiam « servatis servandis ex Iure communi »: quia in unione alicuius residentiae collegio possent violari leges Ecclesiae de unione officiorum vel beneficiorum ecclesiasticorum, aut aliae.

Decr. 17 eadem Congr. XXIV declaravit: « Provinciam, pro-

(c) Dicitur « quibus donatae sunt », non quod dominium horum bonorum, aut ius ad illa retineant, sed 1° quia aliud est donum accipere, aliud servare sibi: professi si aliquid ipsis datur, acquirunt, sed non sibi; item dicitur hic de residentiis. — 2° Dicitur etiam, quia forsan ex errore residentiae cum redditibus admissae sunt: tunc ad corrigendum errorem, si hae residentiae ex eleemosynis vivere nequeunt, alicui collegio applicari debent, cui attribuantur bona residentiae. — 3° Etiam evenire potest ut aliquod collegium aut domus in spem collegii acceptata et bonis donata in residentiam mutetur. In omnibus his casibus hae residentiae, quamvis dominium bonorum *quibus donatae sunt* non servent, eorum tamen fructibus sustentari possunt et debent, ne frustretur intentio fundatorum.

(d) In hoc apparet differentia inter domos professas et residentias independentes. Illae magis sunt firmae, a Pr. Generali dissolvi nequeunt, nec igitur applicari collegio ut ab ipso pendeant (P. IX, c. 3, n. 18).

prio sensu acceptam et prout a collegiis et domibus suis contradistinguitur, redditus habere non posse ex bonis stabilibus, quorum dominium non sit penes collegium aliquod. — Missiones sive independentes sive dependentes, quae pluribus domibus constent et a peculiari Superiore regantur, eadem paupertatis lege teneri ac provincias ». — Declaravit insuper: 1° Si qua bona stabilia provinciae aut missioni obvenirent, haec posse peculiari collegio a Patre nostro applicari, « cum onere reddendi provinciae fructus annuos ex eisdem bonis perceptos ad expensas communes sublevandas. 2° Quod si provincia talibus redditibus plane caruerit, vel eosdem insufficientes habuerit, eleemosynis incertis et contributione domorum et collegiorum ad sumptus communes iuvabitur ».

Haec aliqua explicatione indigent. Domus professa iuvari non potest redditibus collegiorum; provincia autem, si ad expensas communes, sc. quae fiunt in commodum omnium, non potest ex eleemosynis sibi factis ipsa providere, ab omnibus iuvari debet [e]: aequitas hoc dictat, et est conforme Constitutionibus nostris [f]. Igitur domus professa, quae redditus non habet, ex incertis eleemosynis suam partem praestabit; sed nihil prohibet quin collegia redditus habeant ad solvendam suam: et idcirco etiam non prohiberi visum fuit, si quando bona stabilia provinciae evenerint, quin collegio alicui, ab ipso possidenda, tradat, cum onere solvendi redditus ad communes provinciae expensas, « ita tamen ut provincia nullum exinde ius proprie dictum in eorumdem bonorum redditus sibi vindicare possit ». Ita Ordinatio *de Bonorum temporalium Administratione,* n. 5.

(e) Ideo hic casus confundi non debet cum casu, de quo Const., P. VI, c. 2, *litt.* B, ubi agitur de redditu annuo a fundatore domui professae relicto. Ad redditum huiusmodi domus professa ius nullum habere potest, etiamsi annuatim recipere possit; provincia ius habet ad contributiones domorum, si eis indigeat.

(f) In Const., P. IV, c. 2, n. 5, dicitur collegia providere debere necessitatibus eorum etiam qui extra collegia gerunt sua negotia (et ex suis redditibus possunt providere). — *Litt.* E dicitur: Praep. Generalis esse statuere quid ad diversos sumptus necessarios a collegiis contribui debeat. — Congr. II, *d.* 82, modo paulo generaliori dicit: « Procuratorem alere debent ii quorum negotia agit », sc. sive collegium sive domus. Notandum tamen quod dicitur eodem decreto: « Provinciales, Commissarios, Generalem etiam ipsum alet ea domus vel collegium, ubi erunt »; non dicit eos alendos esse communibus expensis Provinciae vel Societatis.

Alia gravioris momenti licentia datur in eodem decreto, his verbis: « Licet autem Societas professa suis bonis ita applicatis uti non poterit ad suam sustentationem, licebit tamen Nostris, ingruente gravi necessitate propter calamitosas rerum publicarum perturbationes, ex iisdem sustentari, si donatorum voluntas haec fuisse praesumatur ».

Ratio cur liceat est, quia bona tunc in sustentationem expensa eleemosynae rationem habent, non redditus ex quo Nostri vivant. Quemadmodum licet domui professae, quae conspicuam pecuniae summam accepit, ex illa vivere, dummodo non servet ad habendos redditus, sic provinciae licebit, non quidem modo ordinario et constanti, sed ad breve tempus sustentari ex bonis stabilibus praedictis, nisi contraria sit donatorum voluntas.

27. Duo notanda de bonis Societatis. — 1. Bona collegiorum, domorum, provinciarum (quatenus eis permittuntur), ita sunt eorum propria, ut ne a Generali quidem transferri possint de uno collegio aut una domo vel provincia, in aliam (Ordinatio *pro Bon. temp. Adm.*, n. 4). — Ita tenendum est non solum de bonis datis a fundatore aut benefactore alicui collegio aut domui vel provinciae (quia tunc intentio fundatoris vel benefactoris certe servari debet), sed etiam de bonis arbitrio Praep. Generalis alicui collegio vel domui vel provinciae applicatis: nam ubi applicata fuerint, facta sunt bona collegii, domus, provinciae, et iam arbitrio Pr. Generalis non subiacent. Revera Ordinatio de Bonis temporalibus intra bona utriusque generis nullam distinctionem facit. Huius asserti fundamentum invenitur in Const., tum P. IV, c. 2, n. 2, ubi dicitur Generalem bona temporalium collegiorum in professae Societatis usum convertere non posse,... tum P. IX, c. 3, n. 5, ubi dicitur penes P. Generalem esse facultatem, « imponendi ac redimendi quoslibet census super bonis stabilibus ipsorum collegiorum, *in eorum utilitatem ac bonum* » : si census illis imponere potest tantum in eorumdem utilitatem et bonum, multo minus poterit auferre ab illis bona quae habent, ut ad aliam domum vel collegium aut usum quemcumque transferat.

2. Bona stabilia vel mobilia, « quae Societati ita relinquuntur, ut ipsa pro suo arbitratu ea disponat, P. Generalis disponere potest aut vendendo, aut retinendo, aut huic vel illi loco applicando » (P. IX, c. 3, n. 6). — Attamen si ex Fratrum nostrorum patrimoniis proveniunt, applicari debent in eadem

provincia in qua sunt bona, sumendo nomen provinciae more Societatis. Ita Const., P. III, c. 1, n. 9; Congr. II, d. 23; Congr. III, d. 16.

28. Variae Arcae.

I. **Arca Seminarii.** — Quemadmodum singula collegia possessiones et redditus habere possunt, sic (quamvis in Constitutionibus non dicatur expresse) nihil vetat quominus plura collegia in communi possideant aliqua bona, possessiones et redditus; — et sic constituta est in Provinciis *Arca Seminarii* ad sustentationem aliasve necessitates scholarium aliorumque qui ius habent vivendi in collegiis: quae arca igitur a collegiis in communi possidetur (Ordinatio, n. 6); non necessario, ut videtur, ab omnibus Provinciae collegiis, sed ab iis in quibus Nostri in probationibus et studiis detinentur.

II. **Arca Fundationum,** de qua in Ordinatione *pro Bonis Temp.*, n. 7 [a], videtur aliquo modo subindicari P. IX, c. 3, n. 6, ubi, de bonis quae Societati ad arbitrium Generalis relinquuntur, dicitur: « de iis.... Generalis disponere poterit, aut vendendo, *aut retinendo*, aut huic vel illi loco id quod ei videbitur applicando ». Ex his verbis habetur, non esse necessarium ea bona statim applicare alicui loco, sed posse retineri, aut vendi servato pretio, ita ut applicatio bonorum vel pretii tum denique fiat quando opportuna videbitur. Porro Arca fundationum nihil aliud est, nisi arca constans ex bonis sive stabilibus sive mobilibus nondum applicatis, sed postea ad novas domos erigendas aut collegia fundanda, vel ad eorum dotationes augendas applicandis.

In Congregatione XXIV, *Actione* 48, argumentum ad legitimam huiusce Arcae rationem comprobandam etiam desumptum fuit ex similitudine facta inter provinciam et domum professam. Huic licet, quamdiu nondum possidet ea omnia ad quae ius habet, summam pecuniae habere eamque foenori dare, dummodo ad sustentationem, fabricam vel sacristiam eius fructibus non utatur; sic provincia ius habet sese evol-

---

28. (a) « Permittuntur summae ad censum datae et quaecumque alia bona, etiam stabilia, ad fundationes in Provincia aut Missione instituendas vel perficiendas, sive hae iam determinatae sint, sive a Superioribus determinandae, prout necessitas aut opportunitas suadebit » (n. 7). — Quod autem Generali licet, id etiam Provinciali, cum auctoritate a Generali accepta, licebit (n. 18).

vendi, novas domos, nova collegia, novas residentias erigendo, et ideo ad has erectiones bona etiam frugifera retinere potest.

Ex dictis dominium huius Arcae penes provinciam videtur remanere. Hoc sufficienter exprimitur P. IX, c. 3, n. 6. Si enim Generalis bona Societati, et Provincialis bona provinciae data, *aut* retinere, *aut* applicare possunt: si non applicant, sed retinent, horum dominium servat Societas aut provincia cui data sunt.

Huic Arcae fundationum opponi nequit id quod in CONST., P. VI, c. 2, n. 5 dicitur: « Non solum redditus, sed nec possessiones ullas habeant in particulari nec in communi domus Societatis »: nam statim dicitur « praeter quam quod ad habitationem vel usum necessarium eis aut valde conveniens fuerit »; et in *decl.* E, obligationi ibi factae, vendendi bona stabilia quae domui darentur, duplex restrictio additur: prima, quod temporis opportunitas ad vendendum non est excludenda; secunda, quod potest retineri, si res illa necessaria sit; et praeterea bona mobilia, ut pecuniam, posse Societatem servare ad suum usum. Porro provincia, Arcam fundationum constituendo aut augendo, nihil aliud facit nisi servat ad tempus opportunum bona stabilia et mobilia, quae sibi necessaria aut valde convenientia sunt ad erigendas novas domos, et interea redditibus horum bonorum nullo modo utitur.

III. **Arca causarum piarum** potiori iure permittitur, ait ORDINATIO *de bon. temp.*, n. 8. Intelliguntur causae piae extra fines Societatis, sc. quae non sint sub dominio Societatis, tales proinde, ut ex bonis eis applicatis Societas nullum commodum percipiat. Nam P. VI, c. 2, n. 2 et *litt.* A prohibetur Societati professae et ideo provinciae habere « redditus vel possessionem ullam in proprium usum, vel ad sacristiam, vel ad fabricam, *vel ad aliquem alium finem* »; ergo nec ad missiones, nec ad ullum ex his ministeriis quae Societas exercere potest (b). Sed si redditus aut bona stabilia dantur ad causas pias extra Societatem, ita ut in fines a donatoribus determinatos dispensari debeant, quin ullum commodum ex his Societas percipiat, tum Societas haec bona accipere potest, *ut illa administret*. Etiam accipi possunt, ut videtur, si fines ad quos

(b) Hoc proprie de Societate professa dicitur. Nam quid collegiis permitti possit, an liceat eis redditus habere ad causas pias intra fines Societatis, dictum est supra, n. 22.

haec bona applicari debeant, non determinantur a donatoribus, sed determinatio arbitrio Societatis relinquatur, dummodo nullum inde commodum Societas percipiat.

Si quaeritur cuinam competat dominium horum bonorum, non una est sententia. Suarez, tr. x, l. viii, c. 5, censet non esse inconveniens ut ipsa Societas possideat; quamvis et aliam sententiam etiam probabilem habeat, sc. ut nullius sint, donec applicentur [c], et postea huius causae piae fiant propria cui applicantur. — P. Ciravegna, n. 9, merito censet dominium bonorum in causas pias acceptorum non pertinere ad Societatem; quippe hoc ipsi interdicitur loco supra citato, P. vi, c. 2, *litt.* A et E: « Non est habitura Societas ius civile ad rem ullam stabilem, nisi ad ipsius habitationem et usum esset opportuna »; et n. 5: « Non solum redditus sed nec possessiones ullas habeant in particulari nec in communi domus vel ecclesiae Societatis, praeterquam quod ad habitationem vel usum necessarium eis vel valde conveniens fuerit ».

Ergo, quoad bona quae Societati tradi possunt ad causas pias, duo videntur prohiberi; primum et praecipuum, ne quodcumque commodum inde Societas percipiat; secundum (et est probabile tantum), ne eorum proprietatem habeat [d].

iv. **Arca eleemosynarum.** — Potest autem Provincia Arcam habere quae ex eleemosynis corrogatis aut donationibus constet, quas ad proprium usum servet (Ordinatio, n. 9). Hoc expresse dicitur P. vi, c. 2, litt. E: « Aliarum rerum mobilium, *ut pecuniarum*, vel librorum, vel earum quae ad victum et vestitum pertineant, potest in communi Societas proprietatem ad usum suum habere » [e]. Ordinatio notat pecunias huiusmodi minime servari posse « ut ex eis foenori datis annui fructus percipiantur;... interim tamen, ait, dum opportunum eas insumendi tempus advenit, nihil vetat quominus tuto aliquo modo collocentur », et ideo fructus percipiantur. Ratio est quia isti fructus non sunt redditus annui stabiles, sed et ipsi

---

(c) Non est autem aliquid novum, si bona aliquamdiu remaneant sine domino; hoc quotidie fit in aliis bonis, v. g., in haereditatibus, quae, antequam acceptentur, post mortem testatoris nullius sunt.

(d) Quod dicitur de Arca causarum piarum in provincia, eadem ratione dicendum videtur de Arca eiusdem generis in aliqua domo professa, collegio aut residentia.

(e) Voces « in communi Societas » conveniunt tum singulis domibus, tum provinciis, tum Societati universae.

tamquam eleemosyna, sicut pecuniae unde proveniunt, haberi possunt. — Cf. ad rem Congr. vii, d. 51 (f).

29. De subiecto dominii bonorum Societatis. — Quaeritur quisnam in Societate possideat singulas domos eorumque bona: utrum singulae Communitates suas domos ac bona possideant; an contra tota Societas et maxime Societas professa omnes domos cum eorum bonis, etiam collegia cum eorum bonis stabilibus et mobilibus ac iuribus possideat?

Duplex est sententia. Prima censet singulas domos earumque bona possideri ab earumdem Communitatibus: eam propugnat Suarez, praecipue tr. x, l. iv, c. 9, n. 1. — Secunda tenet Societatem totam, maxime professam, esse subiectum dominii omnium bonorum Societatis. Est Patris Natalis (in P. iv, c. 2, n. 5); eamdem defendunt Capita Oetingana, c. vii, n. 352.

Duo sunt *argumenta primae sententiae.*

Argumentum 1um desumitur ex locis Instituti et Litterarum Apostolicarum in quibus dicitur Societatem professam, nec in communi, posse habere ulla bona stabilia, nec ullos redditus, nec ius civile ad ullam rem stabilem, nisi ad propriam habitationem. Porro si Societas professa possideret collegia eorumque bona stabilia, redditus et iura, iam bona stabilia, redditus, iura civilia possideret. Ergo haec bona a Societate professa non possidentur; sed tunc bona collegiorum ab ipsis collegiis, seu ab eorum Communitatibus possidentur. Et consequenter domus professae singulae, item residentiae independentes etiam a suis Communitatibus similiter possidentur. — Loca praecipua Instituti sunt prima et secunda formula Instituti, — Exam. Gen., c. i, n. 3, — Const., P. vi, c. 2, nn. 2, 5 et *litt.* E, — C. *Indefessae* Pii v, qua Societas Ordo mendicans declaratur.

Argumentum 2um ex his locis desumitur, in quibus collegia dicuntur possidere suos redditus ac bona stabilia. Si enim collegia suos redditus et bona stabilia possident, sunt dominii capacia, et nulla est ratio cur eis denegetur proprietas aedificiorum ac bonorum mobilium quibus instruuntur. Loca

(f) « Possitne domus professa emptam sibi contiguam domum, habitationi aliquando aut aedificando templo necessariam locare, locationisque pretio frui, dum aedificandi se commoditas obtulerit? — Censuit Congregatio: ad breve tempus locare et locationis pretio frui posse ».

sunt praecipue UTRAQUE FORMULA INSTITUTI et CONST., P. IV, c. 2, n. 5 et *litt.* C [a], in quibus duo continentur : primum, ipsa collegia habere redditus, census seu possessiones ; et alterum, Societati professae et Praeposito Generali gubernationem et superintendentiam tantum vindicari, non proprietatem et dominium.

Ad argum. 1^um^ respondetur : in locis citatis id tantum spectari et affirmari, quod Societas professa *ad proprium commodum* nullos redditus, nulla bona stabilia, praeter ea quae sunt ad habitationem necessaria, ecclesiam, et villam, habere possit; nullo modo autem asseritur quod non possit habere nùdum dominium collegiorum eorumque bonorum, ipsis collegiis usum et usumfructum relinquendo.

Ad argum. 2^um^ respondetur primo: quemadmodum collegia dicuntur habere redditus, census, possessiones, eodem modo Societas professa dicitur *habere* collegia. Ergo nihil inde concludi potest. Verba « collegia habentia redditus, etc... ». de solo dominio utili interpretari possunt; nihil indicat quod de pleno dominio agatur. Ita intelligi debent aliae locutiones « bona, possessiones collegiorum », scilicet bona, possessiones quibus collegia fruuntur, quorum usum et usumfructum habent. — Ad alteram argumenti partem respondetur hic quidem non vindicari Societati professae dominium super collegia et eorum bona, sed solam superintendentiam : hoc verum est; sed inde concludi non posse dominium eorum ipsi non competere: quaestio de proprietate in hoc loco non examinatur, sed tantum quaestio practica de usu bonorum.

Ergo nihil certum ex his locis concludi potest [b].

---

29. (a) In *prima formula,* loquendo de professis, dicitur : « Possint tamen habere in Universitatibus collegium seu collegia *habentia* redditus, census seu possessiones, usibus et necessitatibus studentium applicandas, retenta penes Praepositum et Societatem omnimoda gubernatione seu superintendentia super dicta collegia et praedictos studentes;... sic tamen ut neque studentes dictis bonis abuti, neque Societas in proprios usus convertere possit, sed studentium necessitati subvenire ».

2^a^ *formula* eadem fere ad verbum repetit. — P. IV, c. 2, n. 5 : « Generalis cum nec in suum nec in professae Societatis usum *bona temporalia collegiorum* possit convertere.... » ; et *litt.* C : « ad defendendas et conservandas *possessiones et redditus collegiorum*.... ».

(b) Notandum est, etiam in prima sententia, iuxta quam collegia sua bona possident, nihilominus eorum Rectores non posse de iis disponere libere ; collegiorum bona remanent sub auctoritate et superintendentia Praep. Generalis et Societatis (P. IV, c. 10, nn. 1, 2. — P. IX, c. 3, nn. 3, 5) ; ideo collegia habentur veluti pupilli perpetui, sub tutore constituti, ut

Argumenta secundae sententiae.

Primo, afferuntur loca Instituti in quibus Professi et Societas professa dicuntur *habere* collegia : Sunt 1ª ET 2ª FORMULA INSTITUTI ; item EXAM., c. I, n. 4. « Et quamvis *habeat* Societas collegia et domus probationis redditibus dotatas... ». Hoc verbum *habeat* aliquam proprietatem ac dominium indicat ; non habet autem dominium utile ; ergo nudum dominium habet.

Secundo, affertur Breve GREGORII XIII, *Salvatoris* (1576) : « Eisdem presbyteris et Societati, ut quaecumque domos, collegia, ecclesias et alia aedificia erigere.... et quomodolibet relicta et donata, *recipere, acceptare, emere, possidere* ac *retinere* valeant.... concedimus et indulgemus ».

Similia habent PAULUS III, Const. *Licet debitum* (1549) et PIUS IV, Const. *Etsi ex debito* (1561), ubi loquuntur de collegiis Societati professae *datis*. In omnibus his locis Societas professa perhibetur ut subiectum, quod erigit, aedificat, recipit, acceptat, emit, possidet, retinet ; atqui haec omnia proprietatem denotant. Ergo ipsa Societas professa possidet omnia bona Societatis.

Duo responderi possunt : 1°, in his locis hoc tantum exprimi, Societatem in toto suo amplexu omnes actus expressos posse facere, sed non exprimi a quibusnam Societatis partibus singuli actus exerceri valeant ; 2° his verbis actus administrationis exprimi quos Societas professa, quae supremam intendentiam bonorum habet, exercere valet, non autem ipsum dominium significari.

Tertio, tria loca PARTIS IV graviora sunt : scilicet, c. I, n. 4 : « Cum primum *Societas* in collegii alicuius *possessionem venerit....* » ; — c. II, n. 1 : « Ad collegia quae libere *Societati offeruntur....* admittenda, Praepositus Generalis *nomine totius Societatis* plenam potestatem habebit » ; — c. II, *n.* 5 : « *Possessionem* collegiorum *cum rebus temporalibus* quae ad ipsa spectant, *capiet Societas....* ». Hic Societas, et quidem professa, perhibetur tamquam ea cui collegia offeruntur, quae eorum possessionem capit, quae *plenam* potestatem in ea habet. Argumentum maiorem vim accipit ex praecedenti textu GREGORII XIII in quo Societas eadem recipit, possidet, retinet (nam si Societas ea possidet, retinet, dici nequit eam non sibi, sed pro

---

ait SUAREZ, tr. X, l. IV, c. 11, n. 7. Sed vicissim animadvertatur ex hac superintendentia Societatis professae super collegia eorumque bona, argumentum sumi non posse ad probandam Societatem dominium super ipsa habere : tutor regit bona pupilli, quin dominium in ea habeat.

ipsis collegiis collegia acceptare). Tandem in hoc capite secundo Partis IV agitur, ut exprimitur in titulo capitis, de iis quae ad res temporales collegiorum pertinent. Porro mirum esset, si saltem in hoc capite S. Ignatius non designaret subiectum dominii eorum: si autem designavit, nullum aliud designavit nisi ipsam Societatem.

Quarto. Aliud argumentum desumi potest ex eo quod dicitur eodem c. 2, *litt.* A, quod, dissoluto aliquo collegio, Praep. Generalis (nisi fundator ius sibi reservaverit) de illius bonis disponet. Nam si bona essent ipsius collegii, collegio dissoluto, iam nullius essent et Praepositus de illis disponere non posset [c].

30. Votum simplex professorum de non relaxanda paupertate. (Rem tractat SUAREZ, tr. X, l. VI, c. 6).

Hoc votum professis omnibus imponitur CONST., P. VI, c. 2, n. 1: « Quicumque in ea (in Societate) professionem emiserint, se ad innovationem Constitutionum in iis quae ad paupertatem pertinent nihil facturos promittant, nisi aliquo modo, pro rerum occurrentium ratione, eam in Domino magis restringendam iudicarent ». Est igitur hoc votum non de factis quibuslibet contra paupertatem, sed de iure, scilicet de mutatione iuris circa paupertatem (SUAREZ, l. c., n. 7).

Materia voti ibidem, *litt. A,* sic determinatur: « Innovari, quod ad paupertatem attinet, est relaxari ad redditus vel possessionem ullam in proprium usum vel ad sacristiam vel ad fabricam vel ad aliquem alium finem, praeter id quod ad collegia et domos probationum attinet, admittendum. Et ne in re, quae tantum habet momenti, Constitutiones mutentur, post emissam professionem unusquisque promittat.... quod nunquam assentietur ad immutandum quod ad paupertatem in Constitutionibus pertinet, nec in conventu totius Societatis congregatae nec per se ipsum ulla ratione id curando » [a].

Item in formula voti : « Promitto nunquam me acturum

(c) In hac secunda sententia, Arca Seminarii in singulis provinciis ab ipsa provincia, aut a tota Societate possideretur, non ab ipsis domibus probationis et studiorum.

30. (a) Ex prima phrasi, materia huius voti restringi videretur ad ea quae paupertatem domorum professarum respiciunt : et haec fuit sententia SANCHEZII ; sed ex ultimis verbis certum fit, materiam voti sese extendere ad omnia quae in Constitutionibus circa paupertatem statuuntur. Ita SUAREZ, l. c., n. 18.

quacumque ratione vel consensurum, ut quae ordinata sunt circa paupertatem in Constitutionibus Societatis immutentur ». — Hoc votum iisdem verbis, quibus exprimitur, fuit approbatum in forma specifica a Gregorio xiii, Const. *Ascendente* (1584). Et Paulus v, Br. *Ex incumbenti* (1618), voti huius dispensationem R. P. reservavit; quam reservationem confirmavit Urbanus viii, Const. *Vota* (1632).

Ergo materia voti est quidquid in Constitutionibus circa paupertatem statuitur: haec est materia remota. Materia proxima sunt duo actus, qui tum P. vi, tum in formula voti exprimuntur: primus, ne professus per se ipsum quidquam agat ut paupertas relaxetur; secundus, ne ad hanc relaxationem, si alii eam attentarent, sive in Congregatione generali sive extra eam, consentiat. — Suarez, l. c., n. 9, notat votum illud esse mere negativum: professus promittit se nihil acturum nec consensurum, ut paupertas, qualis est in Constitutionibus definita, relaxetur; votum non obligat ad agendum ne relaxetur.

Hic *duplex quaestio* occurrit:

1. Quaeri potest, an Patres 2ae Congregationis hoc voto impediti fuerint quominus admitterent facultatem a Tridentino omnibus Religionibus factam (exceptis Capucinis et Minoribus de Observantia) possidendi bona stabilia in communi? — Suarez, l. c., n. 16, respondet negative: nam eo ipso quod Concilium facultatem omnibus dedit, et duas tantum Religiones excepit, alias implicite a voto, quo forsan impedirentur, solvit.

An Societas adhuc uti posset hac facultate? Negant communiter nostri Auctores. Non enim censeri potest adhuc, post tam longum tractum temporis, perdurare licentiam a Concilio factam. Insuper approbatio explicita huius professorum voti a Gregorio xiii, Const. *Ascendente* (1584), eiusque reservatio a Paulo v haberi debent uti revocatio licentiae implicitae a Tridentino factae, si adhuc eorum tempore valebat (vide Suarez, tr. x, l. iv, c. 9, n. 11, — et Ciravegna, nn. 123 et 124).

2. Aliam quaestionem magis delicatam agitat Suarez, l. vi, c. 6, nn. 11 et 12. Perpendet an, si bonum generale videretur exigere relaxationem circa paupertatem, v. g., ut admittantur redditus in domibus professis, casus examini subiici posset atque immutatio a professis admitti. Secundum principia de

voto, quod debet esse de bono maiori, respondet affirmative; verum sub ea conditione, quod relaxatio non admittatur, nisi *certo* constet eam propter bonum maius requiri: nam possidet votum, scilicet ipsum ad hanc materiam sese prius extendebat; ut cesset, oportet certum esse hanc materiam iam sub voto non cadere. — Sed si hic casus sese offerret, sane tutius esset rem summo Pontifici exponere ut eam ipse decidat, aut a voto, si opus esset, dispenset. Ita merito CIRAVEGNA, n. 125.

CAPUT X.

DE VOTIS CASTITATIS ET OBEDIENTIAE, ALIISQUE VOTIS

Sectio I. — 1. Votum Castitatis; eius natura. — 2. Eiusdem effectus. — 3. Virtus obedientiae; eius obiectum formale et materiale. — Obedientia necessaria et obedientia de mera perfectione. — 4. Potestas dominativa et iurisdictionis in Superiore. — 5. Virtus generalis et specialis obedientiae. Inobedientia; peccatum generale et speciale inobedientiae. — 6. Ad quam virtutem spectant actus qui a Superiore praecipiuntur? — 7. Votum obedientiae. — 8. An omne peccatum inobedientiae sit contra votum? — 9. Materia voti obedientiae, eius extensio. Praeceptum debet esse de re honesta et possibili. — 10. Praeceptum debet esse secundum regulam, non contra, nec supra, nec infra regulam. — 11. An actus interni sint materia voti obedientiae? — 12. An regula ipsa cadat sub voto obedientiae? — An inferior semper teneatur in conscientia poenas sibi inflictas solvere? — 13. Quinam Superiores vi voti praecipere possunt? — 14. Peccatum mortale contra votum obedientiae. — 15. De votis et contractibus a religioso sine licentia Superioris factis. — Superioris potestas irritandi vota et contractus inferiorum — 16. Appellatio a mandatis et correctione Superiorum. — 17. Vota specialia religiosa.

Sectio II. — 18. Casus reservati quoad castitatem in Societate Iesu. — 19. De extensione obedientiae in Societate eiusque dotibus. Missiones omnibus imponi possunt. — 20. Cuinam Superiori in Societate obediendum sit vi voti? — 21 Casus reservatus inobedientiae expressae. — 22. Regulae et Constitutiones, quando sub peccato obligant? — 23. An in Societate praecepta Superioris, extra praecepta in virtute obedientiae imposita, ad peccatum obligant? — 24. De appellatione a mandatis et correctione Superiorum in Societate. — 25. Quartum votum solemne professorum circa missiones. — 26. Quinque vota simplicia professorum — 27. Quartum votum scholasticorum, ingrediendi Societatem.

SECTIO I.

1. Votum castitatis; eius natura. — Votum castitatis est promissio Deo facta abstinendi ab omni voluntaria venerea delectatione sive illicita, sive licita (in matrimonio), sive externa sive interna.

1. Inde per votum castitatis sive simplex sive solemne religiosus se obligat ad duo: primo, ad vitandum omnem actum tam externum quam internum decalogo prohibitum; secundo, ad non contrahendum matrimonium.

Dicitur: *omnem actum externum,* scilicet non tantum consummatum, sed quemcumque actum luxuriae vel impudicitiae, v. g., pravos aspectus, lectionem obscoenam; et etiam *actum internum,* v. g., delectationem morosam, pravum desiderium. Ita omnes: S. Lig., l. IV, n. 37 [a]; Ferraris, v. *Votum*, n. 157; Schmalzgr., in l. III, tit. 35, n. 41; Suarez, tr. VII, l. IX, c. 2, n. 2. Sic enim (quamvis non citetur textus iuris) Ecclesia semper intellexit et approbavit votum castitatis.

2. Eadem materia, quae est gravis contra castitatem, est gravis contra votum; quae est levis, ratione imperfecti actus in materia luxuriae, aut in peccatis impudicitiae, etiam est levis ratione sacrilegii contra votum. — Ratio est, quia votum suum obiectum a sexto praecepto accipit, tantummodo ei novam obligationem religionis addendo.

3. An differant specie peccata contra votum solemne aut contra votum simplex, controversum fuit; sed probabilior sententia est non differre, etiam ubi agitur de voto castitatis extra statum religiosum (Piat, t. I, p. 270, q. 3). Hoc sequitur ex differentia, quae intercedit inter votum simplex et votum religiosum etiam solemne, quae tota venit ex approbatione Ecclesiae vota religiosa approbantis et sub sua tutela accipientis. Ergo ratione violatae promissionis, seu sacrilegii, non differunt.

4. Dicitur praeterea votum castitatis obligare ad non contrahendum matrimonium, sc. votum castitatis in statu religioso obligat ad vitam caelibem, et violatur non tantum consummatione matrimonii, sed solo contracto matrimonio. S. Congr. EE. et RR. in *animadversionibus* ad constitutiones alicuius Congregationis religiosae, 22 *mart.* 1897, *ad* 15: « In fine addatur, quod per votum castitatis prohibeantur nuptias inire ». Inde sequitur sponsalia, etiam post votum simplex castitatis in Institutis votorum simplicium, esse non solum illicita, verum etiam et irrita: sunt irrita, siquidem nemo obligare se potest ad aliquid illicitum (Wernz, n. 651, II).

---

1. (a) « Religiosus voto castitatis obligatur ut abstineat se ab omni voluntaria delectione venerea, interna et externa; proindeque si quis contra castitatem peccat, duo peccata admittit, luxuriae et sacrilegii ».

2. Effectus voti castitatis.

1. Votum solemne castitatis irritat matrimonium postea attentatum. Votum simplex castitatis hunc effectum non habet, excepto, ex speciali privilegio, voto simplici castitatis post biennium novitiatus in Societate Iesu. Ita quoad 1am partem ex c. unico de *Voto et voti redemptione,* III, 15, in 6°: « Praesentis declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solum votum debere dici solemne quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri Ordinis aut per professionem expressam aut tacitam, factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis. Reliqua vero vota, etsi quandoque matrimonium impediant contrahendum,... non tamen rescindere possunt matrimonia post contracta ». — Item TRID., *sess.* XXIV, *can.* 9. « Si quis dixerit clericos in sacris ordinibus constitutos vel Regulares castitatem *solemniter* professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica vel voto,... anathema sit ». Ratio est, dicit SUAREZ (tr. VII, l. IX, c. 4), quoad votum simplex castitatis extra Religionem, « quod votum simplex est pura promissio: per promissionem autem alicuius rei non amittitur dominium eius, et ideo valida est donatio subsequens, seu posterior contractus » (n. 8); et quoad votum simplex in Religione quod est cum traditione coniunctum, quia homo non est absolutus dominus proprii corporis, et ideo non potest illud extra matrimonium ita tradere ut fiat inhabilis ad contrahendum matrimonium (n. 9). Ergo solum votum non irritat per se matrimonium subsequens.

Quoad secundam partem, de effectu voti simplicis castitatis in Societate, GREGORIUS XIII, Const. *Ascendente* (1584), declarat eos « omnes et quoscumque qui in ipsam Societatem admissi, biennio probationis a quolibet eorum peracto, tria vota substantialia, tametsi simplicia emiserint,... eos omnes ad contrahendum matrimonium inhabiles, ac contractus huiusmodi nullos et irritos esse, prout irritos facimus ac annullamus ». Deinde prohibetur communicatio huius gratiae.

2. Votum solemne castitatis dirimit matrimonium antecedens ratum et non consummatum. — TRID., *sess.* XXIV, can. 6: « Si quis dixerit matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius coniugum non dirimi, a. s. ». — Votum simplex castitatis sive scholasticorum, sive coadiutorum formatorum hunc effectum non habet.

Nihil enim invenitur de hac re in Instituto, nec in Constitutionibus, nec in Decretis, nec in Litteris Apostolicis. Suarez, tr. x, l. iv, c. 2, probat votum simplex scholasticorum hanc vim non habere, quia ante C. *Ascendente* Gregor. xiii (1584), non habebat vim irritandi matrimonium subsequens, ergo multo minus dissolvendi matrimonium antecedens ratum. Porro Greg. xiii solum tribuit primum effectum; ergo etiam nunc secundum non habet. Sententiam suam confirmat praxi Societatis. Idem affirmat de voto simplici coadiutorum formatorum (tr. x, l. iv, c. 3, n. 13, et l. vii, c. 2, n. 10); ratio est eadem, quae supra tacta est, quod homo non est absolutus dominus corporis sui, nec possit illud tradere nisi in ordine ad copulam consummandam in matrimonio, ex institutione Dei. Unde sicut non potest illud ita tradere Religioni ut invalidum sit matrimonium subsequens; sic, postquam dederit in matrimonio alteri, non potest illud iam alteri, etiam Religioni aut Deo tradere, ita ut dissolvatur praecedens matrimonium. — Igitur effectus tum irritandi subsequens matrimonium tum irritandi praecedens ratum, ex sola institutione Ecclesiae, non ex natura voti castitatis, oritur.

3. Qui voto solemni castitatis adstrictus matrimonium attentat, excommunicationem Ordinariis reservatam ipso facto incurrit. Ita in C. *Apostolicae Sedis* (serie tertia): « Clericos in sacris constitutos vel Regulares aut moniales post votum castitatis matrimonium contrahere praesumentes ». — Si autem consummat matrimonium, fit insuper irregularis ex bigamia similitudinaria[a]. Lig. vii, 448; Wernz, n. 651, iii.

Inter media ad castitatem servanda sunt clausura, prohibitio facta Religiosis adeundi monasteria monialium, obligatio habendi socium quando exeunt (ex decreto *Nullus* Clementis viii, § 19, 20, 21). De his dicetur cap. xi.

3. De virtute obedientiae. — Obedientia est virtus moralis ad iustitiam pertinens, inclinans inferiorem ad exsequendam voluntatem cognitam Superioris.

1. *Obiectum formale* seu motivum obedientiae est igitur ius Superioris dirigendi subditum, seu eius auctoritas. Dici etiam potest esse pulchritudinem ordinis, quo scilicet in qua-

---

2. (a) C. *Quotquot*, 24, *Caus.* xxvii, q. 1: « Quotquot virginitatem pollicitam praevaricati sunt, professione contempta, inter bigamos, id est qui ad secundas nuptias transierunt, haberi debebunt ».

cumque societate inferiores per Superiorem ad finem societatis diriguntur. Haec pulchritudo ordinis est fundamentum iuris Superioris.

Diriguntur autem inferiores maxime praeceptis, sed etiam consiliis aut mere beneplacito manifestato: praeceptis, in his quae ad finem sunt necessaria aut valde convenientia; ad alia, quae ad finem societatis conferunt sed non sunt ita necessaria, Superior etiam consiliis aut mero placito manifestato dirigere potest. Sic Deus hominem ad perfectionem praeceptis et consiliis dirigit.

2. *Obiectum materiale* obedientiae est actus qui praecipitur a Superiore, aut etiam ad quem suo consilio aut mere beneplacito invitat, quamvis illum praecepto non imponat[(a)].

3. Latius ergo patet virtus obedientiae quam eius obligatio: quod de caetero in aliis virtutibus etiam invenitur. Unde *duplex est obedientia, una necessaria, altera de mera perfectione:* prima, quae correspondet praecepto Superioris; secunda, quae mero eius consilio aut beneplacito manifestato sese conformat.

4. Triplex voluntas in Superiore distingui debet. Nam potest velle praecipiendo, aut etiam abstinendo a praecepto. — In primo casu, nimirum quando praecipit, vult quidem absolute

---

3. (a) S. Th. 2. 2.ae q. 104, a. 2: « Obedientia est specialis virtus et eius speciale obiectum est praeceptum tacitum vel expressum: voluntas enim Superioris, quocumque modo innotescat, est quoddam tacitum praeceptum, et tanto videtur obedientia promptior, quanto expressum praeceptum obediendo praevenit, voluntate Superioris intellecta ». Primis verbis S. Doctor videtur affirmare solum praeceptum esse obiectum obedientiae, et proinde ubi non est praeceptum non esse obedientiam. Sed hoc assertum deinde temperat dicendo voluntatem Superioris intellectam sufficere ad obediendum; quia voluntas Superioris est *quoddam* tacitum praeceptum.

Suarez (tr. x, l. iv, c. 14, nn. 11-16) sentit praeceptum esse proprium obiectum obedientiae; actum autem quo inferior se conformat voluntati Superioris, etiamsi non adsit praeceptum, esse honestum, et hanc honestatem *reduci* ad obedientiam. Ait praeterea inferiorem, qui obedit simplici Superioris voluntati sine obligatione, plerumque agere ex motivo obedientiae, scilicet ut sit promptior in exsequendo omne praeceptum Superioris, cum inclinat suam voluntatem ut voluntati Superioris etiam non praecipientis, se conformet. — Sed verius videtur quod dicitur in textu: Superiorem ad finem societatis dirigere non tantum praecepto sed et mero beneplacito, et obiectum formale obedientiae esse auctoritatem Superioris seu illius ius dirigendi subditos, quod non solo praecepto exercet. — (Cf. etiam Ball.-Palm., n. 176).

fieri rem praeceptam, scilicet obligando (seu ligando vinculo morali voluntatem inferioris); sed dupliciter potest inferiorem obligare: aut in conscientia, ita ut inobediens reatum culpae incurrat; aut ad solam poenam, ita scilicet ut inobediens culpam non committat, sed solum teneatur ad poenam subeundam, si ipsi imponatur. Tunc autem ut adsit aliqua obligatio, necesse est ut inferior ad poenam in conscientia adstringatur; et ita omnis obligatio est immediate aut mediate obligatio in conscientia sub reatu culpae (vide SUAREZ, *de Legibus*, l. I, c. 14, n. 7, et l. V, c. 3). Praeter has duas voluntates quibus Superior obligat ad culpam vel ad poenam, est tertia, qua vult mero placito aut consilio, quin praecipiat.

5. Quando Superior praecipit directe obligando in conscientia, obligare potest sub gravi vel sub levi. Ad obligandum sub gravi semper requiritur materia gravis aut ex se aut ex circumstantiis; sed ubi est materia gravis, potest Superior non obligare nisi sub levi, quemadmodum potest nullo modo obligare, abstinendo a quovis praecepto[b].

4. Potestas dominativa et potestas Iurisdictionis[a].

1. Superior, cui debetur obedientia, est talis vel natura et necessitate, v. g., parentes quoad filios, maritus quoad uxorem, princeps in societate civili, Superiores ecclesiastici in Ecclesia; vel ex pacto libero, saltem implicito: sic herus relative ad famulum, Superior religiosus, et in omnibus societatibus, quas cives libere inter se ineunt, rector societatis, quocumque nomine designetur. In omni enim societate necesse est ut omnes ad finem per aliquem dirigantur, cui proinde caeteri, qui societati sese adscribunt, implicite saltem promittunt obedientiam praestituros esse in his quae ad finem societatis pertinent. Potestas, quam in omni societate Superior habet regendi subditos, etiam per praecepta, in his quae sunt ad finem societatis, est *potestas dominativa*[b].

2. Praeterea Superior potestate iurisdictionis ecclesiasticae:

(b) SUAREZ, tr. VII, l. XII, c. 4; — *de Legibus*, l. III, c. 18; BUSEMBAUM *apud S. Lig.*, l. IV, n. 38; BALL.-PALM., n. 172.

4. (a) SUAREZ explicat has duas potestates *de Legibus*, l. I, c. 8; *de Relig.*, tr. VII, l. II, c. 18.

(b) Sunt qui a potestate dominativa distinguunt potestatem domesticam et oeconomicam; sed hoc necessarium non videtur, nec communiter fit: potestas domestica vel oeconomica non est nisi species aut pars potestatis dominativae.

instrui potest. Haec potestas per se in solis societatibus perfectis residet, scilicet in suo ordine (religioso aut civili) independentibus. In his societatibus perfectis, caput earum, quia neminem supra se habet, maiori instruatur potestate necesse est, triplici nempe potestate legifera, iudiciali et coercitiva amplissima: et haec est *potestas iurisdictionis*.

Duplex tantum est ergo potestas iurisdictionis, civilis et religiosa seu ecclesiastica. Civilis multiplicatur, uti multiplicantur Status politici independentes; ecclesiastica unica est, quia unica est Religio, Ecclesia Christi. In societate civili perfecta haec potestas oritur ex naturali ordinatione hominum ad societatem civilem, in qua necesse est inveniri aliquam supremam auctoritatem triplici dicta potestate instructam; in societate religiosa supernaturali, i. e. in Ecclesia, haec potestas est origine sua supernaturalis. — Aliae societates imperfectae, sc. in suo ordine non independentes, quoniam subsunt societati perfectae civili aut religiosae eique subordinantur, non indigent instrui tanta auctoritate; ideoque potestas iurisdictionis eis ab AA. communiter denegatur. Sed potestas, quam per se non habent, potest eis delegari a suprema a qua dependent: erit plus minusve ampla pro limitibus quibus circumscripta communicatur.

His notionibus positis, Superior religiosus *per se* non habet nisi potestatem dominativam, quae oritur ex traditione sui a religiosis in professione Religioni eiusque Superioribus facta [c]: et haec sufficit ad regimen Instituti religiosi [d]. — Sed potest habere ex concessione Ecclesiae potestatem iuris-

---

(c) In novitios Superior aliquam etiam potestatem dominativam habet: nam novitius ingrediendo domum se Superiori submittit, ut ab eo in disciplina domus dirigatur; sed est potestas imperfecta, quae nondum voto firmata est; imo novitius nondum *se tradidit* et liber manet ut a Societate religiosa se retrahat. Nihilominus dum manet, obedire *tenetur: ad hoc, intrando novitiatum, se implicite obligavit.*

(d) Potestas dominativa eo magis sufficere potest in Institutis religiosis quod, etiamsi deficiat potestas iurisdictionis intrinseca ipsi Instituto, religiosi, non tantum ut coeteri fideles, sed vi ipsius professionis et *in his quae ad vitam religiosam pertinent*, subsunt iurisdictioni extrinsecae aut Episcoporum aut, si Institutum est exemptum, Summi Pontificis. Ecclesia enim auctoritatem accepit ad dirigendos homines in omnibus quae ad vitam supernaturalem pertinent, etiam igitur religiosos ad perfectionem; et Instituta religiosa non aliam auctoritatem ad hoc habent nisi quam ab Ecclesia acceperunt (vide c. I, n. 7).

dictionis. Et revera haec potestas concedi solet his Religionibus quae sacerdotibus constant (De duplici hac potestate, cf. SUAREZ, tr. VII, l. II, c. 18).

3. Sat communiter dicitur Praelatos regulares qui duplici potestate gaudent, quando praecipiunt, ordinarie non uti potestate iurisdictionis, sed tantum potestate dominativa ; uti autem potestate iurisdictionis tantum quando necessarium est, sc., ut leges condant, ut partes agant iudicis, ut censuris aliisve poenis ecclesiasticis puniant, ut dispensent in legibus Ecclesiae. Ita SUAREZ, tr. VII, l. X, c. 6, n. 6, quem sequitur PALM.-BALL., n. 166. Sed hoc displicet LUGONI (*de Poenit. disp.* XVI, n. 174), qui censet Praelatum, ubi sub gravi praecipit, tota sua potestate uti, et igitur etiam ex potestate iurisdictionis, si eam habeat[e].

5. Virtus generalis vel specialis obedientiae. — Subditus praecepto obedire potest, vel praecise quia praeceptum est, scilicet propter ius Superioris et rectum ordinem servandum, vel ex alio motivo. In priori casu, exsequendo voluntatem Superioris (sive praeceptum, sive simplex beneplacitum) praecise ob formalem rationem quod sit eius voluntas, actum

---

(e) Verba SUAREZII, l. c., sunt: « Si ordinarium modum gubernandi inspiciamus, quoad vim directivam, quae est in praecipiendo, videntur Praelati uti potestate dominativa, quae fundatur in traditione seu promissione ; quoad vim autem coactivam, quando necessaria est, utuntur potestate iurisdictionis : sicut irritando utuntur dominio, dispensando iurisdictione ». — LUGO autem, l. c., ait : « Si regula, licet non explicet quod velit obligare potestate iurisdictionis, adhuc censetur eo modo obligare, et constituere rem praeceptam in materia talis aut talis virtutis; cur Praelatus, qui est regula viva, quando aliquid praecipit, non censebitur velle obligare eodem modo et usurpare potestatem iurisdictionis? aut quae differentia potest afferri quoad hoc inter Praelatum loquentem per regulam aut loquentem per praecepta actualia ? Et haec quidem videtur esse intentio Praelati, *quando vult imponere praeceptum grave :* vult enim assumere personam Praelati et potestatem gubernativam quam habet ut Praelatus, quae directe parit obligationem contra obedientiam et constituit rem in materia talis virtutis ». Ita Lugo. Notetur nihilominus restrictio quam adhibet, « quando vult imponere praeceptum grave » : nam, quoniam potestas dominativa est propria Superioris, aliam autem iurisdictionis non habet nisi per delegationem, ideo prima communiter uti debet, altera nonnisi ubi necessarium sit, ne ea quasi prodigaliter utatur.

specialis virtutis obedientiae facit; in secundo casu agendo ex alio honesto motivo actum facit alius virtutis propter quam agit, non autem actum specialis virtutis obedientiae; quamvis in actu inveniatur generalis obedientia. Ratio est, quia actus morales speciem habent a fine operantis[a].

Peccatum generale vel speciale inobedientiae. — *Inobedientia* autem habetur quoties subditus non exsequitur praeceptum Superioris, ex quocumque motivo illud non exsequatur. Dicitur « non exsequitur praeceptum »: quia, si de mero consilio aut beneplacito Superioris agitur, illud non exsequendo, nullam inobedientiam committit, sed tantum imperfectionem

---

5. (a) Ad rem S. THOMAS, 2. 2.ae q. 104, a. 2, ad 1: « Si obedientia proprie accipiatur, *secundum quod respicit per intentionem formalem rationem praecepti,* erit specialis virtus, et inobedientia speciale peccatum: secundum hoc enim ad obedientiam requiritur quod impleat aliquis actum iustitiae vel alius virtutis, *intendens implere praeceptum,* et ad inobedientiam requiritur quod actualiter contemnat praeceptum. Si vero obedientia large accipiatur, pro executione cuiuscumque quod potest cadere sub praecepto, et inobedientia pro omissione eiusdem ex quacumque intentione, sic obedientia erit generalis virtus et inobedientia generale peccatum ». Similia habet SUAREZ, tr. VII, l. X, c. 2, n. 5.

Aliqui hanc obedientiam generalem vocant obedientiam *materialem;* et obedientiam specialem vocant *formalem.* Sed ne sit in hoc aliqua confusio, notandum est triplici modo impleri posse rem praeceptam (SUAREZ, tr. X, l. IV, c. 14, nn. 2 et 3). Primo modo, sine ulla consideratione ad praeceptum; sic qui audit missam aliquo die, ignorans aut non attendens missam esse eo die praeceptam: hic nullo modo obedit, aut eius obedientia est mere materialis. Secundo modo, attendendo ad praeceptum, quin tamen motivum propter quod agit sit praestare obedientiam, sed aliud, v. g., specialis honestas actus praecepti: et tunc non habetur specialis obedientia, sed generalis, et aliquo sensu dici potest formalis. Tertio modo, potest quis obedire non solum attendendo ad praeceptum, sed praecise propter praeceptum ipsum: et haec est specialis et formalissima obedientia. — Quoad secundum modum rem praeceptam exsequendi, notat ibidem S. THOMAS, quod consideratio praecepti concurrit cum actibus omnium virtutum quae cadunt sub obligatione, quin propterea sint actus specialis obedientiae. Qui audit missam die festo, qui ieiunat in quadragesima, etc., haec facit attendens praecepto et ut illud impleat, et tamen per se facit actum virtutis religionis aut temperantiae. Notat quod e contrario, si res praecepta ad nullam virtutem pertinet, qui eam peragit, per se actum specialis obedientiae facit, ut quando servus hero morem gerit.

negativam, omittendo scilicet aliquem actum virtutis ad quem invitabatur et suo statui convenientem.

Sed quando adest praeceptum, rem non exequendo semper peccat contra debitam obedientiam. Si praeceptum transgreditur ex motivo contrario speciali virtuti obedientiae, scilicet ex contemptu auctoritatis, habetur speciale peccatum inobedientiae; si ex alio motivo, non habetur nisi peccatum generale inobedientiae, sed committitur speciale peccatum contra virtutem ad quam pertinet res praecepta (b). Quando autem res praecepta ad nullam aliam virtutem pertinet, et tantum quia praecipitur fieri debet, tunc si haec omittitur, speciale peccatum contra obedientiam committitur, praecise quia res praecepta ad nullam aliam virtutem nisi ad obedientiam pertinet, et consequenter ratio generalis obedientiae ad nullam speciem contrahitur.

Distinctio alia fieri potest, fere eodem sensu, cum aliqua tamen differentia, duplicis inobedientiae, negativae scilicet et positivae seu expressae. *Inobedientia mere negativa* habetur, quando aliquis iussa Superioris simpliciter non exsequitur; *positiva seu expressa*, quando deliberate affirmat se nolle obedire praecepto. Haec expressa inobedientia non est necessario ex formali contemptu Superioris: nam potest aliquis obedientiam deliberate renuere ex alio motivo, v. g., quia res est ardua, naturae repugnans, aut ex aliqua passione quae non sit contemptus. Nihilominus inobedientia expressa, qua quis negat se velle obedire, est semper *gravis iniuria* facta Superiori ut tali, dum subditus eius auctoritati aperte resistit, et ideo semper est grave peccatum, ut fert sententia communis (Lugo, *de Poenitentia*, d. 20, n. 49).

6. Ad quam virtutem spectant actus qui a Superiore praecipiuntur? — Dictum fuit, quando aliquis praetergreditur praeceptum non ex contemptu, sed ex alia ratione, eum non

(b) Ad rem S. Thomas, 2. 2.ae q. 105, a. 1: « Non omne peccatum mortale (ex eo quod sit prohibitum saltem lege divina aut naturali) est inobedientia proprie et per se loquendo, sed solum tunc quando aliquis praeceptum contemnit: quia ex fine morales actus speciem habent. Cum autem facit aliquis contra praeceptum, non propter praecepti contemptum sed propter aliquid aliud, est inobedientia materialiter tantum, sed pertinet formaliter ad aliam speciem peccati ». Vide etiam textum in nota praecedenti.

committere peccatum specialis inobedientiae, sed contra specialem virtutem ad quam pertinet res praecepta. Remanet explicandum ad quam virtutem pertineat res praecepta, et quam vim praeceptum habeat ad eius moralitatem determinandam.

Actus, quos Superior praecipere potest, sunt in triplici differentia. Etenim vel sunt actus per se honesti et ab aliqua alia lege iam praescripti; vel actus per se honesti, et proinde ad aliquam specialem virtutem spectantes, sed a nulla lege impositi, v. g., ieiunium, oratio; vel sunt actus de se indifferentes, v. g., legere, deambulare.

Quando Superior imperat, sive lege aliqua sive praecepto particulari, actum ab alia lege impositum, potest velle novam obligationem, scilicet ex obedientia sibi debita, adiungere; at plerumque non est ita, sed tantum vult urgere obligationem iam existentem. Haec sententia est communis, ubi agitur de re praecepta diversis legibus, v. g., lege naturali, divina, ecclesiastica, civili[a]. Quare violatio praecepti a diversis legibus impositi non habet inde diversas malitias.

Quando actus est ex se honestus, pertinens quidem ad aliquam speciem virtutis, sed per se sub nulla obligatione naturali cadens, tunc *legislator* illum praecipiens hoc etiam tantum intendit, ut obligatorium in sua specie virtutis reddat, non ut specialis obedientia sibi reddatur[b]. Non est autem ratio cur supponatur *Superiorem* aliam habere voluntatem, quando uti-

---

6. (a) S. Lig., l. v *(de peccatis)*, n. 33; — S. Thomas, 1. 2.ae q. 72, a. 6, ad 2.

(b) Ita Suarez, *de Legibus*, l. iii, c. 29, n. 5. Et n. 12 addit: « Admittimus communem et veram doctrinam, quod per legem humanam actus praecepti determinantur ad certam speciem virtutis. Non est autem sensus quod lex humana praecipiat illam virtutis speciem esse per se intentam ab operante; sed sensus est legem humanam praecipiendo imponere solum obligationem obedientiae quae generalis est et in omni praecepto includitur (non autem obligationem specialis obedientiae), sed praecipere de se actus singularum virtutum; quia leges humanae intendunt facere homines honestos in omni genere virtutis et ideo praecipiunt secundum omnes species virtutum ».

In his ultimis verbis datur ratio ultima cur lex, praecipiendo actum virtutis, illum in aliquam speciem virtutis ponit. Ratio est, quia lex sive naturalis aut divina sive humana (et haec sive ecclesiastica sive civilis) semper intendit facere homines bonos, et actum non praecipit, nisi quia hic actus aut ex se honestus est aut est sin minus necessarius saltem conveniens ad rectum ordinem et proinde ad honestatem servandam. Dici potest effectum proprium legis esse ut reddat obligatorium aliquem actum virtutis.

tur iure suo, quod habet, praecipiendi aliquos actus praecise quia sunt actus virtutis: quo iure sane gaudet Superior religiosus, qui suos subditos ad omnem perfectionem dirigere debet (c). (Idem dicendum videtur de patre erga filium: nam pater obligationem habet filios ad virtutem informandi; non autem de hero erga famulum: quia ratio huius societatis domesticae in eo est, ut herus opera famuli ad proprium suum

---

(c) « Praeceptum Superioris (ait SUAREZ, tr. VII, l. X, c. 6, n. 6) differt a propria lege, quae vim habet dandi actui necessitatem intra propriam speciem virtutis. Hic vero addendum videtur: si consideretur Praelatus Religionis quatenus habet iurisdictionem ecclesiasticam, sic proprium imponere praeceptum seu legem, quae vim habeat obligandi subditum iuxta varias materias et motiva virtutum, dando actibus necessitatem illarum; quod bene attingit VASQUEZ, in 1. 2ae disp. 98, c. 3; et erit verum, quando constiterit Praelatum praecipiendo uti tali iurisdictione ». Eamdem sententiam profert LUGO, *de Poenitentia, disp.* XVI, n. 170, quaerens quot sunt malitiae in inobedientia religiosi. Respondet: si Praelatus praecipiat et vi voti et vi obedientiae sibi debitae per traditionem, duplicem esse malitiam; et addit: « Imo debet (subditus inobediens) quando confitebitur, explicare materiam praecepti quod violavit: quia, licet inobedientia, quatenus est contra votum, semper sit eiusdem speciei infimae (solum enim adversatur religioni et fidelitati erga Deum), quatenus tamen est contra praeceptum, non habet unicam speciem infimam, sed accipit speciem ab illa virtute, ad quam spectabat res praecepta: unde violatio ieiunii praecepti habet malitiam intemperantiae... ». Et n. 174: « Si regula, licet non explicet quod velit obligare potestate iurisdictionis, adhuc censetur eo modo obligare et constituere rem praeceptam in materia talis vel talis virtutis: cur Praelatus, qui est regula viva, quando aliquid praecipit, non censebitur velle obligare eodem modo et usurpare potestatem iurisdictionis?... Et quidem haec videtur esse intentio Praelati, quando vult imponere praeceptum grave: vult enim assumere personam Praelati et potestatem gubernativam quam habet ut Praelatus, quae directe parit obligationem contra obedientiam et constituit rem praeceptam in materia talis virtutis. Quare oportebit in confessione dicere: violavi praeceptum Praelati grave in tali materia ». SUAREZ quidem requirit in Superiore potestatem iurisdictionis, ut transferat actum praeceptum in speciem alicuius virtutis; non ita LUGO, n. 170. Et revera ad hoc sufficit ut Superior possit praecipere actum virtutis, qua talis est.

Invocari posse videtur pro hac sententia auctoritas S. THOMAE in loco pluries citato, 2. 2.ae q. 104, a. 2, ad 1 (vide *notam* 5 a). — Idem concludi potest ex q. 105, a. 1, ad 1, ubi ait: « Cum aliquis agit contra praeceptum (hic etiam non distinguens inter praeceptum et praeceptum), non propter praecepti contemptum, sed propter aliud, est inobedientia materialiter tantum, sed pertinet formaliter ad aliam speciem peccati ».

commodum utatur, et famulus pro opera sua stipendium accipiat; ergo herus nullam auctoritatem habet ad praecipiendos actus virtutis; sed tantum praecipere potest secundum finem proprium huius societatis domesticae, et famulus inter limites eosdem obedientiam praestare debet, quia inter hos limites et non ultra ex quasi-contractu obedire tenetur. Idem dicendum est de societatibus oeconomicis, quas homines inter se ineunt, et pro scopo habent merum commodum temporale contrahentium).

Quando autem actus est indifferens de se, et praecipitur ab eo, qui ius habet, in ordine ad aliquam virtutem servandam, aut transfertur in hanc speciem virtutis, aut non habet nisi obligationem specialis virtutis obedientiae (d).

Unde concludendum videtur: quando religiosus Superiori praecipienti et obligationem imponenti non obedit, peccat contra virtutem ad quam spectat ex natura sua actus qui praecipitur, aut, si actus est natura sua indifferens, non peccat tum nisi contra virtutem obedientiae.

7. Votum obedientiae. — Novam obligationem superaddit obligationi obedientiae quam subditus habet ex traditione (a), obligationem videlicet virtutis religionis.

Ideo peccatum inobedientiae in religioso duas malitias continet: unam contra iustitiam, scilicet contra obedientiam Superiori ex traditione debitam, aliam sacrilegii contra virtutem religionis propter votum.

Sunt nihilominus qui unicam malitiam agnoscunt, scilicet contra religionem. S. Lig. ipse, l. IV, n. 46, tantum probabiliorem habet primam sententiam, quae duas malitias agnoscit. Item Lugo, *de Poenitentia*, disp. XVI, n. 170 sq. Attamen ratio allata ad probandum duplicem malitiam, videtur omnino convincens (b).

(d) S. Th., 2. 2.ae q. 104, a. 2, ad 1, ait: « Quaedam quandoque sub praecepto cadunt, quae ad nullam *aliam* virtutem pertinent, ut patet in his quae non sunt mala nisi quia prohibita ». Si ad nullam *aliam* virtutem pertinent nisi ad obedientiam, tunc obedientia, eo ipso quod non contrahatur ad speciem inferiorem, est virtus tribuens moralitatem actui.

7. (a) Ex dictis n. 4, obligatio obedientiae, quae ex traditione oritur, est obligatio obediendi Superiori in omnibus quae ad vitam religiosam pertinent. Haec obligatio incipit primo ingressu in vitam religiosam, multo maior efficitur per traditionem et promissionem obedientiae in professione saltem implicite contentam.

(b) Suarez, qui tr. VII, l. X, c. 6, n. 2, duas malitias agnoscit, nec aliam

Votum obedientiae, ut est votum, non fit homini, sed soli Deo: est promissio Deo facta obediendi homini. Ergo per votum praecise sumptum nullum ius datur directe homini; obligatio erga solum Deum contrahitur. Superior vi voti *indirecte* tantum subditum obligat, scilicet praecipiendo ponit conditionem, qua posita, subditus propter obligationem erga Deum per votum assumptam obedire tenetur. — Hoc praecise ex voto[c]: nam Superior, ratione traditionis a subdito Religioni

---

sententiam refert, deinde tr. X, l. IV, c. 12, n. 14, dicit duas obligationes obediendi, quas religiosus habet, per modum unius spectari, et ideo non esse necessarium agnoscere duas malitias in peccato inobedientiae religiosi. Rationem dat, quia vita religiosa, et ideo obligatio obediendi iam assumitur ex motivo religionis. Sed haec ratio debilis videtur: nam quamvis obligatio vitae religiosae assumatur ex motivo religionis, hoc non impedit quin per traditionem obligatio erga hominem contrahatur; actus quidem, quo obligatio contrahitur, est actus religionis, sed obligatio contracta est iustitiae erga hominem; ergo si violatur, violatur iustitia erga hominem.

Confirmari potest haec explicatio ex eo quod accidit in Institutis piis, in quibus vota non emittuntur. Intercedit sane pactum, ut in qualibet alia societate, inter Institutum eiusque alumnos; hoc pactum ex motivo religionis fit: inobedientia tamen malitiam sacrilegii non habet, sed tantum infidelitatis aut iniustitiae. Iuvat referre verba LUGONIS (*de Poenit.* d. XVI, nn. 170 et 171): « Duae sunt sententiae. Prima fatetur quidem posse Praelatum utraque potestate uti (iurisdictionis et dominativa) et utroque modo obligare subditum, et tunc subditus contrahet absque dubio utramque malitiam (alteram contra votum obedientiae, alteram contra praeceptum et obedientiam debitam Praelato legitime praecipienti), et tenebitur utramque in confessione explicare; imo debebit etiam explicare materiam praecepti quod violavit: quia licet inobedientia, quatenus est contra votum, semper sit eiusdem infimae speciei, — solum enim adversatur religioni et fidelitati erga Deum, — quatenus tamen est contra praeceptum non habet unicam speciem infimam, sed accipit speciem ab illa virtute ad quam spectabares praecepta: unde violatio ieiunii praecepti habet malitiam intemperantiae.... De facto tamen, dicunt, regulariter loquendo, Praelatum non velle obligare utroque modo, sed communiter vult obligare solum ex voto: quam intentionem explicat dum dicit se velle obligare in virtute obedientiae.... Quando autem Praelatus praecipit sub excommunicatione, iam tunc utitur potestate iurisdictionis,... et tunc debet explicari materia praecepti quod violatur. Addunt aliqui tunc non praesumi velle Praelatum obligare ex voto, sed solum ex potestate iurisdictionis.... Sed licet praedicta sententia probabilis sit, verior tamen videtur contraria, quae docet in eiusmodi peccatis reperiri de facto utramque malitiam.... »

(c) Ideo, si aliquis votum emittit obediendi confessario, quin ipsi ullam promissionem faciat, tunc unice voto tenetur; et si non obedit, eius

factae, ius erga eum acquisivit, vi cuius directe eum obligare potest.

Quaeritur an in religioso qui, praeter traditionem, explicitam promissionem obedientiae Superiori fecit [d], peccatum inobedientiae, praeter duas malitias iniustitiae et sacrilegii, aliam infidelitatis contineat? — Affirmat SCHMALZGR. (l. III, in titul. 35, n. 56). SUAREZ negat (tr. VII, l. X, c. 6, n. 3) et merito : quia traditio semper implicite continet promissionem obediendi; quod enim proprie traditur est voluntas, quae submittitur Superiori ut ab eo perpetuo pendeat. Non dicatur ergo traditionem ad iustitiam pertinere et promissionem ad fidelitatem, ac proinde duas diversas virtutes violari: nam traditio iam implicite promissionem obediendi Superiori factam continebat ; unde per promissionem explicitam nihil traditioni additur, sed magis declaratur praecipua obligatio quae ex ea oritur. — Inde etiam sequitur peccatum inobedientiae in religioso non esse peccatum contra fidelitatem, sed contra iustitiam, scilicet contra ius per traditionem Superiori acquisitum; et propterea gravius esse quam eamdem inobedientiam in alio (SUAREZ, l. c., c. 2, n. 7).

Quaerit etiam SUAREZ (ib., n. 6): si Praelatus regularis, qui habet potestatem iurisdictionis, ex ea praeceptum ferat, an inobedientia novam malitiam contineat. Et secundum sua principia affirmat: quia praeter sacrilegium, hic actus inobedientiae habet, ex potestate dominativa qua fertur praeceptum, malitiam inobedientiae specialis, et ex potestate iurisdictionis malitiam specialis virtutis ad quam res praecepta pertinebat. Limitat tamen suam sententiam, dicendo has tres malitias non inveniri, nisi Praelatus in casu potuerit et voluerit praecipere ex potestate iurisdictionis simulque praeceperit ex potestate dominativa: quod fere non accidit. — Sed ex dictis, n. 6, probabilius non adest haec malitia contra specialem obedientiam: quia Superior religiosus praecipiens etiam ex potestate dominativa rem praeceptam in materia specialis virtutis probabilius ponit: haec igitur virtus, non specialis virtus obedientiae violatur, et praeterea votum.

---

peccatum unicam malitiam sacrilegii habebit. Iustitia aut fidelitas erga confessarium nullo modo laedetur, quia nullam obligationem erga eum idrecte suscepit (vide SUAREZ, tr. VII, l. X, c. 2, nn. 11, 13).

(d) Sic in formula professionis in Societate Iesu: « Ego professionem facio, et promitto omnipotenti Deo, *et tibi*, Reverendo Patri.... ». Ergo explicita fit promissio obedientiae Superiori.

8. An omne peccatum inobedientiae sit contra votum? — Quaeritur nempe an, quoties Superior praecipit et obligare vult, subditus vi voti obedire teneatur; quia si ita est, omne peccatum inobedientiae religiosi erit etiam sacrilegium: grave quidem, si materia est gravis et insuper Superior sub gravi obligavit; leve, si materia sit levis, aut, etiamsi sit gravis, Superior tamen sub levi tantum, non sub gravi obligavit. — Controvertitur.

Prima sententia affirmat. Eius ratio est, quod religiosus voto obedientiae sese obligavit simpliciter ad obediendum Superiori praecipienti. Ergo quotiescumque Superior praecipit (utendo potestate sua dominativa), subditus ex promissione Deo facta seu vi voti obedire tenetur [a].

Altera sententia est, quod non omnis inobedientia sit contra votum, sed tantum inobedientia qua infringitur praeceptum Superioris *volentis obligare vi voti:* quod debet aliquo modo significari subdito; et significatur quando Superior praecipit in virtute sanctae obedientiae, aut aliis formulis receptis. Ratio est quia, cum Superior gaudeat duplici potestate, una indirecta ex voto, altera directa, nimirum dominativa, et haec communiter ad regendos subditos sufficiat, hac sola ordinarie utitur, altera autem non utitur nisi aliqua formula exprimat se etiam vi voti velle obligare. Igitur, quemadmodum Superior iurisdictione donatus ea communiter non utitur, ita instructus potestate praecipiendi vi voti, ea communiter non utitur, sed sola potestate dominativa.

Ad argumentum sententiae contrariae, scilicet quod non est necessarium ut Superior velit obligare vi voti, sed quod statim ac Superior praecipit, quacumque potestate utatur, inferior vi promissionis Deo factae obediendi tenetur obedire, respondetur non sic intelligi votum obedientiae religiosae, sed ita ut non obliget nisi quando Superior vi ipsius vult obligare.

Revera si ageretur de voto particulari, cuius materia a voluntate voventis penderet, votum obedientiae alterutro modo

---

8. (a) Argumentum alio modo proponi potest: Tria consilia paupertatis, castitatis et obedientiae sunt de essentia vitae religiosae; ad ea observanda religiosus sese obligat, et ad firmandam suam obligationem, eam voto confirmat. Ergo materia votorum tam late patet, quam obligatio consiliorum, et consequenter votum obedientiae ad omnia quae cadunt sub obligatione obedientiae religiosae sese extendit.

fieri posset: aut ita ut vovens per votum sese obligaret ad obediendum quotiescumque et quocumque modo Superior praeciperet; aut ita ut vovens tunc tantum ad obediendum se voto adstringeret, quando Superior eum vi huius voti obligaret. At vota religiosa (ut dictum est c. IX, n. 1) quoad materiam non pendent a voluntate voventis, sed a determinatione Ecclesiae aut Constitutionum approbatarum Instituti religiosi. Ergo quaestio tota ad hoc reducitur: quomodo Ecclesia votum obedientiae intelligat, aut quomodo in singulis Institutis intelligatur et determinetur.

S. CONGR. EE. ET RR., in *Normis* a. 1901, secundam sententiam sequitur. *Art.* 135 dicitur: « Vi voti tenetur Soror obedire tunc tantum, cum legitimus Superior praecipit expresse in virtute sanctae obedientiae, seu sub formali praecepto, vel verbis aequivalentibus, iuxta proprias constitutiones. *Art.* 136: Expedit praeterea ut formale praeceptum imponatur in scriptis vel saltem coram duobus testibus ». — Ex his declarationibus habemus quidem S. Congregationem in futurum non esse approbaturam Institutum votorum simplicium nisi votum obedientiae ita intelligatur; sed non inde sequitur votum obedientiae sic restringi debere in Institutis iam approbatis, maxime in Ordinibus votorum solemnium (b).

Quomodo igitur in Institutis iam approbatis et maxime in Religionibus stricte dictis votum communiter intelligatur et usque modo fuerit intellectum, hoc peti debet vel ex declaratione Iuris, vel, tali declaratione deficiente, ex probatorum Auctorum sententia. Porro communis est tum antiquorum tum recentiorum Auctorum sententia, omne peccatum inobedientiae religiosi esse peccatum contra votum et proinde habere malitiam sacrilegii. Erit peccatum grave, si Superior grave praeceptum imposuit; peccatum leve tantum, etiam contra votum, si Superior non praecepit sub gravi. Hanc sententiam tenent S. LIG., FERRARIS, LESSIUS, SUAREZ, LUGO, SCHMALZGR. et inter recentiores GURY, BALL.-PALM., BUCCE-

(b) Forsan suspicari licet (ut *Normae* contra communem sententiam decidere non dicantur) deesse in reg. 135 verba « sub gravi »; ita ut sensus sit: tunc tantum religiosum teneri sub gravi vi voti obedire, quando.... Et tunc haec regula conveniret cum communi AA. sententia. — Notetur etiam, si materia voti obedientiae restringitur ad casum expressum art. 135 et 136, iam hoc votum fieri nullius fere usus, — cum rarissimum sit praecepta hoc modo dari; — et proinde votum obedientiae ad perfectionem acquirendam fere nihil conferre.

RONI, PIAT, WERNZ, VERMEERSCH, PRÜMMER; et videtur esse S. Thomae (c).

(c) 1. S. LIG., l. IV, n. 38 (textus est Busembaum, nihil addit S. Lig. nec pro nec contra): « Religiosus *ex voto obedientiae* obligatur ad omnia quae Superior praecipit secundum regulas et constitutiones Ordinis; et quidem si praecipiat ex virtute S. Obedientiae, in nomine D. N. I. C., vel simili formula, tenetur sub mortali, quia intendit obligare quantum potest; sub veniali autem, si alia forma utatur; vel sub nullo ».

2. FERRARIS, v. *votum, art.* 2, n. 13: « Religiosus *ex vi voti obedientiae* tenetur Superiori obedire quoad omnia quae praecipit secundum regulam et constitutiones sui Ordinis.... Communis est. Et ratio est, quia religiosus ad haec omnia se obligavit eo ipso quod professionem emisit secundum regulam et ad obediendum se voto obstrinxit ».

3. LESSIUS, *de Iustitia et Iure*, l. II, c. 41, n. 74: « Religiosus *ratione voti obedientiae* tenetur 1° ad praecepta regulae; 2° tenetur non agere contra regulam aut mandata Superioris ex contemptu; 3° tenetur ad omnia quae Superior iuxta regulam seu institutum praecipit. Et quidem si praecipiat in virtute S. Obedientiae, tenetur obedire sub peccato mortali: tunc enim Superior, ex more Religionibus usitato, intendit illum obligare quantum potest, atque adeo sub peccato mortali. Si autem hac forma praecipiendi non utatur, non videtur velle obligare sub peccato mortifero, nisi aliunde constet; videtur tamen obligare sub veniali, si aliquo modo mandet: tum quia non intendit consulere et suadere dumtaxat, sed aliquo modo praecipere et obligare, quamvis non tantum quantum potest.... ».

4. SUAREZ, tr. VII, l. X, c. 4, nn. 3 et 4, varias voluntates in Superiore distinguit: aliam simplicis complacentiae ad rem, aliam efficacem quidem sed de sola actione, aliam tandem qua non tantum rem vult efficaciter, sed etiam intendit obligare. Addit: « Constat subinde posteriorem voluntatem, sufficienter significatam, sufficientem esse ut votum obliget, et ut illi repugnare sacrilegium contra votum sit ». — Et c. 7, n. 12: « Dicendum est, si regula ex se obligat sub veniali, vel ratione materiae vel ob intentionem praecipientis, tum votum obedientiae adiungere illi obligationem aliam etiam sub veniali contra nobiliorem virtutem (sc. religionis ». — Et clarius adhuc c. 8, n. 1: « Explicatum est quodlibet praeceptum Superioris, sive detur per modum legis sive tantum ut personale imperium, sive obliget sub mortali sive sub veniali, esse materiam huius voti, vel gravem vel levem; dummodo praeceptum sit validum ».

5. LUGO (*de Poenit.*, d. 16, n. 172): « Etiamsi vellet, non videtur posse Praelatus velle obligare graviter praecepto obedientiae subditum, et simul velle quod non violet votum obedientiae transgrediendo illud praeceptum.... Nam per votum obedientiae, subditus promisit Deo non violare praeceptum Praelati, nec peccare contra obedientiam ei debitam. Repugnat ergo quod violet verum praeceptum Praelati et peccet graviter peccato inobedientiae, et quod non violet votum obedientiae, quo omnem inobedientiam sibi prohibuit. Non est ergo in potentia Praelati, quod

Ergo concludendum videtur tum ex auctoritatibus allatis, tum ex rationibus quibus sententia fulcitur, votum obedien-

---

inobedientia subditi religiosi non sit contra votum, si vult quod sit inobedientia gravis ». Cur Lugo tantum de inobedientia gravi loquatur, non constat; forsan quia, secundum doctrinam S. Thomae, solum peccatum grave est contra praeceptum, peccatum leve est praeter praeceptum, et proinde peccato levi proprie non violatur praeceptum (vide S. THOMAM, 2, 2.ae, q. 105, a. 1: Utrum inobedientia sit peccatum mortale, resp. ad 1).

6. SCHMALZGR. (in l. III, t. 35, n. 71), quaerens quomodo obliget regula, respondet: « Si regula obliget sub mortali, ex communi sententia transgressio illius mortalis est contra votum obedientiae; si sub veniali, venialis; si sub nullo peccato, eius transgressio ob votum obedientiae nullum inducit peccatum ».

7. GURY (vol. II, n. 168): « Religiosus, *ex voto obedientiae,* tenetur ad omnia quae Superior praecipit secundum regulas et constitutiones Ordinis. Attamen ut sit peccatum contra votum, requiritur ut Superior vere praecipiat et non tantum suadeat ». Cf. etiam n. 171.

Modus loquendi Patris *Lehmkuhl* incertam relinquit eius mentem (vol. I, nn. 534, 536).

8. BALLERINI-PALMIERI pluries inculcat eamdem doctrinam. N. 168: « Aequiparantur Praelatus et regula: neuter utique semper praecipit sub gravi; utrique tamen *semper* vi voti obedientiae est parendum ». — N. 170: « Obiectum obedientiae est praeceptum, et si (regula) praecipit sub gravi, (religiosus) se obligat ad servandum sub gravi; si praecipit sub levi, se obligat solum sub levi ; si solum regula obligationem imponit subeundi poenam, ad id tantum, *voto obedientiae* se obligat. Cum ergo iam, propter traditionem et promissionem factam Praelato seu Religioni, se professus obligaverit obedire regulae et Praelato, votum huic obligationi aliam superaddit ratione motivi, nempe religionis; sed ratione gravitatis aut levitatis eamdem infert obligationem, ac est ea quam regula fert. Non enim voto se obligat nisi ad executionem praecepti, et quatenus praeceptum est: huc enim spectat obedientia ». — Et n. 172: « Obligatio voti est per se gravis et eius transgressio mortalis; nihilominus propter levitatem materiae potest transgressio esse levis » ; et etiam in materia gravi, « si sub levi tantum intendat Superior obligare, nonnisi sub levi tenebitur religiosus *ri voti* obedire: se enim per votum obligavit ad praeceptum servandum, et quatenus praeceptum est. Si autem Praelatus nullam obligationem imponere velit, nec sub levi obligatio erit per se obediendi. Item si regula nec sub gravi nec sub levi culpa obliget, sed solum ad poenam, *obligatio voti* regulam respiciens *erit* solum *ad subeundam poenam* ».

9. P. BUCCERONI (*De voto obedientiae,* t. II, n. 197) eamdem doctrinam tenet: « Religiosus *ex voto obedientiae* obligatur ad omnia quae Superior praecipit secundum regulas et constitutiones Ordinis. Obiectum enim

tiae, saltem in Religionibus proprie dictis, sic communiter accipi, ut quoties Superior praecipiens intendit obligare in conscientia, inferior vi voti teneatur obedire, et omne peccatum inobedientiae sit simul contra virtutem et contra votum.

---

huius voti hoc est: obedire Superiori praecipienti secundum regulas huius Ordinis ».

10. WERNZ, n. 652, II: « *Vi voti obedientiae* sive solemnis sive simplicis, Regularis debet parere proprio ac legitimo Superiori praecipienti secundum regulas et constitutiones.... At ut pateat Superiorem velle grave praeceptum vi voti obedientiae imponere, (necesse est) iis utatur verbis et formis quae ex natura rei et statutis Institutorum religiosorum requiruntur ».

11. PIAT, t. I, p. 285, q. 3: « Ad quid teneatur religiosus *vi voti obedientiae?* R. 1° Tenetur regulam servare secundum vim obligationis eiusdem in unaquaque Religione receptam. Videndum est ergo num regula obliget sub peccato gravi, vel sub levi, vel nullo modo obliget. Si primum, graviter peccat qui eam transgreditur; si secundum, leviter peccat (vi voti, ut dicebatur in quaesito). 2° Tenetur Superiori obedire in omnibus quae Superior secundum regulam praecipit ».

12. VERMEERSCH, n. 288, eamdem sententiam sic explicat. Votum obedientiae duplici modo fieri potest: primo modo ut obligatio erga solum Deum sumatur, non autem erga hominem, ut si quis vovet facere quidquid confessarius faciendum iudicaverit, quin ullam promissionem obedientiae ipsi confessario faciat; alio modo ut praecedat obligatio obedientiae erga hominem, et votum obedientiae addatur ad confirmandam priorem obligationem: et hoc modo fit votum obedientiae a religiosis: nam vita religiosa consistit essentialiter in observantia trium consiliorum paupertatis, castitatis et obedientiae voto firmata; suscipitur primum haec triplex obligatio et superadditur votum (Cf. S. THOMAM, 2. 2.ae q. 186, art. 5 et 6). Ergo votum tantum sese extendit quantum ipsa virtutis obligatio.

13. PRÜMMER, q. 106: « *Vi istius voti obedientiae* religiosus tenetur 1° regulam observare, et quidem sub gravi vel levi culpa, vel tantum sub poena, prout regulae approbatae singulorum Ordinum exigunt; 2° Superiori obedire in omnibus quae Superior secundum regulam praecipit ».

14. Videtur esse sententia S. TH. 2. 2.ae q. 88, art. 5, ad 1. Opponebatur votum non fieri soli Deo, sed etiam Sanctis et Praelatis quibus religiosi profitentes obedientiam vovent. Respondet: « Votum soli Deo fit; sed promissio etiam fieri potest homini, et ipsa promissio boni quae fit homini, potest cadere sub voto. Et per hunc modum intelligendum est votum quo quis vovet aliquid Sanctis vel Praelatis: ut ipsa promissio facta Sanctis vel Praelatis cadat sub voto materialiter, in quantum scilicet homo vovet Deo se impleturum quod Sanctis vel Praelatis promittit ». Ergo, secundum S. Doctorem, promissio obediendi quae fit Superiori (et omnia complectitur quae praecipi possunt) cadit sub votum.

Ideo quando praeceptum in nomine S. Obedientiae aut similibus formulis imponitur, per has formulas non indicatur obligationem imponi vi voti, quae secus esset ex mera virtute, sed significatur obligationem sub gravi imponi.

9. Materia voti obedientiae. — Distingui debet materia remota voti et materia proxima.

Materia remota est omnis actus qui a Superiore in vim voti praecipi potest. *Materia proxima* est ipsum praeceptum in vim voti datum, quo actus fit vi voti obligatorius.

Circa materiam proximam data fuit, num. praec., duplex sententia: una quod materia voti sit quodcumque praeceptum Superioris, altera quod sit tantum praeceptum sub gravi in vim voti datum.

Materia remota, seu res praecepta, ex natura rei aliquibus conditionibus circumscribitur. 1° Debet esse res honesta et possibilis. 2° Debet esse secundum regulam et Constitutiones: non contra, non supra, non infra. 3° Controvertitur an actus mere interni cadere possint sub praecepto obedientiae religiosae.

Haec aliqua explicatione indigent.

Praeceptum debet esse de re honesta, ut patet. Unde quoties subditus praecepto sine peccato obtemperare non posset, aut ita iudicat, illi obedire non licet.

Praecipua quaestio est an inferior teneatur obedire in dubio utrum res praecepta sit honesta necne. — Respondet S. Lig., l. IV, n. 47: « Communis et certa est sententia, quod subditus, licet dubio perseverante non possit obedire,... tenetur tamen eo casu dubium deponere, et sic potest et debet obedire ». Congerit deinde auctoritates, et postea duas dat rationes: primam, « quod Superior est in possessione praecipiendi, a qua exspoliari non debet, nisi constet rem, quam praecipit, esse illicitam »; alteram, « quod si in dubiis de honestate rei praeceptae subditi possent se eximere a iugo obedientiae, utique nulla communitas bene regi et consistere valeret ».

Lugo, *Resp. mor.*, l. III, *dub.* 19, moderatur paululum hanc sententiam. « Si subditus, ait, potest ad iudicium probabile venire de honestate actus, tunc obedire potest et debet. Si autem remanet in dubio negativo, nec possit per principium reflexum venire ad iudicium probabile, non potest obedire ». Deinde longe disputat.

Ball.-Palm., n. 188, ait: Si dubium est negativum, non vides

rem praeceptam esse honestam, at neque contrarium vides: hoc posito, auctoritas (scilicet ius praecipiendi) Praelati possidet: qui absque causa non est iure suo privandus; idcirco obligatione urgeris faciendi quod Superior te facere iubet. Si dubium est positivum, probabile est rem esse honestam: tunc Superior, quemadmodum posset formata sibi per principium reflexum conscientia ipse rem facere, ita potest eam praecipere; et subditus potest rem facere quia probabiliter est honesta, et debet quia est a Superiore praecepta [a].

Hic notandum venit quid sit *obedientia caeca* a Sanctis tantopere commendata. Caeca vocatur non quoad actionis praeceptae honestatem: cum semper ex conscientia agere debeamus, scilicet certi de honestate actionis; sed vocatur caeca relative ad has rationes quae, posita certitudine saltem reflexa honestatis actionis, exsecutionem retardare possint aut voluntatem et intellectum ab ea avertere: v. g., an res cum prudentia praecipiatur, an sit conveniens, aut melius esset aliud consilium, etc. [b].

Praeceptum debet esse de re possibili: intelligitur, de re moraliter possibili. Ideo *communiter non possunt praecipi actus heroici,* nisi sint a regula praevisi, ut servire pestiferis, sese vendere pro redimendis captivis. — Item communiter religiosi non tenentur obedire cum suo gravi damno aut periculo: quia, quemadmodum lex humana non obligat in his casibus, ita nec praeceptum Superioris. Dicitur « communiter »: nam excipitur, si grave damnum sustineri debeat propter bonum commune, aut casus sint a regula praevisi, ut habitare in domibus Ordinis etiam aeris intemperie saluti corporis adversis. Ita Piat, t. I, p. 289, q. 8; Busembaum apud Lig., l. IV, n. 47, Resp. 2. — Suarez, tr. VIII, l. II, c. 8, cautius loquitur. Nam dicit primo, n. 27: « Quando voluntas Superioris est generalis, tunc si intervenit pro subdito damnum aut periculum grave a Superioribus non provisum, subditus facilius a praecepto per epikeiam excusabitur ». Sed quid, ait n. 28, si voluntas Superioris sit obligandi etiam in illo casu particulari, non obstante mortis periculo aut alia simili necessitate? Respondet: « Quidam affirmant id esse supra potestatem Superioris;... nihilo-

---

9. (a) Tractat Suarez, tr. X, l. IV, c. 15, n. 17 et sq. — De caetero est casus particularis quaestionis generalis: an lex in dubio de eius honestate obligat (de quo S. Lig., l. I, n. 99).

(b) Suarez, ibid., n. 26.

minus (sic n. 29) dicendum est hunc modum praecipiendi non excedere potestatem Praelati religiosi ». Sed deinde (n. 30, ad finem) limitat hanc sententiam : « Non dicimus Praelatum posse pro arbitrio suo (huiusmodi) praecipere, sed quando ad bonum Religionis, vel ad debitum munus vel ministerium eius sit pertinens : quidquid enim huiusmodi est, spectat ad regulam religiosam ».

10. Praeceptum Superioris debet esse secundum regulam. — Ita communiter. Ratio est, quia religiosus professionem facit secundum regulam, sive hoc in formula votorum exprimatur, sive non [a] ; et ideo ad haec tantum se obligavit quae sunt secundum regulam. Unde S. Bernardus : « Solum id a me exigi posse arbitror quod promisi » (*De praec. et discip.*, c. 7). Secundum regulam et Constitutiones ea existimanda sunt non tantum quae in eis explicite exprimuntur, sed etiam quae generaliter aut implicite continentur, ut media ad finem moraliter necessaria aut convenientia, vel quae ad perfectam regulae observantiam requiruntur. (Wernz, n. 652; Piat, I, p. 285, q. 3). Inde tres consequentiae :

1° Superior non potest praecipere ea quae sunt *contra regulam ;* nisi, ut notat S. Lig., l. IV, n. 39, « Superior in ea possit dispensare et legitima causa dispensandi subsit ». Dispensatione res fit licita, et tunc, si additur praeceptum, obligatoria evadit.

2° Non potest per se praecipere ea quae sunt *supra regulam*, scilicet perfectiora aut difficiliora iis quae in regula continentur, v. g., graviores austeritates, longiores orationes, productum silentium ; nisi moderate in casibus particularibus in poenam delicti, vel ad cautelam ne quis delinquat, vel quod sit valde conveniens ad Regulae observationem (Piat, I, p. 283, q. 3). — Item non potest praecipere ut subditi inserviant pestiferis (nisi sint de ipsa Religione). Ita S. Lig., l. IV, n. 40, qui aliam addit exceptionem quando infirmi sunt extranei, scilicet si deest qui ipsis sacramenta necessaria ministrent : quia tunc religiosi debent postponere vitam temporalem saluti spirituali

---

10. (a) Secundum formulam votorum scholasticorum, vota emittuntur « omnia intelligendo iuxta ipsius Societatis Constitutiones » ; secundum formulam professionis, « iuxta formam vivendi in Litteris Apostolicis S. I. et in eius Constitutionibus contentam ».

proximorum, et proinde Superior hoc eis praecipere potest. Ita S. Doctor; sed Schmalzgr. (l. III, *in tit.* 35, n. 70) distinguit inter Religionem monachorum et Religionem mendicantium aut clericorum: « Si Religio ex sua institutione ad spiritualem proximorum salutem est destinata, deficientibus parochis et aliis clericis, Superior praecipere potest suis subditis ut sacramenta pestiferis ministrent. Ita etiam Piat, I, p. 288, q. 7. Verumtamen ratio a S. Alphonso pro sua sententia allata videtur convincens.

Ergo Superior ea quae sunt supra regulam nequit praecipere ex puro zelo maioris perfectionis, sed tantum si bonum commune aut bonum particulare subditi id exigat. — Verum quamvis non possit per se stricte praecipere ea quae sunt supra regulam, id tamen modo leniore facere potest, scilicet consulendo, adhortando, tamquam ad ea quae sint maioris perfectionis; et tunc ea subditi peragere possunt ex obedientia, non iam necessaria, sed de mera perfectione. Quod si non obtemperent, non peccant, sed committunt imperfectionem negativam.

An Superior possit inferiores obligare ad primitivum Regulae rigorem, si iam relaxatio fuerit introducta, dictum est c. VI, n. 12, sq. — Alia quaestio ponitur: An Superiores coarctare valeant libertates a regula concessas? — Resp.: aut auctoritas Superiorum ad hoc ex Ordinis constitutionibus se extendit, et tunc simpliciter possunt; aut non, et tunc tantum id possent quando possunt praecipere ea quae sunt supra regulam (Piat, p. 290, q. 12). — Superior nequit obligare ad acceptandum Episcopatum (Busembaum, apud S. Lig., l. IV, 39).

3° Superior non potest praecipere ea quae sunt *infra seu praeter regulam,* scilicet vana, inutilia, aliave ad Institutum nihil pertinentia: nam ea nullo modo ad regulam spectant nec in professione continentur. Cavendum est tamen Superiorem ex rationabili causa posse praescribere ea quae prima fronte infra regulam aut inutilia esse videntur: sive ad exercitium virtutis, sive aliam ob causam, ut exempla Sanctorum declarant. Sic Superior praecipere potest honestam recreationem ad vires reparandas, stipem ad exercendam patientiam irrigare, et tunc subditus tenetur obedire (Schmalzgr. l. c., nn. 82, 83).

In praxi autem communiter difficile erit inferiori iudicare an Superiori deficiat rationabilis causa ad actus huiusmodi praecipiendum. Item non facile iudicare debet aliqua esse

supra regulam, et Superiori deesse rationes propter quas possit iure et prudenter ea praecipere.

Quid si regula dicit obediendum esse Praelatis in omnibus in quibus non apparet manifestum peccatum, ut est in Constitutionibus Soc. Iesu (P. III, c. 1, n. 23, et P. VI, c. 1, n. 1)? An tunc subditus obedire debet Superiori praecipienti aliqua supra aut infra regulam? — Respondet BALL.-PALM. (n. 176), per haec verba indicari *perfectionem* obedientiae, ad quam omnes tendere debent et animantur, non *necessariam* obedientiam, ad quam omnes vi traditionis et voti obligentur (vide infra n. 19).

11. An praecipi possunt actus mere interni? — Dicitur actus *mere interni:* dubium enim non est, cum praecipiuntur actus externi, praecipi etiam actus internos sine quibus actus externi valorem non haberent. Hoc enim verificatur in omni lege. Sed si de actibus mere internis agitur, duplex est sententia.

Sententia negans hac ratione fulcitur, quod omnis societas (ut est etiam Ordo religiosus) ex natura sua ad solam externam hominis conversationem est instituta: nam interiora hominum cognitioni, iudicio et coactioni non subiacent. Videtur esse S. THOMAE, 2. 2.ae q. 104, a. 5 (a). Est LUGONIS, *Resp. mor.*, l. VI, dub. 7, nn. 5 et 11: FERRARIS, v. *Votum*, *art.* 2, n. 27.

Sententia affirmans ait religiosos Ordines ad bonum spirituale esse institutos, quod maxime actibus internis promovetur; ergo in religiosis Institutis actus internos etiam praecipi posse. Est SUAREZII, tr. VII, l. X, c. 9, n. 5 (et etiam de *Legibus,* l. IV, c. 12 ad fin., ubi tamen ait non esse consultum ut fiat): SCHMALZGR., in lib. III, tit. 35, n. 67. — S. LIG., aut potius BUSEMBAUM apud eum, l. IV, n. 45, hanc sententiam probabilem habet. Item BALL.-PALM., n. 183. — PIAT, I, p. 288, q. 6, dicit: alii negant, alii rectius affirmant. WERNZ (ad nota 418): « Non indiscriminatim atque generaliter asseri potest Superiores religiosos esse competentes ad praecipiendos actus mere internos ».

---

11. (a) In corp. art. ait: « In iis quae pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire, sed soli Deo »; et ad 3: « Religiosi obedientiam profitentur quantum ad *regularem conversationem,* secundum quam suis Praelatis subduntur. Et ideo quantum ad illa *solum* obedire tenentur quae possunt ad regularem conversationem pertinere ».

Fautores primae sententiae respondent, utique Religiones esse institutas ad bonum spirituale, sed non omnibus mediis promovendum, verum iis tantum mediis quae societati humanae competunt, sc. mediis exterioribus, quae cadant sub iudicium et coactionem praecipientis. De caetero agnoscunt Superiores posse subditos ad actus mere internos hortari, hosque igitur actus modo latiori posse praecipere, scilicet quin obligationem imponant (b).

12. An regula ipsa cadat sub voto obedientiae, ita ut qui violat regulam, peccet contra votum ?

Resp. 1. Non est dubitandum quin Superior *possit* praecipere non tantum per mandatum particulare, sed etiam per statutum generale aut per regulam; et tunc hae regulae cadunt sub voto obedientiae. Sic in Societate Iesu habentur praecepta hominibus Societatis imposita in virtute S. Obedientiae. — Ea est explicita sententia S. Thomae (a).

Resp. 2. Si de toto complexu regulae agitur, posset in aliquo Ordine regula ipsa sub voto comprehendi, sed communiter non fit (b). In Religionibus in quibus regula ad peccatum non obligat, evidens est regulam sub voto obedientiae in suo complexu non cadere. In aliis, in quibus regula ad peccatum obligat, videndum est quomodo intelligatur in ipsis votum

---

(b) Ita Lugo, l. c. : « Supponentes doctrinam communem, nimirum duplicem esse obedientiam, alteram strictam quae respicit praeceptum, alteram in latiori significatione, quae solum respicit voluntatem Superioris, etiam non volentis aut non potentis in illa materia obligare sub praecepto : in hoc sensu, non repugnat quod regula aliqua praescribat orationem mentalem et quod Praelatus eamdem aliquando iniungat subditis, atque alios actus internos ».

12. (a) S. Th., 2. 2.ae q. 186, art. 9, ubi ait ea, quae in regula continentur et non respiciunt immediate tria vota, non obligare ad mortale, « nisi vel propter contemptum,... vel propter praeceptum sive ore tenus a Praelato factum, *sive in regula expressum : quia hoc esset facere contra obedientiae votum* ».

(b) Ad rem S. Th., 2. 2.ae q. 186, a. 9, ad 1 : « Ille qui profitetur regulam, non vovet servare omnia quae sunt in regula, sed vovet regularem vitam, quae essentialiter consistit in tribus praedictis (votis). Unde et in quibusdam Religionibus cautius aliqui profitentur non quidem regulam, sed vivere secundum regulam, id est, tendere ad hoc ut aliquis mores suos informet secundum regulam.... In quibusdam autem Religionibus, adhuc cautius profitentur obedientiam secundum regulam ; ita quod professioni non contrariatur *nisi quod est contra praeceptum regulae....* ».

obedientiae: utrum intelligatur ad solum praeceptum ore tenus datum se extendere, an etiam ad regulam. PIAT, I, pag. 285, q. 3. — BALL.-PALM., n. 168, ait: « Communior sententia, idcirco et communior sensus religiosorum est materiam voti obedientiae esse regulam quoque » (quando praecipit ad peccatum). BUSEMB. apud S. LIG., l. IV, n. 41: « Si regula Ordinis sub peccato obliget, eius transgressio est contra votum et sacrilega ». SUAREZ, tr. VII, l. X, c. 7, n. 12, ait: « Si regula ex se obligat sub veniali, vel ratione materiae vel ob intentionem praecipientis, tum votum obedientiae adiungere illi obligationem aliam etiam sub veniali ».

Notandum est, quando regula ad culpam non obligat, eam tamen aliquam operandi obligationem semper imponere: hoc enim est de ratione legis et per hoc differt a mero consilio. Certe religiosus qui suam regulam praetermittit, ab omnibus censetur a sua obligatione deficere (SUAREZ, tr. VIII, l. I, c. 2, n. 2). Obligatio autem, quam tunc regula imponit, est obligatio ad poenam. Animadvertit SUAREZ (ib. n. 6), quamvis obligatio ad poenam immediate oriatur a praecepto Superioris poenam imponente, Superiorem tamen hanc poenam imponere non posse nisi quia regula fuit violata, ergo obligationem ad poenam mediate ex ipsa regula provenire.

Aliud circa regulae observationem observandum est: nimirum non agere contra regulam eum qui agit cum dispensatione aut licentia legitima. Licentia autem a dispensatione differt. *Dispensatione* aliquis a lege eximitur: sic per dispensationem aliquis eximitur a ieiunio, a breviario recitando, ab obligatione litteras Superiori ostendendi. *Licentia* est conditio a legislatore apposita ut aliqua res licite fiat, v. g., lex est ut nemo nisi licentia obtenta exeat: licentia data non est exemptio a lege non exeundi, sed petitio et obtentio licentiae est conditio requisita ut religiosus licite exeat. De licentia expressa, tacita, praesumpta, vide c. VIII, nn. 27 et 28.

Ad eamdem materiam spectat alia quaestio: **An inferior semper in conscientia teneatur poenas sibi inflictas subire?**

Resp. 1. Si poena est iuste inflicta, affirmative; dummodo tamen Superior ad poenam subeundam in conscientia velit obligare; quod non est censendum in levioribus poenis, quae pro defectibus communibus imponuntur. Sane poena etiam tunc adimpleri debet; sed eius omissio generatim non erit peccatum.

Resp. 2. Si poena iniuste fuerit inflicta, et hoc certum sit, subditus ad eam subeundam per se in conscientia non obligatur, sed poterit per accidens obligari ratione scandali vitandi. Certe autem laudabiliter aget, poenam humiliter subeundo (Piat, I, p. 290, q. 10). Haec ultima responsio valet in casu sane ordinario, in quo Superior bona conscientia poenam subdito infligit pro delicto quod reputat eum commisisse. Si Superior mala conscientia subditum manifeste innocentem ex odio aut alius passionis motu poena plecteret, certe subditus per se ad eam subeundam non teneretur. An ad vitanda graviora mala humiliter sese submittere conveniret, ex circumstantiis esset prudenter diiudicandum.

13. Superiores qui vi voti obedientiae praecipere possunt, et proinde quibus vi voti obedientiae religiosi obedire debent, sunt:

1° Generales, Provinciales, Superiores locales. An alii sint Superiores qui possint praecipere, obligationem in conscientia imponendo et in vi voti obligando, ex peculiaribus cuiusque Ordinis regulis decernendum est.

2° Romanus Pontifex et SS. Congregationes, quae a S. Sede auctoritatem habent, Episcopus in Institutis non exemptis, etiam vi voti praecipere possunt. Ita sententia communis (a). Ratio est quia, quamvis religiosus professionem in manibus sui Praelati faciat eique se tradat, attamen potestatem subditum aggregandi in societatem *religiosam* Praelatus ab Ecclesia habet delegatam. Inde fit ut pactum ipsum professionis cum Summo Pontifice aut cum Episcopo principaliter perficiatur: Praelatus regularis eos repraesentat. Ipsi igitur Ro-

---

13. (a) Wernz, n. 652, II; Ferraris, v. *Votum,* a. 2, n. 28; Schmalzgr., *in l.* III, *tit.* 35, nn. 58 et 60; S. Thom., 2. 2.ae q. 186, art. 5 ad 3; Suarez, tr. VII, l. II, c. 18, n. 13. Non apparet ratio probabilis cur Ball.-Palm. (n. 180) a communi sententia (quam tamen fatetur) recedat; nec etiam videtur solidum fundamentum, cur Schmalzgr., *titul. cit.*, n. 61, scribit: « Verius Regulares non exempti, si Episcopo tamquam proprio suo Praelato non specialiter obedientiam voveant, ad ipsi obediendum vi voti obedientiae non tenentur ». Sane in Constit. *Conditae* (1900), P. I, auctoritas agnoscitur Episcopi in Congregationes dioecesanas, quae potestatem dominativam supponit: potest dimittere subditos; ius habet domos visitandi, cognoscendi de disciplina. Sed maxime, praeter auctoritates allatas, valet ratio quod Superior religiosus potestatem suam ab Ecclesia accipit, ut argumentatur S. Thomas.

mano Pontifici aut Episcopo obedientia promittitur, et ideo vi professionis et voti Romanus Pontifex aut Episcopus praecipere possunt (b).

Insuper Summum Pontificem et SS. Congregationes hoc ius vi voti obedientiae praecipiendi habere, patet ex eo quod illud exercent (c).

14. Peccatum mortale contra votum obedientiae non habetur nisi in duplici casu:

1° In casu *inobedientiae,* quando Superior suam voluntatem graviter obligandi clare expressit. Ad hoc uti debet verbis « praecipio in virtute S. Obedientiae », aut « in nomine D. N. I. C. », aut aliis verbis in Instituto gravem obligationem significantibus; non autem solis verbis « iubeo, mando, praecipio »: haec enim sane veram voluntatem rei praeceptae exprimunt (et ideo transgressorem reum poenae efficiunt), non

---

(b) S. THOMAS (l. c.): « Dicendum quod subiectio religiosorum principaliter attenditur ad Episcopos. Unde ab Episcoporum obedientia nec eremitae, nec etiam Praelati Religionum excusantur; et si a dioecesanis Episcopis totaliter vel ex parte sunt exempti, obligantur tamen ad obediendum S. Pontifici, non solum in his quae sunt communia aliis, sed etiam in his quae specialiter pertinent ad disciplinam Religionis ».

In Actis et Decretis *Conc. plenarii Americae latinae*, an. 1899, a S. Sede approbatis, art. 331 dicitur: « Votum obedientiae per se primo et principaliter fit Romano Pontifici, a quo pendet omnis potestas religiosarum familiarum et Institutorum seu Congregationum ecclesiasticarum. Item ex vi voti obedientiae tenentur Superiores et subditi eorumdem Institutorum obedire S. Congr. Episc. et Regul., et idipsum respective dicendum est de aliis SS. Congregationibus.... Tenentur insuper ex vi eiusdem voti obedientiae obedire Moderatoribus seu Moderatricibus Generalibus, Provincialibus et localibus Congregationis, intra limites statutos a Sacris Canonibus et Constitutionibus proprii Instituti. Tenentur tandem obedire in vim Ecclesiae iurisditionis Ordinariis locorum, tenore Sacrorum Canonum et Constitutionum Apostolicarum ».

(c) Exemplo sit decretum « *Regulari disciplinae* » (25 *iun.* 1848), e S. CONGR. SUPER STATU REGULAR. emanatum: « Ut autem supra dictum decretum executioni demandetur, Sanctitas sua omnibus, ad quos spectat, in virtute S. Obedientiae districte praecipit plenam illius observantiam ». Similia habentur in decreto *Romani Pontifices* (25 *ian.* 1848). — Sic etiam, quando Regularis saecularizatur, subtrahitur auctoritati Superiorum Ordinis, in quo professus est, sed transfertur sub auctoritatem Episcopi, cui *in vim sui voti obedire tenetur,* ut semper exprimitur in indultis saecularizationis his verbis: Ordinario loci subsit in vim quoque solemnis voti obedientiae (sic in formula, apud VERMEERSCH, t. II, p. 422).

adhuc autem necessario voluntatem obligandi in conscientia, maxime sub gravi, secum important. S. Lig., l. iv, n. 38.

2° *In casu formalis contemptus auctoritatis* Superioris: quia contemptus ipsi obedientiae principio contrariatur [a]. Dicitur formalis contemptus *auctoritatis* Superioris, non autem Superioris ut est persona privata, v. gr., propter aliquos eius defectus. — Contemptus autem habetur, ut dictum fuit c. vi, n. 3, non tantum cum aliquis ex superbia renuit obedire, praecise ut resistat auctoritati Superioris qua talis, sed etiam quandocumque dicit « nolo obedire »: quia haec verba continent gravissimum contemptum et iniuriam erga personam Superioris ut talis, quemadmodum dicit Lugo, *de Poenitentia, disp.* 20, n. 49; item Piat, i, p. 291, q. 13 [b].

15. De votis et contractibus a religiosis sine Superioris licentia factis. — Quaeritur an valeant? an irritari possint? et quomodo?

Non agitur de votis substantialibus Religionis, sed de aliis, v. g., de ieiunio, de observandis regulis, etc. Quod ad contractus attinet, maxime de promissione agitur, v. g., si religiosus promittat dicere missam vel aliquod praestare officium; sed etiam de aliis contractibus, v. g., si de bonis, quae adhuc sub dominio servat, disponit, si donationes accipit; non agitur autem de contractu quo disponeret de re non sua, v. g., res monasterii alienando, qui sane est invalidus. — Notandum est praeterea, ad solutionem casuum, alios contractus esse reales, alios aut personales, prout de re aliqua aut de actione praestanda agitur.

S. Lig., l. iv, n. 48, haec habet de votis: « An religiosus valide voveat sine sui Superioris licentia? Negant Palud. etc., quia religiosus voto obedientiae privavit se voluntate; sed

---

14. (a) S. Thomas, 2. 2.ae q. 105, a. 1 ad 1. « Nec etiam omne peccatum mortale est inobedientia proprie et per se loquendo, sed solum *tunc quando aliquis praeceptum contemnit* ». Cf. q. 186, a. 9, c.

(b) Haec habet Lugo, l. c.: « Licet Doctores dubitent an qui violat ordinationem Superioris cum contemptu, peccet semper mortaliter: quibusdam dicentibus dari posse aliquando levitatem materiae in ipso contemptu, quibusdam vero id negantibus: omnes tamen conveniunt in hoc, quod saepius vel regulariter sit peccatum mortale, etiamsi non praecedat praeceptum sub peccato gravi; de quo, ultra alios, videri potest P. Suarez, *de Legibus*, l. iii, c. 28, n. 2, qui fatetur hanc esse communem omnium doctrinam ».

verius Navarrus, etc., dicunt bene posse religiosum vovere quae non repugnant regulae aut praecepto Praelati neque obsequio illi debito. Quare possunt emittere vota personalia, vel circa res praeceptas et etiam non praeceptas a regula, si a regula vetitae non sunt. Potest tamen Superior prohibere subditis ne voveant ipso inconsulto, ut aiunt Suarez et Bart. a S. Fausto; ille autem probabiliter dicit valere vota aliter emissa, non obstante hoc praecepto, quandoquidem materia sit Deo grata, quamvis modus Deo non placeat ».

S. THOMAS, 2. 2.ae q. 88, a. 8, c., modo generaliori, de quacumque obligatione a religioso suscepta dicit: « Nullus potest per promissionem se firmiter obligare ad id quod est in potestate alterius,... et ideo non potest (aliquis) se per votum firmiter obligare in his in quibus alteri subiicitur, sine consensu sui Superioris ». Deinde, ad 3: « Dicendum quod religiosus subditus est Praelato quantum ad suas operationes secundum professionem regulae. Et ideo etiamsi aliquis ad horam aliquid facere possit quando ad alia non occupatur a Praelato: quia tamen nullum tempus est exceptum in quo Praelatus non possit eum circa aliquid occupare, nullum votum religiosi est firmum nisi de consensu Praelati ». Tandem ad 4, ait eos qui sunt subditi alteri non peccare vovendo, quia votum censetur conditionatum, scilicet « si suis Superioribus placuerit, vel si non renitantur »: supponit ergo Superiores posse reniti.

Sed triplex quaestio prius proposita magis enucleari debet.

1. **An contractus et vota religiosi sine licentia valeant?** — Aliqui negarunt (a); sed probabilior et communior sententia tenet valere. Ita S. Lig., l. c., item S. Th., l. c., qui negando religiosum posse *firmiter* se obligare, eo ipso admittit obli-

---

15. (a) MOLINA, SANCHEZ et LESSIUS dicunt hanc sententiam valde probabilem (apud LUGO, disp. III, n. 222). — PIAT, t. I, p. 294, q. 17, eamdem partim admittit. « Votum simplex obedientiae illicitam quidem reddit obligationem, quae a subdito sine consensu Superioris contraheretur; non tamen eam per se invalidam reddit, nisi forte Superior vi potestatis in subditi voluntatem huiusmodi voluntatem irritare velit. Votum autem solemne ita subditi voluntatem obstringit Superioris auctoritati, ut religiosus nullam amplius obligationem neque naturalem, neque civilem *valide* et firmiter contrahere valeat, in iis quae sunt voti obedientiae materia; in aliis tamen materiis firmiter contrahere potest ». — Quid de variis his distinctionibus et assertis censendum sit, ex iis quae dicenda sunt in textu apparebit.

gationem non esse de se nullam. Est Suarezii, tr. VII, l. II, c. 13, n. 6, 7; Lugonis, *disp.* III, n. 222, qui de contractu ait: « Sententia communis docet oriri obligationem naturalem, donec Praelatus contractum irritet; ipso autem irritante, nullam obligationem relinqui ». De voto simpliciter dicit: « Vota a religioso emissa absque facultate Praelati adhuc obligant in conscientia, donec a Praelato irritentur ».

Ratio cur vota et contractus sine licentia facta valeant, est quia neque ex voto obedientiae aut traditione, neque ex iure positivo nulla dici possunt. *Primo*, non ex voto obedientiae et traditione: per votum enim religiosus se obligat tantum ad obediendum Praelato iuxta regulam; per traditionem nihil aliud facit nisi quod se tradit gubernandum a Superiore, nec est necesse aut conveniens ut renuntiet et abdicet propriam voluntatem in omnibus rebus etiam de se bonis (vide argumentum evolutum a Suarezio, l. c., n. 15). — *Deinde*, non invalidantur iure positivo. Auctores sententiae contrariae allegant capita Iuris in quibus dicitur religiosum *velle* et *nolle* non habere [b]. Si religiosus, aiunt, per professionem ita a suo Praelato pendet, ut *velle* et *nolle* amplius non habeat, non potest se obligare valide; ergo votum et contractus a religioso facta sunt invalida. Sed exaggeratur vis huius axiomatis: ipsi enim plene satisfit (ait Wernz, *nota* 420), si religiosus sese *firmiter* obligare non potest sine legitimo consensu sui Superioris, in materia eius potestati subiecta. Et cum ex natura voti non plus requiritur, non debet affirmari hic sensus restrictivus legis ecclesiasticae, nisi de eo certo constet. Simili modo Suarez, l. c., n. 7, explicat hoc assertum Iuris [c].

2. **Praelati regulares irritare possunt vota et contractus**

(b) C. *Si religiosus*, 27 *de Electione*, I, 6, *in Sexto*; — c. *Religiosus*, 2, *de Testamentis* III, 11, *in Sexto*; — c. *Religiosi*, 5, *de Sepulturis*, III, 12, *in Sexto*.

(c) Opponitur nullam declarari in Iure acceptionem Episcopatus a religioso sine consensu sui Praelati (c. 27, *de Electione*, in 6°). — Respondetur 1° Per acceptationem Episcopatus religiosus penitus obedientiae Superiorum suorum se subtrahit: ergo haec acceptatio contraria est voto obedientiae et traditioni professionis, si absque consensu Praelati fiat. — 2° Ex verbis huius capitis potius declaratur consensum esse de se validum, nec aliqua lege anteriore invalidum esse; sed solum hac nova Constitutione irritari. Dicitur enim: « Consensus sic praestitus non teneat,... ipso facto viribus vacuetur omnino ». Unde concludendum est, ubi non est specialis lex contractum irritans, ex Iure generaliter contractus non est de se nullus.

subditorum in materia ipsis subiecta. — Est S. Lig., S. Thomae, Lugonis (*disp.* III, n. 221), Suarezii (l. c., n. 9). Ratio patet. Ius Superioris in actus subditorum praecedit: ergo nulla absoluta obligatio contra eam assumi potest, sed tantum conditionata: si Superior non dissentit. Unde si dissentit, nulla remanet obligatio.

Haec potestas irritandi ratione materiae est potestas indirecta: cadit in res aut in actiones de quibus subditus disponit, cum hae res aut actiones subsint Superioris auctoritati. Sed praeterea potest esse potestas directa in ipsam voluntatem [d]. Inde quaestio alia.

3. **An praelati regulares habeant potestatem directe irritandi vota et contractus inferiorum,** scilicet quatenus voluntas subditi per professionem religiosam ita *in omnibus* subiicitur auctoritati Superioris, ut non possit sine eius licentia firmiter sese obligare?

Sententia S. Thomae, l. c., est dubia; nam primo ponit principium: Religiosus subditus est Praelato quantum ad suas operationes, *secundum professionem regulae;* sed deinde addit: *nullum* votum subditi est firmum sine consensu Praelati. Etiam dubia videtur sententia S. Lig., l. c. — Suarez, l. c., nn. 11-17 admittit directam potestatem Praelati in voluntatem subditi; sed dicit eam non oriri ex voto obedientiae aut traditione (quia per votum obedientiae subditus Praelato promittit se obedire, et per traditionem se tradit gubernandum, per neutrum autem abdicat voluntatem, ut dictum est), sed ex auctoritate Ecclesiae, quae satis apparet in his canonibus in quibus dicitur religiosum velle et nolle non habere, ergo ipsius voluntatem in omnibus a Praelato pendere [e]. — Wernz

---

(d) Differentia inter potestatem directam et potestatem indirectam irritandi vota et contractus subditi in hoc invenitur, quod potestas indirecta circa vota et contractus versatur, quatenus opponuntur iuri quod Superior habet disponendi de subdito eiusque actionibus; potestas directa in ipsam subditi voluntatem fertur, quia ipsa a Superiore pendet. Ideo potestas directa se extendit ad omnes actus voluntatis subditi: est igitur universalis; dum potestas indirecta non se extendit nisi ad actus qui iuri Superioris opponuntur.

(e) Quomodo autem voluntas religiosi ab Ecclesia ita pendeat, ut Ecclesia statuat eum iam velle et nolle non habere, sic explicari debet: non quod Ecclesia directam potestatem in religiosi voluntatem habeat, sed

(*nota* 422) hanc Suarezii sententiam amplectitur his verbis: « Haec Suarezii sententia caeteris est praeferenda. Nam ex solo voto obedientiae in Superiore religioso nulla consequitur potestas irritandi; ex voto traditioni coniuncta tantum obtinetur ius quoddam indirecte irritandi (f); ergo generalis facultas Superiorum religiosorum directe irritandi huiusmodi obligationes suorum subditorum religiosorum (quam ex praxi doctrinaque communi habent) nonnisi ex ordinatione Ecclesiae est repetenda ». — Idem tenent Lehmkuhl, t. I, nn. 458, 462, et Vermeersch, t. I, n. 402. Videtur etiam esse sententia Lugonis, d. III, n. 221: nam de facultate irritandi contractus religiosi ait: « Eam de facto datam esse Ecclesiae, atque ideo Religioni, fatentur DD. communiter » (Lugo hanc quaestionem, de irritatione contractuum religiosi, sat fuse tractat, l. c.). — Schmalzgr., *lib.* III, *tit.* 34, n. 85, eamdem sententiam tenet. « Praelati regulares, ait, possunt irritare omnia vota suorum subditorum, exceptis votis substantialibus Religionis. Ratio est quia religiosus velle et nolle non habet, sed ex istius, quem Dei vice super caput suum posuit et cuius imperio se subiecit, potestate pendet, ut dicitur c. *Si religiosus,* 27, *de Electione*, in 6°. Ex quo sequitur quod sine Superioris sui consensu, *nihil* firmiter vovere possit, quin ab isto revocari valeat ». Idem tenet Ferraris (v. *Votum*, *art.* 3, n. 22).

Ex hac explicatione sequitur, quod facultas *directe* irritandi omnia vota suorum inferiorum solis Praelatis Religionum proprie dictarum competit, non autem Superioribus Institutorum votorum simplicium. Nam capita Iuris ex quibus oritur, non spectant nisi ad Religiones stricte dictas. — Omnibus autem competit ius indirecte irritandi contractus et vota, quae traditioni adversantur, scilicet quae opponuntur iuri Superioris disponendi de subdito. Possunt sic irritare promissionem alicuius obsequii a subdito factam, si de eo disponere volunt ita ut obsequium reddatur impossibile; possunt irritare votum ieiunandi, si ieiunium impediat aliquam occupationem aut sanitati subditi noceat; sed non possunt irritare votum, v. g.,

---

quod statuat votum obedientiae et traditionem in Religionibus stricte dictis ita fieri debere, ut religiosus suam voluntatem arbitrio Superioris in omnibus submittat.

(f) *Ius quoddam*, scilicet non universale, sed his votis aut contractibus limitatum quae adversarentur iuri Superioris disponendi de subdito eiusque actibus.

servandi aliquas regulas, quia hoc votum nullo modo eorum iuri opponitur.

Notanda. Duo circa hanc Praelatorum potestatem sunt animadvertenda :

1. Praelati regulares, qui habent potestatem directe irritandi vota et contractus postquam haec facta sunt, possunt etiam antecedenter invalidos declarare hos actus, si sine sua licentia fiant. Nam sic disponunt de voluntate quae ab ipsis dependet.

2. Clarum est Praelatos regulares non posse licite pro lubito irritare vota et contractus suorum subditorum, sed tantum ex causis proportionatis. Votum enim est actus de se Deo gratus et homini meritorius; contractus autem, maxime ex utraque parte onerosus, plerumque non rescinditur absque aliquo gravamine alterius partis; illud autem eo minus rescindere liceret, quod ab alio contrahente forsan ignorabatur religiosum non potuisse firmiter contrahere, et etiam eo minus quo maius esset gravamen.

16. Appellatio [a]. — Obedientiae aliquo modo contrariatur appellatio. Ut appareat quid in hac materia Regulari liceat et quid sit prohibitum, oportet aliqua distinguere :

a) Aliud est appellatio proprie dicta, aliud simplex recursus. Appellatio proprie dicta non tantum causam ad alium Superiorem devolvit, sed et interim suspendit executionem sententiae latae, et ideo vocatur appellatio *in suspensivo*. Simplex recursus non suspendit executionem sententiae latae, sed tantum examen causae ad alium Superiorem defert, et ideo vocatur appellatio *in devolutivo* (Cf. C. *Romanos Pontifices,* 1880, n. 13 apud Wermeersch : scil., § *Proxima est quaestio*). — *b)* Appellatio fieri potest a mandatis et correctione Superiorum, aut a sententia iudiciaria ab eis lata. — *c)* Fieri potest vel intra Ordinem et gradatim a Superiore ad alium maiorem et ad S. Sedem, vel ad alium iudicem, sive saecularem sive ecclesiasticum, Ordini extraneum. — *d)* Appellari potest a manifesta et gravi iniustitia, aut tantum ab aliquo

---

16. (a) Vide Ferraris, v. *Appellatio, art.* 3 et 5 ; — Schmalzgr., l. II, *tit.* 28, n. 23; Piat, t. II, p. 468 sq. — Comp. Privil., v. *Appellatio ;* — Suarez. tr. VIII, l. II, c. 11.

gravamine. — *e)* Tandem appellatio verbis aut scripto fieri potest, vel facto, scilicet iter sine licentia arripiendo ad Superiorem maiorem.

His positis.

1° Omnino interdicitur Regularibus appellatio ad iudices extraneos, sive saeculares sive ecclesiasticos. Excommunicatio latae sententiae a pluribus Pontificibus lata est contra Regulares recurrentes ad iudices saeculares, nominatim a Leone X, Const. *Romani Pontificis* (Apud FERRARIS, v. *Appellatio,* art. 3, n. 27). Imo plures AA. dicunt eamdem poenam incurri a Regularibus exemptis recurrentibus ad iudices ecclesiasticos a quibus sunt exempti. PIAT, II, p. 472, q. 4, 5° et 6°; FERRARIS, l. c., n. 26.

2° Regularibus ordinarie prohibetur appellatio proprie dicta a mandatis, ordinationibus et correctione suorum Superiorum, etiam intra Ordinem aut ad S. Sedem. Ita ex Iure communi[b] necnon ex variis privilegiis pluribus Ordinibus concessis[c].

3° Simplex recursus permittitur, si fit gravi ex causa, et gradatim, nempe a Superiore immediato ad mediatum, a me-

---

(b) C. *Reprehensibilis,* 26, *de Appellationibus* II, 28: « Praecipue vero hoc in religiosis volumus observari, ne religiosi, cum pro aliquo fuerint corrigendi, contra regulam Praelati sui et Capituli disciplinam appellare praesumant, sed humiliter ac devote suscipiant quod pro salute sua fuerit iniunctum ». — C. *Ad nostram,* 3, *ibid.:* « Mandamus quatenus, si quando quilibet subditorum tuorum ad remedium appellationis convolaverit, non ideo minus eum, iuxta tenorem mandati quod in praedicta regula continetur et institutionem Ordinis, corrigas et castiges ».

(c) EUGEN. IV, IULIUS II et LEO X iisdem verbis privilegium illud variis Ordinibus concesserunt (Vide *Comp. Privil.,* n. 53). « Nulli Praelatorum vel monachorum praedictorum ab institutis, ordinationibus, correctionibus et mandatis capituli sive Abbatis Generalis, aut aliorum Praelatorum eiusdem Congregationis ad quemcumque, etiam ad nos et Sedem praedictam, nisi de speciali indulto Summi Pontificis, liceat appellare; appellationesque desuper pro tempore interpositae et inde secuta irrita habeantur ». — GREGOR. XIII, Const. *Nihil in unaquaque,* 17 *apr.* 1574, (pro Congr. Benedictina Cassinensi data, sed per communicationem facta communi), § 7, nullitatem appellationis et poenas contra appellantes decernit. — PAULUS III Societati Iesu concessit Const. *Licet debitum* (1549): « A correctione regulae Societatis secundum ordinationes factae, — ut vigor disciplinae melius conservetur, — appellari, aut talis appellatio per ullum iudicem admitti, seu ab officiis absolutio aut privatio peti non possit ».

diato ad supremum. Ita *ex decreto* S. Congr. super Regul. sub *Sixto* v (1587)[d]. Alio *decreto* S. Congr. EE. et RR. (*d.* 6 *iul.* 1754) expresse determinatur recursum non esse suspensivum: in eo dicitur quod, ut abusibus appellationum remedium afferret, « Sanctitas Sua, plaudentibus omnibus Religionum Superioribus, mandavit quod recursibus Regularium adversum obedientiam suorum Superiorum semper rescribatur: pareant et deinde recurrant, ad formam c. *Reprehensibilis*, *de Appellationibus,* et c. *Ad Nostram*, ib. ».

4° Attamen, modo exceptionali, permittitur Regulari gravem iniuriam patienti, pro qua levanda non sufficit simplex recursus, appellare in suspensivo ad Superiores maiores aut ad S. Sedem, non tantum verbis et scripto, sed etiam, non obstante Tridentino[e], facto, scilicet sine licentia proprii Superioris confugiendo ad Superiorem maiorem aut ad curiam Romanam. Ita communiter. Schmalzgr., l. ii, t. 28, n. 23; Ferraris, v. *Appellatio,* a. 5, n. 2, et v. *Apostata,* nn. 29 sq.; Piat, ii, p. 471, q. 4, 1°. Rationem sumunt ex c. *Irrefragabili,* 13, *de Officio Iudicis Ordinarii*, ubi appellatio permittitur si Superior excesserit. — De qua sententia Bened. xiv (*de Synodo,* l. xiii, c. 11, n. 14), memorato supradicto Tridentini decreto, ita loquitur: « Ne putaret aliquis S. Synodum oppresso abstulisse confugium ad Superiorem, a quo ius sibi reddendum exposcat, Doctores et Congregationum quoque decreta in hoc conveniunt, ut a Concilio interdictus fuerit eiusmodi recursus,... quando recurrendi causa vel nulla vel admodum levis affertur: nullatenus vero, cum vera, urgens et gravioris momenti subest

(d) « Quoniam nonnulli Regulares.... non ad immediatos sui Ordinis Superiores, scilicet a gravamine Prioris ad Provincialem, a Provinciali ad Generalem, a Generali ad Protectorem, prout cuiusque Religionis constitutionibus disponitur, sed ad hanc Romanam curiam absque licentia saepius fugiunt, potius quam recurrunt, ex quo Ordinum disciplina relaxatur, Praelati contemnuntur, et ipsi in dies audaciores evadunt, placuit Sacrae Congr. Regularium, ex ordine Sanctissimi statuere, ut si quis Regularium imposterum temere levique ex causa hanc Almam Urbem sive curiam, absque sui Superioris licentia et supradicta forma praetermissa, adire praesumpserit, ad suos eosdem Superiores severiori poena plectendus remittatur ». (Apud Ferraris, v. *Appellatio, art.* 3, n. 23).

(e) Trident. *sess.* xxv, c. 4. « Nec liceat Regularibus a suis conventibus recedere, etiam praetextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint. Qui vero sine praedicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab Ordinariis locorum tamquam desertor sui Instituti puniatur ».

recurrendi occasio ». Deinde laudat Ferraris, v. *Apostata*, n. 29, sq. — Ita etiam Comp. Privil., n. 54.

5° Si autem Regularis, non iam a mandatis aut correctione suorum Superiorum, sed a sententia iudiciaria, qua iniuste ab eis se damnatum fuisse reputat, voluerit appellare, id ei licet. Ferraris, v. *Appellatio,* art. v, n. 10; Schmalzgr., l. c., n. 23; Piat, II, p. 471, q. 4, 2°. Sed ad hoc requirunt plerique AA., ut gravamen sit certum et manifestum.

17. Alia vota specialia. — Praeter tria vota substantialia Religionis, alia in aliquibus Religionibus inveniuntur, aut solemnia aut simplicia, quae accidentalia sive specialia dicuntur. De his votis mentionem facit Trid., *sess.* XXV, c. 1, *de Regul.* (a).

In novis Institutis non admittuntur haec vota specialia, ut dicitur in Normis a. 1901, *art.* 102: « Non admittitur in novis Institutis quartum votum ». In animadversionibus S. Congr. EE. et RR., 13 *aug.* 1887, *ad* 3, haec ratio datur: « Nam cetera in voto obedientiae comprehenduntur ».

Utrum haec vota, ubi fiunt, sint solemnia an simplicia, ex peculiaribus singulorum Institutorum constitutionibus de aliis documentis, aut ex communi religiosorum sensu eruendum est.

SECTIO II.

18. Casus reservati quoad castitatem in Societate Iesu (a). Primo est reservatus casus nonus ex Clementinis: « Lapsus carnis voluntarius, opere consummatus », et tertius ex casibus a *Congregatione* v admissis: « Lapsus carnis voluntarius et quidquid est contra votum castitatis, quod in actum externum prodeat ».

Ex casu Clementino, non reservatur mera impudicitia, nec actus luxuriae imperfectus; oportet ut adsit seminis effusio (uti indicatur tum expressione « lapsus carnis », tum aliis verbis « opere consummatus »), sive pollutio fuerit sive fornicatio, a

---

17. (a) « In primis quae ad suae professionis perfectionem, ut obedientiae, paupertatis et castitatis, ac si quae alia sunt alicuius Regulae et Ordinis peculiaria vota et praecepta, ad eorum respective essentiam, necnon ad communem vitam, victum et vestitum conservanda pertinentia, fideliter custodiant ».

18. (a) V. Besson, n. 343; Villada, n. 95.

fortiori sodomia. — Verbo « voluntarius » probabiliter excluditur pollutio in causa tantum voluntaria, si ipsa directe non intenditur, etiamsi praevideatur et adsit peccatum grave : quia tunc non ipse lapsus est voluntarius.

Ex casu Congregationis v, praeter lapsum carnis voluntarium (b), reservatur omnis actus externus qui sit graviter peccaminosus, non autem alii actus sive externi sive interni. Unde concludes :

1° Reservatur aspectus, tactus, osculum, lectio, locutio, distillatio, et etiam pravi motus directe voluntarii, si haec omnia sint in se graviter peccaminosa : nam si aliqui ex his actibus essent in se indifferentes aut levia peccata, et fierent graves solum ratione pravae intentionis internae, cum qua ponerentur, reservationi non subiacerent (c). E contra, si actus externus, quamvis quoad substantiam non graviter peccaminosus, nihilominus ex circumstantiis manifeste appareret positus ex intentione graviter mala (ut fieri potest, v. g., in sollicitatione), esset reservationi obnoxius (Besson, n. 343, 3°, ubi plures responsiones PP. Generalium citat. — Villada, n. 95, B).

2° Actus autem mere interni, desideria et delectiones morosae, quamvis certo sint peccata gravia sacrilegii contra votum, non sunt tamen reservati.

3° An reserventur pollutio, distillatio et pravi motus, si hi actus sint voluntarii tantum in causa, scilicet si quamvis non intendantur, tamen praevidentur, et sunt effectus pravi actus interni? — Videtur affirmandum, nam in casu Congr. v non requiritur ut actus externus sit in se voluntarius (ut ex verbis apparet). Nihilominus Lacroix, l. vi, n. 1672, ait: « Quamvis reservatur pollutio, imo et distillatio, non reservatur simplex commotio spirituum, quamvis ex interna culpabili delectatione forte fiat et intendatur (citatus a Besson, n. 343, 5°) — P. Villada n. 95, C, excusat a reservatione pollutionem, quae ex actibus mere internis proveniat, si retractata fuit mala voluntas priusquam actus externus prodiret. Quamvis haec doctrina in se

(b) Prima verba casus, « Lapsus carnis voluntarius », nihil continent, nisi quod in casu Clementino iam invenitur ; nam verba « opere consummatus », quae in casu Clementino adduntur, sunt mere explicativa aliorum « lapsus carnis ».

(c) Besson, n. 343, citat responsionem *P. Mutii :* « Reservata censenda sunt omnia quae prodeunt in actum externum, ut sunt oscula, tactus, etc., *dummodo sint mortalia ex vi talis actus* ».

minus probabilis videatur (quia retractatio malae voluntatis non impedit quin actus externus sit voluntarius in causa), attamen innititur doctrina quam probabilem habet. S. Lig. (l. v, n. 10, et l. vii, n. 40, necnon l. iv, n. 149).

4° Non videtur excusandus a reservatione ille qui alium sine delectatione propria ad violandam castitatem inducit. Multum controvertitur, ait P. Villada. Attamen negari nequit quin verba aut signa, quibus alium ad peccandum inducit, sint gravia peccata externa et quidem contra castitatem; ergo comprehenduntur in verbis Congregationis v, nisi aliqua declaratione excludantur. Declaratio autem nulla affertur.

Praeter reservationem, alia sunt praesidia castitatis in Societate: clausura, regulae modestiae, regula socii, regulae circa confessiones et collocutiones cum feminis, regula qua mutuus tactus prohibetur.

19. De extensione obedientiae in Societate.

Distinguere oportet inter obedientiam necessariam et obedientiam perfectam.

1. **Materiam obedientiae necessariae** (sc. quae obligationem inducit) aliqui volunt in Societate ad omnia licita extendi. Hoc deducere volunt ex his Instituti locis, ubi dicitur obediendum esse ubicumque peccatum non apparet: Const., P. iii, c. 1, n. 23: « in omnibus rebus ubi peccatum non cerneretur »; P. vi, c. 1, n. 1: « in omnibus rebus ad quas potest cum charitate se obedientia extendere »; et *litt. B* declaratur: « Huiusmodi sunt illae omnes in quibus nullum manifestum est peccatum ».

Sed dicendum est, obligationem obedientiae non se extendere ultra id quod in amplitudine finis proprii Societatis comprehenditur, iuxta explicata n. 7: quia Superiores non possunt praecipere praecepto stricto nisi ea quae sunt secundum regulam [a]. Sic enim restringitur in Instituto auctoritas ipsius Generalis. Const., P. ix, c. 3, n. 20, dicitur: « Generatim loquendo in rebus omnibus quae ad propositum Societatis finem, perfectionis et auxilii proximorum ad gloriam Dei faciunt, omnibus praecipere in virtute obedientiae possit ». Item in utraque

19. (a) Ita Suarez, tr. x, l. iv, c. 12, n. 10: « In hac re dicendum censeo materiam quidem huius voti in Societate esse amplissimam; nihilominus in rigore praecepti aliquam admittere limitationem: quamvis ex consilio sola illa spectanda sit, ut quod praecipitur non sit malum ».

formula Instituti: « Subditi vero, tum propter ingentes Ordinis utilitates, tum propter nunquam satis laudatum humilîtatis assiduum exercitium, Praeposito, *in omnibus ad Institutum Societatis pertinentibus,* parere semper teneantur » (Const. *Regimini*, 1540, Pauli III). « Voveant etiam singuli se *in omnibus, quae ad Regulae huius nostrae observationem faciunt,* Societatis Praeposito obedientes fore....: ille autem iubeat *ea quae ad consecutionem propositi sibi a Deo et a Societate finis cognoverit esse opportuna* » (Const. *Exposcit,* 1550, Iulii III). In his locis, obligatio obedientiae subditorum et potestas Praepositi ad praecipiendum restringuuntur ad ea quae sunt iuxta finem et institutum aut regulam Societatis » (b).

Conciliatio inter utramque seriem locorum ea est quam diximus et quae iam indicata fuit n. 3 huius capitis, sc. est distinctio inter obedientiam necessariam et aliam ulterioris perfectionis. Eam dat S. Ignatius in Const., P. VI, c. 1, n. 1, his verbis: « De sancta obedientia dicetur: quam quidem omnes plurimum observare et in ea excellere studeant; nec solum *in rebus obligatoriis,* sed etiam in aliis, licet nihil aliud quam signum voluntatis Superioris, sine ullo expresso praecepto, videretur ». (Cf. Suarez, tr. X, l. IV, c. 12, nn. 10-15).

2. **Variae dotes, quibus obedientia ornari debet,** ad obedientiam perfectam, non ad obligatoriam sub poena peccati pertinent. Enumerantur in Const. P. III, c. 1, n. 23, et P. VI, c. 1, nn. 1 et 2: scilicet, requiritur ut sit integra, prompta, fortis, humilis, sine excusationibus, cum interna reverentia et Superioris amore coniuncta, non solius actus externi, sed voluntatis et iudicii, cum viva fide Deum in Superiore agnoscente. Igitur defectus in his omnibus non sunt contra votum, quippe quod sola inobedientia in actu externo violatur. Cf. Suarez, tr. X, l. IV, c. 13, 14 et 15, ubi tractat de perfecta obedientia secundum executionem, voluntatem et intellectum.

3. **Missiones omnibus imponi possunt.** — Quamvis praedicatio apud infideles, haereticos aut alios, aliquando nonnisi cum gravissimis periculis aut maximo gravamine suscipiatur, et ideo sit actus maxime heroicus, attamen non solum professis, propter eorum quartum votum, sed omnibus praecipi potest. Haec missio enim est omnino secundum finem Instituti

---

(b) Quousque haec se extendant, ex dicendis c. XII patebit.

et explicite in Constitutionibus praevidetur. Est ergo plane secundum regulam [c] (Ita Suarez, l. c., c. 12, n. 17).

20. Cuinam Superiori in Societate obediendum sit vi voti?

1. Constitutiones expresse declarant summum Pontificem esse primum et supremum Superiorem, cui vi voti obediendum sit. Haec est communis et certa sententia (supra, n. 11). P. VI, c. 1, n. 1 dicitur: « Exactissime omnes nervos virium nostrarum ad hanc virtutem obedientiae, in primis Summo Pontifici, deinde Superioribus Societatis exhibendam intendamus ». — Pari modo etiam obediendum est eis quibus summus Pontifex facultatem praecipiendi delegaverit, proinde Congregationibus Romanis.

2. Superiores Societatis, qui vi voti praecipere valent, sunt certo Generalis, Provinciales et Superiores locales, Rectores scilicet collegiorum et Praepositi domorum professarum. De Superioribus localibus enim intelligendum est id quod dicitur in Const., P. VI, c. 5: Nullas constitutiones aliave obligare ad peccatum, « nisi *Superior* ea in nomine D. N. I. C. vel in virtute obedientiae iuberet:... quod fieri poterit ». *In regula* 9ª *Praepositi* et 8ª *Rectoris* dicitur « Quamvis in virtute obedientiae iubere possit, nonnisi rarissime et ex gravi et urgenti causa id faciat ».

3. *De Superioribus Residentiarum* magis dubium esse potest, maxime si residentiae sint dependentes. Certum est eos non habere (sicut alii Superiores quicumque) nisi hanc potestatem quam Praep. Generalis eis communicaverit, ut dicitur P. IX, c. 3, n. 14: « Quibus (Provincialibus, Praepositis domorum, Rectoribus) eam potestatem communicabit, quam duxerit

---

(c) « Generalis in missionibus omnem habebit potestatem... Mittere ergo poterit *omnes* sibi subditos, sive professionem emiserint, *sive non emiserint*, quos mittendos iudicaverit, ad quaslibet mundi partes, ad quodvis tempus, ad quamvis actionem, ex iis quibus uti ad proximorum auxilium Societas solet, exercendam » (P. IX, c. 3, n. 9); et *litt.* F verba « ad quaslibet mundi partes » declarantur modo sequenti: « ut inter fideles in Indiis, et inter infideles, ubi sunt aliqui incolae Christiani, et etiamsi nulli sint, in quibusdam casibus et necessitatibus urgentioribus ». Item P. VII, c. 2, n. 1: « Praepositi Societatis mittere *quosvis* de Societate poterunt, quocumque magis expedire iudicabunt ». *Litt. C*, fit declaratio eiusdem sensus ac praecedens; monitoque Superiore de circumspectione cum qua mittere debet apud infideles, adiungitur: « Semper autem erit subditi missionem suam, ut de manu Domini, hilari animo suscipere ».

communicandam ». Provinciales, Praepositos et Rectores habere hanc potestatem vi officii, et proinde ordinariam, id declarant eorum regulae, ut dictum est: nisi ergo expresse eis denegetur, ea potestate, sine alia communicatione gaudent. Sed pro Superioribus residentiarum regulae speciales non existunt: attamen eos ordinariam habere facultatem praecipiendi in virtute obedientiae, ex praxi videtur affirmandum. A fortiori haec potestas Superioribus Missionum competit, et etiam Visitatoribus.

4. Quoad *ministrum, aliosque officiales*[a]. — *Primo* certum est eos non posse praecipere in virtute S. Obedientiae, scilicet sub gravi in vi voti: haec enim potestas aperte denegatur ministro in ORDINAT., c. II, n. 18: « Etsi minister, quamvis Superior est, in virtute sanctae obedientiae praecipere non potest.... ». A fortiori ergo eadem potestas aliis officialibus denegatur. — *Secundo,* certum est ministrum obligare posse ad poenam, sc. ita ut inobediens possit ab eo puniri. Hoc constat ex eius *regula* 13, in qua dicitur, quamvis non debeat punire nisi ex praescripto Superioris, attamen « poenitentias ipse imponet »; dum contra de subministro: « Nullam iniunget poenitentiam,... poterit tamen impositas alicuius Superioris nomine aliis denuntiare » *(reg.* 6 *subministri).* — *Tertio,* an minister possit ita praecipere ut oriatur obligatio in conscientia, controvertitur. — Notandum est autem, ex dictis n. 5, quod si obligat in conscientia, inobedientia contra praeceptum ministri erit peccatum etiam contra votum: non erit peccatum grave, siquidem facultas obligandi sub gravi denegatur ministro eo ipso quod non valeat praecipere in virtute S. Obedientiae:

---

20. (a) Textus Instituti, ubi de auctoritate ministri agitur, sunt: CONST., P. IV, c. 10, n. 8: « Curet Rector ut in suo officio cuique integram obedientiam collegiales praestent, et alii officiales ministro, et sibi etiam ipsi, prout idem praescripserit. — Ibid., n. 7: « Inter officiales Rectori necessarios in primis minister idoneus, qui Vice-Rector vel magister domus sit et omnibus quae ad bonum universale pertinent provideat, est deligendus ». — Ministri auctoritas ita in eius regulis describitur. *Reg.* 1: « Nec dispensandi aut mutandi aut quidpiam faciendi, nisi ex eiusdem (Praepositi vel Rectoris) praescripto, facultatem habebit; et *reg.* 13: « Poenitentias ipse iuxta praescriptum Superioris imponet ». — Minister declaratur Superior in ORDINAT., c. II, n. 18: « Etsi autem minister, quamvis Superior sit, in virtute S. Obedientiae praecipere non potest, coadiutores tamen sive alii, qui ministro clare dicunt « nolo facere » incurrunt in quartum casum reservatum inobedientiae expressae » (De hoc ultimo dicitur n. 19).

sed erit peccatum leve contra votum. Igitur an minister praecipiendo possit obligare in conscientia, dubium est.

Rationes affirmandi sunt: 1° quod agnoscitur uti Superior in ORDIN. c. II, n. 18: « Etsi minister, quamvis sit Superior,... »: 2° quod tantum ei denegatur potestas praecipiendi in virtute S. Obedientiae: unde potestas huic inferior, qualis est potestas obligandi in conscientia, videtur ei agnosci; 3° quod ille qui respondet ministro « nolo facere » committit peccatum inobedientiae expressae grave: porro negata obedientia non videtur esse in inferiore peccatum, maxime grave, nisi sit in praecipiente potestas obligandi in conscientia; 4° quod minister possit propria auctoritate punire: sed poena obligat in conscientia; igitur minister saltem hoc modo indirecto potest in conscientia obligare.

Rationes negandi ministro potestatem obligandi in conscientia sunt: 1° quod absolute negatur ministro potestas obligandi sub gravi, seu in virtute S. Obedientiae, etiam in re gravi: ergo parum probabile est ipsi concedi potestatem obligandi sub levi; 2° quod videtur sufficere ut potestas obligandi in conscientia in Superiore domus resideat, ad quem facilis est recursus, si aliquis ministro non obediret; 3° quod potestas ministri ex eius regulis, maxime 1ª et 13ª, videtur satis restricta. Utraque sententia probabilis apparet (b).

5. *Subminister et alii officiales* praecipere possunt, ita ut inobedientes sint poenae obnoxii; sed non possunt obligare in conscientia, imo nec poenam ipsi ex propria auctoritate irrogare valent (c).

(b) Sic de auctoritate ministri loquitur LUGO, *de Poenitentia, disp.* 20, n. 54: « Adverto huiusmodi vicarium seu ministrum, licet in Societate nostra non possit praecipere sub praecepto obedientiae, esse tamen Superiorem, quasi vicarium et delegatum Praelati principalis; a quo non accipit aequalem auctoritatem, accipit tamen eam quam Praelatus principalis habet quando ordinat vel iubet sine praecepto obedientiae. Quare eamdem vim habet iussio vicarii seu ministri, quam haberet iussio Praelati praecipientis sine praecepto obedientiae: fundatur enim in voluntate eiusdem Praelati volentis ut obediatur ministro, sicut sibi iubenti sine praecepto obedientiae ».

(c) *Subminister,* in EXAM. GEN., c. IV, n. 31, *litt.* E, indicatur tamquam unus « ex officialibus subordinatis, qui accepta a Superiore auctoritate domum gubernant ». In eius *reg.* 7 dicitur esse « Superior Nostrorum qui sacerdotes non sunt; sacerdotibus tamen aliquid iniungere poterit nomine alicuius Superioris »; in *reg.* 6: « Nullam iniunget poenitentiam ».

21. Casus reservatus inobedientiae expressae. — Declaratum fuit, in Societate incurrere casum inobedientiae expressae illum qui ministro aliquid iubenti respondet « nolo obedire ». Ratio est, quia haec verba continent gravem contemptum et iniuriam Superioris, ut est Superior. Circa hanc declarationem aliqua notanda veniunt.

1° In Congr. v, *d.* 51, reservati sunt octo casus praeter Clementinos. Quartus est: « Inobedientia expressa, qua quis asserit se nolle obedire ». P. Claudius declarationem fecit qua dicebat esse reservatum casum, si quis Fratrum ministro aliquid iubenti, etiam non praecepto, responderet: nolo obedire. Aliqui dubitabant de legitimitate huius declarationis: nam illis videbatur eam esse extensionem casus a Congr. v reservati. Porro, ex Constit. Clementis viii super casibus reservatis, Superiores etiam Generales non possunt per se solos casus reservare, sed tantum cum Congregatione generali. Congr. vii autem, re examinata, d. 45, approbavit ordinationem Patris Claudii, scilicet censuit « huic P. N. Claudii ordinationi vel declarationi standum esse; relicta tamen loci huius explicatione prudentiae Patris nostri ». De hac quaestione Cf. Lugo, *de Poenitentia, disp.* 20, n. 48.

Alii officiales. Const., P. iii, c. i, n. 24: « Ut magis in obedientiae virtute se exerceant, convenit atque etiam valde necessarium est, ut non solum Superiori Societatis vel domus, sed etiam subordinatis officialibus, qui ex illo auctoritatem acceperunt, in his omnibus, *in quibus super ipsos potestatem habent, obediant* ». In Exam., c. iv, n. 29: « Cum aliquis ad ministeria culinae obeunda ingredietur, vel ad eum iuvandum qui coquus est, eidem obedire cum magna humilitate in rebus omnibus ad ipsius officium pertinentibus debet »; et n. 30: « Ideo melius est ut coquus non roget sibi inservientem ut hoc aut illud faciat, sed cum modestia iubeat vel dicat: hoc fac vel illud »; et n. 31: « Hoc ipsum in aliis humilibus officiis intelligatur, quando aliquis in eis ministerium suum impendit; atque eodem modo accipiatur in officialibus subordinatis, qui accepta a Superiore auctoritate domum gubernant ». In hoc ultimo textu officiales duplicis generis distinguuntur: ii qui praesunt officiis domesticis, ut coquus, aedituus, custos vestium, infirmarius; et alii officiales ordinarie sacerdotes, qui cum auctoritate a Superiore accepta domum regunt. Quinam hi sint, declaratur *litt.* E: « Cuiusmodi esse solent minister et subminister, vel alii qui in collegiis similia munera gerunt », v. g., praefecti studiorum, ecclesiae, sanitatis, bibliothecae, lectionis ad mensam, et Magister convictus, qui a Rectore distinctus sit: quibus omnes obedire debent in his quae ad illorum officia spectant; item Magistri novitiorum quoad novitios, et Instructores tertii anni, etiam quando non sunt Superiores domus.

2° In decreto 45 Congr. VII, confirmatur « reservatum esse casum, si quis *Fratrum* diceret Ministro aliquid iubenti, licet non praecepto : nolo facere » : Attamen PP. Generales, ex facultate illis ab eodem decreto facta explicandi hunc casum, saepe declararunt, non tantum Fratres coadiutores aut scholasticos, sed *omnes* qui ministro responderent « nolo facere », incurrere casum reservatum. Et revera inobedientia expressa habetur, quicumque sit qui ita respondeat ; et ideo in ORDINAT. c. II, n. 18, declaratur : « Coadiutores, *sive alii*, qui clare dicunt : nolo facere, incurrunt in quartum casum reservatum inobedientiae expressae ». Ibi etiam fuerunt suppressa verba « iubenti, licet non praecepto », quorum sensus erat : quamvis minister non possit in virtute S. Obedientiae praecipere, attamen qui ministro aliquid iubenti respondet « nolo facere »,... in casum reservatum incurrit. Sed, supressis his verbis, sensus remanet idem : verba supressa enim erant mera declaratio.

Contra, declaratum fuit non incurrere reservationem eum qui ita responderet subministro. Haec resolutio non habet difficultatem, si de sacerdotibus agitur : siquidem in *regula* 7 *subministri* dicitur quod non est eorum Superior. Sed quia simul declaratur esse Superior aliorum qui sacerdotes non sunt, exsurgit haec difficultas : quomodo non sit casus inobedientiae expressae reservatus, si quis coadiutor aut scholasticus subministro responderit « nolo facere »? — Respondendum videtur, aut, quamvis revera adsit in hac responsione inobedientia expressa, Societatem tamen noluisse extendere reservationem ad hunc casum ; aut, non inveniri inobedientiam expressam, quia subminister iubendo non potest obligare ad peccatum, sed tantum ad poenam.

3° Non solis verbis « nolo facere », sed verbis aequivalentibus, quae voluntatem non obediendi clare exprimerent, incurritur reservatio. Ita LUGO (*Resp. Moral.*, l. IV, d. 22) ; qui nihilominus notat verba « non faciam » non necessario significare « nolo facere » sed posse significare « impossibile est mihi facere ». Tunc ergo solum haec verba « non faciam » peccatum reservatum continerent, quando ex circumstantiis clare significarent « nolo facere ».

4° Notat etiam LUGO, *ibid.*, si responsio « nolo parere » non fit ipsi Superiori, sed internuntio, quo forsan Superior utitur ad intimandum praeceptum, tunc adesse contemptum et ideo incurri casum reservatum, si haec verba dicuntur internuntio ceu tali, ut ea referat Superiori ; non autem, si internuntio dicuntur ut amico aut aequali, ad significandam

displicentiam animique dispositionem, quin intendatur ut ea Superiori referantur: tunc enim non invenitur in eis iniuria, saltem gravis.

22. Quandonam Regula et Constitutiones obligant ad peccatum, id est, sub reatu peccati? — In Const., P. VI, c. 5, fit haec declaratio: « Visum est nobis in Domino, excepto expresso voto quo Societas Summo Pontifici pro tempore existenti tenetur, ac tribus aliis essentialibus paupertatis, castitatis et obedientiae, nullas constitutiones, declarationes vel ordinem ullum vivendi posse obligationem ad peccatum mortale vel veniale inducere, nisi Superior ea in nomine D. N. I. C. vel in virtute S. Obedientiae iuberet ». Porro eo modo iubentur ea omnia et sola quae continentur inter « Censuras et praecepta hominibus Societatis imposita ». Congr., XVII, d. 15, declaravit non esse alia.

Ergo, his exceptis, Constitutiones, decreta Congregationum, Regulae, Ordinationes per se non obligant ad peccatum. Notandum venit nihilominus eas Constitutiones, quae materiam votorum explicant, obligationem sub peccato imponere aliquo modo indirecto, non quidem vi propria, sed vi votorum: nam vota fiunt secundum Constitutiones. — Loco citato, non fit exceptio nisi trium votorum substantialium et voti obedientiae specialis summo Pontifici. Sed idem intelligi debet de quinque votis simplicibus professorum, et de voto scholasticorum ingrediendi Societatem: haec enim certo sub peccato gravi obligant. — Praeterea notandum est in hoc loco de Constitutionibus et regulis sermonem esse, non de praecepto particulari a Superiore alicui facto: etenim postquam dictum est constitutiones, declarationes, ordinem vivendi non obligare sub peccato, additur: « nisi *ea* [a] Superior iuberet ». Unde remanet quaestio sequens.

23. An in Societate alia praecepta Superiorum, praeter praecepta in virtute S. Obedientiae imposita, obligent ad peccatum sive mortale sive veniale? — Scilicet quaeritur, an in Societate, quando Superior aliquid serio praecipit, quin vi voti imperet, obliget nihilominus in conscientia, ita ut subditus inobediens aliquod peccatum committat. Dictum fuit,

---

22. (a) Verum est in Constitutionibus ex autographo hispanico ad verbum translatis, loco vocis *ea*, inveniri vocem *ipsis*; sed vox *ea*, quae non exprimitur, ex sensu phrasis subauditur et suppleri debet, ut fecit versio vulgata.

n. 8, quod si adsit peccatum inobedientiae, est contra votum: hic quaeritur an adsit peccatum inobedientiae, seu, aliis verbis, utrum in Societate subditus non obediens Superiori aliquid praecipienti aut prohibenti, simplicem imperfectionem committat an verum peccatum?

Ratio dubitandi potest esse locus citatus Constitutionum. S. Ignatius noluit Constitutiones obligare ad peccatum, etiam veniale, nisi Superior eas in nomine D. N. I. C. aut in virtute S. Obedientiae iuberet; ergo idem videtur dicendum de praecepto particulari, propter easdem rationes ibidem allatas. Et revera Laymann, l. IV, tr. 5, c. 9, n. 3, ita censet: « Et quidem in Societate Iesu significant Constitutiones, P. VI, c. 5, et consuetudo approbat, ut numquam censendum sit praeceptum Superioris obligare ad culpam etiam venialem, nisi addatur: in virtute S. Obedientiae, aut in nomine D. N. I. C., vel simile aliquid, quo voluntas sub peccato obligantis significetur ». Eum citat et sequitur Wermeersch, t. I, n. 297 (a).

Nihilominus, primo non est verum id quod dicitur, Constitutiones dicto loco hoc significare: nam in hoc loco de ipsis Constitutionibus, non de praecepto particulari Superioris agitur, et dicitur eas non obligare ne quidem sub levi, nisi adiungatur praeceptum strictum Superioris. Adest autem ratio manifesta, ut ponatur differentia inter Constitutiones aliave statuta stabilia et praeceptum particulare. Constitutiones et statuta stabilia omnes obligant et semper; praeceptum particulare eum solum cui intimatur, et pro una vice aut pro tempore limitato.

Dicendum ergo videtur:

1° Non est dubium quin Superior possit praecipere, obli-

---

23. (a) Vermeersch, n. 296, dixerat « materiam proximam voti obedientiae esse praecepta stricte talia, quae Regularibus qua talibus imponuntur vi potestatis dominativae vel iurisdictionis ». — N. 297, ait « ex Ordinum vario usu colligendum esse quando Superior putandus sit stricte, id est sub peccato praecipere. Haec, addit, traditur regula sat generalis: levem imponit obligationem Superior qui voluntatem suam significat per verba *iubeo, praecipio,* et similia; gravem autem, si, cum fert materia, praecipiat in nomine D. N. I. C., in virtute S. Obedientiae, sub poena excommunicationis ». Deinde subjungit: « In Societate Iesu non censetur Superior proprie praecipere, ne sub levi quidem, per verba *stricte praecipio, sub praecepto iniungo:* oportet ut iubeat in nomine D. N. I. C., in virtute S. Obedientiae, aut saltem alia ratione clare suam voluntatem exprimat per appositam poenam exigentem peccatum mortale, vel directe dicendo se obligare sub peccato ».

gando ad peccatum sub gravi, si praecipit in virtute S. Obedientiae [b].

2° Superior etiam sub levi obligare *potest*. Nam *a)* omnino improbabile est ei dari potestatem obligandi sub gravi, et denegari potestatem obligandi sub levi. — *b)* Potestas obligandi subditos competit Superiori tum ratione potestatis dominativae, tum ratione iurisdictionis, et usus huius potestatis ex se pendet ab arbitrio Superioris, qui praecipiendo potest obligare ad poenam aut ad culpam, ad culpam gravem aut levem : ergo nisi ligetur haec potestas, eam Superior habet et adhibere potest: porro nullus textus Constitutionum affertur quo ligetur, ut dictum est. — *c)* Haec potestas videtur necessaria ut Superior recte officio suo fungatur, subditos dirigat, eos a periculis defendat, disciplinam promoveat, et fines proprios Societatis assequatur (Vide dicta, nn. 6 et 7).

3° Quando Superior *stricte* iubet aut praecipit aliquid, aut aliud stricte prohibet, non tamen addendo praeceptum in virtute S. Obedientiae, ordinarie adest obligatio in conscientia [c], et haec obligatio est sub levi. Secunda pars assertionis constat ex eo quod haec verba « in virtute S. Obedientiae,... in nomine D. N. I. C. », sunt in omnibus Religionibus signum quo Superior exprimit suam voluntatem obligandi sub gravi: quo signo deficiente, praeceptum non censetur esse sub gravi. Prima pars, adesse obligationem in conscientia, probatur ex ipsis verbis « praecipio, iubeo, stricte prohibeo », quae per se voluntatem obligandi ad peccatum exprimunt. Addi potest ad confirmationem, esse contra sensum communem Nostrorum, quod religiosus Societatis, qui agit contra grave praeceptum sui Superioris, praecipientis quidem, non tamen in virtute S. Obedientiae, sit immunis ab omni peccato inobedientiae. Omnes, puto, qui Superiori ita graviter praecipienti non obe-

---

(b) Notandum est, quod prima obligatio obediendi non oritur ex voto, sed votum supponit obligationem : nam votum fit obediendi *Superiori praecipienti ;* unde nisi prius existat obligatio vi praecepti Superioris obligantis in conscientia, deficit materia voti. Sed huic obligationi, quae ex praecepto oritur, votum addit obligationem religionis. SUAREZ, tr. VII, l. X, c. 7, n. 13.

(c) Dicitur *ordinarie:* quia aliquando ex circumstantiis haec verba possint significare tantum solam firmam voluntatem rei praeceptae, sine voluntate obligandi ad peccatum. Sed, nisi contrarium clare appareat, haec verba per se voluntatem obligandi ad peccatum exprimunt.

diverint, de hoc in confessione sese accusabunt, tanquam de peccato.

Haec sententia est Busembaum, apud S. Lig., l. IV, n. 38: « Religiosus ex voto obedientiae obligatur ad omnia quae Superior praecipit secundum regulas...: et quidem si praecipiat in virtute S. Obedientiae, in nomine D. N. I. C., vel simili formula, tenetur sub mortali, quia intendit obligare quantum potest; sub veniali autem, si alia forma utatur, vel sub nullo: quod consuetudo in Societate Iesu approbavit »; et citat Laymann, Sanchez, Lessium [d]. — S. Lig., post haec verba, addit: « Notandum quod, nisi Praelatus mandatum explicet, v. gr., dicendo « iubeo, praecipio, etc.... », subditus non tenetur (in conscientia, sub peccato) obedire: et dicente Praelato « iubeo, praecipio, etc.... », nec etiam tenetur subditus obedire sub gravi, nisi addatur « in nomine D. N. I. C., vel in virtute S. Obedientiae », vel nisi addatur poena excommunicationis.... ». Ergo S. Lig. approbat quod, Superiore stricte praecipiente per verba « iubeo, praecipio », adest obligatio in conscientia, sed sub levi. Eamdem sententiam tenet Suarez, tr. X, l. IV, c. 12 et 13. Item Ballerini-Palmieri, num. 172: « Obligatio voti est per se gravis et eius transgressio mortalis; nihilominus propter levitatem materiae potest esse levis. Cum praeterea obiectum voti obedientiae sit praeceptum Superioris,... si sub levi tantum Praelatus intendat obligare, nonnisi sub levi tenebitur religiosus obedire vi voti: se enim per votum obligavit ad praeceptum servandum, et quatenus praeceptum est.... Quae doctrina est tenenda, si vere mandat. Nam convenit inter omnes posse Superiorem subdito significare quid sibi placeat, nulla

(d) Sanchez, *Decal.*, l. VI, c. 4, n. 70, censet quidem in Societate Superiores non obligare ad peccatum, etiamsi praecipiant utendo verbis: praecipio, iubeo, stricte praecipio, sub praecepto iniungo; quia, ait, Constitutiones, P. VI, c. 5, volunt ut non obligent ad culpam nec mortalem, nec venialem, nisi Superiores utantur verbis « praecipio in nomine D. N. I. C., aut in virtute S. Obedientiae », aut similibus (et hoc non est verum, ut dictum est); sed statim addit: « At si Superior exprimeret suam intentionem esse obligare ad culpam mortalem vel venialem, obligaret utique, quia ea Constitutio non aufert potestatem (quam habet Superior) obligandi aliter quam utendo his verbis; sed tantum declarat, nisi utatur his verbis, non constare de eius intentione ». Sed praesumptio cedere debet voluntati clare manifestatae. Ergo Sanchez, quoad rem, idem sentit ac exponitur in textu; differt tantum, quia censet (ex falso supposito) verba « praecipio, stricte praecipio », in Societate propter verba Constitutionum, non esse sufficientia ad exprimendam voluntatem Superioris obligandi sub peccato etiam levi.

veri nominis imposita obligatione, hoc est, nullo praecepto aut mandato ».

4° Mens Constitutionum est ut Superiores raro utantur stricto praecepto, non tantum quo obligent sub peccato mortali, iubendo in virtute S. Obedientiae, sed etiam sub peccato levi. Sufficit enim plerumque ut voluntatem rei faciendae exprimant, quin obligent in conscientia.

Hoc habetur ex dicto Constitutionum loco, ubi, postquam dictum fuit Constitutiones non obligare ad peccatum nisi adiungatur strictum Superioris praeceptum, additur: « Quod in rebus vel personis illis, in quibus iudicabitur quod ad particulare uniuscuiusque vel ad universale bonum *multum conveniet*, fieri poterit. Et loco timoris offensae succedat amor et desiderium omnis perfectionis, et ut maior gloria et laus Christi Creatoris ac Domini nostri consequatur ». Initio capitis Sanctus Pater aliam dederat rationem cur nolit Constitutiones ad peccatum obligare: quae etiam suo modo valet pro praecepto particulari: « Cum optet Societas.... suos omnes securos esse, vel certe adiuvari, ne in laqueum ullius peccati, quod ex vi Constitutionum huiusmodi aut ordinationum proveniat, incidant... ».

24. De appellatione a praeceptis aut correctione Superiorum. — Nihil addendum est eis quae n. 14 dicta sunt, nisi quod praeter generales Iuris dispositiones, pluries a Rom. Pontificibus expressa Nostris facta est prohibitio appellandi [a] (Comp. Privil., nn. 52, 53, 54).

Inter Censuras et Praecepta, c. iv, decernitur excommunicatio Sedi Apostolicae reservata (ex privilegiorum communicatione cum Cisterciensibus) contra « Appellantes a reformationibus Patris Generalis aut Visitatorum ab ipso delegatorum, nisi in generali Congregatione, aut in casu denegatae iustitiae, aut pro notoria iniustitia » [b].

---

24. (a) Primo, invenitur in C. *Licet debitum* (1549) Pauli III: « Quod a correctione regulae Societatis.... appellari aut talis appellatio per ullum iudicem admitti non possit ». Deinde, in Br. *Plura inter* Leonis XII (1826): « Decernimus insuper ut ab animadversione e Societatis legum praescripto irrogata nefas sit extra Societatem appellare ».

(b) Permittitur appellatio in generali Congregatione, quia ipsa suprema auctoritate gaudet intra ipsum Ordinem. Non dicitur appellatio ad Congregationem futuram, sed in Congregatione coadunata. — Per alia verba « aut in casu denegatae iustitiae aut pro notoria iniuria » agnoscitur doctrina tradita n. 14.

Praeterea prohibitum fuit in virtute S. Obedientiae (tamquam aliquid obedientiae contrarium) procurare intercessiones externorum, quae liberam Superioribus gubernationem non relinquant. Transgressio huius praecepti est casus reservatus. Censurae et Praecepta, c. v. — Cf. Congr. vii, d. 20.

25. Alia vota religiosa. — Praeter tria vota substantialia, professi quartum votum solemne obedientiae Summo Pontifici circa missiones et insuper quinque vota simplicia emittunt. Scholastici, et omnes qui tria vota simplicia post biennium pronuntiant, quartum votum addunt, nempe ingrediendi Societatem. Quae vota sunt nunc declaranda.

1. **De quarto voto solemni professorum.** (a)

Materia huius voti pluribus locis Instituti determinatur. Exam., c. i, n. 5: « Professa Societas, praeter tria vota dicta, votum facit expressum Summo Pontifici,... nimirum ad proficiscendum sine excusatione, non petito viatico, quocumque gentium eius Sanctitas iusserit, inter fideles vel infideles, ad res quae ad divinum cultum et religionis bonum spectant ». — P. vi, c. 2, *litt.* I: Proficisci debent « pedites vel equites, cum pecuniis vel sine illis »; et n. 13: « Quando S. Pontifex vel Superior eiusmodi professos vel coadiutores ad laborandum in vineam Domini mittat, nullum viaticum petere possint, sed se liberaliter repraesentent ut mittantur prout illis ad maiorem Dei gloriam fore videbitur ». Idem repetitur P. vii, c. 1, n. 3. — Formula voti est: « Insuper promitto specialem obedientiam Summo Pontifici circa missiones, prout in eiusdem (Societatis) Litteris et Constitutionibus continetur ». Ita Const., P. v, c. 3, n. 3. Ibidem *litt.* C fit haec declaratio: « Tota intentio quarti huius voti obediendi Summo Pontifici fuit et est circa missiones,... in omnibus quae iusserit Summus Pontifex et quocumque miserit »; et P. vii, c. i, n. 1: « Eo fertur intentio voti illius..., ut quocumque gentium, ad maiorem Dei gloriam et animarum auxilium, inter fideles vel infideles nos mittendos censuerit, nos conferamus. Nec intellexit Societas particularem aliquem locum, sed ut per orbem in diversas regiones et loca spargeretur ». — In duabus Formulis Instituti, hoc quartum votum valde explicite declaratur: « Summopere conducere iudicavimus singulos nos.... speciali

25. (a) Vide Suarez, tr. x, l. vi, c. 4.

voto adstringi, ita ut quidquid modernus et alii Romani Pontifices pro tempore existentes iusserint, ad profectum animarum et fidei propagationem pertinens, et ad quascumque provincias nos mittere voluerint, sine ulla tergiversatione aut excusatione, illico, quantum in nobis fuerit, exsequi teneamur; sive miserint nos ad Turcas, sive ad quoscumque alios infideles etiam in partibus, quas Indiam vocant, existentes, sive ad quoscumque haereticos seu schismaticos, seu ad quosvis fideles » (Constit. *Regimini*, 1540, PAULI III). Eadem ad verbum repetuntur in secunda formula IULII III. — Ex his omnibus habentur sequentia:

1° Materia huius voti complectitur omnes missiones summi Pontificis. Nomine autem missionum veniunt non solum missiones exterae, sed missiones ad quemcumque locum, apud fideles vel infideles ; non tantum ad praedicandum aut sacramenta ministranda, sed ad quaecumque, in quibus Societatis ministerio Summus Pontifex Nostris uti volet, ad animarum salutem et Dei gloriam.

Circumstantiae aliquae determinantur: nimirum, ut proficiscantur etiam sine viatico nec ipsum petendo; ut nullam tergiversationem vel excusationem opponant [b]: attamen non excluditur aliqua rationabilis expositio difficultatis, dummodo voluntas remaneat firma in proposito obediendi (P. VII, c. 1, *litt.* E; SUAREZ, tr. X, l. VI, c. 4, n. 11).

2° Differt hoc votum a voto generali obedientiae: primo, quia immediate fit Summo Pontifici, et ex hac circumstantia habetur obligatio maior, propter maiorem reverentiam et fidelitatem, quae summo Pontifici debetur [c]; secundo, quia est speciale circa missiones; tertio, ex circumstantiis: nam profi-

---

(b) Hae circumstantiae, in CONST., P. VI, c. 2, n. 13, etiam a coadiutoribus exiguntur, si ipsi in missiones mittantur. Nihilominus est differentia inter eos et professos. Pro professis enim hae circumstantiae sub eorum quarto voto cadere videntur, ut ex *duabus Formulis* habetur; pro coadiutoribus autem, cum eae circumstantiae non cadant sub voto generali obedientiae adest simplex obligatio Constitutionum. Nihilominus, si Superiores Societatis aut R. P. eis sub gravi praeciperent ire sine viatico, obedire tenerentur : quamvis enim sit heroicum, non est supra regulam ; contra explicite in ea continetur.

(c) Haec obligatio non est maior extensive, ait SUAREZ, l. c., n. 29, sed intensive. — GREG. XIII ait professos hoc votum facere « ob *maiorem* Sedi Apostolicae obedientiam ».

cisci debent non petito viatico, sine excusatione, et hae circumstantiae, quae sub voto communi obedientiae non cadunt, cadunt sub hoc quarto voto. SUAREZ tamen (l. c., n. 32) hanc differentiam ut probabilem tantum affert [d].

3° Hoc votum est solemne. EXAM., c. I, n. 8: « In primis aliqui admittuntur, ut professionem in Societate, *quatuor solemnibus votis*, ut dictum est, emissis, faciant ». Et GREG. XIII, Const. *Ascendente* (1584): « Qui vero quatuor votorum professi futuri sunt, ii tribus illis solemnibus substantialibus votis quartum *similiter solemne* addunt speciale, summo Pontifici obedientiae circa missiones praestandae, ob.... maiorem ipsorum mittendorum Sedi Apostolicae obedientiam ».

Nota. Ex CONST., P. VII, c. 1, n. 8, hoc Societatis professae votum novo Pontifici, intra annum ab eius creatione et coronatione, debet a Praeposito Generali declarari.

26. Vota simplicia professorum.

Haec vota specialiter approbantur a GREGORIO XIII, C. *Ascendente* (1584): « Post emissam vero professionem sive quatuor sive trium votorum, professi, ad paupertatis.... perfectionem tuendam omnemque ambitionis occasionem excludendam, nonnulla alia simplicia vota emittunt ».

Ex declaratione Gregorii haec vota sunt simplicia. Quinque numerantur: primum paupertatem, quatuor alia acceptationem dignitatum tum intra tum extra Societatem respiciunt. Formula horum votorum confecta fuit a CONGR. I, et invenitur post decr. 102 huius Congregationis (vide decretum).

1. *Votum de non relaxanda paupertate.* — De hoc voto tractatum fuit c. IX, n. 30. — Eius dispensatio S. Sedi reservatur [a].

(d) EPITOME INSTITUTI (P. III, n. 28) habet veluti circumstantiam ad votum pertinentem, ut neque directe neque indirecte, per se vel per alium, singuli professi possint curare quidquam cum R. P. ut mittantur potius in hanc partem quam in aliam. Ratio est, ait, quia iuxta formulam professionis fit hoc votum prout in Litteris Apostolicis et in Constitutionibus continetur: porro in Const., P. VII, c. 1, n. 2, et in duabus formulis Instituti providetur ne quis tractet cum R. P. de propria missione. — Verum haec circumstantia non videtur ad votum pertinere. Votum enim est de obedientia R. P. circa missiones; porro nil detrahitur obedientiae Pontifici promissae per talem tractationem cum ipso. — SUAREZ nihil habet de hac circumstantia, quamvis hoc votum late explicet.

26. (a) Const. *Ex incumbenti* PAULI V (1618), et Const. *Vota* URBANI VIII (1632).

II. *Secundo voto simplici* professus promittit se « nunquam acturum vel praetensurum, ne indirecte quidem, ut in aliquam praelationem vel dignitatem in Societate eligatur vel promoveatur » (*Formula votorum,* et CONST., P. X, n. 6) (b). Aliqua verba huius voti indigent explicatione.

1. Quid sit praelatio? quid dignitas? — Praelatio iurisdictionem externam in subditos cum praeeminentia dicit. Quaenam in genere sit differentia inter praelationem et dignitatem, non accurate in Iure definitur. CONGR. VII, decr. 44, declaravit voces praelationem et dignitatem in Societate idem significare. — Praelati in Societate sunt Generalis, Provinciales, Superiores locales qui immediate a Provinciali dependeant; item Vicarius generalis Societatis, Visitatores, ac Vice-Provinciales, Vice-Rectores. Vice-Praepositi, qui demortuo Provinciali, Rectori, Praeposito succedant: hi omnes enim habent in subditos iurisdictionem cum praeeminentia. An etiam Vice-Provinciales, Vice-Rectores, Vice-Praepositi, qui locum tenent absentis, minus clarum est (c). — CONGR. VII, d. 44, declaravit munus Assistentis non esse praelationem aut dignitatem: ergo qui ambiret hoc munus non peccaret contra secundum votum; quamvis, si ageret ut eligeretur, excommunicationem ipso facto incurreret et denuntiari deberet (FORMULA CONGR. GENER., n. 82; CENSURAE ET PRAECEPTA, c. I, n. 5).

2. Dicitur « eligatur vel promoveatur »: nempe votum violaret qui ageret ut *eligeretur* in Generalem, aut a Generali vel Provinciali *promoveretur* ad munus Provincialis, Rectoris, aut ad quamcumque aliam praelationem in Societate.

3. « Acturum vel praetensurum »: hae voces synonimae videntur. Si aliqua est differentia inter eas, « praetensio » versatur circa ipsam praelationem: sunt actus externi internam praelationis desiderium et voluntatem exhibentes: « actio » versatur circa media ad finem consequendum adhibita.

4. « Ne indirecte quidem »: quod locum haberet, v. g., si quis Superioris benevolentiam captaret vel curaret aliquem non eligi aut non promoveri, eo fine ut ipse eligeretur aut promoveretur. Actus mere interni non comprehenduntur voto, v. g., desiderium, nec, ait SUAREZ (tr. X, l. VI, c. 7, n. 19), hi

---

(b) Vide SUAREZ, tr. X, l. VI, c. 7; — BESSON, n. 181.

(c) Vide praefationem Compendii Privilegiorum, n. 3, collato Compendio, n. 452. — SUAREZ, l. c., n. 13, ait per praelationem significari munus Superioris habens ratione sui iurisdictionem propriam et spiritualem in subditos, sive ordinariam,... sive delegatam, ut commissarii, visitatoris.

actus externi qui movent Superiorem aut electores non effective, sed obiective tantum, v. g., si quis excellere intenderet in scientia, in regulari disciplina, ut Superior aut electores his qualitatibus inducti eum eligerent aut promoverent.

III. *Tertio voto*, professus promittit se « nunquam curaturum praetensurumve praelationem aliquam vel dignitatem extra Societatem, nec consensurum in sui electionem, nisi coactum obedientia eius qui praecipere potest sub poena peccati » (*Formula votorum*, et CONST., P. X, n. 6).

Hoc votum non admittendi dignitates extra Societatem approbavit GREGORIUS XIII, C. *Ascendente* (1584). In ea Constitutione Pontifex memorat primo praecipuas Instituti praescriptiones et inter eas, quod professi « nonnulla alia vota simplicia emittunt,... quibus promittunt se.... nec extra Societatem in sui electionem, quantum in eis fuerit, consensuros, nisi coactos obedientia eius, qui id ipsis possit sub poena peccati praecipere » ; deinde « ex certa scientia, motu proprio et de Apostolicae potestatis plenitudine, laudabile Societatis institutum et quae illud concernunt praemissa omnia et singula approbat et confirmat ». Simili modo PAULUS V, C. *Ex incumbenti* (1618), agnoscens « votum huiusmodi laudabilibus Societatis institutis esse conveniens », eius dispensationem Romano Pontifici reservat. — Duplex huius voti ratio datur: prima, ut removeatur e Societate ambitio; altera, ne Societas hominibus sibi ad suum scopum magis utilibus privetur.

Quaedam circa hoc votum notanda sunt.

1. CONGR. VII, d. 44, declaravit « dignitates ac praelaturas extra Societatem, ut inter se distinguuntur accipiendas esse, professorumque voto tam dignitates quam praelaturas caveri ». Praelationis munere videntur intelligi, ait LUGO (*Resp. mor.* l. IV, *dub.* 36, nn. 2 et 3), munera omnia quae secum afferunt iurisdictionem spiritualem et ecclesiasticam in foro externo, ut explicant SUAREZ, tr. X, l. VI, c. 7, n. 13, et CASTRO PALAO. — Praelationem vel dignitatem habent Cardinales, Episcopi, Vicarii et Praefecti Apostolici, Abbates nullius, etiam Vicarii generales Episcoporum (d).

2. URBANUS VIII, C. *Vota* (1632), declaravit hoc voto comprehendi « nedum praelationes seu dignitates ecclesiasticas extra

(d) Vicarii generales enim habent iurisdictionem in forum externum. Ita CASTRO PALAO apud Lugo, l. c., qui, n. 3, eum probat.

Societatem existentes, sed multo magis saeculares quascumque ac quaecumque officia, quorum officiales iurisdictionem ecclesiasticam vel laicalem, de iure, usu vel consuetudine habent seu quomodolibet extra Societatem exercent ».

3. Idem Pontifex dispensationem huius voti Romano Pontifici reservavit, uti prius fecerat PAULUS V, Const. *Ex incumbenti* (1618). Praeterea, C. *Honorum* (1643), declaravit « hoc votum obligare dimissos et translatos ad alias Religiones », et insuper solum Rom. Pont. « posse obligare ad dignitatem aut praelationem acceptandam, non autem Praepositum Generalem » (e).

4. Qui iam Praelati facti sunt extra Societatem non videntur amplius hoc voto teneri, et ideo ad aliam dignitatem praetendere possent absque voti violatione. Ratio est, quia iam cessarunt fines praecipui propter quos hoc votum inductum est (vide SUAREZ, tr. X, l. VI, c. 9, n. 13); nec ad aliam dignitatem admittendam indigent licentia Generalis, quia iam non sunt amplius sub eius obedientia.

5. Reliqui de Societate, qui non sunt professi, hoc voto non tenentur: nihilominus nequeunt praelaturam acceptare extra Societatem, nisi cum consensu sui Superioris: est de Iure communi ex c. *Si religiosus*, 27, *De electione*, I, 6, *in Sexto*, ubi acceptatio dignitatis sine licentia Superioris declaratur nulla.

6. In Societate solus Generalis hanc facultatem dare potest: eam autem dare non debet (ex CONST., P. IX, c. 3, n. 13) nisi a Pontifice compellatur. Attamen in CONST., P. X, *litt.* A, dicitur Episcopatum in Aethiopia vel locis similibus, ubi multum referre ad Dei gloriam iudicaretur, admitti posse. — Ipse Generalis, si praelaturam extra Societatem acceptaret, Papa non cogente, votum violaret, et acceptatio esset nulla, ex dicto Iuris capite: quia ipse acceptare nequit nisi ex consensu Societatis, quae est ipsi Superior, et Societas consensum denegare debet ubi non intervenit praeceptum Summi Pontificis. CONST., P. IX, c. 4, n. 5; et c. 5, n. 6, ac *litt.* E.

Hanc Constitutionum dispositionem in specifica forma approbavit PAULUS III, Const. *Licet debitum* (1549), his verbis: « Volumus, statuimus et ordinamus, quod Praepositus absque Societatis, et aliquis ex sociis huiusmodi absque dicti Praepositi Generalis consensu, electioni seu provisioni de illius

(e) Videri potest LUGO, *Resp. moralia*, l. III, *dub.* 4 et 5.

persona in Episcopum, Archiepiscopum, aut aliam quamcumque dignitatem... consentire, aut ad illam admitti... nullatenus possit ». His Constitutionum et Bullae Pauli III locis determinatur quisnam sit Superior qui tum Praeposito Generali tum aliis de Societate licentiam dare debet; sine qua acceptatio de iure communi est nulla (vide c. VII, n. 26).

IV. *Quarto voto simplici* professus se obligat ad denuntiandum Societati vel eius Praeposito eos qui praelationem vel dignitatem, tum intra tum extra Societatem, ambierint, aut oblatam acceptaverint (f).

De hoc voto notanda sunt sequentia:

1. Congr. IX, d. 13, declaravit « votum professorum denuntiandi eos qui ambiunt, obligare ad denuntiandum etiam non professos ambientes ».

2. Quaenam esse debet haec denuntiatio, paterna an iudicialis? — Suarez (qui hanc quaestionem longe tractat, l. VI, c. 10) dicit obligationem adesse ea uti denuntiatione quae necessaria erit ad ambitionis effectum praecavendum (l. c., n. 9); unde ad denuntiandum non esse necessarium ut denuntians probationem facere possit, nam hoc non requirit denuntiatio paterna (21): denuntiationem esse faciendam etiam quando ambitio cognoscitur sub secreto naturali (n. 26), quia bonum commune praeferendum est bono particulari: non autem quando cognoscitur ex secreto commisso consultationis causa (n. 30); tandem tunc tantum adesse obligationem denuntiandi ambitionem, quando non est omnino praeterita: nam si est omnino praeterita et nullus effectus iam esset pertimescendus, deest penitus causa denuntiandi (n. 14). Unde, infert, si facta correctione fraterna iam removetur omnis metus, non adest obligatio (n. 33). Sed de hac illatione dubitari licet: nam non videntur deesse rationes ut etiam tunc prudentiae Superioris totius rei iudicium relinquatur, tum ut removeatur omne scandalum, tum ut futuro provideatur.

3. Quaenam cognitio ambitionis requiritur ut adsit obligatio denuntiandi? — Videtur requiri certitudo moralis: hic est enim sensus vocis *sciam*, quae in voto adhibetur: « Si quem

---

(f) Ex Const., P. X, n. 6, et ex *Formula votorum*, ut fuerat determinata decreto 102 Congregationis I, obligatio huius voti erat tantum denuntiandi ambientes praelationem in Societate; sed Congr. III, d. 46, votum extendit ad denuntiandum etiam ambientes praelationes et dignitates extra Societatem.

sciam aliquid praedictorum duorum curare aut praetendere ». (Ita Suarez, n. 11). Ergo antequam aliquis habeat certitudinem moralem, poterit paterne denuntiare, non tenebitur vi voti.

v. *Quintum votum* est, si quis professus in Praesidem alicuius Ecclesiae promoveretur, quod nunquam consilium Praepositi Generalis audire detrectet, et consiliis huiusmodi sit pariturus, si ea esse meliora quam ea quae ipsi in mentem venerint iudicaverit (g). Ergo duplex est obligatio huius voti: prima, audire consilia Generalis; secunda, conditione verificata ea sequi.

Hoc votum non fit, quemadmodum patet, ut ad Episcopatum promotus sub obedientia Praep. Generalis permaneat, a qua factus Episcopus absolvitur; et hoc clare dicitur in Const., P. x, n. 6: « Non quod habeat qui Praelatus est aliquem de Societate Superioris loco » (h).

Haec quinque vota simplicia emittunt non solum professi quatuor votorum, sed etiam professi trium votorum (Congr. iv, d. 54). Et satis indicatur in Const., P. x, n. 6, ubi dicitur quod haec vota debent facere *omnes professi*. Omne dubium, si erat, tulit Greg. xiii, C. *Ascendente* (1584) (i). — Violatio cuiuslibet ex his quinque votis est casus reservatus (Congreg. v, d. 57).

Nota. Promissio circa educationem puerorum, quae invenitur in formulis tum professionis tum votorum Coadiutorum spiritualium, non est votum, et « non inducit aliam obligatio-

---

(g) Ita in *Formula votorum* post professionem, et in Const. P. x, n. 6. — Cf. Suarez, tr. x, l. vi, c. 9.

(h) S. Congr. de prop. Fide, d. 12 *aug.* 1851, decretum tulerat a S. Pontifice approbatum, quo statuebatur ut, quoties presbyter Societatis ad Vicariatum apostolicum regendum constitueretur, eo ipso intelligerentur sancita sequentia: « 1° dispensatio ac solutio habeatur a regula Constitutionum Societatis sive obligatione, de non admittenda accipiendaque ulla extra Societatem praelatione seu dignitate; 2° Quatenus electus in Societate professus existat, solutum eo ipso intelligatur votum per sacerdotes professos emitti solitum, de non recusando consilio Praep. Generalis Societatis vel eius delegati in commissi sibi muneris exercitio, si quando ad alicuius Ecclesiae regimen eligantur ». — Sed *eadem S. Congregatio*, d. 23 *febr.* 1880, decrevit convenire ut expungerentur hae dispositiones (Collectanea *de prop. Fide*, nn. 418 et 420).

(i) « Post emissam vero professionem, sive quatuor sive trium votorum, professi.... nonnulla alia simplicia vota emittunt.... ».

nem, quam reliqua alia spiritualia ministeria, quae ad auxilium proximorum adhibentur,... in quibus quisque se debet occupare iuxta rationem obedientiae suorum Superiorum ». (Ita CONST., P. V, c. 3, *litt.* B).

27. Quartum votum Scholasticorum[a]. — In votis post biennium, simul cum tribus votis substantialibus Religionis, fit promissio ingrediendi Societatem. CONST., P. V, c. 4, n. 4.

Circa hoc votum, aliqua animadvertantur.

1. Materia huius promissionis declaratur dicto Constit. loco, *litt.* E: « Promissio ingrediendi Societatem est de votis professorum solemnibus vel Coadiutorum formatorum, prout Praeposito ad maius Dei obsequium fore videbitur, emittendis ». Eodem modo explicat hanc promissionem GREG. XIII, C. *Ascendente* (1584): « Secundum illas (Constitutiones) promittunt se eamdem Societatem ingressuros, hoc est, ulteriorem aliquem illius gradum (acceptaturos), prout Praeposito Generali videbitur ».

2. Haec promissio, ex *declaratione* CONGR. V, d. 5, « vere et proprie est votum peculiare a tribus aliis distinctum, quo quis se obligat ad acceptandum gradum Professorum vel Coadiutorum formatorum, prout Praeposito ad maius Dei obsequium fore videbitur ». Hoc decretum confirmatum fuit a CONGR. VII, d. 32, et ab eadem, d. 39, extensum ad Coadiutores temporales.

3. Posito hoc voto, ut scholasticus teneatur sub gravi acceptare gradum ad quem vocatur, non est necesse ut addatur obedientiae praeceptum, ait SUAREZ, tr. X, l. IV, c. 17, n. 13: sufficit enim ut cognoscat firmam Superioris voluntatem; sc., obligatio non ex praecepto Superioris immediate venit, sed ex voto acceptandi gradum, supposita tamen in Superiore firma voluntate.

4. SUAREZ (l. c., n. 12) ait votum non exhauriri prima gradus acceptatione, sed si ille qui ad vota Coadiutoris fuit vocatus eaque emisit, deinde ad professionem vocetur, teneri vi huius voti eam acceptare.

5. Quaerit etiam, an vi huius voti scholasticus destinari posset ad gradum Coadiutoris temporalis formati. Rem dubiam habet. Nam si non fuit admissus ut indifferens, sed ut scholasticus, iam videtur Societas eum ad gradum Coadiuto-

---

27. (a) De hoc voto videri potest SUAREZ, tr. X, l. IV, c. 17.

rum temporalium non posse invitum destinare: adfuit enim quasi contractus: candidatus sese praesentavit et acceptatus fuit ut clericus fieret. Censet tamen SUAREZIUS in rigore speculativo hoc posse fieri, quamvis res non sit ad praxim deducenda.

CAPUT XI.

DE OBLIGATIONIBUS EX LEGIBUS ECCLESIAE CIRCA VITAM RELIGIOSAM

Sectio I. — 1. Ecclesiae leges circa honestatem vitae religiosae. — 2. De habitus religiosi gestatione. — 3. De Regularibus qui proprium habitum non habent. — 4. Clausura. Loca intra clausuram comprehensa. — 5. Prohibitio admittendi feminas intra clausuram. — 6. Prohibitio exeundi e domo absque licentia Praelati. — 7. Accessus ad monasteria monialium. — 8. Chorus. — 9. Negotia saecularia religiosis interdicta. — 10. Negotiatio. — 11. Artes, professiones et officia religiosis interdicta: Medicina et Chirurgia; officia advocati aut procuratoris in iudicio, notarii, procuratoris aut administratoris laicorum, curatoris aut tutoris, executoris testamentorum; officia civilia aut politica; munus patrini. — 12. Statuta de Universitatibus frequentandis. — 13. De aliquibus inhonestis quae clericis et Regularibus iure prohibentur. — 14. Decreta de largitione munerum. — 15. Decreta de causis Sancto Officio reservatis. — 16. Decreta de stipendiis missarum. — 17. Decreta generalia Clementis VIII, ab Urbano VIII confirmata, circa disciplinam regularem. — 18. De extensione horum decretorum, maxime decreti « Nullus ».— 19. Decreta Pii IX de litteris testimonialibus a candidatis exigendis, atque de scrutiniis ante admissionem ad habitum et ad professionem. — 20. De librorum approbatione pro Regularibus. — 21. Recentia documenta contra Modernismum.

Sectio II. — 22. Societatis habitus. — 23. Clausura ex Constitutionibus — 24. De Choro in Societate. — 25. Negotia saecularia Nostris ex Constitutionibus prohibita. — 26. Negotiatio et ea quae speciem negotiationis habent. — 27. Privilegia circa facultatem medendi. — 28. An Societas eximatur a decreto « Nullus » aliisque decretis generalibus Clementis VIII?

SECTIO I.

1. Ecclesiae leges circa honestatem vitae religiosae. — Praeter obligationes Regularium proprias ex fine status religiosi vel ex professione religiosa vel ex votis Religionis ortas, aliae sunt obligationes positivis Ecclesiae legibus ipsis impositae, ad honestatem vitae religiosae servandam. Subiacent praeterea legibus quae in Iure circa vitam et honestatem Clericorum latae inveniuntur (WERNZ, t. II, n. 174, II), nempe in

DECRETALIBUS, l. III, tit. I, *De vita et honestate clericorum;* tit. 50, *Ne clerici vel monachi saecularibus negotiationibus sese immisceant;* l. V, t. 24, *De clerico venatore;* in TRIDENTINO, in pluribus capitibus de Reformatione.

Aliquae ex his Ecclesiae legibus sunt Regularibus propriae, aliae sunt ipsis cum clericis saecularibus communes. De obligationibus quae Regularibus ex legibus utriusque generis promanant, in hoc capite dicetur.

2. De habitus religiosi gestatione [a]. — Distinguendum est inter Religiones quae proprium habitum habent ex regula, et alias quae proprium non habent sed veste clericali communi utuntur.

Regulares professi, in Religionibus quae habitum proprium habent, habitum suae Religionis sub gravi deferre tenentur, imo sub poena excommunicationis latae sententiae nemini reservatae. Ita ex c. *Ut periculosa*, 2, *Ne clerici,* III, 24, in 6° [b]. Excommunicatio haec, post C. *Apostolicae Sedis,* ex communi sententia remanet (WERNZ, t. III, n. 657; PIAT, t. I, p. 303, q. 5), aliquibus contradicentibus (apud PIAT, l. c.). Praeterea TRIDENT., *sess.* XXV, c. 19, ubi de Regulari suam Religionem deserere volente agit, prohibet ne habitum sponte dimittat et priusquam iudicium de ipsius causa fuerit pronuntiatum egrediatur. « Quod si antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcumque causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, et tamquam apostata puniatur.... Nec detur licentia cuiquam Regulari occulte ferendi habitum suae Religionis ».

Ex ultimis verbis Tridentini liquet quod *habitus palam deferri debet.* Hoc etiam ex scopo legis sequitur, qui est « subtrahere periculosam materiam evagandi ». Ita FERRARIS, v. *Habitus,* nn. 10 et 15; PIAT, I, p. 303, q. 7, qui ait ex sententia communi excommunicationem incurri ab occultante, non minus quam a dimittente habitum. Contradicit SUAREZ, l. c., n. 12:

---

2. (a) Vide PIAT, t. I, p. 300 sq.; SUAREZ, tr. VIII, l. I, c. 5; WERNZ, n. 657.

(b) « Ut periculosa religiosis evagandi materia subtrahatur, districtius inhibemus, ne caetero aliquis quamcumque Religionem tacite vel expresse professus in scholis vel alibi temere habitum suae Religionis dimittat... Si quis autem horum temerarius violator extiterit, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto ».

ipse non censet esse mortale, nisi ex fine pravo habitus occultetur.

Aliqua *notanda* sunt.

a) His Iuris sanctionibus subiacent tantum Regulares proprie dicti, non alumni Congregationum et Institutorum votorum simplicium, etiamsi habitum proprium habeant: quia lex pro Regularibus lata est, et leges poenales sunt strictae interpretationis.

b) Eis non subiacent nisi professi; non ergo novitii, nec probabiliter simpliciter professi in Religionibus stricte dictis. Dubium est enim an simpliciter professi sint stricte Regulares (vide c. I, n. 13). Ita PIAT, t. I, p. 303, q. 6.

An autem hi religiosi non solemniter professi, tum in Religionibus stricte dictis tum in Congregationibus votorum simplicium, quamvis excommunicationem non incurrant, graviter peccent habitum temere deserendo, necne? — Videtur probabilius affirmandum, quia lex de gestatione habitus religiosi est de se gravis, non est odiosa, sed potius Religionibus favorabilis: ergo ad eos est extendenda (c). Attamen cum lex non respiciat nisi Regulares proprie dictos, res dubia remanet.

c) Quoniam in dimissione habitus videtur admittenda parvitas materiae, quaeritur quandonam Regularis gravem culpam admittat et excommunicationi subiaceat? — R. 1° quando deponit habitum animo apostatandi et e monasterio egreditur (vide c. VII, n. 22, 1°). — 2° Quando habitum deponit ut libere extra monasterium *diutius* vagetur: ita expresse ex dicto cap. *Ut periculosa*, in quo diuturna habitus dimissio supponitur. — 3° Si tantum ad breve tempus deponit, quantum tempus requiratur ut peccatum sit grave et excommunicationem incurrat, difficile est definire: alii requirunt ut per totam diem habitum dimiserit, alii dicunt sufficere duas aut tres horas, alii ultra unam horam (PIAT, p. 306, q. 12, et p. 302, *nota* 5). Videtur haec temporis diuturnitas a variis circumstantiis pendere: an fiat ex ioco, ex levitate, aut ex prava intentione, v. g., si praecise fiat ad liberius vagandum (contra scopum legis), aut ex aliqua ratione, v. g., ad iter commodius faciendum. — 4° Si quis habitum deponit intra ipsum monasterium, diversae sunt sententiae (apud PIAT, p. 305, q. 10); sed probabilius negatur adesse culpam gravem, quia tunc, ut patet,

(c) Vide SUAREZ, l. c., nn. 5 et 6.

non fit ad vagandum, nec ut decipiat alios saecularisque habeatur (vide SUAREZ, l. c. nn. 9 et 10).

d) Ex rationabili et gravi causa habitus dimitti potest. Ita tum ex natura rei, tum ex ipsis verbis legis, quae tantum prohibet ne *temere* habitus deponatur, et solum *temerarium eius legis violatorem* excommunicatione pletit[d]. Requiritur causa gravis, quia lex ipsa gravis est, siquidem lata sub excommunicationis poena.

e) Superiores religiosi in hac lege non possunt dispensare dispensatione proprie dicta: hoc enim ipsis vetatur a Tridentino, l. c.: « Nec detur licentia cuiquam Regulari occulte ferendi habitum suae Religionis »: a fortiori illud dimittendi (WERNZ, n. 657; PIAT, p. 308, q. 15). Possunt tamen Superiores declarare legem in tali casu non obligare. Quaevis causa rationabilis et gravis, iudicio Superioris probanda, excusat ab illa lege.

f) In aliquibus Religionibus habitus nec nocte ad dormiendum deponitur. Sed ea est lex peculiaris, non communis, ait PRÜMMER, q. 128. Aliud est igitur habitum dimittere, aliud se habitu spoliare ad dormiendum, ad lavandum (PIAT, p. 301, q. 2; SUAREZ, l. c., n. 3).

g) Episcopi et Cardinales Regulares tenentur deferre habitum suae Religionis. Ita BENED. XIII, C. *Custodes* (1725), renovans anteriora decreta, et BENEDICTUS XIV, C. *Biennium* (1745)[e] (cf. c. VII, n. 7).

h) Electi contra privantur habitu suae Religionis et ipsis vetitum est eum deferre. Ita ex d. *Sacra Congregatio* URBANI VIII (1624), n. 7: « Sic vero electi, quamdiu non redierint ad Religionem, in habitu clericali incedant ». Cf. FERRARIS, v. *Habitus*, n. 29. — Saecularizati etiam habitum suae Religionis deponere debent. In indultis saecularizationis, sive perpetuae sive temporalis, semper apponitur clausula « habitu religioso dimisso »; ordinarie tamen cum conditione ut « intrinsecus eiusdem aliquod signum retineant ». Quare indulto saecularizationis attendant (c. VII, n. 9, 4°).

3. Regulares qui habitum proprium suae Religionis non habent, vi iuris Canonici non tenentur ad ullum habitum, si

---

(d) Vide COLLECTANEA DE PROP. FIDE, nn. 279, 318, 326.

(e) « Quod autem monachi atque ii qui Fratres appellantur, etiam cum ad Episcopatum evecti sunt, propriae Religionis habitum palam deferre teneantur, id extra controversiam omnino est » (C. *Biennium*).

non sint clerici, sed stare debent regulis et consuetudinibus proprii Ordinis. Si sint clerici, tenentur legibus Ecclesiae, quae clericis habitum specialem imponunt (Wernz, t. III, n. 657 et t. II, n. 174, II. — Suarez, l. c., n. 2).

Ecclesia autem circa vestem clericorum praecipit ut clerici in sacris constituti aut beneficia habentes vestem clericalem deferant[a]. Haec lex est per se gravis: quod probatur tum ex natura rei, tum gravibus poenis quibus puniri possunt violatores legis. — An clerici alii teneantur deferre vestem clericalem, variae sunt sententiae. S. Lig. (l. VI, n. 825) ait ex sententia communiori non teneri. — Quoad formam vestis clericalis, Sixtus V, C. *Sacrosanctam* (1589), praecepit ut clerici uterentur veste talari. « Haec ordinatio, ait Wernz (t. II, n. 177, III), consuetudine probata hanc accepit interpretationem, ut vestis talaris saltem in functionibus sacris et publicis requireretur, at extra illas functiones, domi vel in deambulationibus et itineribus, vestis quaedam brevior pro diversitate regionum usitata permitteretur ».

Ergo Regulares qui proprium habitum non habent, si sunt clerici in maioribus constituti, ex Iure communi vestem clericalem, sicut caeteri clerici, deferre debent; et haec obligatio per se est gravis. Attamen violatores huius legis excommunicationem latae sententiae, qua feriuntur Regulares habitum Religionis suae haud deferentes, non incurrunt, ut est sententia communior, contra aliquos (Piat, I, p. 302, q. 4, *nota* 11): quia caput *Ut periculosa* (quo fertur excommunicatio) probabilius solas Religiones, in quibus propria vestis habetur, comprehendit.

Hic etiam locum habent ea quae num. praec. de gravitate

---

3. (a) Leges Ecclesiae circa vestem clericalem sunt: 1° C. *Quoniam qui*, 2, in Clementinis, *de vita et honestate Clericorum;* 2° Trident., *sess.* XIV, c. 6, *de reformatione,* ubi praescribitur Clericis « vestes proprio congruentes ordini semper deferre », arguuntur de temeritate et religionis contemptu qui publice vestes laicales deferant, et si fuerint in sacris aut beneficium obtinuerint, ad honestum habitum clericalem illorum ordini et dignitati congruentem ab Episcopo cogi possunt per suspensionem ab ordinibus et etiam per privationem officiorum et beneficiorum (gravitas poenae probat gravitatem obligationis); 3° Constitutiones *Sacrosanctam* Sixti V (1589) et *Apostolicae Ecclesiae* Benedicti XIII (1725), quibus renovantur statuta et sanctiones Tridentini, imo statuitur beneficiatos in habitu laicali incedentes non facere suos fructus suorum beneficiorum, et teneri sub poena lethalis culpae fructus perceptos restituere.

culpae dicta sunt et de causa a culpa excusante, si quis habitum deponit.

Episcopi regulares ex his Religionibus, quae habitum proprium non habent, « vestes induunt iis omnino similes, quibus utuntur alii Episcopi e clero saeculari assumpti ». Ita Bened. XIV, C. *Biennium* (1745). Idem dicendum est de canonicis regularibus.

4. De Clausura [a]. — Formaliter sumpta, clausura est lex Regularibus praecipiens ut habeant locum clausum, eorum habitationi et usui exclusive destinatum, a quo absque suorum Superiorum licentia egredi ipsis non liceat, et a cuius ingressu feminae penitus excludantur.

Materialiter sumpta, clausura est ille locus clausus, Regularium habitationi et usui destinatus, cuius ingressus personis extraneis non patet.

Ratione originis seu fontis unde provenit obligatio clausurae, distingui potest clausura papalis, episcopalis, ex regula, ex voto. Hic de sola clausura papali agitur. Ex Iure solos Regulares proprie dictos afficit, sed indulto peculiari aliquibus Institutis votorum simplicium concedi aut imponi potest (Wernz, t. III, *nota* 480).

Clausura duplicem obligationem Regularibus affert: 1^{am} non admittendi feminas inter septa monasterii ; 2^{am} ex septis monasterii non egrediendi absque licentia Praelati (Wernz, n. 658, III et IV).

Sed primum **de ipso loco clausurae** aliquid dicendum est.

Hic locus debet esse ita septus et clausus, ut seclusis dolo aut vi, nemo illuc accedere, nemo hinc egredi possit, nisi per ianuas habitualiter clausas atque a Regularibus ipsis caute custoditas (Wernz, l. c.).

Quaenam loca intra clausuram comprehenduntur? [b].

Resp. 1°. *In monasterio* aliquae partes certo intra clausuram versari debent: cellae, claustrum, refectorium, hortus monasterio coniunctus; aliquae certe sunt extra clausuram: eccle-

---

4. (a) Agitur hic de sola clausura pro viris religiosis. Vide Wernz, t. III, n. 658; Piat, t. I, p. 343; Ferraris, v. *Conventus*, a. 3.

(b) Wernz, III, *nota* 479; Piat, I, p. 344, q. 2 et 3; Ferraris, v. *Conventus*, art. 3, n. 9 et seq., ubi AA. et decreta citantur ex quibus ea desumpta sunt quae in textu habentur.

sia, sacristia quae liberum accessum ab ecclesia habet [c], collocutoria extraneis utriusque sexus destinata, horti monasterio non coniuncti. De aliquibus partibus dubitari potest, an ex ipsorum natura intra clausuram contineantur necne, v. g., de aliquibus atriis, hortis, sacristiis, collocutoriis pro solis viris [d]. Tunc ad Provincialem pertinet determinare, an intra aut extra clausuram sint computandae (Piat, t. I, p. 345, q. 3). Sed si intra clausuram computantur, debent claudi ut dictum est. Superveniente autem aliqua causa, Provincialis, quoad has partes, clausuram prius determinatam mutare potest (Piat, q. 4; Prümmer, q. 89). Item Provincialis est determinare in conventibus qui construuntur, quando incipiat vigere lex clausurae: prius, quamvis tres aut quatuor religiosi iam ibi habitent ut domui extruendae invigilent, lege clausurae non obligantur [e].

Resp. 2°. *In Collegiis* loca instructioni et educationi alumnorum reservata clausurae non subiacent: sed debent ab habitatione communitatis esse rite seiuncta (Wernz, *nota* 479; Piat, p. 342, q. 2).

Resp. 3°. *Hospitia* mere saecularia [f], domus privatae parochiales, grangiae, villae, domus rusticae, aliaque loca a monasterio distantia, *in quibus non habitant habitualiter plures religiosi,* clausurae non subiacent; subiacent autem hospitia regularia, et parvae domus in quibus resident et regulariter vivunt pro more aliorum conventuum duo aut tres religiosi: ita declaravit S. Congr. de Prop. Fide, d. 26 *aug.* 1780 (Collectanea, n. 480).

5. Prohibitio admittendi feminas intra clausuram, iam in Iure antiquo expressa, renovata fuit a Pio V, a Gregorio XIII,

---

(c) Cf. Piat, l. c., q. 5.

(d) Prümmer, q. 88, ait aliqua esse loca quasi *mixta* quoad clausuram, quae scilicet mulieribus non interdicuntur, ad quae tamen religiosi libere accedere possunt, v. g., ecclesia, sacristia, aliqua pars horti contigua, quamvis extra septa. Hoc, quoad praxim, verum videtur.

(e) Vide apud Ferraris, v. *Conventus*, art. 3, n. 8, decisionem S. C. EE. et RR., a. 1588, et in Collectaneis de P. F., n. 410, aliam huius Congr., a. 1780.

(f) Hospitia saecularia seu privata Regularium sunt domus pro itinerantibus vel infirmis erecta, in quibus vita regularis non servatur. Ecclesiam publicam habere non possunt; in eis inhabitare non debent nisi itinerantes, infirmi et eis inservientes. Cf. Comp. Privil., n. 323.

a Benedicto XIV et a Pio IX [a], sublatis quibuscumque privilegiis contrariis, etiam ad associandum SS. Sacramentum in publicis supplicationibus [b].

Duplicem exceptionem, sub quibusdam conditionibus, admittit BENED. XIV, pro feminis de familia Fundatorum vel Benefactorum insignium, et pro feminis de familia Dominorum temporalium locorum in quibus sita sunt monasteria.

Poenae in contravenientes. — PIUS IX, C. *Apostolicae Sedis* (1869), poenam excommunicationis R. P. reservatae renovavit tum contra « mulieres violantes regularium virorum clausuram », tum contra « Superiores aliosve eas admittentes ». Porro S. PIUS V, C. *Regularium personarum* (1566), excommunicationem S. Sedi reservatam tulerat contra feminas monasteria virorum ingredi audentes; Superiores autem et religiosos quoscumque, qui eas introducere aut admittere praesumerent, plectebat poenis ipso facto incurrendis suspensionis a divinis, privationis officiorum quae obtinent, et inhabilitatis ad ea et alia omnia. GREGORIUS XIII, C. *Ubi gratiae,* poenam excommu-

---

5. (a) In DECRETO, *c. pervenit*, 22, c. XVIII, q. 2; S. PIUS V, CC. *Regularium* (1566), et *Decet* (1570); GREGORIUS XIII, C. *Ubi gratiae* (1575); BENEDICTUS XIV, C. *Regularis* (1742); PIUS IX, C. *Apostolicae Sedis* (1869).

(b) BENED. XIV, dicta Const., enumerat varios abusus, quos deinde condemnat et poenis plectit. Inter hos, « alii, sub pietatis ac religionis praetextu, dum supplicationes, sive cum sanctissimo Eucharistiae Sacramento, sive cum sacris Sanctorum Sanctarumque reliquiis, statuis et imaginibus, per claustra, septa et alia monasteriorum loca de more, ut asserunt, habentur, sine ullo prorsus discrimine masculos et feminas supplicationes huiusmodi per eadem loca sequi et comitari licitum, quin imo, ut indulgentias lucrentur, necessarium esse obtendunt ».

S. PIUS V, C. *Decet* (1570), concesserat facultatem ut feminae in aliquibus circumstantiis possint monasteria ingredi ad assistendum functionibus sacris; sed GREG. XIII, C. *Ubi gratiae* (1575), has facultates revocavit. Ideo S. RIT. CONGR. variis decretis (30 *sept.* 1628, 11 *iun.* 1629, 5 *iul.* 1631, 24 *nov.* 1635, — in *Decretis authent.*, nn. 506, 564, 627) semper prohibuit ne de caetero, occasione processionum, feminae ingrederentur claustra Regularium. Tandem BENEDICTUS XIV, C. *Regularis,* rem omnino confirmavit. PENNACHIUS nihilominus (Comment. in C. *Apostolicae Sedis*, t. I, p. 799-801) defendit non fuisse revocata privilegia concessa a S. Pio V, primum cuidam Congregationi, et postea omnibus religiosis, feminas admittendi ad supplicationes S. Sacramenti, et adhuc nunc ipsis licere ad hunc finem claustra ingredi, et Superioribus Regularium eas admittere. PRÜMMER, q. 94, utramque sententiam tradit, sed primam multo probabiliorem habet; et revera interpretatio Constitutionis Benedicti XIV, quam dat Pennachius, videtur parum probabilis.

nicationis adiecit, et renovavit poenam privationis officiorum et inhabilitatis ad ea; de suspensione tacet.

Aliqua est controversia, an post C. *Apostolicae Sedis,* lata excommunicatione contra Religiosos feminas admittentes, cessaverint poenae contra eosdem latae a Pio V (Vide PIAT, p. 359, q. 15); sed omnes conveniunt suspensionem a divinis, quia est censura et non fuit renovata, cessasse. Plerique autem censent remanere poenam privationis officiorum et inhabilitatis ad ea: quia C. *Apost. Sedis* quoad poenas nihil immutavit (ita WERNZ, n. 658, IV, *nota* 487 (c); PIAT, l. c.); aliqui tamen negant, v. g., PENNACHIUS in commentario C. *Apost. Sedis,* t. I, p. 802.

6. Prohibitio ne Regulares e monasterio sine licentia sui Praelati exeant (a).

1. *Ratio huius prohibitionis* repeti debet ex obedientia et traditione in professione facta: exeundo enim sine licentia, religiosus liberae sui Praelati dispositioni se subtrahit. — Videtur insuper provenire ex lege ecclesiastica, aut saltem ex consuetudine vim legis habente; cuius legis aut consuetudinis duplex ratio est, conservatio subiectionis Superiori debitae et custodia castitatis. Duo documenta praecipue citantur, quibus haec obligatio statuta fuisset. Primum est TRIDENT., *sess.* XXV, c. 4: « Nec liceat Regularibus a suis conventibus recedere, etiam praetextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint. Qui vero sine praedicto mandato, in scriptis obtento, repertus fuerit, ab Ordinariis locorum tamquam desertor sui Instituti puniatur » (b). — Alterum est decretum *Nullus* (1599) Clementis VIII, § 19: « Nullus e conventu egredi audeat nisi ex causa et cum socio, licentia singulis vicibus impetrata ac benedictione accepta a Superiore, qui non aliter eam concedat nisi causa probata, sociumque exituro adiungat. Licentiae vero generales exeundi nulli omnino concedantur ». Et § 21: « Cum autem quis in conventum revertitur, Superiorem iterum adibit, benedictionem recepturus,

---

(c) Sed *nota* 493 paulo mitius loquitur: « Poenae vindicativae ante Pii IX C. *Apost. Sedis* vigentes non fuerunt abrogatae, *saltem* quoad moniales »; ergo quoad viros, res dubia ei remanet.

6. (a) Vide SUAREZ, tr. VIII, l. I, c. 6; PIAT, t. I, p. 344.

(b) Attamen Tridentinum de *recessu* a monasterio potius loquitur quam de simplici exitu. Recessus intelligitur per longum tempus, et qui fuga sit aut fugae assimilari possit.

qui a socio itineris rationem et quid rei actum sit diligenter perquirat » (c).

2. *Quisnam egressus absque licentia est peccatum mortale?*

Resp. 1° Egressio nocturna et furtiva, etiam praecisa mala intentione, est peccatum mortale: est enim unus ex casibus Clementinis reservatis; unde materia certo tamquam gravis habetur.

Resp. 2° Egressio ad breve tempus per diem non excedit peccatum leve, etiamsi saepius repetatur; tunc enim multiplicantur quidem venialia, sed non coalescunt in unum (Piat, p. 347, q. 7).

Resp. 3° Egressio ad longum tempus est peccatum mortale. Probatur: — *a)* Ex eo quod omnis lex ecclesiastica, nisi contrarium dicatur, obligat secundum rei naturam, ergo sub gravi, si materia gravis est. — *b)* Ex gravi poena qua infractio puniri debet, iuxta decretum *Nullus,* in quo § 20 dicitur: « Contravenientes autem poena gravi, etiam carceris, ad arbitrium Superioris plectantur ». — *c)* Ex ipsa rei natura: quia graviter opponitur obedientiae et traditioni religiosae (Suarez, l. c., nn. 6 et 8).

Quodnam autem sit longum tempus? — Aliqui AA. duos aut tres dies requirunt; alii dicunt tempus fore longum, si religiosus pernoctet extra domum, nisi ex praesumpta licentia agat. Ita Piat, I, p. 347, q. 7; et ratio est, ait, quia ex decreto Clementino reservari potest « nocturna ac furtiva egressio »: ergo habetur ab eo uti culpa mortalis, si quis egreditur sine facultate, et pernoctet extra conventum. Sed reponi potest, egressionem per diem et non secreto factam, dici non posse nocturnam ac furtivam, etiamsi protrahatur deinde per noctem.

3. *Superiores nequeunt concedere subditis suis facultatem vivendi extra claustra.* Ita decretum *Nullus*, § 32: « Degentes extra conventus claustra ad ea quamprimum revocentur; nec

---

(c) De vi huius decreti, vide infra nn. 18 et 27. — In *schemate C. Vaticani, de Clausura,* dispositiones huius decreti *Nullus* fere ad verbum, nonnullis odiosis sublatis, inseruntur (vide schema apud Vermeersch, t. II, p. 379). Quoad socium tamen dicitur: excepto quoad socium casu necessitatis, Superioris localis iudicio comprobandae. — Praeter haec duo decreta difficile est invenire aliud. Suarez, qui admittit obligationi regulae superaddi obligationem in conscientia gravem ex genere suo, legem ecclesiasticam certam indicare nequit (l. c., nn. 5 et 8).

de caetero nisi ex gravissima causa, a Sede Apostolica probanda, huiusmodi facultates concedi possint ». Iam TRID., *sess.* XXV, c. 4, providerat: « Illi qui studiorum causa ad Universitates mittuntur, in conventibus tantum habitent ».

Id solum tamen Superioribus prohibetur, ne subditis permittant domicilium habere extra claustra aut libere excurrere, non autem quominus concedant ex rationabili causa per aliquod tempus extra claustra vivere, v. g., ad praedicationem quadragesimalem, ad balnea, ad bibliothecas adeundas. Quamvis tunc curandum sit ut in locis tutis, imo religiosis quantum fieri potest, habitent [d].

4. Sine speciali Sedis Apost. indulto admitti nequeunt ad habitandum intra clausuram, neque ut hospites neque ut postulantes aut sub quovis alio praetextu, *Adolescentes* qui vigesimum aetatis annum non excesserint, iis exceptis qui ut futuri clerici, post completum annum decimum quintum, in novitios recepti fuerint. Ita ex decreto CLEMENTIS X, *Etsi decretis* (1675). Haec lex imponitur in virtute S. Obedientiae omnibus Superioribus religiosis quorumcumque Ordinum (Cf. c. II, n. 4). Societas privilegium habet (infra n. 17, 3°), vi cuius in receptione novitiorum tum scholasticorum tum coadiutorum temporalium suum morem servare potest; sed quoad reliquos iuvenes, qui admitterentur ut famuli aut quovis alio titulo, praefatis decretis tenetur. Alumni in collegiis non sunt intra claustra, et ideo hac lege non comprehenduntur.

7. De accessu ad monasteria Monialium [a]. — Severissimae sunt leges quibus Regularibus prohibetur accessus ad monasteria monialium. Notandum est tamen has leges stricte non respicere nisi moniales solemniter professas, et agi de accessu ob scopum *visitandi* moniales et cum *eis colloquendi* [b] (WERNZ, n. 658, *Scholion;* PIAT, p. 388, q. 1).

(d) P. FERRARI, p. 168, ait: « Superiores non possunt concedere subditis licentiam commorandi extra claustra ad longum tempus, puta ultra duos menses, ut nobis declaravit secretarius Congr. EE. et RR. » — PRÜMMER, q. 91, dicit apud FF. Praedicatores, Provincialem posse permittere ut aliquis per quatuor menses extra conventum degat, si gravis sit causa.

7. (a) Vide FERRARIS, v. *Moniales*, art. IV; BENED. XIV, *de Synodo*, l. IX, c. 15, n. 7; et PIAT, t. I, p. 388 sq., qui hanc quaestionem accuratissime tractat, et dat decreta in textu allata.

(b) Ponitur haec restrictio, quia in documentis in quibus prohibetur Regularibus accessus ad moniales, semper de colloquio cum ipsis fit mentio.

Accessus ad monasteria monialium Iure communi prohibetur omnibus clericis et laicis, c. *Monasterio*, 8, *De vita et honest. cler.*, III, 1; et a Bonifacio VIII, c. *Periculoso, de statu Regul.*, III, 16, in 6°, quae Constitutio Bonifacii VIII fuit innovata a C. Trid., *sess.* XXV, c. 5 *de Regul.*

Speciales autem sunt prohibitiones Regularibus factae, ne unquam accedant ad monasteria, ad visitandas moniales etiam sibi in primo gradu coniunctas, absque Ordinarii licentia.

Prodiere duo decreta S. Congr. EE. et RR., unum iussu Sixti V editum (1590), et alterum iussu Urbani VIII (1623). Per primum RR. DD. Cardinales decreverunt et mandarunt: « Nulli posthac religioso, cuiusvis Ordinis, qualitatis et dignitatis existat.... licere absque licentia expressa huius S. Congregationis, accedere ad monasteria seu domus quarumcumque Monialium seu Sororum, sive sui, sive alterius cuiusvis Ordinis, ad colloquendum sive tractandum cum eis ». Per secundum, « facultatem tribuerunt in posterum locorum Ordinariis, ut, quatenus sibi visum fuerit in D^no expedire, licentiam concedere possint, per quatuor vices ad summum quolibet anno, cuicumque Regulari ut moniales sibi in primo et secundo tantum consanguinitatis gradu coniunctas convenire et alloqui possit, id autem non aliter quam servata forma ». Forma praescripta est ut, praeter licentiam, confessarius ordinarius monasterii praesens sit cum auscultatricibus ordinariis.

S. Congr. Conc., a. 1669, decreto a Clemente IX approbato declaravit: « Regulares cuiuscumque Ordinis, Militiae, Societatis, Congregationis et Instituti, etiam de quibus specialis mentio foret habenda, qui ad monasteria monialium quamvis ab Ordinarii iurisdictione quomodolibet exempta,... absque legitima facultate accedunt, colloquendo etiam per quodcumque modicum temporis spatium cum monialibus aut aliis intra clausuram degentibus, peccare mortaliter; eosque sub excommunicationis, privationis vocis activae et passivae aliisque... poenis *posse* ab Ordinario, tamquam Sedis Apostolicae delegato, coerceri ». Et eadem Congr. Conc., *a.* 1672, declaravit. eos peccare mortaliter, etiamsi accederent ad bonum finem (c). Haec autem decreta comprehendunt etiam Abbatissam, Priorissam, aliasve officiales. Ita S. Congr. Conc., a. 1654 (apud Ferraris, l. c., n. 31). Insuper eadem S. Congr. declaravit dictis poenis affici Regulares qui, post habitam ad moniales con-

(c) Haec duo decreta inveniuntur apud Vermeersch, t. II, p. 386.

cionem, cum iisdem colloquuntur (decr. S. C. C., 1678 — FERRARIS, n. 21).

Superiores regulares et confessarii monialium non egent licentia Ordinarii ad alloquendas moniales suae curae commissas, si monasterium adeunt ad suum explendum officium : excipiuntur expresse in decretis (FERRARIS, n. 22)[d]; sed extra actum quo suo officio funguntur, decretis subiacent (Ita ALEXANDER VII, C. *Sacrosancti*, § 2).

Haec lex, ait WERNZ, l. c., sane multis in locis, potissimum extra Italiam, saltem quoad formalitates, adamussim non servatur. Et FERRARI, pag. 167 : « Hodie tamen multis in locis consuetudo invaluit apud Ordinarios concedendi huiusmodi licentiam sine tot restrictionibus; extra Italiam vero lex illa vel nunquam fuit promulgata (?) vel in desuetudinem decidit, et in ipsa Italia, extra Romam, probabilius excipitur collocutio cum Abbatissa ». PRUMMER, q. 102, approbat haec verba Ferrari, aliaque PIAT dicentis (I, p. 394, q. 5) : « Mirum non est, quod plures et quidem graves auctores doceant parentes in primo et secundo gradu nulla indigere licentia ad colloquendum cum monialibus consanguineis ».

8. De Choro[a]. — Distinguere oportet Religiones choro adstrictas, et alias non adstrictas. De solis adstrictis sermo est, ut patet.

Religiones choro adstrictae hanc obligationem habent vel ex ipsa sua institutione et regula, vel ex consuetudine, vel ex lege ecclesiastica. Haec obligatio est gravis. In Clementina *Gravi*, 1, *de celebratione Miss.*, III, 14, dicitur : « In cathedralibus, *regularibus* et collegiatis *ecclesiis*, horis debitis devote psallatur... si Dei et Apostolicae Sedis indignationem evitare voluerint ». Haec ultima verba certe obligationem gravem denotant. — Sed tria sunt distinguenda : obligatio ipsius chori habendi, obligatio personalis assistendi choro, obligatio persolvendi horas intra aut extra chorum, etiamsi quis a choro legitime absit.

1° Obligatio ipsius chori afficit communitatem, et ideo

(d) Sic SIXTUS V, post verba « cuiusve dignitatis existat » (in decreto supra allato), addit : « Superiore, cui monasterii seu domus cura incumbit, visitatore vel visitatoribus, confessario ordinario et extraordinario cum ad tempus deputabitur, dumtaxat exceptis ».

8. (a) WERNZ, t. III, n. 659. — Cf., si placet, PIAT, t. I, p. 309-343.

maxime ipsius Superiorem, qui utpote Communitatis caput tenetur invigilare ut chorus non omittatur. Omissio notabilis partis, puta horae integrae, habetur ut gravis. PIAT, t. I, p. 316, q. 6, 4°.

Obligatio communitatis cessat, si non adsint saltem quatuor idonei et expediti choristae. Ita sententia communior, ait PIAT, t. I, p. 312, sententiam probando argumento sat debili, quod tamen Wernz admittit. FERRARIS (v. *Officium divinum*, a. I, n. 45) ait tres requiri et sufficere, quia tres faciunt capitulum.

Quamvis novitii ad chorum non teneantur, attamen obligationi chori satisfit per solos novitios. Ita communiter (FERRARIS, l. c., n. 44).

2° An singuli religiosi solemniter professi ad chorum teneantur? — Controvertitur. 1ª sententia negat adesse obligationem, nisi eorum praesentia sit necessariâ ne chorus omittatur. 2ª sententia affirmat obligationem etiam extra hunc casum existere. Probatur decreto *Nullus*, CLEMENTIS VIII, n. 1: « Nullus omnino, praetextu cuiuscumque privilegii seu superioritatis, etiam generalatus, servitio chori censeatur immunis, nisi pro tempore quo quis in proprii officii munere actu fuerit occupatus ». Huic sententiae favet aliquod *responsum* S. CONGR. RIT., 25 *sept.* 1852. Interrogata de officio quod recitare debeant religiosi aliquam moram in aliquo conventu facientes, respondit: officium coenobii in quo degunt, « quia choro adesse tenentur ». Magis adhuc probatur ex *responso* S. CONGR. SUPER STATU REGUL., 6 *aug.* 1858. Quaerebatur an in Ordinibus formalibus professi votorum simplicium tenerentur ad officium divinum? Respondit: « Non teneri ad privatam officii recitationem; teneri tamen choro interesse ut solemniter professi ».

Haec autem obligatio assistendi choro non videtur gravis, nisi aliquis sua absentia causa esset cur chorus non haberetur, aut nisi ex rigoroso et gravi praecepto eius praesentia in choro exigeretur (FERRARIS, l. c., n. 43). — Ex modo allata decisione, haec obligatio respicit non solum solemniter professos, sed etiam professos votorum simplicium; non autem novitios, iuxta communem sententiam. Conversi certo non tenentur.

Ab obligatione assistendi choro religiosus excusatur *a)* impotentia physica aut morali: moralis impotentia adest, quando aliquis in propri officii munere fuerit occupatus; — *b)* dispensatione: CLEMENS VIII, l. c.: « Cum lectoribus autem et praedicatoribus Superiores, iis tantum diebus quibus eos legere aut praedicare contigerit, dispensare possint. Idem quoque

praestare valeant cum aegrotis et studiorum causa legitime impeditis ». Extra hos casus Superior non videtur posse legitime dispensare: quod eruitur ex hac CLEMENTIS VIII praescriptione (vide § 1 integrum), eiusque confirmatione ab URBANO VIII, d. *Sacra Congregatio,* § 1 (1624).

3° Ad privatam divini officii recitationem extra chorum, si choro non interfuerint, in Religionibus choro sub gravi adstrictis, tenentur Regulares solemniter professi, etiam in sacris non constituti: ita ex consuetudine certa (WERNZ, l. c.; PIAT, I, p. 328). — Haec sententia confirmata fuit a S. POENITENTIARIA, *d.* 26 *nov.* 1852. Interrogata de obligatione pro monialibus, respondit: « Moniales votis solemnibus obstrictas teneri sub gravi quotidie officium recitare ex consuetudine praescripta ». Quae responsio a fortiori valet pro religiosis votorum solemnium. — Non autem tenentur professi votorum simplicium (ex responso d. 6 *augusti* 1858).

A privata officii recitatione non solvuntur apostatae, fugitivi, saecularizati ad tempus, etiam si non fuerint in sacris: hi omnes etenim semper remanent membra Ordinis, et ideo eiusdem obligationes retinent. — An eiecti et perpetuo saecularizati? Controvertitur. WERNZ, post SUAREZ et SCHMALZGR., putat eos ab obligationem non solvi. Vide PIAT, t. I, p. 330, qq. 6 sqq.

9. Negotia saecularia religiosis interdicta [a]. — Modo generali religiosis interdicuntur negotia saecularia. De hac prohibitione est titulus specialis Iuris communis, III, 50: *Ne clerici vel monachi saecularibus negotiis sese immisceant.* Cap. 1° h. t. dicitur: « Multa sunt negotia saecularia, de quibus pauca perstringamus ». Tunc enumerat: « Munera iniusta accipere vel dare; pro aliquo saeculari quaestu pretio aliquem conducere (id est, negotium indirecte exercere per alium ad id conductum); contentiones vel lites vel rixas amare; in placitis saecularibus disputare, excepta defensione orphanorum aut viduarum; conductores saecularium rerum aut procuratores esse;... negotium iniustum exercere ». Deinde alia enumerat, quae proprie non sunt negotia et etiam interdicuntur: iocos vel lusus saeculares, aleas, luxum, venationem. Tandem ait: « Talia et his similia ministris altaris Domini *necnon et mona-*

9. (a) De hac quaestione, vide praecipue WERNZ, t. II, *titul.* X, pag. 306, qui has Ecclesiae leges secundum praesentes morum et status publici conditiones explicat. — Cf. etiam SCHMALZGR., l. III, *tit.* 50.

chis omnino contradicimus, de quibus ait Apostolus: nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus ».

TRIDENT., *sess.* XXII, c. 1 *de Reform.*, observationem harum Iuris praescriptionum urget his verbis: « Statuit S. Synodus ut, quae alias a Summis Pontificibus et a sacris Conciliis de clericorum vita, honestate, cultu doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus et quibuscumque criminibus necnon saecularibus negotiis fugiendis, copiose et salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum, iisdem poenis vel maioribus, arbitrio Ordinariorum imponendis, observentur.... Si qua vero ex his in desuetudinem abiisse compererint, ea quamprimum in usum revocari et ab omnibus accurate observari studeant, non obstantibus consuetudinibus quibuscumque » (b).

Multa sunt ergo negotia quae religiosis iure interdicuntur, quia eorum vitam dedecent. Haec aut specialiter ipsis, quatenus Regularibus, interdicuntur, aut, quatenus sunt clerici regulares, comprehenduntur sub prohibitionibus clericis factis (c); imo etiamsi clerici non sint, sunt nihilominus personae ecclesiasticae, et propterea sub iisdem legibus comprehenduntur, ut est communis DD. sententia.

De praecipuis negotiis Iure religiosis interdictis nunc in particulari dicendum est.

10. Negotiatio clericis et religiosis interdicitur (a).

1. Plura sunt Iuris capita, in quibus haec prohibitio habetur; v. g., c. *Secundum*, 6, *Ne clerici vel monachi*, III, 50: « Secundum instituta praedecessorum nostrorum, sub intermina-

---

(b) « Concil. Trident., ait WERNZ, t. II, n. 213, ius antiquum non mutavit.... Hoc ius tridentinum, attentis declarationibus S. Congr. Conc. et particularibus decretis recentiorum Synodorum et Conciliorum, definit disciplinam etiam nunc vigentem in Ecclesia, praesertim quoad poenas. Nequaquam enim rigidae poenae antiquorum Conciliorum particularium vim suam retinuisse dicendae sunt ».

(c) WERNZ, t. III, n. 656, ait: inter obligationes positivas ac negativas quae imponuntur Regularibus, primo loco recensendas esse obligationes Regularibus non raro cum clericis communes; et statim in nota citat ex Iure communi, l. III, tit. 50, *Ne clerici vel monachi*, l. III, tit. 1, *De vita et honestate cleric.*; l. V, tit. 24, *De clerico venatore*; deinde *Trident., sess.* XXII, c. 1 *de Reform.*, et *sess.* XXIV, c. 12 *de Reform.*

10. (a) Vide WERNZ, t. II, nn. 216-219; FERRARIS, v. *Clericus*, a. 3; LUGO, *de iure et iust.*, disp. 26; S. LIG., l. III, nn. 831, sq.

tione anathematis prohibemus ne monachi vel clerici causa lucri negotientur ».

Bened. xiv, C. *Apostolicae Servitutis* (1741) et Clemens xiii, C. *Cum primum* (1759) omnes Constitutiones SS. PP. contra clericos illicite negotiantes, poenasque in iisdem contentas innovaverunt. Imo Bened. xiv eas extendit ad clericos illicite sub alieno laici nomine quomodolibet negotiantes, perinde ac si per seipsos et proprio nomine negotia illicita exercerent; et Clemens xiii specialius cambium interdixit. Negotiatio interdicitur, non tantum quando clericus aut monachus lucrum pro se intendit, sed etiam quando pro alio, imo ad causam piam. Sic Urbanus viii, C. *Ex debito* (1633) et Clemens ix, C. *Sollicitudo* (1699).

2. *Negotiatio lucrativa,* quae interdicitur, duplex est: alia proprie dicta, qua res emitur eo animo ut immutata carius vendatur: est mercatura, seu commercium; alia minus proprie dicta, qua res emitur ut per famulos conductos mutetur, et mutata carius vendatur, et haec est artificium aut industria. In utraque lucrum intenditur et utraque prohibetur. Ita Schmalzgr., in h. t. iii, 50, n. 18; Wernz, l. c., *nota* 49. Ratio cur negotiatio etiam secundi generis prohibeatur, est quia ad negotiationem proprie dictam proxime accedit, et non minus dedecet personas religiosas.

3. Praeter negotiationem lucrativam distinguitur *negotiatio oeconomica*, quae locum habet quando emuntur res proprio aut familiae communitatisve usui necessariae, vel venduntur fructus bonorum propriorum. Haec vere non est negotiatio, sed potius rei domesticae administratio, omnibus permissa, imo et necessaria. Cavendum est tamen, ne quis huius administrationis ratione aut praetextu se negotiis saecularibus implicet vel a sui status obligationibus avertatur (Wernz, n. 219, i).

Huic affinis est *negotiatio politica*, qua aliquis providet populi necessitatibus. Haec generatim clericis et monachis est interdicta, quia negotiis saecularibus nimium implicat. Excipitur tamen casus quo urgens causa pietatis vel caritatis aliud exigeret (vide Wernz, l. c., n. 219, ii).

4. Non est autem negotiatio prohibita [b]:

(b) Nota non omnia quae hic dicuntur clericis et religiosis non esse interdicta, propterea permitti in Societate Iesu, ubi non tantum nego-

a) Vendere res ex propriis praediis collectas et propriae sustentationi superfluas (Bened. xiv, *de Synodo*, l. x, c. 6, n. 2).

b) E rebus ad propriam sustentationem coemptis, quae supersunt, carius etiam, vendere (ib.); nec etiam pro securitate suae provisionis plura emere quam necessitas exigit, et superflua vendere (Lig., l. iii, n. 836; Lug., *disp.* 26, n. 32), dummodo non empta fuerint plura animo superflua carius vendendi; nec etiam res sic emptas, mutato consilio, carius vendere, etiamsi non sint superfluae, dummodo emptae non fuerint eo consilio ut carius venderentur (Schmalzgr., l. c., n. 11).

c) Nec *emere* agrum cum fructibus maturis et vendere fructus (Lig., l. iii, n. 836; Lugo, *disp.* 26, n. 29). — Sed est negotiatio illicita *conducere* agrum ad vendendum fructus et lucrum inde faciendum (Lig., l. iii, n. 835, et Lugo, l. c.), et explicite prohibetur c. *Pervenit*, 1, *Caus.* 21, q. 3. Ratio est, quia qui conducit agrum ad fructus vendendos cum lucro, emit aliquo modo fructus eius ut ea carius vendat, non vero vendit fructus proprii fundi.

d) Non est illicitum religiosis emere pecora quae pascuis suis saginata vendant, nec greges alere ad vendendum lac, foetus, lanam: quia sic vendunt fructus suos. — Sed esset illicitum, ait S. Lig. contra plures, *conducere* praedia aliena ad saginanda pecora eaque vendenda. Videt hic S. Doctor casum analogum casui prohibito c. *Pervenit* [c]; contra censet licitum emere fructus alienorum agrorum ad saginanda pecora quae vendantur. — Sed revera uterque casus est valde similis, et a casu c. *Pervenit* diversus: quod venditur est bonum proprium immutatum, scilicet pecora saginata, et in hoc non est negotiatio, ut statim dicetur. Ferraris, v. *Clericus, art.* 3, nn. 17-47, dat varia responsa *S. C. Conc.* in hac materia.

e) Non est negotiatio, sed administratio boni proprii, rem propriam alieno labore immutare et carius vendere (Schmalzgr., l. c., n. 17; Wernz, t. ii, n. 219, pag. 314): deficit enim ratio negotiationis, quae in eo est quod res *emitur* ut deinde ven-

---

tiatio prohibetur, sed etiam ea quae speciem negotiationis habent; insuper aliqua prohibentur domibus professis, ratione paupertatis ipsis specialis. Vide n. 25.

(c) C. *Pervenit*, 1, *caus.* 21, q. 3. « Pervenit in Synodum, quia de eis in clero connumerantur, qui propter turpis lucri gratiam *alienarum possessionum conductiones* et causas saeculares suscipiunt.... Decrevit igitur S. Synodus, neminem deinceps eorum, sive clericum aut monachum, *conducere possessiones* aut misceri saecularibus procurationibus ».

datur carius, lucrum intendendo. — Ideo non est negotiatio ex lana proprii gregis pannum per conductos operarios facere et vendere; ex propriis uvis vinum, ex proprio frumento farinam, ex proprio hordeo cerivisiam, ex propriis olivis oleum facere, et haec postea vendere. Item non est negotiatio locare praedia sua, iumenta sua. — Sed esset negotiatio illicita emere lanam, uvas, frumentum, etc. et ex his per conductos operarios conficere pannos, vinum, farinam, eaque vendere cum lucro (Lig., l. c., n. 836; Lugo, d. 26, n. 34).

f) Dicitur illicitum res emere, ipsas immutare per *conductos operarios,* et deinde vendere cum lucro. Quid si proprio labore res immutarentur? — Pendet ab intentione, aiunt Schmalzgr., l. c., n. 19, et Ferraris, l. c., n. 51. Si fit ex *mero* lucri studio, est negotiatio prohibita; si fit alio honesto fine, licitum est: v. g., ad victum necessarium comparandum, ad otium vitandum, imo ad eleemosynas faciendas. Wernz, l. c., hanc distinctionem non facit, et dicit simpliciter non esse negotiationem prohibitam, si quis res alienas emit, eas proprio labore et industria, non per famulum conductum, immutat, et postea cum lucro vendit: nam lucrum est pretium proprii laboris et industriae. — Ex eodem principio, quo praecedentem quaestionem, Schmalzgr. aliam solvit (l. c., nn. 20 et 21), quam late tractat: an religiosis liceat vendere pharmaca, quae ipsi sua industria et arte confecerint. Respondet: licet, si ea non vendant turpis lucri gratia, sed ex charitate maxime erga pauperes. — Eadem ratione Ferrari, p. 193, putat a S. Sede tolerari ut nonnullae familiae religiosae liquores conficiant, sc. ut ex hac industria victum sibi necessarium comparent, dummodo quod superest in eleemosynas impendant. Sed fatendum est abusui facilem esse aditum [d].

g) Notat S. Lig., n. 836, non esse negotiationem, si quis carius vendat rem suam ad emendam similem minori pretio, dummodo non habeat intentionem hanc novam rem, quam emit, deinde carius vendendi. — Proinde, posito quod licitum

---

(d) Primis Ecclesiae saeculis permittebatur clericis negotiatio ad sustentationem necessaria, sed interdicta erat negotiatio turpis lucri gratia. Postea, quando clerici ab Ecclesia beneficiis fuerunt provisi, iam necessaria non fuit negotiatio ad sustentationem, et ideo etiam ipsa fuit interdicta: abusibus enim facile est obnoxia et clericos aut monachos a propriis ipsorum muniis avertit. Quod si nunc negotiatio ad propriam sustentationem esset necessaria, ad eam exercendam requireretur dispensatio ab Episcopo, aut in Italia a S. Congr. Conc. (Wernz, n. 219, III).

sit clericis et monachis, ut statim dicetur, emere titulos, actiones, obligationes, non est negotiatio illicita eas obligationes, actiones vel titulos quoscumque iam emptos tempore maioris pretii vendere(e), maxime si timetur ne postea pretium minuatur, et alios titulos non minus securos emere; dummodo nunquam tituli emantur ut carius vendantur: quod esset negotiatio, et species cambii a Clemente XIII, C. « *Cum primum* » damnata. WERNZ, l. c., *nota* 50; et *Resp.* S. C. INQUIS., 15 *april.* 1885, infra danda.

h) An liceat clericis et religiosis, actiones, obligationes aliosve quoscumque titulos emere et lucrum inde percipere? — « Hac de re inter doctos fervet disputatio, ait WERNZ, n. 218, neque de omnibus dubiis hucusque generalis atque definitiva lata est sententia a Sede Apostolica ». Nihilominus haec teneri possunt. Hodie, cum licitum habeatur lucrum moderatum ex pecunia sua non minus quam ex fundo percipere, licet 1° emere *titulos* Reipublicae aut pecuniam suam mutuam dare, et consuetum lucrum inde accipere; 2° licet *obligationes* societatum emere, dummodo prudenter fiat, scilicet ex societatibus quae fiduciam mereantur: in hoc nulla negotiatio intervenit; sed qui ita agit, ex pecunia sua fructum consuetum et determinatum solummodo percipit. 3° Quoad *actiones,* maior est difficultas, quia qui alicuius societatis actiones emit, fit eiusdem particeps, eius lucra aut damna participat.

Ad solvendum dubium de actionibus, tria genera societatum distinguere iuvat. Sunt societates in quibus nullo modo inveniri videtur negotiatio, v. g., ferroviae, fodinae carbonum vel ferri vel marmorum, etc.: nulla res hic emitur quae deinde carius vendatur. Aliae sunt, in quibus exercetur industria, non negotiatio stricte dicta: in quibus nimirum materia prima immutatur in aliam (fabricae), ut sic immutata carius vendatur. Aliae tandem sunt mere commerciales: res emuntur, ut immutatae carius vendantur.

Hac distinctione facta, actiones societatum primi generis emi posse videntur: siquidem in his societatibus non exercetur negotiatio; non autem actiones societatum secundi et maxime tertii generis. Nam cum actionarius particeps fiat societatis, videtur negotiationem aut stricte dictam, si societas est mere commercialis, aut minus stricte dictam sed etiam prohibitam, si est industrialis, per alios exercere: quod adversatur prohi-

---

(e) Sed attendatur ad leges ecclesiasticas de alienatione bonorum ecclesiasticorum (Infra, c. XXI).

bitioni a Benedicto XIV et a Clemente XIII factae, ut supra dictum est (WERNZ, l. c., p. 315) (f).

5. Bona a clericis et religiosis illicita negotiatione acquisita *valide* acquiruntur; ideoque restitui non debent nisi in poenam ac proinde non ante sententiam condemnatoriam.

6. *Poenae* contra clericos illicitum negotium agentes sunt ferendae sententiae, exceptis poenis ab URBANO VIII (a. 1633) et a CLEMENTE IX (a. 1669) latis contra Missionarios mercaturam quocumque praetextu exercentes in Indiis Orientalibus, Iaponia, Syria et utraque America. Ii enim, etiamsi semel tantum, per se aut per alios, his negotiationibus prohibitis sese immisceant, ipso facto incurrunt excommunicationem latae sententiae, privationem vocis activae et passivae ac officiorum, inhabilitatem ad ea et alia, atque amissionem mercium et lucrorum. PIUS IX, per decretum 4 *dec.* 1872, declaravit eas poenas post C. *Apostolicae Sedis* adhuc vigere (WERNZ, nn. 218 et 219, IV). Praeterea Superiores (sive Generalis, sive Provinciales, sive locales) Missionariorum, qui in dictis locis negotiationem prohibitam vel semel exercuerint, si eos, saltem per amotionem a locis in quibus delictum commiserint, non puniant, easdem poenas excommunicationis et alias incurrunt (WERNZ, ib.).

7. De bonorum ecclesiasticorum (et ideo religiosorum) sive immobilium sive mobilium alienatione, dicetur c. XXI, nn. 15 et sq.

(f) Habentur ad rem duae *responsiones* S. CONGR. INQUISITIONIS. Alia data est d. 17 *nov.* 1875: « Non sunt inquietandi (clerici et religiosi) qui nomina vel actiones viarum ferrearum, similiumque societatum aut arcarum publicae utilitati inservientium (banques), de sua pecunia acquirunt, dummodo parati sint stare mandatis Sedis Apostolicae, et certo sciant eas societates nullum habere propositum finem illicitum vel quomodolibet suspectum, et dummodo nullam in iis societatibus administrationis partem suscipiant, neque actionum earumdem societatum negotiationem exerceant ». — Altera S. INQUISITIONIS *responsio,* d. 15 *april.* 1885 data est: « Iuxta exposita et attentis peculiaribus temporum circumstantiis, personas ecclesiasticas non esse inquietandas, si emerint vel emant actiones seu titulos mensae nummulariae (banque), dummodo paratae sint stare mandatis S. Sedis et se abstineant a qualibet negotiatione dictarum actionum seu titulorum, et praesertim ab omni contractu qui speciem habeat, ut vulgo dicitur, dei giuochi di borsa (jeux de bourse).

11. Religiosis ac clericis interdicitur exercere aliquas artes aut professiones, utpote viles eorumve professioni indecentes.

1. Interdicitur **exercitium artis medicae et chirurgicae,** tum propter indolem huius artis professioni clericali et religiosae parum convenientem, tum propter periculum irregularitatis in casu mortis aut mutilationis. — Medicina Prohibetur, etiamsi exerceatur sine incisione et adustione, ait Schmalzgr., lib. III, in *tit.* 50, n. 46. Wernz (t. II, p. 322, *nota* 82) testatur hanc sententiam esse nunc in praxi receptam in Curia, quamvis olim sententia mitior, exercitium medicinae sine incisione permittens, fuerit satis communis. Non tamen propterea revocata censeri debent privilegia a S. Sede concessa, circa exercitium medicinae. — Si autem clerici et religiosi incisionem aut adustionem illicite adhibent, et inde mors aut mutilatio sequatur, irregularitatem incurrunt. Schmalzgr., l. c., nn. 46 et 47; Ferraris, v. *Clericus*, a. 3, n. 78. — Plura inveniuntur apud Bened. XIV, *de Synodo,* l. XIII, c. 10, n. 1-10; et apud Wernz, t. II, n. 222, III.

S. Congr. de Prop. Fide, interrogata an Missionariis sacerdotibus sit concedenda facultas exercendi artem medicam aut chirurgicam, a. 1641 respondit: « In casu necessitatis missionarios non indigere dispensatione et posse mederi: extra casum necessitatis, posse concedi, concurrentibus sequentibus conditionibus, ut sacerdos missionarius sit peritus in arte medicinae et ut eam gratis exerceat, ut absque incisione et adustione operetur, et in locis ubi non sint medici laici (Collectanea de Prop. Fide, n. 334). Has conditiones tamquam regulam firmam ad facultatem concedendam habet Bened. XIV, *de Synodo*, l. XIII, c. 10, nn. 7 et 8.

2. Omnibus Regularibus prohibetur suscipere **officium advocati vel procuratoris,** sive ad causas saeculares sive ad causas ecclesiasticas, tum in foro ecclesiastico tum in foro civili.

Excipitur 1° si agatur de causis proprii Ordinis religiosi: sed tunc officium suscipere non licet nisi ex mandato aut licentia Superioris regularis (Wernz, t. II, n. 225, I) [a]. Non per-

11. (a) Ita c. *Ex parte tua,* 2, *De postulando,* I, 37, ubi Innocentius III, statuit, canonicos regulares non minus quam monachos non posse in forensibus aut in ecclesiasticis causis, advocati officium exercere, aut ec-

mittitur autem in causis propinquorum, amicorum, aut aliorum. Excipitur 2° si de causa miserabilium personarum agitur: sed requiritur licentia proprii Praelati (Lugo, *Resp. mor.*, l. IV, *dub.* 29, n. 9 et 10)[b].

3. Regulares **officium notarii seu tabellionis** in foro civili ac etiam ecclesiastico suscipere non possunt, exceptis causis fidei (Wernz, l. c., n. 285, II. — Cf. Schmalzgr. in l. III, tit. 50, nn. 52 et sq.).

4. Regularibus interdicitur esse **ministros vel procuratores laicorum** in eorum negotiis, non solum in iudicio, sed etiam extra iudicium[c].

Permittit quidem Clemens XIII, Const. *Cum primum* (1759), § 10, ut clericis dispensatio in causa propinquorum concedatur (quae dispensatio in Italia reservatur S. Sedi); sed utrum extra Italiam talis dispensatio possit Regularibus a suis Praelatis (utpote eorum Ordinariis) concedi, dubium videtur.

Excipiuntur autem a prohibitione causae personarum miserabilium, ut sunt pauperes, viduae, pupilli: harum enim personarum patrocinium non tantum licite sed laudabiliter susci-

---

clesiastici vel forensis negotii susceptores vel executores esse, nisi forte id exposcat monasterii utilitas, Abbate nihilominus imperante ».

(b) Bened. XIV, *de Synodo*, l. XIII, c. 10, n. 12, testatur dispensationem ad suscipiendum officium advocati aut procuratoris aliquando concedi per rescripta aut brevia clericis saecularibus, nunquam autem monachis et canonicis saecularibus. Quoad casus iure permissos, eos ad clericos *saeculares* videtur restringere; ait enim: « *Saeculari* autem clerico, immo et sacerdoti, Ius ipsum canonicum permittit ut se advocatos in tribunalibus quidem ecclesiasticis libere exhibeant; in laicalibus vero et coram iudice saeculari, si causa ibidem agitanda propriam ipsorum vel ecclesiae, cui praesunt aut cui adscripti sunt, vel denique miserabilium personarum rem utilitatemque respiciat ». — Nihilominus exceptio a Lugone admissa, ut Regulares de licentia Praelati sui causas miserabilium personarum suscipere possint, videtur admittenda; et revera in c. *Multa*, 1. *Ne clerici et monachi*, exceptio quae fit pro causis personarum miserabilium non restringitur ad clericos saeculares.

(c) C. *Sacerdotibus*, 2, *Ne clerici*, III, 50: « Sacerdotibus et clericis tuis denunties publice, ne ministri laicorum fiant, nec in rebus eorum procuratores existant ». Et c. 4: « Nec procurationes villarum, aut iurisdictiones etiam saeculares.... clericorum quisquam exercere praesumat.... Districtius autem decernimus puniendum, si religiosorum quisquam aliquid praedictorum ausus fuerit attentare ».

pitur. SCHMALZGR., l. III, tit. 50, nn. 50 et 51; LUGO, *Resp. mor.*, l. IV, *dub.* 29, n. 8; qui notat nihilominus requiri licentiam Praelati.

Praeterea idem LUGO (ibid., n. 1) animadvertit duo diversa esse distinguenda: unum, procuratorem laicorum agere cum titulo iuridico; alterum, idem facere sine titulo, scilicet in his occupari ex benevolentia aut alio honesto motivo. Primum est religiosis prohibitum Iure communi, sive in iudicio sive extra iudicium; secundum extra iudicium non est prohibitum, et ideo sufficit licentia Praelati ut licite exerceri possit officium huiusmodi.

5. Specialiter Regularibus interdicitur esse **tutores vel curatores** cuiuscumque personae.

Habetur ex *Novella* 123, c. 5, ab Ecclesia acceptata [d]. Exceptiones autem factae pro clericis quoad cognatos, ad Regulares non spectant. WERNZ, l. c., n. 225, III, et praesertim FERRARIS, v. *Tutela*, nn. 52 et 55. Alioquin verba novellae ad excludendos Regulares clara sunt [d].

Iisdem interdicitur etiam esse **fideiussores,** ex c. 1 *de Fideiussione,* III, 22 (WERNZ, ib.).

6. Verum clerici et etiam religiosi iure communi non prohibentur esse **executores testamentorum** et ultimarum voluntatum, cum licentia tamen sui Praelati (c. *Religiosus,* 2, *de Testam.* III, 26, in 6°, et in *Clementinis,* c. *unico de Testam.*, III, 6). Dicitur « iure communi » : nam in aliquibus Religionibus absolute prohibetur, ut in Societate Iesu (P. VI, c. 3, n. 7), ubi tamen facultas dispensandi relinquitur Praep. Generali (ibid., *litt.* D).

Post executionem testamenti, religiosus etiam exemptus rationem Episcopo reddere debet. Ita ex Clementina citata. (SCHMALZGR., l. III, *titul.* 26, n. 205).

7. « Clerici infra Episcopum constituti **officia civilia et politica,** velut deputati in parlamento vel consiliarii in municipiis, si iure civili ab his officiis non excluduntur, ex disciplina Ecclesiae nunc vigente, sine praevia licentia Ordinarii cuius dioecesi sunt adscripti, suscipere non possunt ». Ita

(d) « Deo autem amabiles Episcopos et monachos ex nulla lege tutores aut curatores cuiuscumque personae fieri permittimus ».

WERNZ, n. 225, VI, qui citat CLEMENTEM XIII, Const. *Cum primum* (1759) [e].

8. Religiosi nequeunt esse **patrini in baptismo,** ne quidem per procuratorem: id eis expresse prohibetur. Ita in RITUALI ROMANO, *de baptismo:* « Praeterea ad hoc etiam munus (patrini vel matrinae) admitti non debent monachi ac sanctimoniales, neque alii cuiusvis Ordinis Regulares a saeculo segregati » [f]. Ratio est quia Regularis obligationes patrini, ubi opus foret, adimplere nequiret (WERNZ, t. III, n. 659, *scholion*).

Nihilominus, si deessent alii patrini, adhiberi possent, imo et deberent. Ita ex *Responso* S. CONGR. RIT., 15 *febr.* 1887. Interrogabatur: « Interdum accidit quod desint patrini pro baptismo solemni vel confirmatione, sed tantummodo praesto sint sanctimoniales. Quaeritur num in huiusmodi casu expediat conferre ea sacramenta sine patrinis, vel potius ut moniales adhibeantur ut matrinae in utroque sacramento pro feminis? — Resp. Negative ad 1^am^ partem, affirmative ad secundam ». Haec responsio sine dubio valet pro Regularibus, si ipsi soli praesto sint ut patrini munus suscipiant.

12. Statuta de universitatibus frequentandis.

1. Iure antiquo Regularibus prohibitum erat ius civile et

(e) Revera CLEMENS XIII innovat praeceptum pro clericis et monachis abstinendi a negotiis saecularibus, et potestatem Ordinariis etiam delegatam confert ut has leges observare faciant. § *Verum quod,* haec habet: « Quum nihil a SS. Patribus, Ecclesiaeque Pastoribus frequentius aut impensius inculcatum appareat, quam ut Ecclesiae ministri, tum clerici tum monachi, a temporalium lucrorum cupiditate abstinere, et *a saecularium negotiorum sollicitudinibus arcere se debeant*:... nihil nobis reliquum esse iudicavimus nisi ut vos.... excitaremus, ut debitam Sacrarum legum observationem ab omnibus ecclesiasticis, tam ordinariae vestrae quam delegatae vobis iurisdictioni subiectis.... exigere studeatis ac reipsa obtinere curetis ». — Rursus, § *Et parem quidem,* invehit in ecclesiasticos viros « qui industriam operamque suam, quam totam Divino cultui et proximorum utilitatibus ex charitatis lege impendere deberent, laicorum obsequiis abiectisque servitiis addicere, aliquando etiam eorum negotiis administrandis curandisque, pro temporali eaque sat vili mercede locare non recusant »; et vult ut Ordinarii sua auctoritate etiam delegata utantur ad supprimendam hanc legum ecclesiasticarum violationem.

(f) Prohibitio haec invenitur in c. *Placuit,* 8, *causae* XVI, q. 1: « Placuit communi consilio nostro ut nullus monachorum.... praesumat neque filium de Baptismo accipere, neque aliis quibuscumque negotiis se implicare ». Vide FERRARIS, v. *Baptismus, art.* 7, nn. 41, 42.

medicinam in universitatibus audire [a]. Huius prohibitionis duplex ratio datur: prima, ne harum scientiarum cultu viri religiosi rebus saecularibus occupentur; altera, ne theologiae studium propter has scientias negligatur. Excommunicatio aliaeque poenae statuebantur contra religiosos et clericos, qui e claustris ad audiendas has scientias in universitatibus exibant. Excommunicatio a C. *Apostolicae Sedis* non fuit renovata et ideo cessavit.

2. Cum postea utilitas legum civilium ad intelligentiam iuris canonici manifesta fieret, nonnullis universitatibus privilegium concessum fuit quo liceret religiosis et clericis ius civile in eis audire (Schmalzgr., l. c., n. 85; Benedictus xiv, *de Synodo,* l. xiii, c. 10, n. 12). Wernz (t. ii, n. 222) ait has antiquas prohibitiones non amplius vigere, sed iam clericos cum Episcopi proprii et religiosos cum Superiorum suorum licentia ius civile posse audire in universitatibus; quoad medicinam, propter indecentiam quam habet cum statu clericali et religioso modus quo docetur in universitatibus, non videri licitum esse in eis huic scientiae studere absque indulto S. Sedis.

Notandum est tamen nunquam prohibitum fuisse studium privatum iuris civilis, nec medicinae; neque etiam fuit vetitum eas scientias intra septa domus religiosae docere (Schmalzgr., l. c., n. 78).

Nec erat prohibitum frequentare universitates ad alias scientias discendas; quin imo Tridentinum religiosis universitates frequentantibus speciali statuto providit: « Illi autem qui studiorum causa ad universitates mittuntur, in conventibus tantum habitent » (*sess.* xxv, c. 4, *de Regul.*).

3. Nunc autem clericis et religiosis iam non permittitur frequentare universitates Gubernii, ad quascumque scientias discendas, nisi servatis aliquibus conditionibus. Edita fuit primum hac de re *Instructio* S. Congr. EE. et RR. *pro Italia* tantum (21 *iul.* 1896), sed quae per epistolam encyclicam *Pascendi* Pii x (8 *sept.* 1907) ad omnes nationes extensa fuit [b].

---

12. (a) C. *Magnopere,* 3, et c. *ultimo,* tit. *Ne clerici et monachi,* iii, 50. — Cf. Schmalzgr., in h. t., n. 66, seq.; Ferraris, v. *Clericus, art.* 3, n. 75, sq.; Wernz, t. ii, tit. x, nn. 221 et 222.

(b) « Quae de celebrandis universitatibus S. Concilium EE. et RR. clericis Italiae tum saecularibus tum regularibus praecepit anno 1896, ea ad nationes omnes posthac pertinere decernimus ». — Additur: « Clerici et

In hac Instructione plura statuuntur. 1° Solis Ordinibus et Congregationibus ex instituto suo munus docendi habentibus permittitur alumnos suos mittere ad universitates Gubernii. 2° Nunquam novitii, sed tantum professi mitti possunt, qui cursum integrum philosophiae et theologiae ab Ordinis constitutionibus praescriptum absolverint, et iidem accurate electi (c). 3° Non mittantur nisi ex praehabita licentia Generalis, qui eam iis tantum concedet qui requiruntur et sufficiunt pro suis collegiis et scholis. 4° Utriusque cleri alumni ea tantum ibi emetiantur studiorum curricula, quae referuntur ad lauream vel ad gradus academicos quibus indigent. 5° Mittantur in universitates locorum, ubi Ordines habent propriam domum; aut si hoc fieri nequit, mittantur semper duo aut plures, qui in alia domo religiosa vel seminario vel Instituto alio ecclesiastico recipiantur. 6° Si contingat aliquem Professorem habere aliquando lectiones ex professo contra Religionem vel contra mores, huiusmodi lectionibus non adsint. 7° Si Superiores noverint aliquem ex suis alumnis ex lectionibus universitatis detrimentum subire, eum absque mora revocent. 8° Tempore vacationum autumnalium studentes ad domum religiosam sui Instituti redeant, ibique exercitiis spiritualibus vacent.

In eadem Instructione, art. 1, providetur ut clerici et religiosi, ad sibi comparandam idoneitatem qua universitates deinde frequentare valeant, quantum licuerit, non mittantur ad lycea gubernii, sed ad Instituta ecclesiastica vel ad collegia, quorum omnino explorata sit optima ac vere catholica instruendi ratio.

13. De aliquibus inhonestis quae Regularibus a Iure prohibentur. — Titulo *De vita et honestate clericorum*, III, 1,

---

sacerdotes, qui catholicae cuipiam universitati vel instituto item catholico nomen dederint, de quibus magisteria in his fuerint, in civili universitate ne ediscant. Sicubi id permissum, in posterum ne id fiat edicimus ». Variae deinde exortae sunt huius ultimi statuti declarationes, litteris Secretarii Status 2 *oct.*, 10 *oct.* et 5 *nov.* 1907.

(c) Societas Iesu, ex declaratione S. Pontificis facta in audientia 15 *mart.* 1908, non comprehenditur hoc decreto, ut dicitur in Epistola A. R. P. Wernz (25 *mart.* 1908). Ideo in eadem declaratur « nihil obstare, quominus Scholastici nostri ad praelectiones audiendas penes civiles universitates mittantur, etiamsi nondum ad sacros ordines promoti sint ac ullum theologiae cursum susceperint, dummodo triennium philosophiae perfecerint ac praeterea in Societatis domicilio commorentur ».

plura severe vetantur clericis, et ideo religiosis saltem clericis [a]. Quae ut bene intelligantur, abusus et circumstantiae, in quibus latae fuerint, cognoscendae sunt (Cf. WERNZ, t. II, *tit.* X, n. 213). TRIDENTINUM has leges antiquas non mutavit, imo expresse retinuit, *sess.* XXII, c. 1, *de Reform.* (vide supra, n. 9) et *sess.* XXIV, c. 12, *de Reform.* [b]. Sed consuetudine et declarationibus SS. CC. hae leges temperari potuerunt et de facto fuerunt temperatae. Quibus attentis, ea quae sequuntur Regularibus ex praesenti disciplina tamquam prohibita habenda sunt [c] :

1. Spectaculis publicis, seu ludis theatralibus assistere: quamquam potius statutis synodalibus et ex rei natura, quam lege generali prohibeatur [d].

2. Mimis, ioculatoribus, histrionibus intendere.

3. Cauponas vel tabernas ingredi (quod de Cafés etiam intelligendum est), nisi itineris necessitate compulsi (ex c. *Clerici*, 4, *dist.* 44, et aliis Iuris capitibus): qua in re observandae sunt etiam leges synodales multis in locis existentes.

4. Venationi se dare; sed non videtur stricte interdicta nisi saltuosa et clamorosa venatio [e].

5. Ludus severe pluribus canonibus interdicitur, maxime aleatorius. Sed hae prohibitiones intelligi debent de ludo

---

13. (a) INNOC. III, in Conc. Lateranensi IV, statuit : « Clerici officia vel commercia saecularia non exerceant, maxime inhonesta ; mimis, ioculatoribus et histrionibus non intendant, et tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti ; ad aleas et taxillos non ludant, nec huiusmodi ludis intersint » (c. 15 h. t.). Similia habentur c. *Multa sunt*, 1, *Ne clerici et monachi*, III, 50.

(b) « Ab illicitis venationibus, aucupiis, choreis, tabernis, lusibusque abstineant ».

(c) WERNZ, t. II, n. 214.

(d) Vide BENED. XIV, *de Synodo*, l. XI, c. 10, nn. 11 et 12 graviter invehentem in sententiam laxiorem Ferraris.

(e) Ita S. LIG., l. III, n. 606. — BENED. XIV, *de Synodo*, l. XI, c. 10. n. 8, est severior : « Licet, inquit, haec opinio communiter sit magisque inter DD. recepta, opposita tamen videtur certe Iuri conformior : siquidem allegati canones a venatione clericos arcent, quae non armis sed solis avibus venatoriis, puta falcone aut accipitre, et propterea sine ullo tumulto aut strepitu exercetur ». — WERNZ, l. c., n. 214 V°, ait : non obstante auctoritate Benedicti XIV, tuto teneri potest : vi Iuris communis et etiam Tridentini solam saltuosam et clamorosam venationem esse clericis stricte interdictam.

immoderato, publico, lucri gratia inito. Nullatenus peccat qui moderate recreationis causa privatim ludit, maxime si de ludis non aleatoriis agitur, dummodo a religioso votum paupertatis non violetur. WERNZ, l. c., n. 214, III; FERRARIS, v. *Clericus,* a. 5, nn. 1, 3, 4, 5; SCHMALZGR., in l. III, tit. 1, n. 46; LIG., l. III, n. 896. — Vide, si placet, BENED. XIV, *de Synodo,* l. X, c. 2, n. 2, et l. XI, c. 10, n. 10 sq., ubi ait non posse argui nimiae severitatis statutum synodale arcens clericos ab alearum, taxillorum, cartarum, similiumque ludo.

6. Iisdem etiam prohibetur arma deferre: « Clerici arma portantes et usuarii excommunicentur » (c. *Clerici arma,* 2, *De vita et hon. cler.,* III, 1): ita ut publice deferentes arma mortaliter peccare possint, siquidem possunt excommunicatione mulctari. Sed clerici et religiosi ex rationabili causa arma defensiva deferre possunt, et etiam publice si necessarium sit, sc., ad sui aut aliorum legitimam defensionem (FERRARIS, v. *Arma,* nn. 1 et 9). Nihilominus attendere debent ad leges civiles arma deferre forsan prohibentes.

In *Clementinis,* c. *Ne in agro,* 1, *De statu monach.,* monachi tenentes arma intra septa monasterii absque Superioris licentia excommunicationem ipso facto incurrunt. Sed Auctores restringunt hanc legem ad aliquas monachorum familias, propter quas lata fuit (FERRARIS, l. c. nn. 4 sqq.).

14. Variae Constitutiones et decreta SS. Pontificum pro Regularibus praeterea prodierunt, quibus aliqua eis vel praecipiuntur, vel prohibentur. Sunt ea quae sequuntur.

1. **Constitutiones circa munerum largitionem Regularibus interdictam.** — Duae sunt, nimirum C. *Religiosae Congregationes* CLEMENTIS VIII, 1594, eiusque declaratio ab URBANO VIII, C. *Nuper,* 1640 (vide PIAT, t. I, p. 262, qq. 16, 17, 18).

Largitio munerum severissime Regularibus interdicta fuit dicta Constitutione Clementis VIII. Praeiverat aliquo modo IUS COMMUNE, cc. 2 et 3, *De donationibus,* III, 24, ubi ponitur principium: invalidam esse donationem ab Episcopo aut ab Abbate factam in detrimentum bonorum ecclesiae aut monasterii; et c. *Multa,* 1, *Ne clerici,* III, 50, ubi inter res clericis et monachis interdictas enumeratur: munera iniusta accipere, vel etiam dare. Urbanus VIII rigorem Constitutionis Clementis paululum temperavit.

Constitutione Clementina Regularibus prohibetur omnis et

quaecumque munerum largitio aut missio ex bonis communitatis religiosae, cuilibet directe vel indirecte facta, quacumque ex causa aut praetextu.

Dicitur 1°: *prohibetur Regularibus:* comprehenduntur regulares personae cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis, Instituti, exceptis Ordinibus militaribus (§ 1).

Non autem comprehenduntur religiosi Congregationum et Institutorum votorum simplicium: hi enim non sunt Regulares. Ita declaravit *S. Poenitentiaria,* 15 *mart.* 1861 (Apud Piat, t. I, p. 263).

Verum in Ordinibus stricte dictis, seu Regularium, comprehenduntur singulae personae, nominatim Superiores, non tantum locales, sed et Provinciales atque Generales; item omnia et singula capitula, conventus et congregationes, tam localia quam provincialia et generalia. — Unica fit exceptio, scilicet « nisi in generali capitulo, aut alia generali congregatione, re mature discussa, unanimi consensu omnium Superiorumque permissu causa approbata fuerit » (§ 2). Urbanus VIII, temperavit hanc severitatem: plures enim munerum largitiones, ut mox dicetur, permittit « de Superiorum localium licentia, ac cum consensu maioris partis conventus, si talis consensus de iure vel ex constitutionibus seu consuetudinibus cuiusque Religionis respective in huiusmodi casibus requiratur ».

Dicitur 2°: *omnis et quaecumque munerum largitio* (ita § 3). Intelligitur vetita donatio quaelibet ex fructibus, redditibus, oblationibus, eleemosynis ordinariis vel extraordinariis, sive communitati sive cuilibet religioso factis. Excipiuntur tantum « leviora esculenta aut poculenta, seu ad devotionem vel religionem pertinentia munuscula, communi tantum, nunquam particulari nomine tradenda, ubi Superiori de consensu conventus videbitur » (ibid.). — Urbanus VIII declaravit ad haec munuscula consensum conventus non requiri, nisi alias de iure requiratur, et ubi concurrit ambitionis suspicio, qua cessante sufficit licentia Superioris ore tenus concessa.

Dicitur 3°: *cuilibet* fiat largitio, sive principibus saecularibus, sive personis ecclesiasticis, etiam Cardinalibus, Ordinario loci, Ordinis Protectori, etiam proprio Ordinis Generali, Provinciali, cuicumque Superiori aut particulari religioso (§ 4). — Attamen inter religiosos permittitur largitio rerum minutarum, de licentia expressa Superioris.

Clemens VIII (§ 4), ad haec munuscula inter religiosos, exigebat ut licentia a Superiore in scriptis daretur: Urbanus VIII declaravit, ubi cessat ambitionis suspicio, sufficere licentiam ore tenus datam.

Dicitur 4°: *quacumque ex causa vel praetextu.* Clemens VIII aiebat: « etiam ex causa et occasione benedictionis habitus regularis, tonsurae »: ita § 4; et § 5, non iam munera, sed etiam expensas prohibebat fieri, « in honorem cuiuscumque benefactoris, Ordinarii, Protectoris, etiam ad benefactorum memoriam gratique animi testificationem, seu pro praedictis personis quavis auctoritate vel dignitate conspicuis laute et opipare excipiendis,... aut pro exhibendis spectaculis etiam piis, v. g., in memoriam passionis dominicae populo spectandae ».— Sed Urbanus VIII hanc severitatem rursus temperavit, declarando: « Munera a Religiosis tribui posse ex causis gratitudinis, conciliationis benevolentiae eiusque conservationis erga ipsam Religionem vel conventum, aliisve causis ex sui natura actum virtutis et meriti continentibus, modeste tamen ac discrete » cum licentiis ex constitutionibus aut consuetudine requisitis; « comessationes autem, compotationes et convivia, in excipiendis praesertim benefactoribus, protectoribus, vel Ordinariis honorifice et laute, censeri prohibita tantummodo si decentiae status regularis adversentur ».

Expensae « reipsa pro divino cultu, et veris Christi pauperum indigentiis sublevandis aut alias in rebus licitis », expresse a prohibitione in Const. Clementina excipiuntur, dummodo de consensu Superiorum et secundum capitulorum praescripta fiant (§ 5); hospitalitas autem, praesertim erga pauperes et peregrinos, non tantum permittitur, sed et commendatur (§ 6).

Dicitur 5°: *ex bonis communitatis;* et ideo etiam ex bonis a religiosis acquisitis aut cuicumque religioso datis: haec enim Religioni acquiruntur. Non agitur autem de bonis quorum quilibet religiosus post vota simplicia dominium retinet: haec enim, servatis legibus de renuntiatione, libere distribui possunt, et consequenter de eis munera dare licet.

Dicitur 6°: *largitio directa vel indirecta.* Indirecta largitio haberetur, v. g., si remitteretur debitori communitatis suum debitum, aut si mutua pecunia alicui daretur cum animo non repetendi.

7° Quemadmodum prohibetur Regularibus munerum largitio, ita eis, quibus data fuerint, prohibetur eorumdem acceptio. Nulla declaratur tum donatio tum acceptio: unde *obligatio restituendi*. Haec restitutio ante omnem sententiam aut monitionem fieri debet, et quidem non religioso qui forte largitus est, sed conventui ad quem bona data spectabant; quin a quolibet, sive a Superiore sive a conventu aut etiam a tota Religione, remitti possit, etiam ut pauperibus in eleemosynam restitutio fiat. Qui indebite accepit, absolvi nequit nisi iam facta restitutione (§ 7).

Urbanus VIII concessit ut, si restitutio conventui, cui bona spectabant, commode fieri non posset, alteri eiusdem Ordinis conventui, viciniori loco quo absolutio petita fuit, fieri valeret.

8° *Poenae* contra Regulares violantes praescripta Constitutionis Clementis, nullo modo fuerunt ab Urbano suppressae aut moderatae. Sunt sequentes, ipso facto incurrendae: 1° privantur dignitatibus et officiis obtentis; 2° inhabiles perpetuo fiunt ad ea et ad alia; 3° perpetua infamia et ignominia notantur; 4° voce activa et passiva eo ipso privantur, absque ullo Superioris decreto[a]; 5° procedi contra ipsos potest veluti contra furti et simoniae reos; 6° Superiores contra eos animadvertere debent (§ 8).

9° Exemplum huius Constitutionis inseri debet in libris statutorum Domorum et Ordinum; et Constitutio saltem quotannis alta voce in Capitulis legenda est (§ 11).

Urbanus VIII praecepit ut tam Clementis VIII Constitutio quam suum decretum quotannis, mense ianuario, in aliqua publica congregatione vel saltem in publica mensa perlegere-

---

14. (a) Notat PIAT (t. I, p. 266, q. 17, 2°), distingui poenas positivas, ut est privatio officii, et poenas negativas, ut privatio vocis activae et passivae; ex omnium sententia, ad poenas positivas incurrendas requiri sententiam iudicis, saltem declaratoriam criminis commissi; imo ab AA. communiter requiri sententiam declaratoriam etiam ad poenas negativas. Unde haec verba «absque ullo Superioris decreto» essent intelligenda de decreto condemnatorio, non autem de decreto declaratorio (Vide infra, cap. XXIV, n. 2). Dicit etiam PIAT (ib.), iuxta multos has poenas non incurri, nisi materia sit maior duobus aut tribus aureis, ideo non sufficere quantitatem ad peccatum mortale contra paupertatem constituendum: nam, aiunt AA, requiritur materia quae in foro iudiciali regulariter poena gravi puniatur.

tur. Quod si Superiores neglexerint, poenam privationis officii atque vocis activae et passivae ipso facto incurrunt. Prohibuit praeterea ne Constitutio Clementis contra tenorem sui decreti declararetur vel interpretaretur.

15. Decreta de eiectis et eiiciendis. — Sunt decretum URBANI VIII, *Sacra Congregatio* (1624), decretum INNOCENTII XII *Instantibus* (1694), et decretum *Auctis* (1892) *S. Congr. EE. et RR.* sub LEONE XIII. De his dictum est c. VII, nn. 16, 17 et 18.

Decreta super causis ad S. Officium pertinentibus. — Sunt 1° Decretum S. ROMANAE INQUISITIONIS seu ALEXANDRI VII, *Licet alias* (1660), quo prohibetur ne Superiores religiosi sese intromittant in causis ad S. Officium pertinentibus, et imponitur obligatio denuntiandi religiosos de haeresi infectos aut suspectos, omissa quavis cum propriis Superioribus consultatione.

Hoc decretum innovatum est, d. 15 *maii* 1901, novo decreto eiusdem Congregationis S. Rom. INQUISITIONIS, in quo haec duo declarantur: 1' Superiores nullo titulo aut praetextu possunt sese immiscere in rebus ad S. Officium spectantibus: nequeunt « causas illas agnoscere, de his inquirere, denuntiationes recipere, testes interrogare, reos excutere, iudicium instituere, sententiam ferre ». — 2° « Religiosi strictim tenentur eos quos criminum huiusmodi (quae ad S. Officium spectant), praesertim quoad abusum sacramentalis confessionis, reos vel suspectos noverint, denuntiare ». — Quoad hanc denuntiationem haec statuuntur: *a)* fieri debet S. Officio aut locorum Ordinariis; *b)* a quocumque religioso qui noverint: *c)* de quibuscumque religiosis subditis, confratribus aut Superioribus, etiam primariis[a]; *d)* « absque ulla cum aliis quibuscumque communicatione, absque ulla petita venia, absque ulla monitione aut correctione praevia ». — Crimen, propter quod aliquis debet denuntiari, est proprie haeresis, sed obligatio est denuntiandi « reos vel suspectos » (ib.): in decreto *Licet* dicitur: « haereticos vel de haeresi quomodocumque etiam leviter suspectos ». Propterea debent denuntiari solli-

15. (a) Ex hoc loquendi modo, obligatio denuntiandi videtur limitata ad religiosos proprii Ordinis. Res ex priori decreto *Licet alias* saltem dubia remanebat, imo potius contrarium habebatur; nam, in § 4, obligatio fit omnibus religiosis denuntiandi « quoscumque, *etiam confratres*, ac Superiores etiam primarios suos eiusdem Ordinis et Religionis ».

citantes in confessione et abutentes SS. Missae sacrificio : hi enim suspecti de haeresi habentur.

Poenae contra contravenientes, ex decreto Alexandri VII et Constitutione Pauli V in eo memorata, sunt : excommunicatio S. Pontifici reservata, privatio dignitatum, praelaturarum et officiorum, item vocis activae et passivae, ac inhabilitas ad eadem. Insuper ex *decreto* BENED. XIV, 5 *aug.* 1745, « Sollicitantes vel abutentes SS. Missae sacrificio ad sortilegia perpetuam ad SS. Sacrificii celebrationem inhabilitatem incurrunt ». — Decretum 15 *maii* 1901 ne ullum verbum de his poenis habet. In Constitutione *Apostolicae Sedis* excommunicatio non fuit renovata, et ideo ea saltem amplius non viget.

Lectio decreti *Licet alias*, in publica mensa quotannis, Kalendis martii, sub iisdem poenis praescribitur ; et lectio decreti Benedicti XIV, feria VI post octavam Assumptionis, sed sub nulla poena. Insuper, in quocumque generali vel provinciali congressu, Superiores « suos subditos ac religiosos, de iniuncta omnibus observantia et executione Apostolicarum Constitutionum ac Decretorum ad S. O. pertinentium commonere » tenentur. Ita in decreto *Sanctissimus* URBANI VIII, de quo statim.

2° Decretum URBANI VIII « *Sanctissimus* » (1633), quo executio Constitutionum ac Decretorum ad S. Officium spectantium urgetur.

In hoc decreto enumerantur variae Constitutiones et Decreta S. Officii. Nihil speciale pro Regularibus continet, nisi obligationem hoc decretum legendi illudque affigendi ; renovat insuper declarationem in Const. Gregorii XV, *Cum sicut* contentam, nempe Regulares quomodolibet privilegiatos comprehendi in decretis quae ad S. Officium spectant, nisi specialiter excipiantur.

Lectio huius decreti praescribitur omnibus annis « in publica mensa vel in capitulo ad hoc specialiter convocato, feria VI post octavam Assumptionis B. M. V. ». — Deinde habetur statutum iam supra memoratum, scilicet : « Et insuper in quocumque generali vel provinciali capitulo Superiores suos subditos commonere debent de iniuncta omnibus observantia et executione earumdem Constitutionum ac Decretorum ». Ad haec Superiores « tenentur sub poena privationis officii ac vocis activae et passivae, aliisque poenis arbitrio Sanctitatis suae infligendis ».

16. Decretum « *Nuper* » Innocentii XII (1697), **pro confirmatione decretorum de celebratione Missarum.** — In eo referuntur varia decreta ab Urbano VIII a. 1625 edita, variaeque super eis declarationes ab eodem Pontifice, quibus nova ipsius Innocentii XII statuta adduntur.

Ex declaratione S. Congr. Conc., d. 16 *dec.* 1893, « Decreta *Nuper* obligant, cum poenis in iisdem decretis contentis, non solum in Italia et insulis adiacentibus sed etiam in aliis regionibus ». (A. S. S., t. XXVI, p. 405).

Porro in his decretis haec statuuntur:

1. Reductiones missarum a S. Sede tantum fieri possunt, nullo modo a capitulis Regularium.

2. Per unicam missam nequit satisfieri pluribus obligationibus, quantumcumque stipendia sint exigua, revocatis quibuscumque privilegiis.

3. Si missa pro stipendio celebranda alteri sacerdoti committitur, nihil de stipendio retineri potest.

4. Pecuniae aut bona mobilia, quibus adnectitur onus perpetuarum missarum, debent investiri in bonis immobilibus, cum expressa mentione oneris quod illis est adnexum.

5. Prohibetur Regularibus onera perpetua missarum recipere, sine Generalis vel Provincialis consensu et licentia in scriptis concedenda, — sub poena privationis officiorum quae habuerint, inhabilitatis perpetuae ad alia, atque vocis activae et passivae, absque alia declaratione incurrenda.

6. Non possunt admitti novae eleemosynae manuales ad missas celebrandas, nisi primis satisfactum fuerit, aut utrisque, novis scilicet et antiquis, debito tempore satisfieri possit. Alioquin tollantur ab ecclesiis capsulae ad eleemosynas missarum colligendas.

7. Generalis vel Provincialis non admittant perpetua onera missarum, nisi redditus oneribus adiunctis respondeant, eisque a suis sacerdotibus satisfieri possit.

8. Deinde additur statutum quod ad missas nullo modo refertur, scilicet prohibetur ne domus religiosa ullibi recipiatur nisi, praeter alia requisita, duodecim saltem religiosi in ea degere atque ex redditibus et consuetis eleemosynis sustentari possint: alioquin domus non sunt exemptae. — Et declaratum fuit hoc ultimo decreto comprehendi etiam Religiones quae non accipiunt stipendia missarum, ut sunt Capuccinorum et Societatis Iesu (Ita ad 19. Sed de exemptione vide caput XVI).

His Urbani VIII decretis INNOCENTIUS XII nova addidit:

1. Ut resecaret gravem abusum eorum, qui missas celebrare omittebant sub malitiosa spe condonationis, statuit quod compositiones missarum a S. Sede non concedentur nisi ex causa rationabili et sub clausula: « Dummodo malitiose non omiserint animo habendi compositionem; alias gratia nullo modo suffragetur ».

2. Rectores, Superiores et Ministri ecclesiarum missas tum perpetuas, tum temporales, tum manuales, quibus satisfaciendis impares fuerint, nullo modo suscipiant. — Ut idipsum pateat, tenentur conficere et in loco patenti retinere tabellam onerum perpetuorum et temporalium.

3. Iidem Superiores ecclesiarum in sacrario duos libros pariter teneant: in quorum altero describantur onera perpetua et temporalia missarum, ac quomodo illis satisfactum fuerit; in altero missas manuales cum earum eleemosynis, et obligationum adimplementum.

4. Iidem singulis annis exactam rationem reddere teneantur suis Superioribus; has rationes in singulis libris describant seu adnotent; et haec cura sit tum Praefectorum ecclesiarum, tum Superiorum, quibus ii rationem reddere tenentur.

5. Eleemosynae missarum in capsa particulari sub duplici clavi reponi debent; et singulis mensibus Rectores ecclesiarum proprio Superiori coram Patribus consiliariis exactam et districtam rationem reddant.

6. Si Praefecti ecclesiarum suo muneri non satisfecerint, et Superiores regularium ecclesiarum rationes debitas non exegerint, aut non invigilaverint ut Praefecti suo muneri satisfaciant, in singulis respective casibus, poenas privationis vocis activae et passivae, privationis graduum et officiorum quae obtinent atque inhabilitatis ad ea, incurrunt ipso facto et absque alia declaratione.

7. Superiores locales haec decreta publice in sacrario exposita retinere, et praeterea eorumdem lectionem bis in anno, sub poena privationis vocis activae et passivae, necnon et officiorum quae obtinent, ipso facto incurrenda, curare debent.

8. Praeterea omnes Regulares, subditi et Superiores quicumque, locales, Provinciales et Generales, omnium horum decretorum executionem sub iisdem poenis cavere debent.

9. Superiores in contravenientes.... debitis poenis diligenter et prompte animadvertere tenentur.

10. Superiores locales in provincialibus capitulis seu congregationibus exhibere debent attestationem seu fidem, ab

omnibus sacerdotibus domus subscriptam et iuratam, quod omnibus et singulis tum perpetuis tum manualibus missarum oneribus, tempore eorum regiminis, fuerit omnino et integraliter satisfactum, aut quod brevi tempore possit satisfieri; ante hanc attestationem vocem activam et passivam omnino non habent.

11. Praeterea Provinciales et Visitatores in fine eorum regiminis debent in forma probante suis Superioribus Generalibus ostendere, quod exsecutioni praesentium decretorum invigilaverint et quod de omnibus oneribus missarum exactam rationem exegerint; secus ad vocem activam et passivam in capitulis generalibus non admittantur.

Praeter haec decreta, Regulares tenentur observare omnes generales Ecclesiae leges circa stipendia missarum, nominatim generale decretum S. C. C., d. 11 *maii* 1904 datum, « Ut debita », *de observandis et evitandis in missarum manualium satisfactione*. In eo: 1° regulae statuuntur circa numerum missarum manualium quae ab unoquoque sacerdote accipi possunt; 2° circa tempus eas celebrandi; 3° circa earumdem distributionem ad alios; 4° prohibetur missas pro libris, ornamentis sacris, aut alio quolibet fine celebrandas dare, retento stipendio; ac unquam stipendium a missae celebratione separare, aut in alias res immutare, aut imminuere; 5° poenae contra transgressores statuuntur.

In alio decreto eiusdem S. C. C., d. 22 *maii* 1907, « sub gravi conscientiae vinculo ab omnibus haec servanda statuuntur: ut quicumque missas celebrandas committere velit sacerdotibus sive saecularibus, sive regularibus extra dioecesim commorantibus, hoc facere debeat per eorum Ordinarium, aut ipso saltem audito et annuente » [a].

Nota. Ex pluribus S. C. C. declarationibus, quamvis ordinarie Regulares possint missam dicere pro eleemosyna taxa dioecesana inferiore: attamen si id Episcopus prohibeat, Regulares decreto episcopali parere tenentur (vide decisionem particularem, d. 8 *maii* 1905, in A. S. S., t. 38, p. 14).

---

16. (a) Decr. *Ut debita*, in A. S. S., t. 36, p. 672; — Decr. d. 22 *maii* 1907, in A. S. S., t. 40, p. 344. — De eadem quaestione conferri possunt recentiora *responsa* S. Congr. Conc., 27 *febr.* 1905, 5 *sept.* 1907, et *Instr.* S. Congr. de Prop. Fide, d. 15 *iul.* 1908, in A. S. S., t. 37, p. 524, et t. 41, p. 145 et p. 640.

17. Decreta Clementis VIII circa disciplinam religiosam, ab Urbano VIII innovata. — Clemens VIII sex decreta de hoc argumento edidit, quae Urbanus VIII Constitutione *Sacra Congregatio* (1624) innovavit. Decreta Clementis in Bullario Romano inveniuntur regesta post Constitutionem Urbani. Ea sunt quae sequuntur.

1. Decretum « *Regularis disciplinae* » (1596), de novitiis ad habitum regularem et professionem non admittendis nisi in conventibus designandis. — Decretum istud, ut in ipso declaratur, non respicit nisi Italiam et insulas circumiacentes. De illo dictum est c. III, n. 5.

2. Decretum *Nullus* (25 *iun.* 1599), pro reformatione Regularium, tam monachorum quam mendicantium, cuiuscumque Ordinis et Instituti.

Nota. Illud decretum prima vice latum fuit d. 24 *apr.* 1593, pro monachis S. Hieronymi de Observantia (Bull. Rom., *editio Taurinensis,* t. X, p. 37); secunda vice, pro reformatione Ordinis Servorum B. Mariae, ut apparet ex §§ 28 et 29 decreti, quale invenitur in Bullario, *tom.* X, p. 662, quamvis ibi detur sub titulo generali: « Decreta generalia pro reformatione Regularium, tam monachorum quam mendicantium, cuiuscumque Ordinis et Instituti » [a]. Tandem invenitur tertia vice in Bullario, t. XIII, p. 202, post decretum *Nuper* Urbani VIII, simul cum aliis quinque decretis eiusdem Clementis; sed hic mutantur aliquae voces §§ 28 et 29, et praeterea supprimitur, ubi aderat prius, specialis mentio Ordinis Servitarum. Unde probabile est decretum ad omnes Regulares fuisse extensum, quamvis de hac extensione nihil habeatur explicitum.

Animadvertenda est dispositio § 41, ut invenitur iam t. X Bullarii, p. 662, et repetitur t. XIII: sc., quod decretum, post eius publicationem Romae, « praesentes statim obliget, reliquos absentes, citra montes unius mensis, ultra montes trium mensium spatio ». — Unde apparet intentio tum Clementis VIII

---

17. (a) Editor Taurinensis de hoc titulo in nota dicit: « Sic efformatum a Cherubino summarium, obsequii causa, non immutavi; sed ex §§ 28 et 29 satis manifeste apparet hanc Constitutionem esse peculiarem pro Ordine Servitarum ». Idem apparet etiam ex eo quod, post 32 primos §§ huius decreti *Nullus* (quod hic editum dicitur 25 *iulii* 1599), sequuntur alia decreta pro solis Servitis, quae incipiunt § 32, ita ut cum praecedentibus unum quid efficiant, et in fine ponitur data: 22 *aug.* 1604.

tum Urbani VIII, ut hoc decretum ubique obliget. De extensione et vi huius decreti *Nullus* mox sermo redibit, nn. 18 et 28.

3. Decretum d. 10 *mart.* 1601 datum, quo permittitur Provincialibus dare subditis licentiam veniendi Romam, « ex causa tamen communi totius Provinciae dumtaxat » (In decreto *Nullus,* § 22, haec facultas erat Generali reservata).

4. Decretum *Sanctissimus* (26 *maii* 1593), *super casuum reservatione.* — De vi universali huius decreti nullum est dubium. De eo dicetur c. XXI, n. 11.

5. Decretum *Sanctissimus* (20 *iun.* 1599), quo prohibetur ad tempus receptio novitiorum, donec facultas a S. Sede concessa fuerit. De hoc decreto dictum fuit c. III, n. 5.

6. Decretum *Cum ad regularem* (1603), de receptione et educatione novitiorum in solis designatis ac designandis novitiatus domibus. De quo c. IV, n. 12, sermo fuit.

Ea omnia decreta Urbanus VIII innovavit Constitutione *Sacra Congregatio* (1624), ea ad calcem suae Constitutionis registrari voluit, eorum observationem ab omnibus religiosis verbis urgentibus mox recitandis praescripsit, et tandem eorumdem lectionem bis in anno, simul ac suae Constitutionis, mandavit.

18. De extensione horum decretorum, maxime decreti « Nullus ». — Quaestio est, an haec decreta Clementis VIII sint universalia, an contra restringi debeant ad Italiam et insulas adiacentes. Quaestio agitatur etiam pro his decretis quae constat primo lata fuisse pro sola Italia et insulis. Quaeritur enim, an ea Clemens VIII et Urbanus VIII ad omnia loca extra Italiam et ad omnes Ordines postea extenderint.

Videretur affirmandum, tum ex titulo quem prae se ferunt in Bullario, t. X, p. 662, ubi inscribuntur « *Decreta generalia* pro reformatione Regularium, tam monachorum quam mendicantium, cuiuscumque Ordinis ac Instituti »; tum maxime ex eadem denominatione, quam eis attribuit Urbanus VIII in sua C. *Sacra Congregatio,* ubi, § 1, haec habentur: « Ac primo... S. Congregatio censuit esse innovandas et Sanctissimi auctoritate innovat Constitutiones et *decreta generalia* s. m. Clementis VIII, ad Regularium reformationem, ad novitiorum receptionem, professionem ac institutionem spectantia, *districte praecipit Generalibus atque aliis omnibus Ordinum Superiori-*

bus ut illa exacte observent atque ut observare faciant, sub poenis statutis in iisdem Constitutionibus ». Deinde in fine suae Constitutionis subiungit (§ 12): « Ne qua vero difficultas in supradictis decretis et ordinationibus exequendis suboriatur, S. Congregatio, Sanctissimo Domino nostro annuente atque approbante, universis Generalibus, Provincialibus,... Praepositis,... et quibuscumque aliis Superioribus *quorumcumque* Ordinum vel Congregationum, monasteriorum, conventuum, collegiorum, domorum atque locorum regularium *ubique locorum* existentium, iniungit serioque mandat, ut illa diligenter observent atque observari procurent, in omnibus coenobiis ac monasteriis, collegiis ac domibus *quorumcumque* monachorum ac Regularium *ubique existentibus,* efficiantque ut tam decreta praedicta f. r. Clementis VIII, quam praesentes ordinationes *in singulis eiusmodi locis* bis saltem in anno legantur in publica mensa ».

Ergo clara videtur voluntas Urbani VIII. Attamen non desunt gravia argumenta ad probandum ea decreta, sc. decretum *Nullus,* et tria decreta *Regularis disciplinae* (1696), *Sanctissimus* (20 *iun.* 1599), et *Cum ad regularem* (1603) circa novitios, extra Italiam vim obligandi non habere. — (De decretis super itinere Romano, et super reservatione casuum, nulla est difficultas: uti universalia ab omnibus accipiuntur).

1° Profertur responsum S. Congr. Conc., d. 4 *febr.* 1648, quod refert PIGNATELLI, in t. I *Consultationum canonicarum, cons.* 282, his verbis: « Hodie Regulares extra Italiam, pro quiete conscientiarum, quaerunt an decreta generalia eiusdem Clementis VIII, die 25 mensis *iunii* 1599 edita[a] absque aliqua restrictiva, necnon confirmatio eorumdem decretorum generalium ab eodem Urbano VIII facta sine restrictiva in decretis de Regularibus apostatis et eiectis, extendantur ad conventus etiam extra fines Italiae existentes. — Respondeo, non comprehendere Regulares extra Italiam. Ita declaravit S. Congr. Concilii, d. 4 *febr.* 1648 ». Sic Pignatelli.

2° BENED. XIV, in Const. *Si datum,* 1748, (de nullitate professionis), inter varias causas pro quibus nullitas invocari potest annumerat: « Si aliquis professionem emiserit in coenobio ad novitiorum institutionem minime destinato, *in iis tamen locis*, in quibus r. m. praedecessor noster Clemens

18. (a) Hac die 25 *iun.* 1599, solum decretum *Nullus* prodiit: videntur nihilominus hic designari etiam alia decreta, quae Urbanus VIII confirmavit (vide notam praecedentem).

Papa VIII, decreta de Regularibus a se edita *vim habere mandavit* ». Ex quibus verbis liquet, iuxta Benedictum XIV, haec decreta pro Regularibus, neque ex Clementis VIII mandato, neque ex eorum innovatione ab Urbano VIII, vim obligandi ubique habere.

3° S. CONGR. EE. ET RR., *d.* 22 *april.* 1796, declaravit Constitutiones Clementis VIII super novitiorum receptione non afficere extra Italiam (Analecta Iuris Pont., t. XVII, n. 1711) (b).

Concludendum est ergo dubiam saltem esse vim obligatoriam decreti *Nullus* et decretorum pro novitiis extra Italiam et insulas. Insuper quoad decreta pro novitiis, certum est iam a Clemente ipso non paucos Ordines fuisse exceptos. An postea sublata fuerit haec exceptio per verba § 12 decreti Urbani VIII, saltem dubium est (vide n. 28).

Decreto *Nullus* variae obligationes imponuntur quae in ipso decreto videndae sunt. Praecipuae respiciunt chorum, lectionem Scripturae Sacrae aut casuum, paupertatem et vitam communem, administrationem bonorum, numerum fratrum in conventibus, clausuram, egressum e domo cum licentia et socio. Varia etiam praescribuntur de itinere Romano, de cellis earumque supellectili, de valetudinario, de revocandis religiosis extra claustra viventibus, de admissione ad habitum et professionem, de largitione munerum interdicta, de Superiorum electione, de ambitu puniendo, de praedicatorum, confessariorum, rectorum, ordinandorum examine, de cura disci-

---

(b) Responsio Pignatelli comprehendit omnia decreta a Clemente edita et ab Urbano confirmata. Constitutio Benedicti XIV item porrigitur ad omnia decreta a Clemente « de Regularibus edita ». Decretum a. 1796 non loquitur nisi de Constitutionibus Clementis VIII super novitiorum receptione. Verumtamen argumentum ex eo pro aliis desumitur. Nam si haec decreta, non obstantibus verbis explicitis Clementis et Urbani, quibus omnes Ordines ubique afficere dicuntur, nihilominus non extenduntur extra Italiam, non est cur maiorem vim habere existimetur decretum *Nullus*, quod scimus prius pro aliqua Congregatione particulari fuisse editum.

Quoad oppositionem inter tres declarationes istas et voluntatem expressam Clementis et Urbani, forte solvenda est dicendo quod horum decretorum obligatio, quae voluntate Clementis et Urbani per aliquod tempus fuit universalis, deinde consuetudine, stylo ac praxi curiae ad solam Italiam et insulas adiacentes fuerit restricta.

plinae domesticae. Tandem negatur facultas decreta interpretandi.

19. Decreta Pii IX. — Pius IX etiam duo decreta edidit pro Regularibus (vide c. III, nn. 3 et 6).

Primum decretum *Romani Pontifices* (25 *ianuarii* 1848), **de litteris testimonialibus a postulantibus exigendis,** omnes obligat in virtute S. Obedientiae, sub poena privationis omnium officiorum, vocis activae et passivae, ac perpetuae inhabilitatis ad illa in posterum. Illud decretum quotannis d. 1 *ianuarii* in publica mensa prelegendum est, sub poena privationis officii ac vocis activae et passivae a Superioribus qui neglexerint ipso facto incurrenda.

Alterum decretum *Regulari disciplinae* (25 *iunii* 1848), **de variis scrutiniis ante admissionem ad habitum et ad professionem,** obligat tantum in Italia et insulis, sed ibi omnes obligat in virtute S. Obedientiae et sub iisdem poenis ac praecedens. Hoc decretum bis in anno in publica mensa est legendum, d. 1 ianuarii et prima dominica iulii, sub iisdem poenis ac praecedens. Societas ab his duobus decretis fuit exempta (vide c. III, n. 8).

20. Circa libros praelo mandandos, adest pro Regularibus obligatio a Tridentino inducta et a Const. Leonis XIII *Officiorum et Munerum* (1897) renovata. Dicitur § 36 huius Const.: « Regulares, praeter Episcopi licentiam, meminerint teneri se, S. Conc. Tridentini decreto, operis in lucem edendi facultatem a Praelato, cui subiacent, obtinere. Utraque autem concessio in principio vel in fine operis imprimatur ».

Quaeritur utrum hoc § 36 Regularibus obligatio fiat omnes libros quos ediderint, de quolibet argumento, Episcopi approbationi subiiciendi, an tantum eos de quibus fit mentio in § 41, ubi statuitur: « Omnes fideles tenentur praeviae censurae ecclesiasticae eos saltem subiicere libros, qui divinas Scripturas, sacram theologiam, historiam ecclesiasticam, ius canonicum, theologiam naturalem, ethicen, aliasve huiusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt, ac generaliter scripta omnia, in quibus religionis et morum honestatis specialiter intersit ». — VERMEERSCH, *de Prohibitione et censura librorum,* sic commentatur § 36: « Confirmatur certa iam antea doctrina, ex qua Regulares exempti subiacent censurae Or-

dinarii loci aeque ac reliqui. *Aeque,* inquam, non magis : ergo pro solis libris qui ex iure communi censurae obnoxii sunt » ; et citat Wernz (t. III, n. 121, *nota* 103), qui dicit: « Porro Regulares censuram etiam Episcopi subire tantum debent, si agitur de libris qui generatim sine praevia approbatione Episcopi publicari non possunt: in reliquis libris publicandis, v. g., mere profanis, qui nunc a censura ecclesiastica immunes sunt, ipsis sufficit licentia Superiorum regularium ». — Verumtamen de hac doctrina dubium iniiciunt non solum verba generalia § 36 « Regulares, praeter Episcopi licentiam.... », ubi sine ulla restrictione licentia Episcopi requiritur, sed maxime ea quae de eodem argumento praescribuntur in Encyclica *Pascendi* (1907), in qua edicitur: « Religiosorum Moderatores de gravissimo officio monemus *nunquam* sinendi *aliquid* a suis subditis typis edi, *nisi prius ipsorum et Ordinarii facultas intercesserit* ».

21. Documenta recentia contra modernismum. — His decretis addi debent recentia et gravia S. Sedis documenta, ad grassantes modernismi errores compescendos edita, scilicet, decretum S. O. *Lamentabili* (3 *iul.* 1907), quo damnantur 65 propositiones, *Instructio* eiusdem S. O., d. 28 *aug.* 1907 data, ad RR. locorum Ordinarios familiarumque religiosarum Moderatores, et Encyclica *Pascendi* (8 *sept.* 1907).

In Instructione S. Officii tria praescribuntur: 1° ut in seminariis, domibus studiorum religiosorum, aliisque collegiis pro iuvenum institutione, « omnino removeantur Moderatores atque Magistri qui damnatis erroribus infecti cognoscuntur vel eorum suspecti merito habentur » ; 2° ne « viri ecclesiastici nomen dent libellis periodicis quibus neoterici errores sive aperte propugnantur sive latenter insinuantur, neque quidquam in eis publici iuris faciant » ; 3° « ut sacra ordinatio differatur vel etiam prorsus denegetur iis qui neotericis erroribus imbuti essent ».

In Encyclica *Pascendi* plura statuta inveniuntur ad praecavendos neotericos errores: 1° ut philosophia scholastica ad normam S. Thomae doceatur in seminariis et domibus studiorum religiosorum: « Hoc *stricte* ab omnibus servari iubetur, et religiosorum Ordinum Moderatoribus praecipitur » ; 2°, ut theologia positiva ita theologiae scholasticae addatur, ut haec inde nihil detrimenti capiat; 3° ut « Moderatores et professores, quicumque modo quopiam modernismo imbuti fuerint, a suo munere removeantur » ; 4°, ut a sacris ordinibus

removeantur candidati novitatum amatores; 5° ad omnes nationes extenditur Instructio S. Congr. EE. et RR. (1896) de non frequentandis Universitatibus Gubernii; 6° regulae pro censura librorum statuuntur, et inculcatur observatio reg. 42 Constitutionis *Officiorum et munerum*, de dependentia cleri saecularis ab Ordinario in libris quibuslibet edendis et diariis moderandis.

SECTIO II.

22. Societatis habitus.

1. Societati non est habitus proprius. Observari vero debet ut habitus, quo utitur, sit honestus, pauper et iuxta communem approbatumque usum sacerdotum locorum ubi Nostri degunt [a]. Insuper habitus debet esse uniformis, quantum personarum, locorum et caeterorum varietas patitur; quia uniformitas animorum consensioni inservit (P. VIII, c. 1, n. 8). — Quod primo loco dicitur, id proprie de sacerdotibus nostris intelligendum est. Quoad alios gradus: 1° Novitii nullum habitum certum habent [b]. 2° De scholasticis nihil certi traditur [c]. 3° FF. coadiutores, veste qua utuntur, debent distingui tum a sacerdotibus, tum a saecularibus [d].

---

22. (a) In *secunda formula Instituti* IULII III (1550): « In his quae ad victum, vestitum et caetera exteriora pertinent, honestorum sacerdotum communem et approbatum usum sequantur ». EXAM., c. IV, n. 26: « Sui victus, potus, vestitus et lecti rationem, si Societatem sequi velit, sibi persuadeat fore ut pauperibus accommodatam. — CONST., *P.* VI, c. 2, n. 15: « In vestitus ratione tria observentur: primum ut honestus ille sit; alterum ut ad usum loci, in quo vivitur, accommodatus (et *litt.* L: vel saltem quod omnino non differat); tertium ut professioni paupertatis non repugnet ».

(b) EXAM., c. I, n. 13: « Hoc medio tempore (novitiatus) duorum annorum, in quo habitus ullus certus Societatis non sumitur... ». — *Litt.* F: « Quamvis habitus nullus certus sit, discretioni attamen eius, qui curam habet domus, relinquitur an cum eisdem vestibus, quas ex saeculo tulerunt, incedere sint permittendi, an cum aliis eas permutari oporteat ». Cf. P. III, c. 2, *litt.* C.

(c) P. III, c. 2, *litt.* C: « Cum scholasticis approbatis et iis qui studiis vacant, videtur in iis quae ad vestitum attinent, magis quam cum iis qui probantur, ratio haberi posse decentiae exterioris et commoditatis, propter studiorum laborem et quia collegia redditus habent, quamvis superflua semper evitari oporteat. In particularibus vero, prout unicuique convenit, procedetur ».

(d) CONGR.) d. 95 quoad Fratrum coadiutorum vestitum: « De ratione

2. Ratio cur vestis Societatis sit communis sacerdotum vestis, ait Suarez (tr. x, l. i, c. 5, n. 4), est quia Societas est Ordo clericorum. — Quamvis aliae Religiones clericorum saepius aliquod signum addant vesti communi sacerdotum, convenientius fuit fini et instituto Societatis ut nihil tale haberet, quatenus sic facilius apud omnes, etiam apud haereticos et infideles, laborare posset (ib., n. 5).

3. Sunt qui censent vestem clericalem esse religiosis S. I. vestem Religionis propriam (Castro Palao, Bonacina), et ideo quidquid in Iure disponitur quoad obligationem non deponendi habitum proprium Religionis, in Societate intendi debere de habitu clericali. Sed probabilius est, ex dictis, Societatem non habere habitum sacerdotum communem tanquam habitum Religionis sibi proprium (Sanchez, Pellizarius, Sporer), et ideo eius alumnos non teneri nisi legibus communibus Iuris, quibus clerici ad deferendam vestem clericalem obligantur (vide supra, n. 3).

4. Leo xii, Br. *Plura inter* (1826), inter vicennales facultates, concessit « facultatem induendi se vestibus saecularibus, si quis aliter transire vel permanere non poterit in locis Missionum ».

23. Clausura ex Constitutionibus. — P. iii, c. 1, n. 14, dicitur: « Honestatis et decentiae ratione, convenit feminas non ingredi domos nostras nec collegia, sed tantum ecclesias ». *Litt.* L admittitur aliqua exceptio: « Ut feminae non ingrediantur domos vel collegia Societatis, fere semper debet observari. Sed si illae eximia charitate vel auctoritate simul cum charitate essent conspicuae, prudentia Superioris, iustas ob causas ut illae, si id optaverint, videndi gratia ingrederentur, posset dispensare ».

Haec quidem S. Ignatius, pro sui temporis consuetudinibus. Sed nunc iam locus dispensationi non est, et NN. omnino debent sese conformare SS. Pontificum et Congregationum decretis. Domus Societatis clausurae pontificiae subiacent: quapropter feminae eam violantes et Superiores aliive eas

---

vestium et pileorum, quibus laici nostri uti deberent, nihil esse statuendum visum est, sed eam indumenti rationem probari qua nostri laici a sacerdotibus nostris et saecularibus hominibus distinguerentur; et ut vestitus honestus esset iuxta morem patriae ». Congr. vii, d. 24, aliaeque decreverunt pileum clericalem eis denegandum esse nec a Generali concedendum.

introducentes incurrunt excommunicationem Const. *Apostolicae Sedis*, aliasque poenas, ut n. 4 dictum est.

Ut his Iuris communis statutis Societas satisfaceret, Congreg. xxiv, dec. 20, 3°, « Admodum R. Patri nostro commendandum censuit, ut clausuram canonicam exacte observari curet in domibus nostris ». Additur: « Quod si quae fuerint in quibus, sive ob insitam iisdem conditionem, sive ob temporum et locorum adiuncta, plene observari nequeat, servetur quantum fieri potest, ad normam quam A. R. P. Beckx pro convictibus statuit, d. 31 *aug.* 1866 ».

Ideo A. R. P. Martin, d. 10 *nov.* 1893, epistolam misit Societati, in qua nonnulla praecipiebat: primo, ut clausura perfecte servaretur in domibus probandorum, in collegiis Nostrorum, et in maioribus operariorum residentiis ad religiosam formam exactis; secundo, ut in convictibus alumnorum, in minoribus operariorum residentiis, aliisque id genus domibus, quae ad religiosam formam omnino exigi vix possunt, pars separaretur in qua Nostri fere habitant, et haec strictae clausurae subiiceretur: in reliquas autem partes feminae non ingrederentur nisi rationabili ex causa et comitante aliquo e Nostris aetate ac virtute maturo; tertio, ut in omnibus domibus haberetur ad feminas excipiendas collocutorium ianuae proximum et ianitori patens.

De collegiis exstat declaratio Gregorii xiii vivae vocis oraculo: « Per Br. Pii v, quo arcentur sub poena excommunicationis mulieres ab ingressu monasteriorum, non intelligi atria collegiorum nostrorum, ubi sunt scholae et classes, ad quas externi accedunt: sed tamen expedire ut moneantur feminae ne accedant » (Comp. Priv., n. 89). Verum est oracula vivae vocis fuisse revocata a Greg. xv (1622) et ab Urbano viii (1632 et 1635); sed certum videtur non esse revocatas *declarationes,* quae non sunt gratiae et privilegia, sed gratiarum et privilegiorum explicationes (Comp. Priv., n. 434).

« Generalis et Provincialis est clausurae terminos in domibus singulis determinare, pro locis ipso iure non determinatis neque ex eodem iure iam clausurae subiectis ». Ita Comp. Priv., n. 89.

24. Chorus in Societate (cf. Suarez, tr. x, l. i, c. 8).

In Societate chorus non habetur ad horas canonicas vel missas et alia officia decantanda, et socii non tenentur ad recitationem officii nisi ratione ordinis sacri. Ita in utraque

FORMULA INSTITUTI[a], et CONSTIT., P. VI, c. 3, n. 4[b], ubi assignantur duae praecipue rationes, cur chorus Societati non conveniat: occupationes in auxilium animarum, et incertitudo residentiae Nostrorum in eodem loco propter frequentes eorum missiones.

Ibidem, *litt.* B, permittitur cantare vesperas tono devoto et simplici eo tempore quo vesperi praedicandum vel legendum est, etiam ordinarie diebus dominicis et festis, sed tantum quantum iudicaretur conveniens ut populus ad magis frequentandas confessiones, praedicationes et lectiones alliceretur.

CONGR. I, d. 39, statuit « servandam esse hanc constitutionem, et nonnisi ex gravissima causa dispensandum esse a Praep. Generali ut missa cantetur, et id tantum dominicis diebus et festis ». Sed CONGR. II, d. 17, et CONGR. III, d. 36, aliquid amplius concesserunt quamvis adhuc strictis limitibus contractum. CONGR. IX, d. 19, praescripsit « ut in publicis caeremoniis, in missis et vesperis, quando cantantur in nostris ecclesiis, ritus romanus ubique observaretur ».

PAULUS IV, a. 1558, chorum Societati imposuit. Ut voluntati Pontificis fieret satis, officium divinum in domibus professis Romana et Olysiponensi fuit introductum; sed ante annum integrum, mortuo Pontifice, a recitatione officii, aliquibus approbantibus Cardinalibus cessatum est[c].

---

24. (a) « Socii omnes, quicumque in sacris fuerint, teneantur singuli privatim ac particulariter et non communiter ad recitandum officium » (Const. *Regimini,* 1540). — « Socii omnes, cum presbyteri esse debeant (de professis agitur) ad dicendum officium secundum communem Ecclesiae ritum, sed privatim et non communiter et in choro, teneantur » (C. *Exposcit debitum,* 1550).

(b) « Quoniam occupationes, quae ad animarum auxilium assumuntur, magni momenti sunt ac nostri Instituti propriae et valde frequentes, cumque alioqui nostra habitatio tam sit in hoc vel in illo loco incerta, non utentur nostri choro ad horas canonicas vel missas et alia officia decantanda ». Nam, additur, « per Nostros tractari convenit quae vocationi nostrae sunt propria ».

Notetur hic non prohiberi ut missae et alia officia in nostris ecclesiis decantentur, sed ut nos chorum habeamus ad ea decantanda. Attamen in *declaratione B* dicitur quod missae solemniores celebrari debent « submissa voce », et tantum permittitur « unum aut duos superpelliceis vestitos assistere ». — Ibidem permittitur ut in hebdomada sancta officium tenebrarum fiat cum cantu simplici.

(c) Cf. IUVENCIUM, *Epitomes historiae S. I.*, ad annum 1558.

S. Pius v rursus voluit professos ad chorum obligari; et ideo chorus per aliquod tempus in domibus professis adhibitus est, ab anno 1568 usque ad mortem Pontificis a. 1572. Sed Gregorius xiii, C. *Ex Sedis Apostolicae* (1573), Societatem a choro iuxta suum Institutum exemit: « Cum Instituto Regularium Societatis Iesu... inter alia expresse caveatur quod socii omnes, etiam qui in sacris fuerint, horis canonicis satisfecisse censeantur, si eas iuxta usum R. E. singuli privatim et particulariter et non communiter seu in choro recitaverint:... Nos motu proprio et ex certa scientia, sociis praedictis, ut horas canonicas singuli et privatim, iuxta usum R. E., non autem communiter seu in choro recitare teneantur, quo acrius studiis, lectionibus, et praedicationibus intendere possint,... instituta praedicta approbantes, tenore praesentium... auctoritate Apostolica, quatenus opus sit, de novo concedimus ».

25. Negotia saecularia specialiter Nostris interdicuntur, etiam praeter id quod prohibetur Iure communi (vide supra, nn. 9 et 11).

1. Quoad *res et causas civiles,* in Const., P. vi, c. 3, n. 7, dicitur: « Ut plenius possit Societas rebus spiritualibus, iuxta suum Institutum vacare, quoad eius fieri poterit, a negotiis saecularibus abstineant, qualia sunt testamentariorum [a], vel executorum, vel procuratorum rerum civilium, aut id genus officia; nec ea ullis precibus adducti obeunda suscipiant, vel illis se occupare sinant ». — P. ix, c. 6, n. 4, explicatur prohibitionem locum habere, etiam si de negotiis piis agitur. — Ab hac Constitutione solus Generalis, aut ille qui facultatem a Generali accepisset, dispensare potest (P. vi, c. 3, *litt.* D).

Prohibetur etiam Nostris ne testes sint in causis civilibus, nisi aliquando iudicio Superioris id alicui denegari non posset, nunquam autem in criminalibus (*ibid.,* n. 8).

Congr. v, d. 48, et C. vii, d. 13, Constitutionum vim urgentes, graviter prohibuerunt ne Nostri etiam in negotiis propinquorum sese occupent [b].

---

25. (a) Testamentarii, si ab executoribus eos distinguamus, intelliguntur ii qui testamenta conficiunt. Id Nostris interdicitur, ut declaravit *P. Claudius,* a. 1599; non autem prohibetur dare consilia ad conficiendum testamentum: quamvis id etiam magna prudentia fieri debeat.

(b) Congr. v, d. 48: « Illud cavendum diligentissime, ne Nostri....

Lugo (*Resp. Mor.*, l. IV, *dub.* 29) hanc Constitutionem explicat. Suppono primo, ait, in dicta Constitutione tria potissimum prohiberi. Primum est *suscipere haec officia* (c) ad comparendum in iudicio vel in ordine ad lites; secundum est *suscipere ea officia* etiam ad actus extraiudiciales; tertium est *occupari* in iis rebus et negotiis saecularibus. Duo prima sunt Iure communi prohibita omnibus religiosis, nisi aliquando in certis circumstantiis; igitur etiam Nostris, non tantum ex regula, sed ex lege ecclesiastica. Qui ergo (ait n. 7) contra has Iuris praescriptiones agit, peccat, et peccatum ex genere suo est grave. Tertium a solis Constitutionibus prohibetur. Notanda est differentia inter duos priores casus et tertium. In duobus prioribus *officium iuridice assumitur;* in tertio aliquis, sine titulo iuridico procuratoris vel executoris, se occupat his negotiis, et ideo, etiamsi in iudicio compareat, contra Constitutiones Societatis quidem agit, non vero contra praescriptiones Iuris communis. In hoc sensu intelligendum est praedictum decretum 13 Congr. VII. Congregatio voluit sui decreti transgressores graviter, pro transgressionis magnitudine, esse

---

negotiis saecularibus, licet rerum particularium, ad consanguineos, amicos vel quosvis alios pertinentibus occupentur, nisi forte interdum iudicio Superiorum charitas aliud suaderet. Quo in genere non raro a nonnullis erratur, praesertim vero a Superioribus, qui huiusmodi permittunt. Nam cum Constitutiones nostrae huiusmodi negotia tamquam a nobis aliena nullo modo permittant, diligentissime curandum est ut intra Instituti nostri limites proximos iuvare conemur » (sc., Superiores non possunt permittere haec negotia, nisi a Constitutionibus dispensando; ergo non debent permittere nisi intra limites in quibus a Constitutionibus eis dispensare licet). — Congr. VII, d. 13 : « Cum graviter Constitutio moneat ut Nostri a saecularibus negotiis abstineant, neque ea ullis precibus adducti obeunda suscipiant vel in illis occupari se sinant : censuit Congr. severe graviterque interdicendum Nostris, ne ullo praetextu, in propinquorum aut quorumcumque externorum negotiis, tribunalibus se sistant, neve curam ullam administrandi eorum bona, litesve prosequendi aut dirigendi ex quacumque causa suscipiant, aut illorum quemquam ad ecclesiasticas aut saeculares dignitates promovere studeant, sine expressa R. Patris nostri facultate, quam soli Generali Congregatio voluit reservatam ». Deinde simplices commendationes, licet ex charitate, censuit sine expressa Superioris localis licentia non esse faciendas; voluit etiam Provincialis licentiam requiri in rebus alicuius momenti, quae moram patiantur.

(c) « Haec officia », sc. testamentariorum, executorum, procuratorum, aut alia id genus, iuxta textum Constitutionis.

puniendos. Et rursus CONGR. XVI, d. 31, iussit severe castigandum eum « qui forensibus externorum litibus se immisceret et tamquam advocatus aut procurator, scriptis aut consiliis in iudiciis communicatis, alterutram partem tueri ausus fuerit ».

Congr. XII, d. 38, « omnibus interdictum voluit legatorum confidentialium executionem acceptare ».

2. Quoad *res politicas*, omnibus Nostris in virtute S. Obedientiae et sub gravibus poenis prohibetur in his sese immiscere. Ita CONGR. V, d. 79. Hoc praeceptum inter *Censuras et Praecepta* recensetur [d]. Cf. eiusdem Congr. V, d. 47.

3. Ad melius vitanda negotia saecularia, Nostris praecipitur *lites fugere*, quantum fas est. Ita CONGR. II, d. 55 [e]. Attamen ex CONST., P. IV, c. 2, *litt.* C, et P. VI, c. 3, n. 7, licet iura Societatis etiam in iudicio tueri, aut per aliquem de Societate aut per procuratorem externum; sed professi ab hac cura liberari debent [f].

26. Negotiatio et ea quae speciem negotiationis habent. Non tantum negotiatio, sed etiam ea omnia quae speciem habent negotiationis sunt Nostris interdicta. Ita CONGR. II, d. 61: « Omnia quae speciem habent saecularis negotiationis, in colendis videlicet agris, vendendis in foro fructibus et similibus, intelligantur prohibita esse Nostris ».

(d) « In virtute S. Obedientiae praecipitur Nostris omnibus, ne quis publicis et saecularibus principum negotiis, quae ad rationem status pertinent, ulla ratione se immisceat, nec, quantumvis per quoscumque requisitus aut rogatus, eiusmodi politicas res tractandas suscipiat ». Cf. CONGR. VII, d. 46, et MONITA GENERALIA (*Ordinationum*, c. IV) nn. 18 et 19.

(e) « Lites forenses, pro rebus praesertim temporalibus, fugiant Nostri omnes, et id curent Provinciales efficere; ac primum compositione rem adnitantur componere etc... ». In hoc decreto facultas lites permittendi reservatur Generali.

(f) CONGR. VIII, d. 3: « Visum est Constitutionibus et menti S. Ignatii congruentius ut 4 votorum professi non fungantur ordinarie Procuratoris munere; neque sit in arbitrio Provincialium in eo prout libuerit dispensare ». — P. IX, c. 6, n. 12, de Procuratore generali dicitur: « Non tamen professus sit, nec in domibus Societatis professae habitet ». Et ideo pluries in Congregationibus generalibus Praepositi Generales dispensationem ab hac Constitutione petiverunt. Vide CONGR. XXIV, d. 28, CONGR. XXV, d. 17; antea CONGR. XII, d. 29, et plures alias.

Congr. vii, d. 84, aliqua enumeravit quae speciem habent negotiationis et ideo interdicuntur (vide c. ix, n. 13).

In Ordinatione pro rerum temporalium administratione, n. 42, eadem rursus inculcantur; deinde additur, alumnis in collegiis libros aliasque res parvi momenti vendi posse, dummodo nullum lucrum inde collegio eveniat; si autem aliquod lucrum perceptum fuerit, illud totum in commodum alumnorum impendi debere.

De titulis, actionibus, obligationibus exstat Epistola R. P. Beckx, 19 *mart.* 1858, de qua mentio fit in Ordinatione pro rerum temporalium administratione. Quae in ea continentur adamussim conveniunt cum iis quae dicta sunt supra, n. 10, *h*). Attendenda sunt recentia decreta pontificia, ut ibidem dictum est.

27. Privilegia circa facultatem medendi. — Societas habet indultum a Gregorio xiii concessum, Br. *Unigeniti* (1576), his verbis: « Omnibus et singulis.... Societatis Iesu sacerdotibus medicinae peritis, ut, de suorum Superiorum licentia, quibuscumque personis infirmis, sive illae eiusdem Societatis religiosi sive extranei et saeculares fuerint, absque aliquo conscientiae scrupulo, citra tamen adustionem et incisionem per seipsos faciendam, mederi libere et licite valeant,... quando tamen medici saeculares commode haberi non possunt, indulgemus, et ad id licentiam et facultatem eis concedimus et impertimur ». Notetur, ad exercitium artis medicinae, etiam erga Nostros, requiri absentiam medici saecularis, scilicet requiritur ut medicus commode haberi non possit. Attamen non videtur hoc severius esse intelligendum.

Inter ea quae Societati non conveniunt, quia saecularium potius quam religiosorum sunt propria, computandum est *Medicinae et Legum studium*. In Universitatibus Societatis studium huiusmodi admitti non debet, vel saltem Societas has scientias per alios tradi curabit. Ita Const., P. iv, c. 12, n. 4. Ratio datur ibidem, quia hoc studium a nostro Instituto est nimis remotum.

Imo, in *Iure Canonico* docendo, Constitutiones volunt ut non tractetur ea pars Canonum quae foro contentioso inservit (ib., n. 1). — Attamen Congr. xvi, d. 30, declaravit « non esse contra mentem Instituti, ut Nostri, cum Praepositus Generalis in Domino expedire iudicaverit, suscipiant munus docendi sacros canones in Universitatibus publicis, etiamsi omnes

Iuris Canonici materias seu titulos praelegere ac tractare oporteat ». — Ratio est quia P. Generalis in Constitutionibus dispensare potest, ubi est ratio proportionata.

Propter similem rationem, in CONST., P. III, c. 1, n. 14, providetur, ne in domibus nostris sint arma, aut instrumenta ad ludendum vel ad rem musicam.

28. Decretum « Nullus », aliaque decreta Clementis VIII; eorum vis in Societate. — Praeter ea quae n. 18 dicta sunt, haec notari iuvat. *Primo,* quoad decreta circa admissionem novitiorum in solis domibus designandis, Societas nominatim ab hac lege, cum non paucis aliis Ordinibus Regularium, in ipso decreto *Sanctissimus* (20 *iun.* 1599) fuit exempta. — *Secundo,* quoad decretum *Nullus,* dubium videri potest an derogaverit privilegiis et Constitutionibus Societatis in rebus speciali modo approbatis: desunt enim clausulae derogatoriae quae hanc vim habeant. Forsan ad tollendum omne dubium impetrata fuit a PAULO V nova approbatio Instituti, quam amplissimam dedit C. *Quantum Religio,* a. 1606, his verbis: « Nos igitur, certo scientes totum sanctae huius et nunquam satis laudatae Religionis stabilimentum et profectum in viridi Instituti ipsius et decretorum super hoc in generalibus Congregationibus eiusdem Societatis editorum observantia consistere,... motu proprio et ex certa scientia ac mera deliberatione nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine, laudabile dictae Societatis Institutum, Constitutiones,... necnon supra dicta et *quaecumque alia decreta, statuta* et *ordinationes,* quae Institutum et Societatem huiusmodi illiusque gubernandi rationem quomodo libet concernunt, *immunitates, gratias* et indulta, a praedictis et aliis praedecessoribus nostris eidem Societati... principaliter vel per communicationem concessa, *qualiacumque illa sint,* ac desuper confectas litteras, quarum tenores praesentibus habere volumus pro expressis, et inde sequuta quaecumque,... Apostolica auctoritate praedicta, earumdem tenore praesentium, *perpetuo approbamus et confirmamus,* ac illis perpetuae et inviolabilis firmitatis, ac nostrae et Sedis Apostolicae auctoritatis robur adiicimus; *eaque omnia et singula innovamus et de novo concedimus....* Decernentes easdem praesentes nullo unquam tempore,... *ex quovis.... capite vel praetextu,...* invalidari aut in ius vel controversiam revocari, seu ad terminos Iuris reduci, aut.... illas sub similium aut dissimilium gratiarum *revocationibus,* per *quoscumque Roma-*

nos Pontifices, praedecessores nostros, sub *quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis* etiam derogatoriorum derogatoriis.... minime comprehensas.... etc. ».

Ex tantae amplitudinis confirmatione concludere licet omnes Constitutiones, omnia Congregationum decreta, omnes Rom. Pontificum litteras, Institutum eiusque procedendi modum concernentes, remanere integra, et proinde quaecumque contraria essent in decreto *Nullus* Clementis VIII (1599) aliisque generalibus decretis pro Regularibus, Societatem non obligare.

Id solum quaeri potest, an confirmatio ac innovatio decretorum Clementis ab Urbano facta a. 1624, Const. *Sacra Congregatio,* annullet et irritet hanc Pauli V approbationem. Id autem non videtur affirmandum. Innovat quidem Urbanus decreta praedecessoris et ab omnibus ubique vult observari [a]; sed non ideo ea extendit ad eos quos prius decreta non obligabant; saltem de hac Pontificis voluntate et Constitutionis vi non constat; nec adsunt clausulae derogatoriae, quibus approbatio Pauli V infirmetur. — Igitur ista Clementis decreta non solum non obligant extra Italiam (ut valde probabile esse pro omnibus Ordinibus supra dictum est), sed ne in ipsa Italia Societatem obligare videntur, in his omnibus quae SS. Pontificum litteris in favorem Societatis datis, Constitutionibus Societatis et Congregationum Generalium decretis adversantur. Ita, salvo meliori iudicio.

CAPUT XII.

OBLIGATIONES QUAE RELIGIOSIS SOCIETATIS IESU EX EIUS INSTITUTO PROVENIUNT

1. Fontes obligationum quae religiosis Societatis sunt peculiares. — 2. In Societate Constitutiones per se non obligant sub culpa. Censurae et praecepta hominibus Societatis imposita. — 3. Substantialia Instituti. De his immutandis agere non licet. — 4. Obligationes circa propriae personae dispositionem quoad loca, officia, studia, gradum, curam valetudinis. — 5. Obligationes quoad doctrinam. — 6. Quoad austeritates et humilia amplectenda. — 7. Circa ea quae ad familiam, litteras, conversationem cum proximis spectant. — 8. Circa exercitia spiritualia

---

28. (a) Cf. verba ipsa decreti, supra n. 18. Certe si Urbanus VIII voluisset revocare exemptiones, quibus aliqui Ordines forte a decretis Clementis fuissent absoluti, hoc aliquo modo exprimi debuisset, et non sufficiunt verba decreti.

et rationem conscientiae. — 9. Quoad disciplinam domesticam. — 10. Varia Societatis ministeria. — 11. Declarationes Instituti super his ministeriis. — 12. Ministeria Instituto non consentanea.

1. Ultimus fons obligationum religiosorum, praeter alios iam recensitos, invenitur in eorum regula, constitutionibus aut statutis, ac in peculiaribus Sanctae Sedis documentis singulos Ordines spectantibus.

Haec omnia in Societate constituunt **Institutum Societatis Iesu.** Veniunt igitur sub hoc nomine: 1° Omnes Summorum Pontificum actus Societatem spectantes: Bullae, Brevia, Rescripta, Oracula vivae vocis, necnon Decreta aut Responsa Congregationum Romanarum Societati particularia; 2° Formulae Instituti a Paulo III, C. *Regimini* (1540), et a Iulio III, C. *Exposcit debitum* (1550) approbatae [a], Examen generale, Constitutiones cum Declarationibus, et Decreta Congregationum Generalium; 3° Regulae sive omnibus communes sive particulares; 4° Ordinationes Generalium, 5° Instructiones. 6° His etiam addi possunt Formulae Congregationum [b].

In hoc capite de obligationibus, quae alumnis Societatis ex his fontibus proveniunt, sermo erit.

2. In Societate Constitutiones, Decreta Congregationum, Praepositorum Ordinationes, Regulae per se non obligant sub culpa, ut dictum est c. x, n. 22, et expresse declaratur in Constitutionibus P. vi, c. 5.

Ea, quae sub peccato fuerunt imposita, exhibent simul collecta « **Censurae et praecepta hominibus Societatis imposita** ». Sunt pauca numero. Censurae et praecepta in quinque capita dividuntur.

Capite i comprehenduntur censurae spectantes ad Congregationes et ad electionem Generalis, Vicarii aut Assistentium.

Excommunicatio fertur: contra omnes ambientes munus Generalis aut Vicarii aut Assistentis, sive pro se, sive pro

---

1. (a) Est alia Formula, contenta in C. *Iniunctum* (1544) Pauli III, in qua aliqua adduntur primae formulae; sed haec plenius explicantur in formula Iulii III: et ideo communiter duae tantum Formulae, a. 1540 et a. 1550 editae, commemorantur.

(b) Ex hoc capite magis clarum fiet quaenam sint ea quae Superior in Societate *iuxta regulam* praecipere possit, et quam late in ea pateat campus obedientiae obligatoriae (Vide c. x, n. 19).

alio; item contra non denuntiantes eos qui Generalatum aut Vicariatum ambierint; contra perturbantes electionem, aut eius libertatem impedientes; contra eos qui non dant informationem sinceram.

Praeterea sub praecepto obedientiae imponitur obligatio denuntiandi ambientes munus Assistentis. Sub eodem praecepto imponitur silentium illis qui, in Congregatione generali aut procuratorum, aliquid intellexerint grave et sub naturali silentio tenendum.

Capite II continentur censurae et praecepta quae ad Instituti conservationem pertinent.

Prohibetur sub poena excommunicationis latae sententiae et inhabilitatis ad quaecumque officia, ne quis contra Institutum, Constitutiones et decreta Congregationum agat. Circa ea, quatuor actus prohibentur: *a)* ea aut eorum quidpiam, directe vel indirecte impugnare; *b)* curare ut immutentur; *c)* agere contra ea; *d)* mutationem proponere cuicumque, praeter Romanum Pontificem, Congregationem generalem, aut Praep. Generalem.

Denuntiari debent Praep. Generali, in virtute S. Obedientiae omnes qui aliquid contra Societatem machinantur; necnon omnes Nostri, qui opera aliorum ad pacem Societatis perturbandam uterentur (cf. CONGR. V, d. 54).

Capite III decernuntur poenae contra deficientes a Societate quovis modo indebito, sive sint apostatae aut fugitivi, sive ad alium Ordinem sine licentia transeant, sive dimissionem fraude aut dolo obtineant (cf. c. VII, nn. 22 et 35); item contra consulentes externos de dimissione sua, aut eorum intercessione vel auxilio ad eam impetrandam utentes.

Caput IV praecepta et poenas in materia votorum continet.

Poenam excommunicationis incurrunt appellantes a correctione Superiorum (vide c. X, n. 24).

Prohibetur in virtute S. Obedientiae ne quis sine expressa Superiorum licentia mutuam acceptet pecuniam (v. c. IX, n. 12). Prohibetur etiam in virtute S. Obedientiae et sub excommunicatione aliisque poenis doctrina de parvitate materiae in delectatione venerea deliberate quaesita aut admissa.

Capite V prohibetur in virtute S. Obedientiae et sub poena excommunicationis doctrina de liceitate tyrannicidii. Item sed non sub excommunicatione, quidquam de potestate Rom.

Pontificis supra reges et principes, nisi prius Romae probatum, edere. Etiam tractare negotia principum et procurare intercessionem externorum, quae liberam Superioribus gubernationem non relinquat.

Quamvis, sepositis his praeceptis, Constitutiones, Decreta, Ordinationes, Regulae non obligent per se sub peccato, sed tantum ad poenam subeundam: attamen *indirecte* sub peccato obligant ea quae materiam votorum declarant. Etenim qui vota emiserunt, ea observare debent prout a Constitutionibus aut aliis statutis determinantur. Alia etiam, nisi adsit ratio proportionata propter quam iudicetur in tali casu cessare omnis obligatio, difficile absque aliquo peccato violabuntur, eo ipso quod aberit motivum rationabile contra ea agendi [a].

Notat praeterea SUAREZ (tr. VIII, l. I, c. 3, n. 8) quod « in regulis misceri solent alia quae sunt mera consilia, et ex omnium sententia nullam obligationem inducunt, praeter eam quam ex natura rei vel ex evangelio habent res de quibus fiunt ». Sic in Societate regulae Summarii 8, 11, 12, 15, 16, 17, 18. « Ita tamen, addit infra, hoc est accipiendum, ut etiam illa, quae dicuntur consilia, censeantur specialiter proposita professoribus huius regulae, ut ad illa aspirare debeant et secundum illam regi a Superioribus possint et ordinationes recipere.... Unde solum videntur ab aliis (regulis) in hoc differre, quod defectus vel imperfectiones contra illa puniri non possunt: quia dispositiones internas ordinant, et pro actibus internis nullus ab homine iudicatur vel punitur ».

3. Substantialia Instituti; de his immutandis non licet agere. — In Instituto aliqua sunt *substantialia*. De his agere in Congregatione, etiam generali, non licet. Ita CONGR. I,

---

2. (a) Cf. SUAREZ, tr. VIII, l. I, c. 3, nn. 12, 13, 14, ubi explicat quomodo violatio regulae ut plurimum culpa non vacat. Sed si violatur regula per omissionem ex mera inadvertentia, etiamsi inadvertentia sit voluntaria in causa, imo etiamsi sit ex causa in se mala, « tunc, ait, censeo semper excusari omnem culpam in tali omissione ». Rationem dat quia, cum ipsa regula ex se non obligabat in conscientia, nulla etiam erat obligatio advertendi ad eam; unde inadvertentia, etiam voluntaria et ex causa culpabili, non propterea rationem culpae habuit. Deinde subiungit: « In violatione regulae semper est aliqua *imperfectio*, scilicet defectus perfectionis convenientis...: imperfectio enim latius patet quam culpa venialis » (n. 15).

d. 16; Congr. II, d. 6 (a). Et Congr. IV, d. 26, statuit: « Ne quis in Congregationibus provincialibus audeat de huiusmodi rebus quocumque praetextu verba facere. Si quis de his rebus ibi aut alibi usquam quaestionem instituat, serio corripiatur et corrigatur » (vide Censuras et Praecepta, c. 2). Haec prohibitio valet, etiam cum dubium sit an aliquid sit substantiale (Congr. VI, dd. 12 et 19). Dubium autem habetur, si vel unus ex deputatis (ad postulata secernenda) rem propositam esse de substantialibus absolute affirmet (Congr. VII, d. 35).

Quaenam sint substantialia Instituti? — Congr. V, d. 58, declaravit esse « in primis ea quae in Formula Instituti Iulio III proposita continentur; deinde ea sine quibus illa aut nullo modo aut vix constare possunt ».

Nonnulla enumeravit, nimirum: Esse aliqua impedimenta essentialia in admittendo. — Non esse necessariam formam iudicialem in dimittendo. — Reddendam esse Superiori rationem conscientiae. — Unumquemque debere esse contentum ut sui defectus Superiori manifestentur. — Paratos esse omnes debere ut se invicem manifestent, cum amore et charitate. — Sunt praeterea alia, « a quibus recensendis consultius est supersedere », ait Congr. VII, d. 40. — Suarez, tr. X, c. X, c. 14, n. 3, ad 15 capita reducit ea quae in duabus Formulis Instituti inveniuntur.

4. Aliae praecipuae obligationes (a). — **Quoad propriae personae dispositionem** circa loca, occupationem, studia, sani-

3. (a) Congr. I, d. 16: « Non solum in universum non esse agendum, sed nec particulatim de constitutionibus substantialibus nostri Instituti ». — Congr. II, d. 6: « Placuit omnibus communi consensu, ut nihil ad substantialia Instituti nostri pertinens posset immutari ». — Verum est quamlibet Congregationem generalem supremam habere auctoritatem; et ideo non posse imponi ab una obligationem ne alia subsequens de aliqua materia agat. Quare, nisi accedat aliqua prohibitio auctoritatis superioris, scilicet Sanctae Sedis, decreta Iae et 2ae Congregationis non videntur ligare Congregationes sequentes. Sed prohibitio S. Sedis forsan habetur in Const. Gregorii XIV, *Ecclesiae Catholicae* (1591), in qua statuitur « ut in Societatis Congregationibus quibuscumque eo prorsus modo procedatur, atque ea tantum tractentur aut definiantur, quae in Constitutionibus ac Congregationum generalium decretis statutum iam est vel in posterum statuetur ut in iisdem Congregationibus tractentur et definiantur ». — Ex hoc S. Pontificis statuto forsan dici potest: ubi aliqua Congregatio prohibuit tractare certam materiam etiam in Congregatione generali, eam materiam amplius tractari non posse, nisi ex S. Sedis dispensatione.

4. (a) Vide Suarez, tr. X, l. X, c. 14.

tatis curam. Omnes in his a Praeposito Generali omnino dependent.

1° Dependentia *circa loca* ex fine Societatis, qui est impense in salutem animarum incumbere, consequitur (b). Praeterea explicite affirmatur in CONST., P. IX, c. 3, n. 9: « (Generalis) mittere poterit omnes sibi subditos, sive professionem emiserint sive non emiserint, quos mittendos iudicaverit, ad quaslibet mundi partes, inter fideles vel infideles, ad quodvis tempus..., ad quamvis actionem, ex iis quibus uti ad proximorum auxilium Societas solet, exercendam. Poterit etiam missos revocare, et in omnibus denique, ut ad maiorem Dei gloriam fore senserit, procedere » (cf. P. VII, c. 1, n. 1). Et P. VII, c. 2, n. 1: « Praepositi Societatis, iuxta facultatem eis a S. P. concessam, mittere quosvis de Societate poterunt quocumque magis expedire iudicabunt.... Erit autem eius qui mittitur officium, nulla ratione se ingerendo ad eundum vel manendum in hoc loco potius quam in alio, plenam ac omnino liberam sui dispositionem Superiori... relinquere ». — Nec sanitas est causa propter quam aliquis mutationem loci praetendere possit: hoc ad prudentiam et caritatem Superioris relinqui debet. « Si experimento comperiretur aliquis ferre non posse alicuius regionis coelum, et male habere continenter cerneretur, Superiori considerandum relinquitur, num ille migrare alio debeat; non erit tamen ipsius infirmi huiusmodi mutationem postulare, nec animi propensionem ad eam ostendere; sed Superioris curae id relinquetur ». Ita P. III, c. 2, *litt.* G.

2° Eamdem liberam sui dispositionem unusquisque Superiori relinquere debet *quoad munera et officia*. — In 2ª FORMULA INSTITUTI dicitur: « Ne quis forte zelo utatur, sed non secundum scientiam, proprii cuiusque gradus et officiorum discretio ac distributio tota sit in manu Praepositi Generalis.... vel eorum quos ipse sibi ea cum auctoritate substituerit ». Et in CONSTIT.: « Idem Generalis officia praedicatorum, lectorum et confessariorum distribuet. De aliis officiis tantumdem intelligatur; et quemlibet eo in munere, quod convenientius ad divinum obsequium et salutem animarum obiturus in Domino videbitur, constituet. — Hoc, sicut alia multa poterit

---

(b) « Nostrae vocationis (est) diversa loca peragrare et vitam agere in quavis mundi plaga, ubi maius Dei obsequium et animarum auxilium speretur ». P. III, c. 2, *litt.* G; — et P. VI, c. 3, n. 4: « Nostra vocatio in hoc aut illo loco (est) incerta ». Cf. P. VII, c. 1, n. 1, et c. 2, *litt.* H.

exsequi Generalis per suos ministros, sive Praepositi locales illi fuerint sive non » (P. IX, c. 3, n. 9 et *litt.* H). — Et P. IV, c. 10, n. 5, commendatur scholasticis « Rectorem suum magnopere reveri ac venerari, liberam sui ipsorum rerumque suarum dispositionem cum vera obedientia ipsi relinquendo ». Cf. EXAM., c. V, n. 8, et c. VI, n. 7. Huc spectat obligatio, de qua c. X, n. 27 dictum est, acceptandi gradum a Pr. Generali unicuique praescriptum, quae cadit sub quarto scholasticorum voto.

3° *Dependentia quoad studia.* — In CONST., P. IX, c. 3, n. 2, habetur: « Generalis erit quos mittendos iudicaverit, et quocumque volet, ad studia litterarum mittere. Poterit et eosdem revocare ante vel post absoluta studia, ac transferre ab uno in alium locum ». Et P. IV, c. 5, nn. 2 et 3: « Quid hi vel illi addiscere debeant, Superiorum prudentiae relinquetur.... De tempore alicui ex his scientiis impendendo et quando ad ulteriores sit progrediendum Rector.... considerabit et statuet ». Et ideo in EXAM., c. VII, n. 3 praecavetur: « Qui ad studia litterarum idoneus invenietur, interrogetur an velit se duci sinere circa ea quibus studere debeat ac studiorum modum et tempus, iuxta quod Societati vel eius Praeposito aut collegii Superiori videbitur ».

4° *In infirmitatibus,* aegrotantes omnem sui curam relinquere debent Superiori ac eius ministris (P. III, c. 2, *litt.* G); imo « obedientiam medico et infirmario praestare » (P. III, c. 1, n. 17)[c]; nec infirmitas ex aliquo regionis coelo proveniens, ratio est sufficiens ad postulandam mutationem loci, ut supra dictum est.

5. Obligationes quoad doctrinam. — Circa eam commendatur uniformitas et soliditas.

1° **Uniformitas.** — « Doctrinae differentes non admittantur, nec verbo in concionibus vel lectionibus publicis, nec scriptis libris ». Ita in CONST., P. III, c. 1, n. 18; et *litt.* O: « Novae opiniones admittendae non sunt. Et, si quis aliquid sentiret quod discreparet ab eo quod Ecclesia et eius Doctores communiter sentiunt, suum sensum definitioni ipsius Societatis debet subiicere, ut in Examine dictum est. In opinionibus

---

(c) Praeterea EXAM., c. IV, n. 32: « Aegritudinis tempore non solum observare unusquisque obedientiam magna cum puritate debet erga Superiores spirituales, ut ipsius animam regant, sed cum eadem humilitate erga medicos corporales et infirmarios, ut corpus eius regant ».

etiam, in quibus Catholici Doctores variant inter se vel contrarii sunt, ut conformitas etiam in Societate sit, curandum est ».

Circa hunc locum Constitutionum, CONGR. V, dd. 6 et 50, animadvertit: Societatem, ut aliqui eam calumniati sunt, non sibi arrogare magisterium et potestatem definiendi dogmata fidei, et obligandi suos ad submittendum iudicium suum tali definitioni: nam non agitur hic de veritatibus fidei, sed de iis in quibus variae habentur opiniones inter Doctores Catholicos. — Notavit insuper Constitutiones tria in hac materia statuere: « 1° ut Nostri non inducant novas opiniones; 2° ut, si quando contra communem senserint, sequantur quod Societas iudicaverit; 3° ut in controversiis, in quibus neutra opinio est adeo communis, redigantur ad conformitatem, ut sic idem sapiamus et idem dicamus omnes ».

2° **Soliditas.** — Providetur ut Nostri « sequantur in quavis facultate securiorem et magis approbatam doctrinam et eos auctores qui eam docent » (P. IV, c. 5, n. 4). Ideo in theologia, doctrina scholastica D. Thomae, in philosophia doctrina Aristotelis tenenda est (P. IV, c. 14, nn. 1 et 3).

Has Constitutionum praescriptiones CONGR. V, dd. 41 et 56 late et graviter confirmavit. Praecipue voluit ut « Nostri omnino S. Thomam ut proprium doctorem habeant, eumque in scholastica doctrina sequi teneantur;... atque ut qui eius sint parum studiosi, a docendi munere repellantur ». CONGREG. XXIII, *decr.* 15, firmissime his legibus adhaesit, et simul, *decr.* 18, commendavit ut Nostri magni faciant et diligenter consulant eximios Societatis Doctores. Utrumque decretum rursus inculcavit CONGR. XXV, d. 6, et insuper *decr.* 16 temerarias novitates graviter reprobavit [a].

---

5. (a) Haec decreta maiorem vim acceperunt ex Encyclica *Pascendi* (8 *sept.* 1907), ubi philosophia S. Thomae contra errores modernismi commendatur, et ex *Instructione* quod S. OFFICIUM, post decretum *Lamentabili* (3 *iul.* 1907), misit ad RR. locorum Ordinarios, familiarumque religiosarum Moderatores, d. 28 *aug.* 1907 (cf. c. XI, n. 21). — A. R. P. WERNZ, in epistola 8 *ian.* 1908, exactam horum statutorum observantiam urget, Superiores monet ut invigilent lectionibus scholasticorum, ut arceantur a communi usu libri modernistarum erroribus infecti, et tandem ut in S. Scriptura explicanda prae oculis semper habeantur normae a S. Sede propositae, ut iam praescriptum invenitur in CONGR. XXV, *decr.* 14, n. 2.

Ad doctrinam pertinet **librorum editio.** — Libri « edi non possunt in lucem sine approbatione atque consensu Praepositi Generalis, qui eorum examinationem saltem tribus committere debet sana doctrina et claro iudicio in ea facultate praeditis ». Ita CONST., P. III, c. 1, n. 18. Eadem praescriptio repetitur P. IV, c. 6, *litt.* O, atque P. VII, c. 4, n. 11. Habetur de hoc argumento specialis *Ordinatio* P. BECKX in Instituto inserta. — CONGR. XXV, d. 11, n. 5, « Superioribus commendat ut ab omnibus censoribus, accuratam quidem, sed aequam exigant executionem eorum quae de edendis libris in Iure communi Ecclesiae et in Instituto nostro sunt sancita ».

6. Obligationes quoad austeritates et officia humilia. — 1. *De Poenitentiis* tria statuuntur: *a)* non sunt ordinariae poenitentiae ex regula subeundae; *b)* quisque acceptare debet poenitentias sibi a Superioribus iniunctas; *c)* poenitentiae privatae, quas unusquisque assumet, discretae sint necnon a confessario vel a Superiore approbatae [a].

2. Quoad *officia humilia* et sensui repugnantia, unusquisque ea quae ipsi iniuncta fuerint suscipere debet. Speciatim exprimitur omnes mitti posse ad mendicandum ostiatim [b]. Unus-

---

6. (a) Vita Societatis « communis est, nec ullas ordinarias poenitentias vel corporis afflictiones ex obligatione subeundas habet » (EXAM., c. I, n. 6). — Nihilominus, quoad obligationem poenitentiae subeundae, quisque subire et adimplere debet « quasvis poenitentias, quae propter defectus et negligentiam suam vel quidvis aliud fuerint iniunctae » (EXAM., c. IV, n. 33, et cf. n. 41), « etiamsi propter defectum non culpabilem iniungerentur » (CONST., P. III, c. I, n. 15). — Quoad poenitentias voluntarias, « illas assumere quivis poterit, quae sibi videbuntur, cum approbatione Superiorum, ad maiorem sui spiritus profectum convenire et quas propter eumdem finem Superiores eis poterunt imponere » (EXAM., c. I, n. 6). Attamen « corporis castigatio immoderata esse non debet nec indiscreta in vigiliis et abstinentiis et aliis poenitentiis externis ac laboribus.... Ideo suo confessario detegi ab unoquoque convenit quidquid in hac parte faciat: qui si iudicat excedi mensuram aut certe dubitat de excessu, illum ad Superiorem remittat » (P. III, c. 2, n. 5), cuius approbationi standum est (EXAM., c. I, n. 6). Et quod in parte III de scholasticis dicitur, id in P. VI, c. 3, n. 1, de professis et coadiutoribus formatis repetitur.

(b) EXAM., c. IV, nn. 27 et 28: « Antequam professi suam professionem et coadiutores sua vota emittant.... ostiatim pro Christi Domini nostri amore mendicare debent,... ut etiam magis sint dispositi ad id ipsum faciendum, quando illis iniunctum fuerit vel conveniens aut necessarium

quisque contentus esse debet ut omnes errores et defectus sui Superioribus manifestentur, et ut ab aliis corrigatur. Exam., c. iv, n. 8.

7. Obligationes circa ea quae ad familiam, ad litteras, ad conversationem cum externis spectant.

1. « Unusquisque existimet sibi patrem, matrem, fratres, sorores, et quidquid in mundo habebat relinquendum,... omnem carnis affectum erga sanguine iunctos exuere debet, ut qui Christum Dominum loco parentum, fratrum et rerum omnium habet » (Exam., l. c.).

2. Non debent communicare nec verbo nec scripto cum amicis et sanguine coniunctis, nisi quando Superiori videbitur (Exam., c. iv, n. 6); et ideo litterae omnes, quas acciperent et quas ipsi obtenta facultate aliis scribent, videbuntur ab eo cui huiusmodi munus commissum fuerit, qui eas reddet aut non reddet, quemadmodum in Domino magis expedire existimabit (Exam., *ibid.*, et Const., P. iii, c. 1, *litt.* B).

3. Quando bonis suis aliquis renuntiat, dispensare ea debet secundum consilium evangelicum, quod non dicit: « da consanguineis, sed pauperibus » Exam., c. iv, n. 2. Ideo cum existimaret in consanguineos ea esse dispensanda, committere id debet iudicio unius vel duorum vel trium virorum e Socie-

---

fuerit » (n. 27). « In probationibus humilitatis et abnegationis sui et exercendis officiis abiectis et humilibus, cuiusmodi sunt in culina servire, domum everrere, et reliqua omnia servitia obire, promptius ea suscipi convenit a quibus sensus magis abhorrebit: si quidem iniunctum fuerit ut in eis se exerceant » (n. 28). Et n. 46: « Maius ac impensius (cuiusque) studium sit quaerere in Domino maiorem sui abnegationem et continuam in rebus omnibus, quoad poterit, mortificationem. Nostrum autem erit (scilicet Superiorum Societatis) in eisdem.... eum iuvare ».

Const., P. iii, c. 1, n. 22: « Magnopere conferet.... ea munera obire in quibus magis exercetur humilitas et charitas »; et n. 27: « Studium in quod incumbent qui in domibus Societatis probantur, id esse debet, quod eos magis ad superius dictam abnegationem sui et in virtutibus ac devotione profectum iuvabit ». — Omnes dispositi esse debent ad mendicandum ostiatim, quando eis iniunctum fuerit vel conveniens aut necessarium erit. Ita Exam., c. iv, n. 27; et similia habentur in Const., P. vi, c. 2, n. 10, ac P. iv, c. 2, n. 6, ubi dicitur: « Si necessitas collegii id exiget, mendicari poterit ». — Quod ad missiones attinet, Nostri mitti possunt « pauperum more, sine iumento et pecunia » (P. vii, c. 2, *litt.* G), et etiam ita ut, ubi mittuntur, « ex eleemosynis propter Christi amorem emendicatis » vivant (P. vii, c. 1, *litt.* E).

tate aut externorum, qui et doctrina et pietate commendentur, et eisdem acquiescere (Exam., c. iv, n. 3 et *litt.* A; Const., P. iii, c. 1, *litt.* G).

8. Obligationes circa exercitia spiritualia.

1. *Confessio, Communio et Missae celebratio:* « Omnes octavo quoque die saltem ad Confessionis et Communionis sacramenta accedere debent ». Const., P. iii, c. i, n. 11; P. iv, c. 4, n. 3; Exam., c. iv, n. 25[a]. « Differri non debet Communio aut Missae celebratio, sine causis iudicio Superioris legitimis, ultra octo dies ». P. vi, c. 3, n. 2.

« Unus omnium sit confessarius ab eodem Superiore constitutus. Quod si fieri non poterit, quisque certe suum stabilem habeat confessarium, cui ipsius conscientia prorsus aperta sit ». P. iii, c. i, n. 11. — Item P. vi, c. 3, n. 2.

Quae de confessione uni confessario in Constitutionibus dicuntur, accommodari debent Litteris et Decretis SS. Pontificum in hac materia, specialiter *decreto* Clementis viii (26 *mai* 1593) aut Brevi Urbani viii, *In his auctoritatis* (d. 23 *aug.* 1641). — Vide Comp. Priv., n. 125, et infra, c. xxi, n. 11.

2. *Missae auditio et examen duplex conscientiae.* — S. Ignatius statuerat: « Praeter Missam, quam quotidie audient, horam unam impendent recitando B. M. officio, ac examinandis bis quotidie suis conscientiis, cum aliis orationibus pro cuiusque devotione, usque ad horam praedictam explendam ». P. iv, c. 4, n. 3 et 4. Cf. P. iii, c. i, n. 11. Haec fuerunt paululum immutata: servata auditione quotidiana missae, necnon duplici examine per quadrantem, plus temporis fuit orationi mentali attributum, ut statim dicetur.

3. *Hora meditationis.* — S. Ignatius eam non praescripserat; sed S. Franciscus Borgia, ex potestate illi facta a Congr. ii, d. 29, horam integram orationi mentali ab omnibus dari, iuxta usum iam communem, praescripsit. Quam praxim sancivit

---

8. (a) Cum accessio ad S. Communionem, quae tempore S. Ignatii frequens non erat, postea, crescente devotione erga S. Sacramentum, non videbatur sufficiens, usus invaluit ut Nostri paulo frequentius ad S. Synaxim accederent, donec facto decreto S. C. C., de quotidiana Communione (20 *dec.* 1905), Congr. xxv, d. 10, statuit immutanda esse ea quae in Instituto ei essent contraria. Vide decretum.

Congr. iv, d. 5. « Decretum fuit praedictam consuetudinem unius horae integrae orationis, praeter tempus duplicis examinis quotidiani, tamquam piam et salutarem, omnino retinendam esse, prout a R. P. Borgia fuit introducta ».

4. *Lectio spiritualis.* — Congr. vii, d. 25, n. 3 statuit: « Ante examen vespertinum quadrantem integrum lectioni spirituali et praeparationi orationis matutinae esse impendendum ».

5. *Renovatio votorum cum confessione generali et ratione conscientiae.* — In Const., P. iv, c. 4, n. 5, dicitur: « Bis annis singulis... simplicia vota congruum erit renovare ». — Congr. vi, d. 29, statuit ut utramque votorum renovationem praecedat *Triduum renovationis* pro omnibus renovaturis. — Praeterea eodem tempore fit confessio generalis semestris et redditur ratio conscientiae. In Examine, c. iv, n. 38, de ingredientibus Societatem dicitur: « Sexto mense rationem sui quisque reddet ». Et n. 41: « Sexto quoque mense... generaliter, ab ultima inchoando, confitebitur ».

Deinde regulis communibus praescriptum fuit: « Omnes qui professi aut formati coadiutores non sunt bis in anno sua vota renovabunt, praemissa confessione generali; quo tempore rationem suae conscientiae reddent, et quoties etiam Superiori visum fuerit, iuxta morem Societatis » (*reg.* 4 *Communium*).

6. *Confessio generalis annua cum ratione conscientiae ab omnibus reddenda.* — Praeter id quod in Examine omnibus Societatem ingredientibus praescribitur, dicitur in Const., P. vi, c. i, n. 2: « Tam omnes professi, quam formati coadiutores, semel singulis annis, et quoties praeterea Superiori visum fuerit, ad suas conscientias.... aperiendas parati esse debebunt, tum etiam ad confessionem generalem quae ab ultima generali inchoetur ». — Idem dicitur in Exam. Gen., c. iv, n. 40.

7. *Exercitia octiduana quotannis.* — Congr. vi, d. 29, n. 2, decrevit: « Ut omnes quotannis vacent spiritualibus Exercitiis per octo vel decem dies continuos ». — Congr. viii, decr. 38, facultatem ab eis dispensandi Provinciali reservavit.

9. Obligationes quoad disciplinam domesticam.

1. *Egressus.* — « Egredi domo non debent, nisi quando et

cum quo socio Superiori visum fuerit » (Const., P. III, c. I, n. 3)[a]. Quae praescriptio facta est *regula* 43 *Communium*.

2. *Ingressus in cubicula*. — « Sine facultate a Superiore accepta ordinarie unus cubiculum alterius non ingrediatur, et si cum ea facultate ingressus fuerit, ostium semper apertum maneat, quamdiu cum alio ibidem fuerit » (P. III, c. I, *litt.* D). Inde sumpta est *regula* 33 *Communium*.

3. *Silentium*. — Supponitur eius obligatio P. III, c. 1, n. 4, ubi de pace et vera humilitate interna dicitur, quod « eam in silentio, cum id observandum est,... exhibere » curent. Modus autem quo silentium servari debet praescribitur in *regula* 26 *Communium*.

4. De *litteris* accipiendis et scribendis, supra dictum est.

5. *Nihil clausum* Superiori habere debent, nec ianuam, nec arcam (P. IV, c. 10, n. 5 et *litt.* D)[b]. Inde *regula* 11 *Comm.*

6. *Occupationes, otium*. — « Omnes, quamdiu corpore bene valent, in spiritualibus vel exterioribus rebus habeant in quo occupentur,... ne otium, malorum omnium origo, domi nostrae locum habeat » (P. III, c. I, n. 6). Cf. *regulas Provincialis*, c. XV, n. 12.

7. *Regularum communium observatio*. — In prooemio Constitutionum S. Ignatius monebat: « Praeter utrasque (sc. Constitutiones et earum Declarationes), quaedam Ordinationes erunt necessariae, quae diversis temporibus, locis et personis, in diversis domibus, collegiis et officiis Societatis, uniformitate tamen, quoad eius fieri poterit, retenta, possint accommodari[c]. Id solum admonebimus, quod ab unoquoque, qui ibi fuerit ubi hae observentur, iuxta voluntatem Superioris qui ei praefuerit, sunt observandae ». — Et P. VI, c. 3, n. 3 (quae pars est pro professis et coadiutoribus formatis): « Ex regulis particularibus, quae in domibus ubi fuerint observantur, debent operam dare ut eam partem observent quae conveniens est ac iudicio Superioris ipsis imponetur ».

Congr. IV, d. 22, cum ab ipsa peteretur ut, hunc locum Constitutionum explicans, declararet « omnes regulas com-

9. (a) Cf. decretum *Nullus* (1599) Clementis VIII, nn. 19, 20, 21; et supra c. XI, n. 6.

(b) Decr. *Nullus*, n. 24.

(c) Summarium Constitutionum, Regulae communes et praecipuae regulae variorum officiorum iam a S. Patre Ignatio aut a P. Laynez fuerunt confectae, ut apparet ex decreto 133 Congr. I, et dd. 28 et 57 Congr. II (Cf. Congr. III, d. 27); fuerunt deinde a S. Francisco Borgia et P. Mercuriano revisae et correctae.

munes Societatis ab omnibus, etiam professis et coadiutoribus formatis, observandas esse », decrevit: « Omnes ad earum observationem teneri ».

10. Varia Societatis ministeria [a]. — Ministeria, ad quae Societas est instituta et quae sunt eius propria, enumerantur in utraque Instituti Formula, in Constitutionibus, maxime P. VII, c. 4, et P. IV, c. 8. Aliqua etiam indicantur in INSTRUCTIONE IV, n. 3.

1. In PRIMA FORMULA (C. *Regimini* PAULI III, 1540), indicantur publicae praedicationes et verbi Dei ministerium; Exercitia spiritualia populo tradita; charitatis opera, et nominatim puerorum ac rudium in Christianismo institutio; confessionum auditio.

2. In SECUNDA FORMULA (C. *Exposcit debitum* IULII III, 1550) declaratur « Societatem ad hoc potissimum esse institutam, ut ad fidei defensionem et propagationem, et profectum animarum in vita et doctrina Christiana intendat ».

Media autem quibus hunc finem Societas assequatur, haec enumerantur: publicae praedicationes, lectiones, et aliud quodcumque verbi Dei ministerium; Exercitia spiritualia; puerorum ac rudium in Christianismo institutio; Christi fidelium confessiones; caeterorum Sacramentorum administratio; dissidentium reconciliatio; eorum qui in carceribus vel hospitalibus inveniuntur pia subventio et ministerium; reliqua tandem charitatis opera, quae ad Dei gloriam et commune bonum expedire videbuntur.

3. In CONSTITUTIONIBUS, primum modo generali declaratur, P. VI, c. 3, n. 4: « Occupationes, quae ad animarum auxilium assumuntur, magni momenti sunt ac nostri Instituti propriae et valde frequentes »; et P. VII, c. 1, n. 1, hae eaedem occupationes erga proximos dicuntur esse « finis nostri Instituti valde proprius ». Similia habentur in pluribus aliis Constitutionum locis. Porro P. VII, c. 4, praeter bonum exemplum, sancta desideria, orationes et Missas (nn. 2, 3, 4), haec ministeria indicantur [b]:

---

10. (a) Hic supponitur habilitas Regularium ad diversa munia ecclesiastica, quae cap. XVII stabilietur: et hac praesupposita, indicatur quaenam ex iis muniis sint Instituto Societatis Iesu consentanea, quaenam non sint.

(b) Pleraque ex his ministeriis rursus indicantur P. IV, c. 8; cuius capitis titulus est « de Scholasticis instituendis in iis quae ad proximos suos iuvandos pertinent ».

Sacramentorum administratio, maxime Confessionis et Communionis (n. 5); conciones, lectiones, doctrina Christiana, tum in ecclesiis Societatis et aliis, tum in plateis et aliis locis populo proposita (nn. 6 et 7); privata pia colloquia, consilia, exhortationes (n. 8); Exercitia spiritualia (n. 8); opera corporalia pietatis, ut sunt visitare infirmos in hospitiis, dissidentes ad concordiam revocare, pauperes et carceribus detentos sublevare (n. 9); scribere libros (n. 11). — His alia alibi adduntur: iuvare morientes (P. IV, c. 8, n. 7); scholas publicas aperire (P. IV, c. 7); universitates regere (P. IV, c. 11); missionibus apud fideles et infideles incumbere (P. VII, cc. 1 et 2).

4. Ex aliis fontibus addi debent: « Casuum conscientiae ad ecclesiasticos eorumque officii explicatio » *(Reg. 11 Missionum)*; Congregationum B. M. V. et Bonae mortis erectio ac directio (COMP. PRIV., n. 396); praeterea reducere eos qui sunt in malo statu; iuvare confraternitates ubi sunt, et ubi non sunt introducere; adire scholas externorum et ibi aliquas conciones habere; iuventutem ad confessionem allicere; visitare infirmos extra hospitia; eleemosynas quaerere pro iis qui sunt in carceribus aut xenodochiis; facere missiones ad loca vicina. Ita ex INSTRUTIONE IV, n. 3, quae tota est de occupationibus variis pro sacerdotibus operariis Societatis. Eam videas, necnon COMP. PRIV., l. c.

11. De praecipuis ex his ministeriis, haec in Instituto habentur.

1. *Publicae praedicationes.* — CONST., P. VII, c. 4, n. 6: « Proponatur verbum Dei populo assidue in ecclesia, in concionibus, lectionibus, et in Christiana doctrina, per eos quos Superior probaverit et ad tale munus destinaverit ». N. 7: « Potest et hoc ipsum, quod dictum est, extra ecclesiam Societatis, in aliis ecclesiis vel plateis vel aliis locis praestari, quando ei, qui caeteris praeest, ad maiorem Dei gloriam conferre videbitur ». P. IV, c. 8, n. 3, de scholasticis dicitur: « In concionibus etiam et sacris lectionibus eo modo proponendis, qui aedificationi populi conveniat, se etiam exerceant » ; et P. III, c. 1, n. 21: « Convenit omnes exerceri.... in concionibus domesticis ».

2. *Spiritualia Exercitia.* — CONST., P. IV, c. 8, n. 5: « Ad Exercitia spiritualia aliis tradenda.... (scholastici) assuescant, et dent operam omnes ut et eorum reddere rationem, et in hoc armorum spiritualium genere tractando (quod Dei gratia ad ipsius obsequium tantopere conferre cernitur) dexteritatem

habere possint ». Et P. VII, c. 4, n. 8, eadem Exercitia commendantur sacerdotibus.

3. *Puerorum ac rudium instructio* seu *propositio doctrinae Christianae.* — Professi et Coadiutores spirituales, in ipsa formula votorum, promittunt « peculiarem curam circa puerorum eruditionem, iuxta formam vivendi in Litteris Apostolicis Soc. Iesu et in eius Constitutionibus contentam » (P. V, c. 3, nn. 3 et 6; c. 4, n. 2). In c. 3, *litt.* B, declaratur hanc promissionem non inducere aliam obligationem quam reliqua spiritualia exercitia, quae ad auxilium proximorum adhibentur; « de pueris docendis autem fieri mentionem in voto ea de causa, ut sancta haec exercitatio peculiari modo sit commendata et devotius curetur, propter singulare obsequium quod Deo per eam in animarum auxilio exhibetur ». Ad praxim huius Constitutionis promovendam, Congr. II, d. 58, statuit ut quivis professus vel coadiutor spiritualis « post editam professionem aut vota simplicia, intra annum, per 40 dies continuos vel interpolatos doctrinam Christianam pueros atque rudes personas docere teneatur ». Praeterea de Rectore statuitur in CONST., P. IV, c. 10, n. 10: « Rector ipse legere aut docere Christianam doctrinam 40 dies debet ». Congregatio II, d. 65, definivit hac obligatione eos fungi debere « intra annum, postquam officium Rectoris inierint ». — Traditio doctrinae Christianae est unum e sex experimentis Probationis (EXAM., c. IV, n. 14). — Scholastici « studium congruum in modo tradendae doctrinae Christianae, qui sit captui puerorum ac rudium accommodatus, adhibere debent » (P. IV, c. 8, n. 6). Hoc ministerium specialiter commendatur Rectori regula sua 66ª, et Praeposito reg. 39ª: « Nominatim vero puerorum ac rudium personarum in Christianismo institutionem, tamquam proprium nostrae vocationis ministerium valde commendatum habeat ».

4. *Christi fidelium confessiones et sanctae Eucharistiae distributio.* — P. VII, c. 4, n. 5: « Poterit iuvari etiam proximus sacramentorum administratione, praecipue in audiendis confessionibus, ad quas aliqui a Superiore, qui eo fungantur officio, sunt designandi, et in sancto Eucharistiae sacramento.... administrando ».

Ideo scholastici « in ministerio etiam sacramentorum confessionis et communionis se exerceant » (P. IV, c. 8, n. 4).

5. *Caeterorum sacramentorum administratio.* — Praeter S. Communionem, de qua duobus locis supra citatis fit mentio specialis, aliis sacramentis administrandis fere locus non est, nisi in missionibus exteris, et ubi Nostri functionibus parochialibus detinentur (infra, c. XIX, nn. 8 et 9).

6. *De dissidentium reconciliatione et corporalibus pietatis operibus.* — P. VII, c. 4, n. 9: « Corporalibus etiam pietatis operibus, quantum spiritualia permittent quantumque vires patientur, incumbent, ut infirmis iuvandis, praecipue in xenodochiis eos invisendo et aliquos qui eis serviant mittendo; et dissidentes ad concordiam revocando; sic etiam pauperes ac in custodiis publicis detentos, quoad eius fieri poterit, per se sublevando et ut alii sublevent curando ». — Ideo servire in xenodochiis per unum mensem est secundum ex praecipuis probationis experimentis (EXAM., c. IV, n. 11).

Eadem opera misericordiae Praeposito domus professae regula sua 40 commendantur: « Procuret diligenter, ne desint.... qui extra domum aegrotorum confessiones audire, morientibus opem ferre, et eos qui in carceribus et hospitalibus inveniuntur visitare et consolari possint, et reliquis pietatis operibus, quae in Litteris Apostolicis nostri Instituti et Constitutionibus proponuntur, incumbere ». — Provincialis in visitatione interrogare debet « an infirmi, hospitalia, carceres, et triremes (ubi essent) visitentur et adiuventur a Nostris (*Reg. Provinc.*, c. XV, n. 7).

Attamen, quamquam infirmis in xenodochiis servire sit opera charitatis a Societate minime aliena, Societas ipsa habere xenodochia non debet, propter easdem rationes pro quibus a choro et cura animarum abstinet.

7. *Missiones apud fideles et infideles.* — Missiones sunt ministerium Societatis valde proprium, siquidem professi votum speciale obedientiae summo Pontifici circa missiones faciunt. De missionibus longe tractatur in CONST., P. VII, cc. 1, 2, 3. — CONGR. V, d. 46, missiones uti unam ex praecipuis nostrae Societatis functionibus, et professorum propriam habuit, easque diligenter exerceri voluit.

Missiones, si respicitur ille qui mittit, triplici modo fieri possunt: alii a S. Pontifice mittuntur, alii a Superioribus Societatis; alii, « quorum iudicio relictum fuerit ut discurrant quocumque Dei obsequium et animarum profectus postulabit,

ipsi eligunt, quo eant ad spargendum verbum Dei » (P. VII, c. 1. n. 1).

« Eius est autem qui mittitur officium, nulla ratione se ingerendo ad eundum vel manendum in eo loco potius quam in illo, plenam ac omnino liberam sui dispositionem Superiori, qui eum Christi loco dirigit, relinquere » (P. VII, c. 2, n. 1).

8. *Privati sermones.* — P. VII, c. 4, n. 8: « Curabunt etiam privatim proximum piis colloquiis ad meliora promovere, tum consilio et exhortatione ad bona opera, tum etiam tradendis spiritualibus Exercitiis ». — Et hoc ministerium etiam ad fratres coadiutores pertinet (EXAM., c. VI, n. 4).

9. *Morientibus assistere.* — P. IV, c. 8, n. 7 et *litt.* G, de scholasticis dicitur: « Curandum est ut ea, quae ad bene moriendum conferunt, (ab eis) percipiantur, quique modus in eo tempore, in quo tantum est momenti,... teneri debet, intelligatur ». Et *reg.* 40 *Praepositi:* « Procuret ne desint, qui aegrotorum confessiones audire, morientibus opem ferre.... possint ».

10. *Scholae publicae.* — P. IV, c. 7, n. 1: « Habita ratione non solum profectus in litteris scholasticorum nostrorum, sed etiam profectus in litteris et moribus externorum, quos in nostris collegiis instituendos suscipimus, scholae publicae, ubi commode id fieri poterit, aperiantur ».

Iuventutis eruditio ac institutio a PIO VII, in Brevi pro restitutione Societatis in regno Siciliae (1804), veluti una ex praecipuis causis cur Societas restituatur, proponitur [a]. — In Brevi *Dolemus* (1886), LEO XIII Societatem hortatur ut « pergat iuventutem christianis virtutibus bonisque artibus instruere ».

Nihilominus ex collegiis duo incommoda Societati diversis temporibus evenerunt: unum, ut tot collegiis sustinendis pene exhauriretur; alterum, quod ex male fundatis collegiis angustiae magnae ortae sint. Inde varia Congregationum decreta (CONGR. I, d. 73; CONGR. II, d. 8; CONGR. III, d. 17; CONGR. V, d. 69; CONGR. XI, d. 16; CONGR. XXII, dd. 17 et 18). — Propter primam rationem onus pueros in legendo et scribendo instruendi Societas ordinarie non suscipit, quamvis id etiam sit

---

11. (a) In hoc Brevi de Societate dicitur: « Inter cuius praecipua munia sodalibus eidem adscriptis incumbentia illud recensetur: adolescentes, aut in collegiis altos aut in publicis gymnasiis congregatos, erudiendi ac instruendi ».

opus charitatis (P. IV, c. XII, *litt.* C.). — Olim dubitatum est an collegia in quibus soli externi admitterentur, non autem scholastici e Societate, essent Instituto conformia: CONGR. VI, d. 18, declaravit esse consentanea.

Formulam ad acceptanda collegia primus dedit P. Laynez (invenitur ad calcem CONGR. II), aliam postea P. Aquaviva: est Ordinatio XVI, quam approbavit CONGR. V, d. 69. — In utraque triplex ordo collegiorum statuitur, secundum decr. 73 Congregationis I.

Societas non tantum collegia pro iuventute, sed etiam *Universitates* admittit. P. IV, c. 11, n. 1, dicitur: « Eadem ratio qua collegia admittuntur, et publicae scholae in eis, ad externorum aedificationem in doctrina et moribus, tenentur, extendi poterit ad Universitatum curam suscipiendam: ut in eis hic fructus extendatur, latiusque pateat ». In eis tamen facultates quae ipsi non conveniunt Societas per se docere non debet, ut est Ius civile, Medicina (c. XII, n. 4). Sed praecipue tradet S. Scripturam, Theologiam scholasticam et positivam, Canones, Philosophiam, litteras humaniores et linguas latinam, graecam, hebraicam, et alias orientales ad intelligentiam Sacrae Scripturae utiles (ib., n. 1, 2, 3).

11. *Libros scribere.* — P. VII, c. 4, n. 11: « Qui talento praeditus ad scribendos libros communi bono utiles, eos conscriberet, in lucem edere non debet aliqua scripta, nisi prius Praep. Generalis ea videat, ei legi ac examinari faciat, ut si ad aedificationem fore videbuntur, et non aliter, in publicum prodeant » (b).

12. *Congregationes B. M. V. et Bonae Mortis.* — Hoc medium subveniendi proximis non fuit a S. Ignatio institutum; sed Congregatio B. M. V., in Collegio Romano sub titulo Annuntiationis pro scholaribus instituta, deinde a. 1584 a GREGORIO XIII, Constit. *Omnipotentis Dei*, canonice erecta fuit pro scholaribus Collegii Romani aliisque fidelibus, cum facultate Praep. Generali facta quaslibet similes Congregationes in Societatis collegiis extra Urbem erigendi et aggregandi. Haec facultas postea ampliata fuit. Cf. cap. XX, n. 17.

(b) P. III, c. 1, n. 18, P. Generali tribuitur ut librorum « examinationem saltem tribus committat sana doctrina et claro iudicio in ea facultate praeditis ». De revisione librorum cf. CONGR. XI, d. 18, et *Ordinationem P. Beckx*, necnon CONGR. XXV, d. 11, n. 5.

Sodalitates (seu Congregationes) B. M. V. magnifice commendantur in Bulla aurea Benedicti xiv *Gloriosae Dominae* (1748): « Ex hoc laudabili et pio instituto.... incredibile est quanta in omnium ordinum homines utilitas derivata fuerit.... ». Congr. xxv, d. 12, n. 3, Congregationes Marianas Nostris valde commendatas esse voluit.

Sodalitas Bonae Mortis a R. Patre Vincentio Caraffa, a. 1648 instituta in ecclesia domus professae Romanae, canonice erecta est a Benedicto xiii, a. 1729, Const. *Redemptoris,* pro fidelibus utriusque sexus, cum facultate Praep. Generali facta erigendi et aggregandi similes (Cf. c. xx, n. 19).

Alias etiam confraternitates iuvare aut instituere convenit (ita Instruct. iv, n. 3; cf. etiam Comp. Priv., nn. 521 et 522); cum aliqua tamen cautione, quae P. vii, c. 4, *litt.* G, indicatur: « Non convenit Societatem vel eius domos aut collegia cum aliqua congregatione misceri (scilicet per aliquam affiliationem, quae de caetero postea legibus Ecclesiae prohibita fuit), nec in ea (scilicet in Societate eiusque ecclesiis ac domibus) ulli conventus agantur, nisi quae ad earumdem domorum vel collegiorum finem in divino obsequio fient ». His verbis prohibetur ut tertii Ordines aliarum Religionum, v. g., S. Francisci, aut etiam forte aliae Confraternitates proprie dictae [c] in nostris ecclesiis erigantur.

12. Ministeria Instituto non consentanea. — Aliqua sunt ministeria, etiam spiritualia, in se valde bona et laudabilia, quae Societati nihilominus propter speciales rationes non conveniunt.

1. *Chorus ad horas canonicas vel Missas et alia officia decantanda* haberi non debet (Cf. c. xi, n. 24).

2. *Processiones.* — In Constitutionibus nihil de eis statuitur; sed Congr. iii, d. 35, propter easdem rationes, quibus chorus et Missae cantatae prohibentur, voluit « ne deinceps a Nostris processiones fierent », relicta Praep. Generali « facultate dispensandi, ubi ad Dei gloriam et proximorum aedificationem expedire videret ». Ex voto eiusdem Congregationis (quae voluit ut omni studio et diligentia haec gratia a S. Sede impetraretur), Societas privilegium obtinuit, vi cuius eximitur

(c) Confraternitates proprie dictae eae sunt quae organice constituuntur et habitum habent. Vide *decretum* S. Congr. Indul., 25 *aug.* 1897 (apud Vermeersch, t. ii, p. 748).

ab obligatione processionibus interessendi. Concessum fuit a Gregorio xiii, Const. *Quaecumque*, 1576. In ea exponuntur rationes propter quas chorus et processiones Societati non conveniunt, scilicet graves aliae occupationes quibus Nostri detinentur[a].

3. *Cura animarum.* — Eam penitus a Societate exclusam voluit S. Ignatius. Const., P. iv, c. 2, n. 4: « In collegiis Societatis nec curae animarum, nec obligationes ad Missas celebrandas, neque aliae huiusmodi admittantur;... quemadmodum neque in domibus aliis vel ecclesiis Societatis professae, quae, quoad eius fieri potest, expedita ad Sedis Apostolicae missiones obeundas aliaque opera, ad Dei obsequium et animarum auxilium, esse debet ». Et in *decl.* B, ubi tolerat aliquam levem obligationem in collegiis suscipi, addit: « quae tamen non sit cura animarum ». Rursus P. vi, c. 3, n. 5: « Cum homines Societatis semper parati esse debeant ad discurrendum per quasvis mundi partes, quo fuerint a S. Pontifice vel a suis Superioribus missi, non debent curam animarum, neque item mulierum religiosarum vel aliarum quarumcumque suscipere ut ordinarie earum confessiones audiant vel eas regant ». — Additur: « Quamvis non repugnet semel unius monasterii confessiones ob speciales causas audire ». — Ideo Congr. ii, d. 59, definivit non amplius admittendum esse ut collegiis unirentur beneficia quae curam animarum adnexam habent. — Hac tamen prohibitione non est interdictum ne in missionibus apud infideles, ubi desunt parochi, Nostri curam suscipiant animarum: hoc enim necessitate omnino requiritur, et tunc non habetur propria cura animarum ex officio, ut declaravit *S. Congr. de Prop. Fide,* a. 1698 (Collect., n. 242).

4. Prohibetur eodem loco audire habitualiter confessiones mulierum religiosarum aut aliarum quarumcumque (quae in communitate vivant), aut eas regere. Imo S. Ignatius privi-

---

12. (a) « Nos, qui praefatos presbyteros et religiosos dictae Societatis a studiis, lectionibus, praedicationibus, confessionibus audiendis, et aliis verbi Dei ministeriis ac pietatis operibus, quibus continue laudabiliter incubuerunt et incumbere non desistunt, quavis ex causa distrahi nolumus,... omnes et singulos presbyteros ac religiosos, ac personas omnes dictae Societatis ubique existentes, ab interessentia supplicationum seu precum aut processionum Apostolica auctoritate perpetuo eximimus et liberamus ».

legium petivit et obtinuit ut a tali ministerio Societas esset immunis. Paulus III, C. *Licet debitum* (1549): « Nulli ipsorum (sc. sociorum) correctionis seu visitationis vel inquisitionis officium monasteriis vel ecclesiis seu quibuscumque personis impendere,... aut curam monialium seu religiosarum quarumque personarum recipere teneantur ». Hoc privilegium a Leone XII, Br. *Plura inter* (1826) renovatum fuit: « Societas eiusque alumni nullibi teneantur, cuiuslibet Praesulis rogatu, visitandi onus aut religiosarum mulierum virginumque curam suscipere ».

Congr. VII, d. 56, in hoc Constitutionum statutum insistit, et dat aliam huius prohibitionis causam, quod haec cura « res sit periculis haud vulgaribus multorumque oblocutionibus exposita ».

5. *Missae perpetuae* in nostris ecclesiis admitti non debent. Const., P. VI, c. 3, n. 6: « Obligari etiam ad missas perpetuas in suis ecclesiis dicendas vel ad curam similem, quam libertas nostro procedendi modo in Domino necessaria non patitur, non convenit ». Item P. IV, c. 2, n. 4: « In collegiis Societatis nec curae animarum, nec obligationes ad missas celebrandas, neque alia huiusmodi admittantur, quemadmodum neque in domibus aliis vel ecclesiis Societatis professae ». In *decl.* B nihilominus dicitur: « De non admittendis obligationibus sic intelligitur, quod missarum obligationes vel eiusmodi, quae assignato redditui commensuratae videantur assumi nequeunt. Non tamen.... inconveniens existimatur (in collegiis) aliquam facilem et exiguam obligationem, quae non sit animarum cura, admittere, si causa sufficiens ad id moveret ». Unde hic cura animarum prorsus interdicitur, non autem obligatio missarum (etiam perpetuarum, ut videtur), dummodo non sint redditui commensuratae.

6. Aliqua alia sunt ab Instituto absona, vel quia ea Societas libere exercere non potest, sed tantum dependenter, vel quia eam odiosam redderent.

Propter primam rationem Congr. II, d. 18, *Seminariorum curam* non videri admittendam censuit. Seminaria enim, ex Tridentini decreto (*sess.* XXIII, c. 18 *de Reform.*), sub auctoritate et dependentia Episcoporum remanere debent[b]. Sed

(b) Congregatio tamen facultatem dispensandi reliquit Generali sub aliquibus conditionibus: prima, ut seminario coniunctum esset collegium nostrum, quod fundatione seminarii valde promoveretur; secunda, ut

deinde Congr. xii, d. 26, permisit seminariorum curam suscipi in Gallia, ad arbitrium Patris nostri, conditionibus quas a nostro Instituto non alienas iudicaverit.

Propter secundam rationem, munus Examinatoris cleri repudiavit eadem Congr. ii, d. 72 (c).

PARS III.

DE IURIBUS ET PRIVILEGIIS REGULARIUM

Explicatis obligationibus Regularium, iam de eorum iuribus et privilegiis dicendum est. Quorum alia ad ipsorum vitam religiosam vel ad bonum Ordinis spectant, alia ad ministeria in proximorum utilitatem. In hac tertia parte de iuribus et privilegiis primi generis, in quarta de iuribus et privilegiis secundi generis dicetur.

CAPUT XIII.

DE ERECTIONE DOMUS RELIGIOSAE

Sectio I. — 1. De requisitis ad erectionem novae domus in Ordinibus Regularium; in aliis Institutis. — 2. De beneplacito Apostolico. — 3. De licentia Ordinarii loci. — 4. De solemnitatibus in concedenda licentia adhibendis. — 5. De lege distantiae, seu de privilegio Cannarum. — 6. De numero religiosorum in domibus erigendis seu erectis requisito. — 7. Quaenam domus erigi non possunt absque duplici licentia S. Sedis et Ordinarii. — 8. De erectione ecclesiae novae. — 9. De translatione et immutatione domus existentis, et de reassumptione domus derelictae. — 10. Quando neutra licentia requiritur? — De licentia potestatis

Societati libera eius gubernatio committeretur; tertia, ut Societas operariis abundaret; quarta, ut iidem essent professores seminarii et nostri collegii.

(c) « Quemadmodum in aliquibus locis hactenus factum est, ut Nostri ita examinent ad ordines promovendos, aut curae animarum, verbo Dei vel confessionibus audiendis praeficiendos, ut simul iudicium ferant de eorum sufficientia et admissione, ita de caetero ne fiat: quandoquidem iudicamus non esse consentaneum nostro Instituto. Quodsi examinandi ministerium effugere nulla ratione possumus, illud tamen retineamus, ut iudicium de admittendis vel non admittendis non feramus, sed illud omnino Praelatis relinquamus ».

civilis. — 11. De extinctione domus religiosae. An requiratur beneplacitum Apostolicum? — 12. De erectione novarum Provinciarum.

Sectio II. — 13. An Societas adhuc speciali privilegio gaudeat, quo possit domos erigere sine speciali beneplacito Apostolico? — 14. Privilegium aedificandi intra cannas prohibitas. — 15. De dissolutione domorum ex Instituto. — 16. Provinciarum institutio.

1. Requisita ad erectionem novae domus[a]. — Hodie ad erectionem novae domus Regularium requiruntur tum beneplacitum Apostolicum, tum consensus Episcopi loci.

Dicitur « Regularium » : nam si agatur de Institutis votorum simplicium, sufficit consensus Episcoporum, ut constat ex Const. *Conditae* (8 *dec.* 1900). In eius 2ª parte, in qua agitur de Institutis a S. Sede iam aliquo modo approbatis, n. 3 dicitur : « Episcoporum sunt iura, in dioecesi cuiusque sua permittere vel prohibere novas domos sodalitatum condi, item nova ab illis templa excitari, oratoria... aperiri ». Nulla episcopalium iurium limitatio insinuatur : quae certe existeret et expressa fuisset, si praeter eorum consensum etiam Sedis Apostolicae licentia foret necessaria. Idem in Normis a. 1901, art. 272 et 305, sola requiritur licentia Episcopi, non autem Sedis Apostolicae, exceptis locis missionum, ubi exigitur licentia S. Congr. de Prop. Fide (art. 306). — Attamen ad erectionem aut translationem domus novitiatus aut domus generalitiae requiritur approbatio S. Congregationis EE. et RR. (art. 271, 3° et 11°, 272).

2. Ad erectionem novae domus Regularium, nunc certo requiritur beneplacitum Apostolicum. — Dicitur « nunc » : nam usque ad haec tempora, res controversa manebat. Cui controversiae vix finem imposuit Leo xiii, C. *Romanos Pontifices* (1881), § 21, ubi, quaestionem exagitans, « An et cuius Superioris venia sit impetranda » ad erigendas novos domos, brevi perstringit omnes Iuris dispositiones beneplacitum S. Sedis exigentes et concludit : « His de causis, ad propositum dubium respondemus : sodalibus religiosis novas sibi sedes constituere, erigendo novas ecclesias, aperiendove coenobia, collegia, scholas, nisi obtenta prius expressa licentia Ordinarii loci et Sedis Apostolicae non licere ».

Huic documento opponi potest, illud ad solos Episcopos

---

1. (a) Cf. Wernz, t. iii, n. 616 et sqq. — Piat, t. ii, p. 269 et sqq.

Angliae dirigi et non habere vim universalem, etiamsi postea ad loca missionum Constitutio extensa fuerit. Sed respondetur 1° hanc Constitutionem, pro Anglis primo latam, in dies practice et stylo Curiae ad omnes extendi et fieri universalem; 2° Pontificem, quamvis ad Episcopos Angliae suam Constit. dirigat, attamen in hac re non ius particulare pro Anglis constituere, sed pronuntiare auctoritative quaenam sint Iuris communis praescriptiones ad erectionem novae domus aut novae ecclesiae Regularium[a]. Ideo haec Leonis XIII sententia tamquam peremptoria haberi debet[b].

Quid igitur dicendum sit de facultate generali nonnullis Ordinibus concessa erigendi aut accipiendi ubique domos, collegia, ecclesias, ut fuit Societati Iesu indulta, dicetur infra[c].

---

2. (a) Ad hoc FERRARI, p. 44: « Quamquam haec Constitutio promulgata tantum fuerit in Anglia et in Scotia, mens tamen sanctae Sedis est omnes Regulares cuiusvis nationis teneri ad eam observandam, ut nobis declaravit clarissimus Granniello, dum esset secretarius S. Congregationis EE. et RR. Licet enim occasio illius edendae Constitutionis fuerit localis, eius tamen finis, monita et decreta sunt generalia, ut ex eius contextu luculenter patet ». — PRÜMMER, q. 250, citatis his Ferrari verbis, addit: « Et procuratori generali Ordinis Praedicatorum declaravit ore tenus (idem secretarius) fundationes Regularium, qui vota solemnia nuncupant, ubique terrarum absque beneplacito Apostolico factas, a S. Sede non recognosci legitimas, nullisque privilegiis Apostolicis localibus, decursu temporum Ordini concessis, gaudere ».

(b) In A. S. S., t. XXXVI, p. 288, referuntur aliqua petitio erectionis et indultum quo conceditur: « P. Provincialis Ordinis Praedicatorum Provinciae Tolosanae humiliter petit canonicam erectionem conventus siti in.... — S. C. EE. et RR., audito voto patris procuratoris generalis, facultatem benigne tribuit P. Magistro Generali, accedente consensu Ordinarii N., deveniendi ad canonicam erectionem enuntiati conventus,... dummodo tamen in eo omnia habeantur quae de iure requiruntur, ad formam SS. Canonum et Apostolicarum Constitutionum (15 *sept.* 1903).

(c) Non inutilis erit brevis expositio historica variorum Iuris dispositionum circa utramque S. Sedis et Ordinariorum locorum licentiam necessitatem (cf. Wernz, n. 616).

a) Prioribus Instituti monachalis temporibus, monasteria videntur instituta fuisse absque ulla nec S. Sedis nec Episcoporum *explicita* licentia. Sed iam (a. 451) CONC. CHALCEDONENSE, c. 4, prohibuit ne quis monasteria construeret absque licentia Episcopi: « Sine conscientia Episcopi monasterium nullus aedificet ». Ita in DECRETO, *causa* XVIII, q. 2, ante c. 10. Et rursus c. 10: « Placuit neminem aut aedificare aut construere monasteria aut oratorii domum, sine conscientia ipsius civitatis

3. Exigitur insuper licentia Ordinarii loci, in quo domus est erigenda.

Haec licentia exigitur a veteribus Canonibus (num. praec., *nota* c); a Tridentino (sess. XXV, c. 3) rursus in usum revocatur

---

Episcopi ». Item c. 12: « De monachis monasterium novum, nisi Episcopo aut permittente aut probante, nullus incipere aut fundare praesumat ».

b) Bonifacius VIII (a. 1298), *c. unic., De excessibus Prael.*, V, 6, in 6", aliquibus abusibus Praedicatorum, Minorum, et aliorum religiosorum mendicantium remedium afferre volens, prohibuit « ne deinceps aliquis vel aliqui de praedictis (sc. *mendicantibus*), quibuscumque super hoc privilegiis muniti existant,... in aliqua civitate, castro, villa seu loco quocumque, ad habitandum domos vel loca quaecumque de novo recipere, seu hactenus recepta mutare, vel.... in alios transferre praesumant, *absque Sedis Apostolicae licentia speciali*, plenam et expressam faciente de prohibitione huiusmodi mentionem; si secus egerint, irritum decernentes ».

c) Sed Trident., *sess.* XXV, c. 3, *de Regularibus*, de sola licentia Episcopi mentionem facit, his verbis: « Nec de caetero similia loca erigantur sine Episcopi, in cuius dioecesi erigenda sunt, licentia prius obtenta ». « Similia loca », sc., agebatur de « omnibus monasteriis et domibus, tam virorum quam mulierum, et mendicantium ». — Ex silentio Tridentini super licentia S. Sedis, AA. in duas sententias abierunt: alii inde arguentes revocatam esse dispositionem Bonifacii VIII; alii dicentes solam memorari obligationem licentiae Episcopi loci, quia ea, vel propter privilegia vel ex quavis alia causa, iam non petebatur: nullam autem fuisse rationem memorandi obligationem licentiae a S. Sede impetrandae, quia tunc monasteria absque praevia eius speciali aut generali licentia non aedificabantur.

d) Clemens VIII, C. *Quoniam* (1603), et Gregorius XIV, C. *Cum alias* (1622), leges statuunt quibus permitti possunt ab Episcopis novi conventus, sed de beneplacito Apostolico prorsus tacent.

e) Urbanus VIII, C. *Romanus Pontifex* (1624), « Ordinum, etiam mendicantium, Congregationum, Societatum, et aliorum Institutorum Regularium Superioribus », revocatis quibuscumque privilegiis, in virtute S. Obedientiae et sub diversis poenis probibet ne « nova monasteria, collegia, domos, conventus et alia loca regularia huiusmodi, nisi de expressa Ordinariorum licentia ac servata in omnibus et per omnia sacrorum canonum et concilii Tridentini, necnon Constitutionis Clementis VIII *Quoniam*, ac decretorum de mandato Clementis VIII et Gregorii XV desuper editorum forma, recipere, erigere, fundare seu alias quomodolibet instituere.... audeant vel praesumant ». Hic de sola licentia Episcopi fit mentio expressa; cum tamen haec tria simul ab omnibus et per omnia servanda praescribuntur, nempe Sacri canones, Tridentinum, ac Constitutiones decretaque post Tridentinum edita: non videtur posse excludi Constitutio Bonifacii VIII *Cum ex eo*, utpote quae intra « Sacros Canones » computari debet. Ergo hic implicite requiritur licentia S. Sedis.

(ibid.): a Clemente VIII, et Gregorio XV supponitur, cum conditiones statuunt quibus Ordinarii eam dare possint; rursus ab Urbano VIII et tandem a Leone XIII praescribitur. Nulla de actuali necessitate huius licentiae adest controversia.

---

f) Sed INNOCENTIUS X, C. *Instaurandae* (1652), aperte requirit *specialem licentiam S. Sedis*, pro erectione novae domus cuiusvis Ordinis regularis mendicantium aut non mendicantium, et cuiusvis Instituti. Dubium est autem an eius Constitutio, quod hanc partem, sit pro sola Italia et insulis, an contra ubique obliget. Nam scopus praecipuus huius Constitutionis est extinctio parvorum conventuum, propter incommoda varia ex exiguo numero religiosorum in his conventibus degentium provenientia. Hos autem conventus cuiuscumque quidem Ordinis non extinguit, nisi « existentes intra fines Italiae et insularum adiacentium ac in litteris a S. Congr. nominatim exprimendos ». Deinde, addito praecepto obedientiae et poenis ad urgendam suppressionem horum conventuum, sic pergit: « Verum quia parum est mala praevidere, nisi etiam malorum causa et radix evellatur, Constitutiones f. r. Bonifacii VIII *Cum eo*, necnon Clementis VIII *Quoniam*, aliorumque R. P. super erectione novorum conventuum editas, earumdem tenore renovantes, *illisque addentes*, hoc perpetuo prohibemus edicto, ne deinceps aliquis Regularium, Ordinis *mendicantium vel non mendicantium*, Congregationum, Societatum, et cuiusvis alterius Instituti, etiam Societatis Iesu, in aliqua civitate, castro, villa, seu loco, ad habitandum domos vel loca quaecumque de novo recipere, seu monasteria, conventus, vel collegia incipere, vel fundare praesumat *absque Sedis Apostolicae licentia speciali....* ». Ergo necessitas licentiae specialis S. Sedis expresse declaratur, et non iam pro solis mendicantibus, sed pro omnibus; propterea, memoratis Constitutionibus Bonifacii aliisque, ait: has Constitutiones « renovantes illisque addentes »: nam Bonifacius solis mendicantibus beneplacitum Apostolicum imposuerat.

Deinde, paucis interpositis, addit: « Intendimus autem in praemissis etiam ultra Italiam et insulas adiacentes, prout expedire viderimus, providere ». Dubius est sensus huius phrasis. P. VERMEERSCH (t. I, n. 109, in *nota*) sic eam interpretatur: quoad necessitatem beneplaciti Apostolici, pro locis extra Italiam, intentionem habemus quid faciendum sit postea praescribendi, prout necessarium iudicaverimus. Sed forsan est alius sensus magis obvius et verior: scilicet, suppressionem parvorum conventuum pro sola Italia et insulis (ut dictum fuit) decernimus; sed intendimus in praemissis, sc. per obligationem beneplaciti Apostolici ubique necessariam, in praec. paragr. omnibus impositam, etiam ultra Italiam et insulas adiacentes, prout expedire viderimus, providere: nempe, dum exigimus beneplacitum Apostolicum ab omnibus obtinendum, nobis reservamus facultatem casus singulares examinandi et licentiam dandi aut negandi, secundum opportunitatem, et sic intendimus providere extra Italiam. — Sane Leo XIII (ut videbimus infra) obligationem beneplaciti Apostolici hic imponi universalem pro omnibus locis affirmat. — WERNZ, n. 616,

Ex Tridentino, haec licentia debet esse *prius obtenta*; ex Urbano VIII, debet esse *expressa*. Leo XIII, utramque conditionem coniungens, pronuntiat non licere domum erigere,

---

haec habet: « At postquam Innocentius X, C. *Instaurandae*, pro Italia et insulis adiacentibus, non ubique, ad singula monasteria omnium Religionum erigenda requisivit specialem (non generalem) et expressam licentiam Sedis Apostolicae, *ex praxi styloque Curiae Romanae*, necessitas huiusmodi licentiae Apostolicae, in favorem Regularium et propter ipsorum exemptionem et ad praecavendas querelas, merito transiit in disciplinam universalem ».

g) BENED. XIV, *de Synodo*, l. IX, c. 1, n. 9, tractans eamdem quaestionem de erectione domorum religiosarum, sic loquitur: « Statuit S. Tridentina Synodus, *sess.* XXV, *de Regul.*, c. 3, ne monasteria seu domus tam virorum quam mulierum de caetero erigantur sine Episcopi, in cuius dioecesi erigenda sunt, licentia prius obtenta. Hinc vero aliqui inferunt, ad erectionem novi monasterii in aliqua dioecesi, sufficere licentiam Episcopi dioecesani absque eo quod Romani Pontificis auctoritas ad id requiratur, et maxime ubi agitur de monasteriis ultra montes constitutis, propterea quod Innocentii X Constitutio, quae R. P. auctoritatem in eiusmodi erectionibus necessariam declarat, de Italia et adiacentibus insulis tantummodo loquitur. At, cum iampridem ante Trid. Conc. Regularibus interdicta fuerit novorum monasteriorum acquisitio sine expressa licentia Sedis Apostolicae, ut videre est in c. *Religiosorum* (§ *Confirmatas*), *De religiosis domibus*, in 6°, et in c. *Cum eo*, *De excessibus praelat.*, eodem l. 6°, satis patet nihil a Tridentina Synodo detractum fuisse eiusdem Apostolicae Sedis auctoritati iam praecedenter stabilitae, sed illud dumtaxat statutum fuisse, ut praeter eam Episcopalis quoque auctoritas et licentia in iisdem erectionibus interveniret. Quare communis hodie et in tribunalibus recepta est opinio, non licere Regularibus, tam intra quam extra Italiam, nova monasteria aut conventus sive collegia fundare sola Episcopi localis auctoritate, sed Apostolicae Sedis licentiam praeterea necessariam esse. De monasteriis autem seu conventibus aut collegiis tantummodo loquimur: nam si res esset de aliquo simplici hospitio, quod pro Regularium iter habentium commodo aedificari vellet, Episcopi localis licentia ad id sufficeret, etiam non accedente Apostolicae Sedis auctoritate. Quae omnia mature discussa et definita sunt occasione alicuius causae, etc. ». Ita Ben. XIV. [Citatio c. *Religiosorum*, non videtur ad rem: agitur enim in hoc capite de suppressione Ordinum religiosorum non approbatorum, a Clemente V facta in C. Lugdunensi, et in eo duo statuuntur: ne in monasteriis existentibus novitii recipiantur, et ne nova monasteria erigantur. — Caput *Cum eo* non de quibuscumque Regularibus, ut dicitur, sed de solis mendicantibus agit. Ita WERNZ, nota 149].

h) Non obstante affirmatione Benedicti XIV, res adhuc dubia remansit. Nam examinata rursus quaestione, anno 1864, occasione votorum Religio-

nisi obtenta prius expressa licentia Ordinarii loci et Sedis Apostolicae ».

Nullibi tamen exprimitur quod haec licentia *scripto* dari debeat; nec infirmatur erectio, ex eo quod non possit probari

---

sorum Visitationis in America Septentrionali, deputati fuerunt duo consultores qui rem penitus perpenderent; quorum sententiam referunt BIZZARRI, p. 781, et fusius A. S. S., t. I, p. 708. In ea disquisitione, discussis omnibus Constitutionibus summorum Pontificum super argumento, plura dubia resolvenda proponuntur. Primum est de necessitate beneplaciti Apostolici ad erectionem monasteriorum in genere. Circa quam quaestionem quatuor diversae Doctorum sententiae referuntur: 1ª extra Italiam sufficere licentiam Episcopi, non requiri beneplacitum Apostolicum; 2ª extra Italiam legem beneplaciti Apostolici afficere tantum religiosos mendicantes, ex Const. Bonifacii VIII; Constitutionem Innocentii X *Instaurandae* omnes quidem Ordines etiam mendicantes comprehendere, sed eius dispositionem intra limites Italiae et insularum cohiberi; 3ª sententia, ad erectionem monasteriorum monialium, tum extra tum intra Italiam, non requiri beneplacitum Apostolicum; 4ª requiri beneplacitum Apostolicum ad erectionem domus quorumque Regularium sive virorum sive monialium, sive mendicantium sive non mendicantium, sive intra sive extra Italiam. Primus Consultor putabat beneplacitum Apostolicum pro omnibus Ordinibus et ubique requiri (vide, si placet, eius argumentationem apud Bizzarri). Alter Consultor aiebat certo requiri beneplacitum Apostolicum intra Italiam pro monasteriis virorum cuiuscumque Ordinis, fatebatur communiorem fortasse esse sententiam illorum qui necessitatem beneplaciti Sanctae Sedis etiam extra Italiam affirmant, verum arbitrabatur eam valido argumento haud fulciri relate ad Ordines non mendicantes, quamvis quoad mendicantes omnino retinenda sit. Congregatio autem de hac quaestione iudicium non tulit. Sed tota haec discussio hominum peritorum, in re ipsorum speciali curae commendata, sufficienter probat necessitatem beneplaciti Apostolici pro erectione conventuum extra Italiam, usque ad nostra tempora remansisse incertam.

i) Sed LEO XIII, ut dictum est, controversiam conclusit, C. *Romanos Pontifices*, § 21, exigendo beneplacitum Apostolicum. In hoc § 21, agit de erectione *scholarum* et *collegiorum* Regularium, necnon *ecclesiarum* quoque et *coenobiorum*, et quaerit: « An et cuius Superioris venia sit impetranda ad ea erigenda? Omnia haec, ait, unius quaestionis ac *iudicii* terminis complectimur. Atque hic primo occurrunt Decretales veteres, quibus est cautum ne quid huiusmodi quisquam institueret absque Sedis Apostolicae licentia speciali [citatur in nota Const. *Religiosorum*, § *Confirmatas*, et c. *Cum eo*]. Postmodum Tridentina Synodus in eodem genere quidquam operum fieri prohibuit sine Episcopi, in cuius dioecesi erigenda sunt, licentia prius obtenta: quo tamen Concilii decreto haud est superioribus legibus derogatum, veniam ab Apostolica Sede impetrari iubentibus. Quapropter cum ea in re liberius passim ageretur, Urbanus VIII, pravam

licentiam fuisse prius obtentam; nec etiam nulla habetur, quamvis probaretur licentiam non fuisse petitam, si postea *factis* fuit ratihabita. Ita rem declarat Pius IX, in *epistola* 26 *oct.* 1865, ad Archiepiscopum Parisiensem: « Ex quo pro tua sapientia intelligis nullum pondus habere tuam animadversionem ex Urbani VIII Constitutione deductam, ut scilicet Ordinarii venia *expressa* esse debeat, et non *implicita* aut praesumpta, veluti existimas. Quoniam non minus id exprimitur quod certis, evidentibus et longa annorum serie continuatis factis exprimitur, quam quod verbis, etiam scripto exprimitur. Ac multo minus valet alia animadversio, ut scilicet haec episcopalis venia *scripto* sit tradenda, propterea quod non solum facta potentiora sunt verbis et scriptis, verum etiam propterea quod *nulla canonica Constitutio hanc scripti conditionem statuit* ». Deinde addit, si consensus Ordinarii non praecessit, sane defectum fuisse, sed qui ratihabitione posteriori sanatur. « Nam te minime latet hunc esse proprium, naturalem et iuridicum omnis ratihabitionis, quae ex sequen-

---

consuetudinem emendaturus, opera eiusmodi improbavit, tam quae sine venia Episcopi quam quae sola illius auctoritate susciperentur, et veterum Canonum simul Conciliique Tridentini leges omnino in posterum servari decrevit. Huc etiam spectavit Innocentius X, in C. *Instaurandae*, qua praecepit ut nemo ex familiis regularibus « domos vel loca quaecumque de novo recipere vel fundare praesumat absque Sedis Apostolicae licentia speciali ». Quare communis hodie sententia est, cui favet passim rerum iudicatarum auctoritas, non licere Regularibus, tam intra quam extra Italiam, nova monasteria aut conventus sive collegia fundare sola Episcopi venia impetrata, sed indultum quoque a Sede Apostolica facultatem requiri [in nota: Ben. XIV, *de Synodo.* — Monacelli, *formul. legal.*, part. I, t. 6, form. 19, num. 31]. Iisdem insistens vestigiis S. Concilium Christiano nomini propagando pluries decrevit veniam Apostolicae Sedis et Episcopi aut Vicarii Apostolici ecclesiis collegiisque erigendis etiam in missionibus, ubi religiosi sodales domos sedesque habeant, esse omnino necessariam [citantur in *nota* sententiae ann. 1669, 1688, 1704, 1768, 28 *aug.* 1858, 30 *maii* 1864, 17 *iul.* 1865]. His ergo de causis, ad propositum dubium respondemus: Sodalibus religiosis novas sibi sedes constituere, erigendo novas ecclesias, aperiendove coenobia, collegia, scholas, nisi obtenta prius expressa licentia Ordinarii loci et Sedis Apostolicae, non licere ».

Hoc Leonis XIII documentum duplici parte constat: prima, in qua ius existens eiusque fundamenta exponuntur; altera, quae iudicium Pontificis continet: « His ergo de causis... ». Contra primam partem exceptiones antea factae opponi possint; sed secunda pars, in qua Pontifex sententiam pronuntiat, omnino peremptoria haberi debet, ut in textu dicitur.

tibus factis oritur, effectum, sanandi scilicet defectum illius actus qui recte praecedere debuisset ».

4. De solemnitatibus in concedenda licentia adhibendis. Licentia Episcopi aliquibus solemnitatibus muniri debet, quae a Clemente VIII, Gregorio XV et Urbano VIII praescriptae fuerunt (WERNZ, n. 621).

CLEMENS VIII, C. *Quoniam* (1603), statuit: « Declaramus locorum Ordinarios non posse licentiam... impertiri, nisi vocatis et auditis aliorum in iisdem civitatibus et locis existentium conventuum Prioribus seu procuratoribus, et aliis interesse habentibus, et, causa servatis servandis cognita, constiterit in eisdem civitatibus et locis, novos huiusmodi erigendos conventus sine aliorum detrimento commode sustentari posse » [a].

GREGORIUS XV, Const. *Cum alias* (1622), addidit, ut non solum Priores monasteriorum in civitatibus vel locis existentium aut eorum procuratores, « sed etiam in aliis per 4 millia passuum circumvicinis locis ad id vocati et auditi fuerint ac tali erectioni consenserint, vel alias Ordinariis locorum constiterit religiosos monasterii... erigendi, absque detrimento religiosorum in monasteriis seu domibus antea in civitatibus seu locis eiusmodi erectis degentium,... congrue manuteneri et ali posse ». Deinde statuit, si non sint conventus alii, requiri et adhiberi debere consensum incolarum locorum.

URBANUS VIII, Const. *Romanus Pontifex* (1624), revocat omnes licentias duabus Clementis et Gregorii Constitutionibus contrarias et sub gravibus poenis eas servari praecipit, prohibens ne conventus erigantur, « nisi de expressa Ordinariorum licentia, ac servata in omnibus et per omnia Sacrorum Canonum et Concilii Tridentini, necnon Constitutionis f. r. Clementis VIII « Quoniam » ac decretorum de mandato eiusdem Clementis ac s. m. Gregorii XV... desuper editorum, forma ».

Ex his, habentur normae sequentes:

1° Audiendi sunt Priores, vel eorum procuratores, monasteriorum iam existentium tum in locis ipsis, tum in aliis per 4 millia passuum circumvicinis locis. 2° Si in his locis non sint conventus, incolae audiri debent. 3° Debent vocari alii

---

4. (a) Haec nova obligatio imponitur tamquam consequentia praescriptionis Tridentini (sess. XXV, c. 3), qua statuitur, ut is tantum in monasteriis numerus religiosorum constituatur, qui in eis commode sustentari possit (vide praeambulum Constitutionis).

interesse habentes[b] (Piat, t. II, p. 372, q. 1). — Sed remanent aliqua dubia, nunc resolvenda.

Quaeritur I. — Quinam sint hi alii interesse habentes, de quibus Clemens VIII?

Resp. 1°. Non sunt (saltem ordinarie) incolae loci. Nam hos audiri non praecipitur, nisi quando non sunt conventus in loco. Porro interesse habentes debent semper vocari et audiri.

Resp. 2°. Multi censent designari parochos. Est sententia communis contra aliquos. Sic Rota pluries declaravit (Piat, t. II, p. 272, q. 5). Attamen sententia verior videtur esse eos non esse ordinarie vocandos, sed esse audiendos si oppositionem sponte faciant. Quod non sint ordinarie vocandi (et ideo non sint ex interesse habentibus), probatur ex eo quod, ubi deficiunt conventus in loco, Gregorius dicit vocandos esse incolas, sed nullam facit mentionem parochorum. Insuper non apparet, ut plurimum, quodnam interesse habeant, si attendantur *rationes canonicae* ob quas oppositio fieri potest, ut infra dicetur. — Attamen audiendi sunt, si sponte oppositionem faciant, ut iudicetur an forte legitime sese opponant: nam « nulla ecclesia in praeiudicium est alterius construenda », ut dicitur c. *Intelleximus*, 1, *De novi operis nuntiatione*, V, 32. Piat, t. II, p. 272, q. 5. Cf. Vermeersch, n. 105[c].

Quaeritur II. — An Episcopus solemnitates Iuris semper servare debeat? Controvertitur. Alii negant, propter verba Gregorii XV, qui phrasi disiunctiva utitur: « vel alias Ordinariis locorum constiterit ». Ita Wernz, n. 621; Prümmer, q. 250, *nota*, pag. 303. — Alii affirmant, propter verba Clementis VIII, qui sine disiunctione praecipit ut vocentur et audiantur Priores conventuum vel eorum procuratores. Qui insuper annotant nullam esse oppositionem inter utramque Constitutionem.

(b) Ita ex Const. Clementis. Verum est hos « interesse habentes » in duabus aliis Gregorii et Urbani Constitutionibus non nominari : nihilominus, cum Urbanus VIII praecipiat servari formam in duabus Clementis et Gregorii Constitutionibus praescriptam, « interesse habentes » audiri debent.

(c) Wernz, t. III, n. 621, dicit : « Quamvis inter illos interesse habentes saltem regulariter parochi loci non comprehendantur, tamen ex aequitate canonica est concedendum illos parochos, qui vel ipsi ex solis spontaneis oblationibus fidelium recipiunt congruam sustentationem, posse habere instam causam querendi de vera iurium laesione ».

Nam Clemens VIII tria iubet: 1° vocare interesse habentes; 2° causam cognoscere; 3° non admittere novum conventum nisi constet eum posse absque aliorum existentium conventuum damno sustineri. Gregorius XV autem non dicit duo priora posse omitti, sed de tertia conditione pronuntiat duplici modo constare posse, aut per consensum Priorum, aut etiam aliter, eis non consentientibus: scilicet, Episcopi est iudicare de rationibus allatis, et, si non videntur sufficientes, eis non obstantibus, permittere erectionem novi conventus (d).

Quaeritur III. — Quaenam sint *rationes canonicae* quae opponi valeant erectioni novae domus? — Resp. Ex duobus Constit. Clementis et Gregorii, ratio canonica est detrimentum conventuum iam existentium, quoad eorum sustentationem; aut, si non adsunt conventus, detrimentum quod subirent incolae in sustentandum conventum erigendum (e); item detrimentum quod parochi, si ex oblationibus fidelium habeant congruam sustentationem, pati possint: et ideo, ut dictum est, tunc interesse habent, et sunt audiendi (f).

Nulla alia ratio affertur. Ideo ratio canonica non est sola diminutio concursus in ecclesiis iam existentibus, tum conventuum, tum parochiarum (VERMEERSCH, n. 105).

GREGORIUS XV uti abusum denuntiat, quod ex licentiis con-

(d) S. CONGR. EE. ET RR., d. 8 *maii* 1908, primam sententiam in caus. Segovien. amplexa est. Episcopus Segoviensis concesserat FF. Minoribus residentiam erigere, et erectio confirmata fuerat decreto S. Congr. EE. et RR. Successor Episcopi infirmare voluit concessionem a suo praedecessore factam, ex eo quod nec Capitulum Ecclesiae Cathedralis, nec duo antiquiores parochi civitatis, nec Superiores duarum domorum religiosarum loci vocati fuerant et auditi, priusquam licentia erigendi domum concederetur; et consequenter decretum, quo nulla declarabatur erectio, edidit. Appellatione apud S. Congr. facta, et proposito dubio: « An sustinendum esset decretum Episcopi in casu? » S. Congr. respondit: « Negative » (N. R. T., a. 1908, p. 587).

(e) « Ordinarii diligenter inquirant, an locorum incolae.... duodecim religiosos in conventibus instituendis *commode alere et manutenere valeant* ». Ita GREG. XV, C. *Cum alias*, n. 3).

(f) Vide WERNZ, nota 168, qui ait hanc esse fere solam rationem canonicam, quae afferri posse videatur. Et addit: « In probatione defectus congruae sustentationis vel laesionis strictorum iurium parochialium (si hanc rationem etiam invocare velint), recursus parochorum ad Sedem Apostolicam raro habebit felicem exitum ». — Cf. etiam PRÜMMER, q. 250, pag. 304.

cessis accidat « ut fratres (in monasteriis existentibus) manuteneri nequeant, et ad tam exiguum numerum redigantur ut cultus divinus in eorum ecclesiis destituatur, ibique disciplina regularis, ut convenit, conservari nequeat ».

Ex his verbis apparet non sufficere quodcumque detrimentum in sustentatione, aut etiam quamcumque diminutionem in numero religiosorum qui ex eleemosynis alebantur in existentibus conventibus, ut eorum Priores legitime erectioni novi conventus sese opponere possint. Episcopi erit appretiare detrimentum quod isti existentes conventus patientur, et commodum quod locus ex erectione novi sperare potest; non autem tenetur adhaerere iudicio illorum quorum interest. Sed erectionem permittere non debet, si detrimentum tale futurum sit, ut cultus divinus debita decentia ex insufficientia eleemosynarum destituatur, aut disciplina regularis conservari nequeat. In dubio, videtur meliorem esse conditionem possidentis, et ideo detrimentum certum domorum existentium permittendum non esse, nisi constet de commodo maiori quod ex erectione novi conventus eveniet (Cf. Piat, t. II, p. 275, q. 12).

Quaeritur IV. — An si nulli grave detrimentum inferendum sit, Episcopus teneatur licentiam dare? — Respondet Piat (p. 276, q. 14): si erectio novi conventus futura sit valde utilis, affirmative; secus, negative. Sed haec ultima pars responsionis non videtur vera. Nam eo ipsoquod aliquod Institutum approbatur, datur illi ius ibi se constituendi ubi nemini detrimentum affert: quamvis S. Sedi et Ordinario reservetur iudicium de detrimento. Insuper ad erectionem novi conventus SS. Pontifices duas tantum ponunt conditiones: primam, ut in novis conventibus duodecim religiosi sustentari possint: alteram, ut fiat sine gravi detrimento conventuum existentium aut aliorum interesse habentium. Ergo, verificatis his conditionibus, licentia dari debet (g).

Notandum. Religiosi conventuum existentium necnon parochi a sententia Episcopi licentiam concedentis appellare

---

(g) Wernz, n. 621, ait: « Quodsi Ordinario loci iam aliunde constet novos conventus religiosos, absque detrimento aliorum posse erigi,... sine ulterioribus formalitatibus et citationibus potest, imo *debet* dare licentiam ad novi conventus aedificationem, nisi aliunde obstet legitimum impedimentum », v. g., ex parte parochorum.

possunt, et appellatio est suspensiva. Ita in Const. Clementis VIII et in alia Gregorii XIV, n. 4 (h).

Si autem Episcopus licentiam dare renuit, et Regulares novum conventum erigere volentes causam canonicam negandae licentiae adesse non censent, nihil ipsis remanet nisi recurrere ad S. Sedem, aut ad Cardinalem protectorem, si habeant.

5. De lege distantiae (a). — Multi ex Ordinibus mendicantibus privilegium habent, dictum *privilegium cannarum*, vi cuius nullus alius Ordo potest erigere domum vel ecclesiam aut oratorium infra distantiam 140 aut etiam 300 cannarum ab ipsorum conventibus (canna valet 2 m., 23). Ergo, in erectione novi conventus, talis privilegii ratio haberi debet.

Sed notandum est, aliquos Ordines e contra privilegium habere vi cuius, non obstante privilegio cannarum aliorum Ordinum, sedem figere possint non servata distantia. Privilegium huiusmodi habet Societas (vide n. 14).

Sunt qui dubitent an adhuc privilegium cannarum sit in usu; potius antiquatum reputant (PIAT, II, p. 285, q. 29).

6. De numero religiosorum in conventibus erigendis aut iam erectis. — Quoad numerum religiosorum in conventibus, duo sunt incommoda vitanda: unum, ne plures sint in conventibus religiosi, quam in eis sustentari valeant; alterum, ne nimis exiguus sit eorum numerus, et propterea vita religiosa in conventu atque cultus divinus in ecclesia detrimentum patiantur.

Ad haec incommoda praecavenda aut supprimenda, plures Constitutiones aut decreta ediderunt Summi Pontifices, quae breviter referre necesse est, ut in quaestione sat intricata ius vigens appareat.

(h) « Si vero ab eorum (Episcoporum), in huiusmodi causis, sententiis ad Nos et S. Sedem provocari et appellare contigerit, ipsos Ordinarios tamdiu erectionem novorum conventuum suspendere debere, quousque a Nobis et Apostolica Sede in eadem causa pronuntiatum extiterit; irritum nihilominus et inane decernentes quidquid secus super his... scienter vel ignoranter contigerit attentari » (CLEMENS VIII, C. *Quoniam*).

5. (a) Vide PIAT, t. II, p. 284, q. 25 et sqq.

1. Trid., *sess.* xxv, c. 3 *de Regularibus:* « In praedictis autem monasteriis et domibus, tam virorum quam mulierum, bona immobilia possidentibus vel non possidentibus, is tantum numerus constituatur ac in posterum conservetur, qui vel ex redditibus propriis monasteriorum vel ex consuetis eleemosynis commode possit sustentari ».

2. Gregorius xv, C. *Cum alias* (1622), prohibet ne quodcumque monasterium erigatur, « nisi in eo saltem *duodecim* Fratres aut monachi seu religiosi inhabitare ac ex redditibus et consuetis eleemosynis sustentari valeant » [a].

3. Urbanus viii, in Decr. *Cum saepe* (21 *iun.* 1625), art. 14, renovat decretum Greg. xv, sed sub hac disiunctione: in quocumque monasterio sint duodecim religiosi aut monasterium non sit exemptum a iurisdictione Ordinarii [b].

4. Innocentius x, C. *Instaurandae* (1652), extinguit omnes parvos conventus, sed *in Italia* dumtaxat et de caetero in litteris a S. Congr. expediendis nominatim exprimendos; et insuper reservat eidem S. Congregationi facultatem conservandi aliquos ex his parvis conventibus, si hoc ex aliqua rationabili causa expedire iudicaverit. Quoad futurum autem providet § 5 « Verum quia », in qua statuit nullum postea conventum erigi posse absque speciali licentia S. Sedis Aposto-

---

6. (a) « Volens quod de caetero, monasterium, conventus, domus, congregatio vel societas Religiosorum seu Regularium, cuiuscumque etiam mendicantium Ordinis, Societatis et Instituti,... etiamsi de illis particularis, expressa et specifica mentio habenda esset, in quacumque civitate vel oppido vel quocumque alio loco non erigatur, nisi in eo.... etc. ».

(b) « Deinceps vero monasterium, conventus, domus, congregatio vel societas Religiosorum seu Regularium *nullibi* recipiatur, nisi, praeter alia ad id requisita, in singulis eiusmodi locis duodecim saltem fratres aut monachi seu religiosi degere et ex redditibus et consuetis eleemosynis, detractis omnibus ut supra detrahendis, competenter sustentari valeant, ad praescriptum decreti a f. r. Gregorio xv hac de re editi. *Alioquin* monasteria et loca huiusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim religiosi, ut supra, sustentari atque inhabitare non poterunt et actu non habitaverint, Ordinarii loci visitationi, correctioni ac omnimodae iurisdictioni subiecta esse intelligantur ».

Postea S. Congr. Conc., proposito dubio: An decreti dispositio, qua statuitur « nullibi recipiantur monasteria, nisi... », habeat locum in Italia solum, an vero extra Italiam, respondit: « habere locum extra Italiam ». (Est responsum ad 20um ex dubiis S. C. C. propositis super decreto *Nuper* (1697) Innocentii xii. Responsa inveniuntur inter Decreta a Regularibus quotannis legenda).

licae. — Post haec addit: « Intendimus autem in praemissis, etiam ultra Italiam et insulas adiacentes, prout expedire viderimus, providere »: cuius phrasis sensus multum probabilis videtur esse (ut dictum est n. 2, *nota* c): quoad erectionem novorum conventuum exigi specialem licentiam S. Sedis, etiam extra Italiam, et hoc sufficere ut incommoda praecaveantur, quin ullus determinetur numerus religiosorum.

Revera, quoad factum attinet, non pauci parvi conventus conservati fuerunt, et alii prius suppressi denuo instaurati. Ideoque rursus incommodis obviare necesse fuit.

5. Quare idem Innocentius x, C. *Ut in parvis* (1654), tres parvorum conventuum classes distinxit. 1ª classis eorum est, qui prius suppressi postea restaurati fuerunt: hi, nisi 12 religiosos praesentes habeant, a iurisdictione Ordinarii non sunt exempti, et « interea in eis ali reipsa debent sex saltem religiosi probatae vitae, ex quibus quatuor ad minus sint sacerdotes maturae aetatis »; secus gratia restitutionis nulla evadit. — 2ª classis eorum conventuum est qui non fuerunt suppressi, quia vita regularis in eis sufficienter servabatur, quamvis non adessent 12 religiosi: hi conventus « cuiuscumque sint Ordinis, etiam grangiae seu membra alterius monasterii, existentes infra fines Italiae et insularum adiacentium, in quibus nunc non aluntur, vel quandocumque actu non alentur saltem sex religiosi probatae vitae, quorum ad minus quatuor sint Sacerdotes maturae aetatis », non sunt exempti; sed non supprimuntur, sicut supprimuntur conventus primae classis. — 3ª classis est parvorum conventuum, qui post decretum Urbani viii, *Cum saepe* (21 *iun.* 1625), fuerunt erecti: hi remanent subiecti decreto Urbani, scilicet non sunt exempti ab Ordinario, nisi in eis adsint 12 religiosi.

6. Innocentius xii, decr. « *Sanctissimus* » (1695) (cuius scopus est restituere vitam communem in conventibus), § 9 statuit ac decernit, ut nulla in posterum monasteria, domus, etc., instituantur, nisi sub expressa obligatione exactae vitae communis, « et nisi, praeter alia ad id requisita, prius legitime constiterit adesse annuos redditus vel certam eleemosynarum spem, quibus duodecim saltem religiosi, in exacta vita communi commode valeant sustentari ».

An hic § 9 habeat vim legis generalis, dubium est. Certum est enim ex verbis ipsis § 2, praescriptionem ibi factam non obligare nisi in Italia et insulis, atque non paucos Ordines

esse ab ea exemptos(c). Inde de extensione § 9 dubium ingeritur.

7. Sed idem INNOCENTIUS XII, in decreto *Nuper* (1697), de celebratione Missarum, inserit et renovat decretum Urbani VIII, *Cum saepe* (ita ut nonnunquam hoc decretum sub nomine Innocentii, et tamquam articulus decreti « Nuper » citetur). Unde numerum 12 religiosorum non praescribit, nisi sub conditione quod secus conventus exemptione non gaudebit.

8. LEO XIII tandem, Const. *Romanos Pontifices*, § 8, ait: « Iure autem communi constitutum est ut domus, quae sodales religiosos sex minimum non capiant, in potestate Episcoporum esse omnino debeant ». Et in nota ad verba « Iure communi », citantur duae Constitutiones Innocentii X, *Instaurandae* et *Ut in parvis*.

Ex hac historica disquisitione *concludi potest:* 1° solum Gregorium XV numerum certum religiosorum, nempe 12, praescripsisse ad monasterium seu domum religiosam novam instituendum; 2° eius Constitutionem fuisse correctam ab Urbano VIII; 3° caeteros Pontifices aliquem numerum religiosorum, 6 aut 12, praescripsisse tamquam necessarium non quidem ad erectionem, sed ad solam exemptionem; 4° hoc ius adhuc vigere: nam Leo XIII non dicit domos, in quibus non sunt sex religiosi, non posse erigi aut esse supprimendas, sed tantum eas esse Episcopis subiectas.

7. Quaenam domus religiosae erigi non possunt sine duplici expressa licentia Sedis Apostolicae et Ordinarii loci? —

(c) BIZZARRI, p. 396, refert aliquod responsum *S. Congr. EE. et RR.* anni 1741. Petitio facta fuerat ut, secundum decretum aliquod S. Congr. EE. et RR. anni 1714, quo conventus, in quibus sex aluntur religiosi, exempti declarabantur a iurisdictione Ordinarii: ita conventus aliquis Minorum Conventualium, in quo novem aderant religiosi, contra Ordinarii praetensionem exemptus declararetur. — « S. Congr., inhaerendo decretis alias desuper editis, decrevit et declaravit: Episcopum posse visitare solum quando actu non adsint sex religiosi » (12 *maii* 1741).

Alterum existit responsum, *d.* 26 *aug.* 1873 (A. S. S., t. VII, p. 626). Episcopus petebat an posset visitare conventum in quo tres tantum aderant religiosi. Relator mentionem facit decreti *Instaurandae* Innocentii X, et decreti *Ut in parvis*, quo prius fuit moderatum, et, quin mentionem ullam faciat decreti *Sanctissimus*, dat tamquam regulam fixam: hos tantum conventus exemptos esse in quibus sex aluntur religiosi.

Duplex requiritur licentia: 1° ad novam domum religiosam, cuiuscumque nominis vocetur, de novo instituendam, in qua religiosi sedem fixam et regularem habeant; 2° item ad ecclesiam novam; 3° etiam ad aperiendum collegia vel scholas.

Haec ex diversis SS. Pontificum Constitutionibus habentur, sed maxime ex C. *Romanos Pontifices*. In ea Leo XIII, § 21, totam de hac materia disputationem his verbis concludit: « His ergo de causis ad propositum dubium respondemus: Sodalibus religiosis novas sibi sedes constituere, erigendo novas ecclesias, aperiendove caenobia, collegia, scholas, nisi obtenta prius expressa licentia Ordinarii loci et Sedis Apostolicae, non licere ».

Ergo hoc directe et proprie Regularibus prohibetur: absque duplici dicta licentia *novas sibi sedes constituere*. Deinde ibidem declaratur, Regulares novas sedes sibi in aliquo loco constituere, non solum conventus, monasteria, domus aperiendo, sed etiam ecclesias, collegia et scholas.

Ante dictam Constitutionem, in aliis SS. PP. documentis de ecclesiis et scholis sermo non erat, sed tantum de monasteriis, conventibus, collegiis, aliisque regularibus locis huiusmodi; sed Leo XIII expresse nominat ecclesias et scholas. Quoniam de ecclesiis specialis potest esse difficultas, aliqua de earum erectione addenda sunt.

8. De erectione ecclesiae novae. — Praenotetur 1° hic tantum agi de erectione ecclesiae aut oratorii publici, ubi populus ad officia divina admittatur: de oratorii privati erectione in solum religiosorum usum, dicetur c. XVII, n. 10; — 2° ecclesiam erigi posse vel in ipso conventu aut domo religiosa, vel in loco a conventu separato (cum aliquibus religiosis ad serviendum ecclesiae aut etiam sine religiosis specialiter deputatis), vel tandem in praediis, grangiis et locis ruralibus.

Porro, 1° ad erigendum ecclesiam in ipsis conventibus aut domibus religiosis, specialis licentia non videtur requiri. Ratio est, quia ecclesia est pars integralis conventus[a]: ideo,

---

8. (a) Forsan haec assertio difficile probaretur, ubi agitur non de ecclesia aut oratorio ad merum religiosorum usum, sed de ecclesia publica. Ius igitur habendi ecclesiam publicam in conventu melius probaretur ex antiquis privilegiis minime revocatis. Constat enim primum antiquis monasteriis, postea mendicantibus fuisse concessum privilegium erigendi

data licentia erigendi conventum, eo ipso datur licentia erigendi in ipso ecclesiam (PIAT, t. II, p. 278, q. 16, 2°).

Notat tamen VERMEERSCH (t. I, n. 251, 1), Episcopum in concedenda conventus erectione posse iustam ob causam ponere conditionem quod non aperiatur ecclesia publica. Nullum textum aut decretum affert ad probandum suum assertum, sed ratione sic probaretur. Quemadmodum ob iustam causam Episcopus potest denegare licentiam erigendi conventum, ita potest licentiam non concedere nisi sub hac conditione quod non aperiatur ecclesia publica: seu aliis verbis, Episcopus hanc praecise rationem habere potest ad denegandam erectionem conventus, ne simul cum eo aperiatur ecclesia, quia non fieret nisi cum parochiarum aut conventuum iam existentium detrimento. Tunc erectionem conventus permittere posset, sub conditione quod ecclesia non aperiatur [b]. Consonat WERNZ (t. III, p. 430, *nota* 14), dicens: « Quamvis cum permissione conventus possit esse coniuncta licentia aedificandi etiam ecclesiam publicam, tamen id in omnibus casibus necessario non obtinet ». — Nihilominus hoc saltem dicendum videtur: ubi datur licentia erigendi conventum, communiter et per se datur licentia erigendi in ipso ecclesiam publicam, nisi expressa fiat exceptio.

Inde habetur solutio huius quaestionis: An, quando in prima conventus erectione non fuit exstructa ecclesia publica, postea sine speciali licentia erigi possit? — Respondetur: si licentia pro conventus erectione prius data non habuit appositam conditionem quod ecclesia publica non erigeretur, ipsa sufficit ut postea absque nova licentia ecclesia erigatur

---

ecclesias publicas in suis monasteriis (vide c. XV, n. 17 et sq). Hoc privilegium non fuit revocatum a Tridentini decreto in *sess.* XXII, de observandis et vitandis in celebratione Missae (vide c. XVII). De caetero similia privilegia etiam post Tridentinum fuerunt concessa, v. g., a Gregorio XIII Societati Iesu, Const. *Salvatoris* (1576). Nec Leo XIII, C. *Romanos Pontifices,* exigit licentiam Episcopi ad erigendas ecclesias in ipsis religiosorum domibus: nam pronuntiat « Sodalibus religiosis *novas sibi sedes constituere,* erigendo novas ecclesias, aperiendove caenobia,... nisi obtenta prius expressa licentia Ordinarii loci et Sedis Apostolicae, non licere ». Erigendo autem ecclesias in conventibus suis, religiosi non constituunt sibi *novas sedes.* Ergo nec his verbis revocatur privilegium Regularium.

(b) Sed forsan responderi potest, difficile esse Episcopo rationem *canonicam* ad prohibendam ecclesiae erectionem obiicere, quando ratio non adest ad prohibendam ipsius conventus erectionem (vide n. 4).

nisi oppositio fiat ab Episcopo vel ab aliis interesse habentibus.

2° Ad erigendam ecclesiam a suis conventibus separatam, Regulares indigent duplici licentia Ordinarii loci et Sedis Apostolicae.

Id ex Const. *Romanos Pontifices,* loco recitato, aperte constat. Et ipse Leo XIII plura S. Congr. de Prop. Fide decreta citat (n. 21), quibus probat se novum ius non inducere.

Olim quidem multa monasteria et postea mendicantes Ordines privilegia habebant, quibus eis licebat ecclesias publicas ubique accipere aut erigere (c). Sed haec privilegia per decreta super parvis conventibus fuerunt suppressa : his enim decretis fuit statutum nova loca a Regularibus recepta, in quibus vita regularis non servaretur et sex ad minus religiosi non degerent (sc. in quibus conventus non erigeretur), remanere Episcopis subiecta. Igitur in eis ecclesiae erigi nequeunt nisi de Episcopi loci consensu. Et si quod remanebat dubium, illud per Const. *Romanos Pontifices* fuit omnino sublatum.

3° De ecclesiis in praediis, grangiis et locis ruralibus erigendis dicetur c. XVI.

9. De translatione et immutatione domus existentis. — Notandum est, ex eadem Const. *Romanos pontifices,* duplicem expressam licentiam tum Apostolicae Sedis, tum Episcopi loci, requiri non solum in prima alicuius domus religiosae erectione, sed etiam 1° in translatione domus de loco in locum ; 2° in immutatione domus ab uno usu in alium, aut in inductione novi usus, priore retento, quoties novus usus non afficit solum regimen internum.

Quoad primum casum, sc. translationis domus de loco in locum, non pauci auctores illum distinguunt a casu translationis de situ in situm in eodem loco, puta in eadem civitate.

Ita omnino Ferraris (v. *Conventus,* art. I, n. 11), qui citat tria responsa S. Congr. EE. et RR. in hunc sensum ; — et in ad-

(c) Sic Iulius II, Const. *Dudum* (1506), Minimis privilegium elargitur « recipiendi ecclesias, oratoria, loca, cuiusvis etiam Superioris licentia minime requisita », necnon « ecclesias et oratoria quaecumque retinere, construere et aedificare, seu construi facere, absque alia desuper facienda concessione Apostolica » (n. 20).

ditionibus ex aliena manu, n. 51, dicitur: « Quidquid in utramque partem olim disputatum sit, indubia hodie res est, quod servandae haud sint Constitutiones Apostolicae loquentes de fundatione conventus, si translatio fiat ob aliquam iustam causam ad alium situm eiusdem loci, ut S. Congr. EE. et RR. censuit, non solum in resolutionibus allegatis ab Auctore nn. 11 et 12, verum novissime in Maioricen. (5 *apr.* 1754), ad secundum dubium [a].

Wernz de hoc casu sic scribit (n. 618): « Haec lex (duplicis licentiae) non obligat in simplici translatione conventus ex uno situ in alium eiusdem loci vel civitatis, nisi res recidat in novam fundationem vel iura aliorum Regularium laedantur ». In nota addit: « At fatendum est cum Ferrari, Leonem xiii, C. *Romanos Pontifices,* etiam translationibus in eodem loco non favere ». — Prummer contra scribit (q. 250, p. 305): « Eadem est legislatio de translatione ac de erectione. Episcopus enim et interesse habentes possunt aliquando rationabiliter esse inviti, quod conventus iam existens transferatur in alium locum vel etiam in aliam partem eiusdem civitatis ». Sed haec ratio probat quidem Episcopum aliosque interesse habentes posse oppositionem translationi facere, non autem probat praerequiri duplicem licentiam.

Quoad secundum casum, immutationis nempe ab uno usu in alium, dantur in ipsa Constitutione exempla utriusque generis immutationis, scilicet aut quae non afficiat solum regimen internum, aut contra quae illud solum afficiat. Haec de primo immutationis genere afferuntur: « veluti si schola in

---

9. (a) Ratio huius resolutionis est quia, si iam licentia data fuit ut aliqua familia religiosa sedem in aliquo loco constituat nec ab ullo oppositio facta est, ratio canonica adesse non potest contra eius translationem in alium situm, saltem dummodo lex distantiae ab aliis conventibus servetur. — Imo Ferraris et eius annotator censent translationem tunc fieri posse non servato privilegio cannarum, quo alii Regulares gauderent (l. c., nn. 11 et 52). Ratio esse potest, quia hi religiosi, qui domum transferunt, ius acquisitum in loco iam habent. Citant de caetero responsa S. Congr. EE. et RR. S. Congr., 9 *maii* 1642, « censuit Constitutiones et decreta Apostolica super novorum conventuum erectione edita, etiam in hac parte qua disponunt de distantia servanda inter conventus iam erectos et erigendos, non habere locum cum mutatur situs conventuum iam erectorum in eodem loco ». — Notetur praeterea distinctio hic clare facta inter varia loca et varios in eodem loco situs.

ecclesiam, coenobium in collegium vel in domum pupillis aegrotisque recipiendis, vel vicissim mutaretur »; de altero: « si tirocinium aut collegium, studiorum causa, iunioribus sodalibus in caenobio constituatur ». In immutatione primi generis rationes adesse possunt ut novus usus non permittatur: non erat difficultas ut schola aperiretur, sed adest ut erigatur nova ecclesia; et consequenter requiritur nova licentia. Contra in immutatione secundi generis, non apparet quaenam difficultas opponi posset: quare tunc non est necessarium novum beneplacitum Apostolicum neque nova licentia Ordinarii.

Idem dicendum est de *inductione novi usus,* retento priore, prout novus usus solum regimen internum afficit, aut non.

Alia est quaestio huic sat similis (de qua Prümmer, l. c., et Piat, t. II, p. 280, q. 20, ubi multas diversas sententias refert), sc.: An utraque licentia requiratur ad **reassumptionem conventus?** — Distinguit Prummer, utrum conventus reassumptus sit moraliter continuatio praecedentis, necne. Sic post violentam dispersionem brevis temporis, sine dubio haberetur moralis unio. Si dispersio ad plures annos protraheretur, maior difficultas aliquando haberetur, quamvis dicendum sit generatim ius ad habitandum non amitti per iniustam eiectionem. Sed maxime unio non haberetur, si aliqua familia religiosa sponte sua et penitus ab aliquo loco discessisset: tunc ad conventum de novo instituendum utraque licentia indigeret. Ita iudicavit S. Congr. EE. et Reg., 17 *nov.* 1617 (apud Piat, II, p. 280, q. 20).

10. Neutra licentia requiritur in sequentibus casibus:

1° Ad acquirendam villam, in qua religiosi non habent habitualem sedem, sed in quam, recreationis aut valetudinis causa, per aliquod tempus se transferunt.

2° Ad acquirenda praedia possessionesve, quae habentur propter census aut redditus, etiamsi unus alterve religiosus ibi habitualiter inhabitet.

3° Ad acquirendum aut erigendum hospitium ad merum usum religiosorum itinerantium, quamvis duo aut tres religiosi ibi inhabitent[a]. In eis tamen, nisi ex privilegio, ora-

---

10. (a) Bened. XIV, *de Synodo,* l. IX, c. 1, n. 9, licentiam Episcopi requirit: « Si res esset de aliquo simplici hospitio, quod pro Regularium iter facentium commodo aedificari vellet, licentia Episcopi localis ad id suf-

torium publicum aperire non licet sine licentia Episcopi aut privilegio S. Sedis.

Ratio communis tribus his casibus haec est, quod tales domus aut possessiones non sunt domus regulares in quibus familiae religiosae sedem constituant, sed loca mere saecularia.

4° Item, ut videtur, ad accipiendum aut emendum domum aut locum, cum animo ibi postea sedem constituendi; sed duplex licentia requiritur tantum priusquam ibi conventus aut domus quaecumque regularis constituatur. Id omnino videtur eruendum ex C. *Romanos Pontifices*, ubi pronuntiatur: religiosis *novas sibi sedes constituere* absque licentia non licere. Porro religiosi per meram domus aut loci acceptationem vel emptionem sedem in loco sibi non constituunt, etiamsi acceptarent aut emerent animo sedem ibi postea ponendi. — Haec sententia veluti certa habetur in COMP. PRIV., nn. 78 et 79. Ibi agitur de facultate a Romanis Pontificibus Societati facta recipiendi ecclesias, domos, collegia, etc.: ea ut adhuc existens et non revocata habetur; sed in fine n. 79 additur: « Caeterum hic de iure proprietatis capiendo agitur; nam ad instituendas domos, quaenam conditiones sint servandae dicitur n. 17 » (b).

---

ficeret, etiam non accedente Apostolicae Sedis auctoritate. » Idem dicit WERNZ, *nota* 151. — PIAT, t. II, p. 278, q. 17, neutram licentiam videtur requirere; ait simpliciter: « Constitutiones Apostolicas ad haec hospitia non se extendere ». — Cur Bened. XIV, et Wernz post ipsum, requirant licentiam Episcopi, non apparet; nisi esset ad erigendum oratorium publicum aut semipublicum. FERRARIS (v. *Hospitium Regularium*, nn. 1 et 2) docet requiri utramque licentiam, sed corrigitur ab eius annotatore, nn. 15 et 16. — COMP. PRIV., n. 328, ait: « Ex concessione Patribus Passionistis facta, sin minus ex iure communi, hospitia habere possumus ». Sed in hoc privilegio requiritur licentia Ordinarii loci ad celebrandas missas: cuius praescriptionis ratio esse potest, quod loca eiusmodi non sunt regularia, sed saecularia, Regulares autem in locis saecularibus oratoria, in quibus celebrent, erigere non possunt vi suorum privilegiorum. An autem, privilegio per communicationem admisso, haec restrictio retinenda sit, saltem dubium est. Cf. COMP. PRIV., verbo *Oratoria*, n. 437, et infra c. XVIII, n. 6. — Si agitur de hospitiis aut potius hospitalibus aegrotis aut pupillis recipiendis destinatis, istae domus sunt regulares, ad quas erigendas duplex requiritur licentia S. Sedis et Episcopi loci, ut expresse habetur in C. *Romanos Pontifices*.

(b) Contra hanc sententiam difficultas fieri posset ex c. *Cum ex eo*, BONIFACII VIII, cuius verba ab INNOCENTIO X in C. *Instaurandae* referuntur et ut lex vigens approbantur. Hic prohibetur Regularibus, « ad habitan-

Notat Wernz (n. 621, *scholion*) *de licentia potestatis civilis* ad erectionem novi conventus, 1° eam neque ex natura rei, neque ex Iure Canonico requiri, sed posse requiri ex specialibus concordatis, quibus tunc, ut patet, Regulares subiiciuntur; 2° prudentiam tamen suadere posse ut, si licentia etiam iniuste exigatur a lege civili, eam petant, ne gravia damna patiantur aut ne aliquibus iuribus frui priventur, v. g., personalitate iuridica civili. Quoniam autem tunc ius Ecclesiae violatur, S. Sedis sententia prius esset cognoscenda.

11. De extinctione domus religiosae. — Quaeritur, an Regulares domum religiosam canonice erectam privata auctoritate supprimere possint?

Resp. 1. — Si non tantum de suppressione, sed etiam de alienatione agitur, certum est alienationem, capite *Ambitiosae,* sub poena excommunicationis, a Pio IX renovata, esse prohibitam. Sed quid si de mera suppressione agitur absque alienatione?

AA. haec duo, suppressionem et alienationem, coniungunt. Ita Wernz, n. 624: « Neque etiam conventus ab ipsis Regularibus propria auctoritate deseri vel dissolvi vel alienari possunt, nisi in casibus ipso Iure iam concessis aut obtento speciali indulto Apostolico et forma canonica servata ». Item Piat, t. II, p. 282, q. 24: « An Regulares valeant sine licentia monasteria sua deserere et deserta vendere? R. Id de Iure communi non licet, ut fatentur omnes ». Vermeersch, n. 118, haec habet: « Quamvis in Iure communi Regularium, nulla nobis occurrat peculiaris de hoc casu provisio, universales sanctiones de bonis ecclesiasticis vetant ne ecclesia consecrata usui fiat profano, vel res immobiles aut mobiles pretiosae alienentur inconsulta S. Sede. Quare adeunda fere erit S. Congregatio ».

Resp. 2. — Certum est loca proprie religiosa, id est quae auctoritate ecclesiastica constituta sunt (qualia sunt domus religiosae), non posse deinde ad usus profanos propria auctoritate restitui. Est *regula* 51 *Iuris in* 6°: « Semel Deo dicatum

---

dum domos vel loca quaecumque de novo *recipere,* absque S. Sedis licentia speciali ». Responderi potest, verba « *ad habitandum recipere* », intelligi debere non de mera intentione, sed de facto, seu de receptione cum habitatione coniuncta. Quod si verba ambigua sunt, sufficienter explicantur per alias RR. PP. Constitutiones, maxime per Const. *Romanos Pontifices* Leonis XIII.

non est ad usus humanos ulterius transferendum ». Et Urbanus III, c. *Ad haec*, 4, *De religiosis domibus*, III, 36: « Si locus ad hospitalitatis usum et pauperum provisionem fuerit auctoritate Pontificis destinatus, cum sit religiosus, non debet mundanis usibus deputari ». Ita docet SCHMALZGR., in h. t., *De domibus relig.*, III, 36, n. 23.

Resp. 3. — Quid autem si domus religiosa nec alienetur nec ad usus profanos convertatur, sed simpliciter deseratur? An liceat? — Videtur hoc etiam prohiberi a BONIFACIO VIII, c. *Cum ex eo. De excessibus Praelatorum*, V, 6, *in Sexto*. Dicitur enim: « Cum, ex eo quod Praedicatores, Minores et religiosi alii mendicantes, in civitatibus, castris, villis aut aliis locis, ad habitandum domos vel loca de novo suscipiunt, *seu olim suscepta dimittunt*, se ibidem ad alia transferentes, diversa scandala quandoque proveniant...., nos prohibemus ne aliquis aut aliqui de praedictis.... in aliqua civitate, castro, villa seu loco quocumque, ad habitandum domos vel loca quaecumque de novo recipere, seu hactenus recepta mutare, vel ea venditionis, permutationis, donationis aut cuiusvis alienationis titulo quocumque in alios transferre praesumant, absque Sedis Apostolicae licentia speciali.... ». — Sed hic textus non est forsan peremptorius. In parte expositiva decreti, dicitur quidem scandala evenire ex eo quod mendicantes (de his solis agitur) loca olim suscepta dimittant; verum statim additur « se ibidem ad alia transferentes »: ita ut haec duo collective forsan sumi debeant, et ideo id, quod hic perstringitur, sit translatio de loco in locum. In parte autem dispositiva, haec tria tantum absque licentia S. Sedis fieri prohibentur: 1° domos aut loca ad habitandum de novo recipere; 2° recepta mutare; 3° ea alienare. — Fatendum est tamen practice domum non deseri, quin aut vendatur aut saltem conducatur, sc. quin ad usus profanos vetitos destinetur, et hoc est prohibitum. — In NORMIS a. 1901, « *pro suppressione domorum existentium* » exigitur recursus ad S. Sedem (*art.* 272).

12. De erectione Provinciarum. — Provinciae proprie dictae, in Ordine religioso, sunt plurium conventuum unio sub unico Superiore Provinciali, propria auctoritate ac media inter Superioris Generalis et Superiorum localium auctoritatem, hos conventus eorumque personas regente. Haec divisio Ordinis in provincias proprie dictas primo facta fuit a S. Francisco in capitulo generali, a. 1217; similis facta fuit in capitulo generali PP. Praedicatorum, a. 1220. — Quae divisio

differt a distinctione Ordinis S. Benedicti in pluribus Congregationibus constitutiones paulo diversas habentibus, ac etiam a divisione eiusdem Ordinis in provincias facta a Benedicto XII, a. 1336, quia hae provinciae non reguntur a Provinciali (cf. WERNZ, n. 613).

Provinciarum institutionem in Ordinibus religiosis proprie dictis S. Sedes sibi non reservavit: nulla lex etenim affertur [a]; sed in approbandis novis Institutis, S. Congr. EE. et RR. hanc provinciarum creationem approbationi suae subiicit [b], et in NORMIS a. 1901, pro creatione novarum provinciarum exigitur recursus ad S. Congr. EE. et RR. (art. 272).

Quamvis autem nulla lege Romani Pontifices institutionem provinciarum in Ordinibus proprie dictis sibi reservaverint, nihilominus Doctores Iuris Canonici, ait WERNZ, n. 614, quoad ipsas Religiones formales, rationibus theoreticis et analogicis inducti, paulatim communius pervenerunt ad severiorem opinionem, quae hoc negotium Sedi Apostolicae reservatum esse tenet. PIAT, t. I, p. 619, q. 7, censet requiri facultatem S. Sedis: sed rationem valde debilem affert: quia Provinciales, ait, « iurisdictionem quasi episcopalem habent, ius, quo prohibetur novam dioecesim erigere absque S. Sedis facultate, novae provinciae erectioni accommodari debet ».

---

12. (a) Affertur quidem ab aliquibus Const. *Iniuncte* INNOCENTII XI (17 *nov.* 1677), in qua concedit facultatem dividendi unam provinciam Cappuccinorum in duas. Ibi n. 2 dicitur: « Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, eiusmodi provinciarum divisiones absque speciali nostro et huius S. Sedis indulto fieri nequeant,... quamcumque necessariam et opportunam facultatem et licentiam auctoritate Apostolica concedimus et impertimur ». Verum 1° hic Pontifex non asserit requiri licentiam, sed cum hanc alii necessariam putent, concedit; 2° hoc Breve est merum rescriptum, non decretum generale.

(b) V. g., S. CONGR. EE. ET RR., in *Animadversionibus* in Constitutiones Congregationis Presbyterorum Imm. Concept. (2 *mart.* 1861), ad 1: « In Constitutionibus mentio facienda est de licentia a S. Congr. EE. et RR. obtinenda, pro erectione et divisione Provinciarum, pro erectione domorum novitiatus ». — Item in *Animadv.* pro approbatione Constitutionum Congregationis Missionariorum S. Francisci Salesii (23 *mai* 1860), ad 7: « Praescribenda est licentia S. Congr. pro erigendis novitiatibus et Provinciis (Apud BIZZARRI, pp. 845 et 852). Item in multis aliis *Animadversionibus*.

SECTIO II.

13. De privilegiis Societatis quoad erectionem domorum. Res historice tractanda est, ut appareat quaenam privilegia variis temporibus sint concessa, et utrum deinceps fuerint revocata, necne.

1. Paulus III, Const. *Licet debitum* (1549), Societati concessit ut posset accipere aut aedificare domos, ecclesias, collegia; « ipsasque domos, ecclesias, collegia, cellas, oratoria ubilibet (per Societatem) constructa aut ei donata, eo ipso quod aedificata vel donata fuerint, Apostolica auctoritate erecta, approbata et confirmata esse et censeri » pronuntiavit. Hoc privilegium confirmaverunt Pius IV, Const. *Etsi ex debito* (1561) et Gregorius XIII, Const. *Salvatoris* (1576).

Notandum est autem hanc ultimam Gregorii Constitutionem 13 annis post sessionem XXV Conc. Tridentini datam fuisse, et nihilominus nullam mentionem in ea fieri licentiae Ordinarii a Tridentino, c. 3 huius sessionis, praescriptae; imo dicitur Pontificem hoc privilegium « de specialis dono gratiae concedere et indulgere ».

2. Sed datis postea Constitutionibus Clementis VIII (1603), Gregorii XV (1622), et maxime Urbani VIII (1624), qua amplissima continetur revocatio privilegiorum quorumcumque in contrarium, et exigitur ut erectio non fiat « nisi de expressa Ordinariorum licentia, et servata in omnibus et per omnia Sacrorum Canonum et C. Tridentini, et Constitutionum Clementis et Gregorii forma » (supra, n. 2, e); data quoque Constitutione *Instaurandae* Innocentii X (1652), *speciale* S. Sedis beneplacitum exigente (saltem in Italia et insulis, et multo probabilius ubique, ut dictum est supra, n. 2, f), et clausulas amplissimas revocationis continente, ubi explicite Societas Iesu nominatur: his Constitutionibus standum erat atque privilegia Pauli III, Pii IV et Gregorii XIII tanquam revocata habenda erant, ita ut Societas iam domos erigere non posset sine licentia Ordinariorum et speciali beneplacito Apostolico.

3. Pius VII vero, Constitutione *Sollicitudo* (1814), qua Societatem in toto orbe restituit, permittit domos et collegia ac-

cipere, quin exigat speciale beneplacitum Apostolicum [a]. De licentia Ordinarii hic nulla fit mentio; non propterea reputandum est concessam esse facultatem novas domos erigendi sine Ordinarii licentia. Haec enim licentia iure communi requiritur: cui nonnisi expressis verbis derogatur.

4. Quid autem de hoc privilegio, post Constit. *Romanos Pontifices,* quo *expressa* requiritur tum S. Sedis, tum Ordinarii licentia, censendum est?

Resp. 1. Certum est Const. *Romanos Pontifices,* § 19, continere clausulas quibus revocantur omnia privilegia contraria Societatis, ut expresse ibidem declaratur [b].

Resp. 2. Ideo in locis, in quibus haec Constitutio vim legis habet, id est saltem in missionibus S. Congr. de Prop. Fide subiectis, utraque licentia expressa S. Sedis et Ordinarii ad erectionem novae domus praerequiritur, imo (ut dictum est n. 2) multo probabilius, sin minus certo, ubique iam est necessaria [c].

---

13. (a) « Quare concedimus et indulgemus (Pr. Generali et ab ipso deputatis) omnes necessarias et opportunas facultates, ut omnes illos, qui in regularem Ordinem S. I. admitti et cooptari petent, admittere et cooptare libere ac licite valeant: qui in una vel pluribus domibus, in uno vel pluribus collegiis, in una vel pluribus provinciis, sub Pr. Generalis auctoritate coniuncti et, prout res ferret, distributi.... »; et infra: « Omnia vero collegia, domus, provincias, sociosque sic coniunctos, et quos in posterum coniungi et aggregari contigerit, *iam nunc* sub immediata nostra et huius Sedis Apostolicae tutela, praesidio et obedientia recipimus ». Quibus verbis approbat in antecessum collegia et domus in posterum recipiendas aut aedificandas; unde *specialis* licentia S. Sedis non exigitur.

(b) « Non obstantibus.... quorumcumque Ordinum, Congregationum, Institutorum, et Societatum, etiam Iesu, statutis et constitutionibus,... privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis et factis, licet pluries iteratis ».

(c) COMPEND. PRIVIL., n. 17, sic de hac re loquitur: « Haec facultas (a Iulio III, Pio IV, Gregorio XIII et Pio VII concessa) ita limitata est, ut novas domos sive collegia instituere non liceat,... nisi *obtenta prius,* in *singulis domibus* vel collegiis instituendis, Ordinarii loci licentia atque adeo Apostolicae Sedis, saltem in missionibus S. Congr. de Prop. Fide subiectis ». Forsan dubium moveri potuisset: utrum *expressa* licentia quae praerequiritur, necessario intelligi debeat *specialis pro singulis domibus* erigendis, an contra sufficienter expressa haberi possit facultas generalis, qualem Societas habuit. Sed revera si totus contextus loci Constitutionis *Romanos Pontifices* legatur, dicendum videtur Leonem XIII specialem pro singulis casibus licentiam requirere, ut interpretatur Comp. Privil.

14. Privilegium aedificandi intra Cannas.

1. Pius IV, Const. *Etsi ex debito* (1571) et Gregorius XIII Const. *Salvatoris Domini* (1576), Societati privilegium concesserunt aedificandi aut aedificia constructa recipiendi non solum intra 300, sed etiam intra 140 cannas a conventibus aliorum mendicantium, non obstantibus eorum privilegiis. Hoc autem privilegium declaratur non esse communicabile.

2. Quoad privilegium ipsum cannarum, non fuit quidem directe concessum Societati, sed dubium non est Societatem ipso frui per communicationem privilegiorum [a].

15. De dissolutione domorum ex Instituto.

1. De hac quaestione sic disponunt Constitutiones, P. IX, c. 3, n. 5: « Alienare aut omnino dissolvere [a] collegia vel domos iam erectas Societatis, sine generali eius Congregatione, Praepositus Generalis non poterit ». Idem exprimitur P. IV, c. 2, n. 3: « Ad relinquenda vel alienanda collegia aut domos iam admissas Praepositus Generalis simul cum ipsa Societate potestatem habebit »; et in *Decl. A* dicitur « id fieri posse in Congr. generali, aut etiam sine illa, missis nimirum suffragiis ab his qui ius habent suffragii ». Congr. IV autem, dd. 23 et 27, statuit hoc ius habere Provinciales, Assistentes, Procuratorem Generalem, Secretarium Societatis, et duos professos antiquissimos ex singulis provinciis: dissolutionem vero maiori suffragiorum numero esse decernendam.

2. Post restitutam Societatem, omnes Congreg. generales P. Generali facultatem supprimendi collegia aut sine conditione aut sub aliquibus conditionibus dederunt, et iam in an-

---

14. (a) Notat Piat (t. II, p. 284, q. 27), quamvis Gregorius XIII, inter rationes propter quas Societati concessit privilegium aedificandi intra cannas, illam afferat : Societatem « alios iuxta se domos et monasteria aedificare non prohibere »; nihilominus non ideo negat ipsi ius id faciendi, sed factum tantum exponit. Cf. Petra, *Const.* 7ª *Clementis* IV, n. 13.

15. (a) Distinguitur hic dissolutio ab alienatione. Id autem fieri potest propter duplicem rationem, scilicet, vel quia Societas dissolvere potest collegium quin eius aedificia aliave bona alienet, vel quia evenire potest ut Societas dominium aedificiorum alicuius collegii non habeat, aut etiam haec ex contractu fundationis ad fundatores eorumve haeredes in casu dissolutionis redire debeant. — Utrumque autem Generali prohibetur, tum alienatio, tum simplex dissolutio absque alienatione.

tiqua Societate eamdem facultatem dederant aliquae Congregationes [b].

3. Notandum est, etiam *translationem* alicuius collegii (de loco in locum) non posse fieri a Generali propria auctoritate: nam translatio non fit nisi per dissolutionem collegii vel domus in priore loco. In Const., P. VIII, c. 2, n. 2, S. Pater causas, propter quas Congr. Generalis adunari debet, assignans, ait: « Quales essent, v. g., collegia vel domos dissolvere, aut alio transferre ». Ideo Congr. II (d. 30 in *Actis manuscriptis*) et Congr. IV (dd. 47 et 54, etiam in *Actis manusc.*) dederunt P. Generali facultatem domos transferendi aut relinquendi [c]. — Si tantum ageretur de mutatione situs in eadem civitate (et prioris non fieret alienatio), forsan minus rigorose procedere liceret.

4. Haec facultas, domos et collegia in Congregatione generali dissolvendi, iam continetur in secunda formula Instituti, ideoque fuit a Iulio III approbata (1550) [d].

5. Residentias autem P. Generalis propria auctoritate dissolvere potest (Ciravegna, *de Paupertate,* n. 74). Ratio est, quia residentiae non admittuntur tamquam domus perpetuae

---

(b) Vide *indicem Instituti* (t. III), verbo *Dissolutio* domorum vel collegiorum.

(c) Congr. II, d. 30: « Actum fuit de collegiis quibusdam.... in domos probationis convertendis, sublatis scholis, et visum est Congregationi id negotii Praepositi Generalis prudentiae committendum esse, et ita est commissum ». In pluribus aliis huius Congregationis decretis facultas collegia aliqua deserendi relinquitur Praep. Generali (dd. 31, 32, 38, 72, in *Actis manusc.*).

Congr. IV, d. 54 *(in Actis manusc.),* « Praep. Generali facultatem dedit transferendi collegium Pultoniense (in provincia Polonica) Plociam, si quando sese obtulerit ipsius iudicio commoda occasio,... facta commutatione bonorum praesentium in alia Plociae vicina et commodiora ». Eadem Congr., d. 47: « Nomine Congregationis Castellanae petitum fuit, ut a Congregatione (generali) detur Patri nostro Generali potestas transferendi Ognatense collegium in aliquam aliam Cantabriae partem,... Congregatio petitionem admisit, et Praep. Generali potestatem fecit transferendi praedictum collegium, servatis praedictis conditionibus ».

(d) « Concilium vero necessario convocandum ad condendas vel immutandas Constitutiones, et alia graviora, ut alienare vel dissolvere domos ac collegia semel erecta.... ».

Societatis, sed tantum temporariae. Ergo, in ipsarum admissione et erectione, conditio invenitur quod dissolvi possint ab eo qui eas acceptat. Nihilominus nulla invenitur declaratio in Instituto, quod residentiae a P. Generali propria auctoritate dissolvi possint. Imo in Congregatione XVII, d. 14, « facta est Patri nostro facultas dissolvendi parvum collegium et residentiam, si et quando id ipsi visum est »: de qua tamen facultate dici potest, eam datam fuisse ad abundantiam iuris ut tollerentur quaecumque difficultates, ideoque argumentum inde non esse desumendum ad denegandum Pr. Generali ius residentias dissolvendi.

16. Provinciarum institutio. — Constitutiones nihil habent de novarum Provinciarum institutione. CONGR. I, d. 108, hanc institutionem Praep. Generalis curae reliquit; CONGR. II, d. 36[a], et CONGR. IV, d. 6, hoc decretum confirmarunt.

Porro haec decreta fuisse in forma specifica a S. Sede approbata censenda sunt. Nam Gregorius XIII, Constit. *Ascendente* (1584), de Instituto, Constitutionibus et decretis etiam Congregationum haec declarat: « Nos motu simili (sc. proprio) et ex certa scientia nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine laudabile ipsius Societatis Institutum,... Constitutiones quoque ac statuta, et *decreta qualiacumque, ac si ad verbum praesentibus insererentur pro expressis habentes,* tenore praesentium approbamus et confirmamus ».

Item, PIUS VII, C. *Sollicitudo* (1814), qua Societatem in universo orbe restituit, curam Provincias determinandi Praep. Generali relinquit (supra, n. 13, 3°; COMP. PRIVIL., n. 281).

Ergo, etiamsi a Iure communi vel ex stylo Congregationum Romanarum consensus S. Sedis ad institutionem novarum provinciarum iam in Ordinibus ipsis formalibus requireretur (supra, n. 11), Societas, tum ex consuetudine antiquissima, tum ex praedictis privilegiis, suam praxim retinere potest, donec expresse aliud exigatur.

De Provinciarum suppressione nihil in Instituto invenitur.

---

16. (a) « Actum est an expediret nullo modo multiplicari provincias sine Congregatione generali: et visum est Congregationi: Provinciarum institutionem, iuxta decretum primae Congregationis generalis, Praeposito Generali relinquendam esse; qui tamen, nonnisi re diligenter considerata et cum Assistentibus communicata, novas provincias instituere ad commune Societatis bonum deberet » (Congr. II, d. 36).

CAPUT XIV.

DE PRIVILEGIIS CANONIS, FORI ET IMMUNITATIS

1. Privilegium Canonis. — 2. Privilegium Fori. — 3. Privilegium Immunitatis. — Immunitas personalis. — 4. Immunitas realis. — 5. Duo notanda quoad praxim immunitatis realis. — 6. Inviolabilitas bonorum ecclesiasticorum et proinde religiosorum. — 7. Immunitas specialis bonorum Regularium. — 8. Praescriptio contra bona Regularium. — 9. Immunitas localis. Actus prohibiti in locis sacris. Ius Asyli.

Aliqua iura religiosorum sunt eis communia cum clericis; alia sunt eis propria. Communia sunt cum clericis privilegia Canonis, Fori et Immunitatis: de his in hoc capite. De privilegiis propriis in sequentibus dicetur.

1. Privilegium Canonis (Cf. WERNZ, t. II, n. 163 sqq.).

1. Religiosi, etiamsi non sint clerici, fruuntur privilegio Canonis. Hoc privilegium in eo consistit, quod excommunicationi Papae reservatae subiacent quicumque clericum vel monachum iniuriose percutiunt, aut alia *reali* iniuria afficiunt. Dicitur esse privilegium, quatenus per eiusmodi excommunicationem personae ecclesiasticae efficaciter protectae inveniuntur et quamdam inviolabilitatem obtinent. — Dicitur privilegium Canonis, quia exprimitur in *Canone* 15 *Conc. Lateranensis* II, sub Innocentio II (1139), relato in DECRETO GRATIANI, c. *Si quis,* 29, *Causae* XVII, q. 4.

Est autem tenoris sequentis: « Si quis, suadente diabolo, in clericum vel monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo subiaceat, et nullus Episcopus illum praesumat absolvere ». Haec excommunicatio innovatur in Const. *Apostolicae Sedis:* est secunda secundae seriei, ibique adduntur verba *utriusque sexus* monachos, atque sanciuntur antiquae Iuris dispositiones et privilegia quoad absolutionem censurae[a].

2. Verba Canonis perpendere iuvat. Dicitur *a) Quicumque*

1. (a) « Violentas manus, suadente diabolo, iniicientes in clericos vel utriusque sexus monachos, exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus iure vel privilegio permittitur ut Episcopus aut alius absolvat.... ».

violentas manus etc.... Ergo hanc excommunicationem incurrit etiam clericus et religiosus violentas manus iniiciens in alterum clericum aut monachum [b]. — *b) Violentas manus iniecerit*.... Ergo convicia, verba contumeliosa non sufficiunt, sed e contra excommunicationem incurrunt non solum ii qui vulnerant, percutiunt, sed quicumque violentiam externam exercent: v. g., vestes lacerando, sordes iniiciendo (Ball.-Palm., t. IV, p. 372). Iniectio manuum, ait Wernz, l. c., intelligitur omnis actio exterior et iniuriosa sive in corpus, sive in libertatem, sive in dignitatem, factis non verbis solis illata. — *c) Suadente diabolo*.... Scilicet requiritur intentio malitiosa, quae ratione iniuriae peccatum grave importet. Unde non incurrit excommunicationem qui percutit in casu legitimae defensionis, aut in defensionem pudicitiae sive propriae sive uxoris, matris, sororis, filiae, aut ex indignatione contra turpiter cum iisdem (non cum aliis) agentem; nec incurrit qui per iocum vel per errorem, eum nempe laicum existimans, clericum vel monachum percutit [c] (Wernz, n. 165, III).

3. Hoc privilegio fruuntur omnes clerici post primam tonsuram, aliquibus exceptis (vide Wernz, l. c.), et omnes utriusque sexus religiosi, conversi [d] etiam atque novitii [e], cuius-

---

(b) An mandantes, consulentes, faventes excommunicationem incurrant, controvertitur. Ante Const. Pii IX, certo mandantes, ex variis capitibus Iuris, excommunicationi subiacebant. Cum autem Const. *Apostolicae Sedis* mandantes hic non nominet, dum in aliis excommunicationibus de eis expressam mentionem facit, inde multi concludunt mandantes eam non amplius incurrere. Ita Wernz (t. II, n. 165, II, nota 94), Ballerini-Palmieri (t. IV, p. 373), D'Annibale, Bucceroni, Pennacchi. Alii dicunt excommunicationem intelligendam esse secundum antiquas Iuris explicationes, et ideo mandantes, consulentes, faventes excommunicationi subiacere: Lehmkuhl, Avanzini, Dumas, Schéler.

(c) Ita expresse ex c. *Si vero*, 3, *De sent. excomm.*, V, 39, necnon ex cc. 1 et 4 eiusdem tituli.

(d) De conversis et monialibus, habetur c. 33, *De sent. excomm.*, V, 39: « De monialibus, tua a nobis Fraternitas requisivit, per quem sit eis beneficium absolutionis impendendum, si vel in se invicem, vel conversos vel conversas suas, aut clericos etiam, manus iniecerint violentas. Super hoc igitur tuae consultationi taliter respondemus, ut per Episcopum, in cuius dioecesi monasteria fuerint, absolvantur ».

(e) De novitiis, habetur c. *Religioso*, 21, *De sent. excomm.*, V, 11, *in Sexto*, § 2: « Quamvis is qui Religionem ingreditur, religiosus censeri cum effectu

cumque sint Instituti, etiam ab Episcopo tantum approbati, tandem tertiarii S. Francisci et S. Dominici habitum gestantes et in communitate viventes [f]. WERNZ, n. 165, *notis* 83 et 84; SCHMALZGR., in l. v, tit. 39, n. 219.

AA. communiter docent hoc privilegium esse large accipiendum in favorem clericorum et religiosorum.

4. Quoad absolutionem excommunicationis, modo generali reservatur Papae, sed cum exceptionibus a Iure vel privilegiis ortis, quas expresse servat Pius IX. De his exceptionibus, vide c. XXI, n. 10, 3°.

2. Privilegium Fori (cf. BALL.-PALM., t. IV, p. 374).

1. Privilegium fori in hoc consistit quod clericus aut religiosus non possit coram iudice laicali *conveniri,* exceptis aliquibus casibus Iure determinatis [a]. Dicitur *conveniri:* nam si clericus aut religiosus non est reus, sed actor contra laicum, eum apud iudicem civilem convenire debet: actor enim foro rei semper subiacet. Privilegium locum habet, sive actio personalis sive etiam realis contra personam ecclesiasticam intentetur [b].

2. Hoc privilegium fori semper viget. Damnata fuit a Pio IX haec propositio (31 *Syllabi*): « Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis, sive civilibus sive criminalibus, omnino de medio tollendum est »; et in C. *Apostolicae Sedis,* excommunicatione S. Pontifici speciali modo reservata feriun-

---

non possit, donec sit tacite vel expresse professus: si quis tamen violentas manus in eum iniiciat, excommunicationis latae a canone vinculum non evadit ».

(f) Nam hi tertiarii, ex Const. *Dum intra* LEONIS X, gaudent privilegiis sui Ordinis.

2. (a) V. g., excipitur casus quo clericum aliquis conveniat propter munus civile. Et haec est una ex rationibus, cur Ecclesia a statu clericali et regulari amoveat eos qui sunt rationibus reddendis obnoxii, et interdicit clericis et Regularibus negotia saecularia, uti esse tutorem, curatorem, etc.; ne ratione horum negotiorum saecularium coram iudice civili, cum detrimento status ecclesiastici vocentur.

(b) Sunt tamen qui dicunt, si actio est realis et res de qua agitur non est ecclesiastica, clericum et religiosum ad forum laicum esse trahendum; sed sententia communis Theologorum et Canonistarum est, etiam in hoc casu clericum coram iudice ecclesiastico conveniri debere (SCHMALZGR., l. II, tit. 2, n. 82); cui sententiae argumentum validum affert prop. 31 syllabi.

tur « cogentes sive directe sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones » [c].

3. Eo privilegio fruuntur non tantum clerici, verum etiam religiosi omnes utriusque sexus. « Nomine clericorum, quoad privilegium fori, ait Ferraris (v. *Clericus*, *art.* 2, n. 5), veniunt Monachi et Regulares omnes Religionum ab Ecclesia approbatarum, tam professi etiam conversi quam novitii, imo et moniales et eorum conversae et novitiae. Est communis. Omnes enim tales sunt personae ecclesiasticae ac Dei servitio divinisque ministeriis specialiter deputatae: ideoque in materia favorabili veniunt nomine clericorum, ut c. *Quisquis inventus*, 21, et c. *Si quis suadente diabolo*, 29, *causae* XVII, q. 4 » [d]. Ball.-Palm., l. c., p. 376, eamdem sententiam tenet. Non invenitur textus particularis Iuris circa hoc privilegium fori, sed illud non est nisi aliqua pars immunitatis personalis: et ideo quod in Iure de hac dicitur, etiam de privilegio fori intelligi debet.

4. Clerici et religiosi non possunt renuntiare privilegio fori: nam non fuit constitutum in favorem tantum singularum personarum ecclesiasticarum, sed maxime totius ordinis ecclesiastici [e]. Ecclesia autem potest, iuxta adiuncta rerum et temporum, de suo iure aliquid cedere. — Ergo clericus aut religiosus coram iudice civili citatus, tribunali se sistere non potest, nisi vi consuetudinis in loco legitime vigentis aut cum licentia legitimae auctoritatis.

3. Immunitas (cf. Wernz, t. II, n. 166; Schmalzgr., in l. III,

---

(c) S. Offic., *d.* 23 *ian.* 1886, authenticam declarationem huius excommunicationis edidit in litteris circularibus ad Ordinarios locorum: « In iis locis, in quibus fori privilegio per SS. PP. derogatum non fuit, si in eis non datur ius suum persequi nisi apud iudices laicos, tenentur singuli prius a proprio ipsorum Ordinario veniam petere ut clericos in forum laicorum convenire possint, eamque Ordinarii nunquam denegabunt, tum maxime cum ipsi controversiis inter partes conciliandis frustra operam dederint » (A. S. S., t. 18, p. 416).

(d) In c. *Quisquis* dicitur: « Sacrilegium committit qui.... iniuriam vel ablationem rerum intulerit clericis arma non ferentibus, *vel monachis vel Deo devotis*, omnibusque ecclesiasticis personis ».

(e) Ita c. *Si diligenti*, 12, *De foro competenti*, II, 2: « Cum non sit beneficium hoc personale, cui renuntiari valeat, sed potius toti collegio ecclesiastico publice sit indultum, cui privatorum pactio derogare non potest.... ».

tit. 49). — Religiosi, sicut clerici, gaudent privilegio immunitatis, quia personae sunt ecclesiasticae, ut dictum est n. 2.

Notiones de immunitate hic breviter commemorandae sunt. Immunitas est ius quo personae, loca et res Ecclesiae a potestate civili eiusque legibus eximuntur. Triplex est ergo immunitas: personalis, localis, realis.

Immunitas personalis est ius quo personae ecclesiasticae a legibus civilibus, et consequenter ab oneribus civium communibus necnon a contributionibus personalibus eximuntur. Dicitur « ab oneribus civium communibus », scilicet sive ab officiis, sive a servitiis, puta officium iuratorum, tutorum, curatorum, servitium militare, praestationes; « a contributionibus personalibus », sive capitationis, sive aliis quae civibus imponuntur. Ita Schmalzgr., l. c., n. 9.

Nota. Personae ecclesiasticae a iurisdictione civili eximuntur, igitur a legibus civilibus. Nihilominus bonum publicum requirit ut in multis has leges observent; sed obligatio pro ipsis non ex ipsa lege civili oritur, sed aut ex lege naturali, aut ex positiva legis ecclesiasticae dispositione. Inde sequitur, quod clerici legem civilem violantes a iudice civili puniri nequeunt, sed ad Superiores ecclesiasticos deferendi sunt. Cf. cc. 2, 4 et 7, *De immunitate ecclesiast.*, III, 49.

Ad hanc immunitatem personalem, tamquam eius pars, spectat privilegium fori: nam qui non subiacet legibus alicuius, nec eius foro submittitur.

4. Immunitas realis est ius quo res, quae sive ad personas sive ad loca vel bona ecclesiastica pertinent, a tributis et vectigalibus eximuntur (Schmalzgr., l. c., n. 3). Hae res autem triplicis sunt generis: 1° Sunt ipsae consecratae res aut benedictae aut immediate deputatae ad cultum divinum, ut ecclesiae, oratoria, coemeteria, monasteria, vasa sacra, vestes sacrae, etc. 2° Sunt bona temporalia ecclesiarum, monasteriorum, locorum piorum, quorum redditus ad sustentationem clericorum aut religiosorum, vel ad conservationem, augmentum aut ornatum templorum, monasteriorum, cultusve divini, vel ad pia opera promovenda destinantur. 3° Sunt bona clericorum, quae rursus aut sunt redditus quos ex beneficiis ecclesiasticis percipiunt, ad quos ius habent propter munus spirituale, aut sunt bona patrimonalia, sc. quae ipsis vel ex haereditate vel ex dono aut contractu aut industria competunt (Schmalzgr., l. c., n. 16).

His positis: 1° sicut personis ecclesiasticis, ita et bonis ec-

clesiasticis saltem primi generis, necnon et redditibus beneficialibus exemptionem competere certum est, et haec exemptio est a iure divino repetenda: nempe his bonis competit, quia Ecclesia est societas a Christo cum omni independentia a societate civili constituta. Hoc ex variis Iuris capitibus (in l. III, tit. 49) habetur; item ex c. *Quamquam*, 4, *De censibus*, III, 20, in 6°: « Cum igitur ecclesiae ecclesiasticaeque personae ac res ipsarum non solum iure humano, quin immo et divino, a saecularium personarum exactionibus sint immunes.... etc. ». Item TRID., *sess.* XXV, c. 20 *de Reformatione*, principes Christianos hortatur ne permittant « ut officiales aut inferiores magistratus Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitatem, Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam, violent ». PIUS IX damnavit hanc propositionem: « Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas a Iure civili ortum habuit » (*Syll.*, prop. 30), et hanc aliam: « Absque ulla naturalis iuris et aequitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundae exercendaeque militiae eximuntur » (*ibid.*, prop. 32). In C. *Apostolicae Sedis*, servata fuit excommunicatio R. P. speciali modo reservata in « usurpantes aut sequestrantes iurisdictionem, bona, redditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes » (n. 11). — Remanet insuper excommunicatio Tridentina (*sess.* XXII, c. 11 *de Reformatione*) in omnes qui « alicuius ecclesiae, seu cuiusvis saecularis vel regularis beneficii, montium pietatis, aliorumque piorum locorum iurisdictiones, bona, census ac iura,... fructus, emolumenta.... usurpare praesumpserint aut impedire ne ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur ». Unde patet nulli saeculari iurisdictionem in haec competere.

Ergo ex dictis, immunitas competit tum personis ecclesiasticis, tum bonis ecclesiasticis stricte talibus, et haec duplex immunitas a Iure divino repetenda est, etiamsi forsan a Iure ecclesiastico, seu a sanctionibus canonicis, ut loquitur Trid., magis determinata fuerit.

2° Quoad bona temporalia ecclesiarum, monasteriorum, locorum piorum, item quoad bona patrimonialia clericorum, haec duo tenenda videntur. *Primo,* si his bonis, priusquam in potestatem ecclesiarum, monasteriorum, clericorum venirent, aliqua onera realia erant imposita, haec non tolluntur ex eo quod ista bona facta fuerint ecclesiastica, sed bona transeunt sub dominium ecclesiarum, monasteriorum aut personarum

ecclesiasticarum cum suis oneribus[a]. Utrum eis postea nova onera a potestate civili imponi possint, an contra ab his sint exempta, controvertitur (vide SCHMALZGR., l. c., n. 21 sq.). *Secundo,* his bonis, praesertim patrimonialibus clericorum, si immunitas competit, ea a favore legis civilis aut a positiva Ecclesiae institutione, immunitatem ipsis propter eorum cum personis aut rebus ecclesiasticis connexionem vindicantis, potius quam ex ipsa natura rei, repetenda videtur. Ita WERNZ, t. III, p. 178, *Titul.* V, *nota* 101; et t. I, n. 195, III, ait: « Principes civiles sunt veri fontes iuris in illis causis clericorum, v. g. testamentis vel pactis de bonis privatis quae, ex iure tantum humano Ecclesiae, olim foro canonico fuerunt reservatae; nunc vero, propter abrogatam legem canonicam, denuo sub nativa et propria potestate legislativa principum saecularium sunt constitutae ».

5. Duo notanda hic veniunt.

1. Ecclesia, quamvis eius bona et personae a contributionibus sint exemptae, non recusavit unquam, ubi necessarium aut aequum esset, suo privilegio cedere. Cf. c. 2, 4, 7, *De immun.,* III, 49[a].

In textu capitis 7 tria praecipue affirmantur: primo, immunitas Ecclesiae a legibus et contributionibus civilibus; secundo, eius benevola subventio necessitatibus publicis, ubi opus fuerit; et tertio, in hac ipsa subventione independentia ab omni obligatione erga potestatem civilem.

---

4. (a) « Si Ecclesia in ipso foro civili favores et beneficia consequitur, velut feuda, dignitates et magistratus civiles, dubium existere non potest, quin de istis causis ecclesiasticis (aut potius personarum ecclesiasticarum causis) legislatores et leges civiles sint veri fontes » (WERNZ, t. I, n. 195, III). Hinc Ecclesia iudicium de his causis, ait, foro saeculari semper reliquit.

5. (a) Sic habetur c. 7: « Adversus consules et rectores civitatum vel alios, qui ecclesias et ecclesiasticos viros taliis (tailles) seu collectis et exactionibus aliis aggravare nituntur, volens immunitati ecclesiasticae Lateranense Concilium (III, sub Alex. III) providere, praesumptionem huiusmodi sub anathematis districtione prohibuit.... Verum, si quando forte Episcopus simul cum clericis tantam necessitatem vel utilitatem perspexerit ut, absque ulla coactione, ad relevandas utilitates et necessitates communes, ubi laicorum non suppetunt facultates, subsidia duxerit per Ecclesias conferenda, praedicti laici humiliter et devote recipiant cum gratiarum actione. Propter imprudentiam tamen aliquorum, prius Romanus Pontifex consulatur ».

2. Alterum notandum ad bona ecclesiastica secundi generis et ad bona patrimonialia clericorum spectat. Quoniam bonis eiusmodi immunitas aut non competit de iure naturali aut est magis incerta, inde factum est ut, in diversis regionibus et diversis temporibus, leges tum civiles tum ecclesiasticae modo maiorem modo minorem immunitatem ipsis tribuerent. Imo etiam quoad bona primi generis et quoad redditus beneficiales, cum immunitas, quamvis in iure naturali et divino fundata, attamen non sit essentialis, Ecclesia iuri suo cedere potuit. Porro temporibus modernis, ubi potestas civilis iura Ecclesiae saepe agnoscere non vult, ubi tot gravia tributa omnibus civibus imponuntur, ubi immunitas totalis a tributis invidiam populorum contra ipsam excitaret, Ecclesia multum et legibus civilibus et temporibus et populorum studiis ab ipsa aversis tribuit.

Et ideo in materia immunitatis omnino considerare oportet consuetudines ab Ecclesia toleratas. « Licet, ait Wernz (t. III, p. 180, n. 146), nostra aetate Ecclesia, propter rationes aequas et prudentes, suam immunitatem *realem* in praxi multum restringere permittat, tamen etiam nunc leges tributariae potestatis civilis vi sua propria Ecclesiam non obligant; sed ab inferioribus praelatis ultimatim servandae sunt, *propter concessiones* a Romano Pontifice factas. Quodsi agatur de vectigalibus, quae *bonis privatis* clericorum sunt imposita, sane clerici nunc *directe* legibus et iudiciis civilibus pro more aliorum civium ligari possunt. Nam ex natura rei exemptio quoad *ista* bona clericis non competit, atque Ecclesia *de facto* exemptionem Iure Canonico olim statutam non amplius sustinere solet » (b).

6. Immunitati reali connexa est duplex alia proprietas bonorum ecclesiasticorum, nempe eorum **inviolabilitas et inalienabilitas.**

Inviolabilia sunt, ita ut eorum usurpatio sit sacrilega. Contra usurpantes duae sunt excommunicationes R. P. specialiter reservatae in C. *Apostolicae Sedis* (nn. 11 et 12), praeter

---

(b) Iam Clemens V in *Conc. Viennensi*, propter scandala, pericula et gravia mala ab ea secuta, revocavit Constitutionem Bonifacii VIII, qua immunitatem ampliaverat. Cf. utrumque documentum inter Decretales: c. *Clericis laicos*, 3, *De immunit.* III, 23, *in* 6⁰, et c. *Quoniam*, etiam tit. *De immun.* III, 17, *inter Clementinas.*

aliam ex Tridentino simpliciter reservatam (*sess.* XXII, c. 11 *de Reform.*). Excommunicatio Constitutionis *Apostolicae Sedis* n. 11, respicit immunitatem cuiuscumque personae ecclesiasticae: « Usurpantes aut sequestrantes iurisdictionem, bona, redditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes ». Excommunicatio sub n. 12 respicit immunitatem bonis Ecclesiae Romanae competentem: « Invadentes, destruentes, detinentes, per se vel per alios, civitates, terras, loca aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentes; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam iurisdictionem in eis; necnon ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes ». Ad eamdem materiam etiam pertinent excommunicationes 5, 6, 7, 8, eiusdem seriei et 13 secundae seriei. — Excommunicatio Tridentina respicit bona temporalia ecclesiarum, monasteriorum, et locorum piorum, necnon et beneficia. Eam incurrit quicumque « alicuius ecclesiae vel cuiusvis saecularis vel regularis beneficii, montium pietatis, aliorumque piorum locorum iurisdictiones, bona, census ac iura, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones, *quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent,* usurpare praesumpserit seu impedire ut ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur: is anathemati tamdiu subiacet, quamdiu iurisdictiones, bona, res, iura, fructus et redditus, quos occupaverit vel *qui ad eum quomodocumque* etiam ex donatione... pervenerint,... non restituerit, ac deinde a R. P. absolutionem obtinuerit ».

S. Inquisitio, *d.* 8 *iul.* 1874, ad dubium quoddam respondit: « Minime dubitandum, quin *ementes bona ecclesiastica* ab usurpatoribus incidant in excommunicationem R. P. reservatam; etenim, praescindendo a quaestione an supradicta emptio aliquomodo attingatur a C. *Apostolicae Sedis,* art. 11: nulli dubium esse potest, quin comprehendantur a clarissima dispositione capitis 11 de Reform. *sess.* XXII, Concilii Tridentini » [a].

7. Immunitas specialis bonorum Regularium. — Sed praeter hanc immunitatem generalem omnium bonorum ecclesia-

---

6. (a) Huc etiam facit instructio a Secretaria Status missa Episcopis Galliae, d. 24 *sept.* 1907, circa modum agendi cum fidelibus qui bona a Gubernio Ecclesiae erepta acquisiverint. In eius art. 2 datur facultas eos absolvendi auctoritate Apostolica « a censuris et poenis ecclesiasticis, in quas propterea quomodolibet inciderint ». — Vide etiam responsum *S. Poenitentiariae,* d. 5 *aug.* 1907 (N. R. T., a. 1908, p. 473).

sticorum, bona Regularium specialibus privilegiis circa immunitatem gaudent.

1° Immunia sunt ab omnibus contributionibus et tributis, quae potestati civili solvant, et prohibetur principibus et regibus tributa, contributiones aut decimas a Regularibus, ratione bonorum ipsorum, exigere.

2° Eximuntur a contributionibus et decimis solvendis Episcopis, capitulis, ecclesiis.

3° Eximuntur etiam a contributionibus et decimis a S. Sede impositis super bona ecclesiastica, nisi eae expresse etiam super eorum bona imponantur.

Ita ex variis Privilegiis. Immunitatem huiusmodi concessit Eugenius IV Congregationi S. Iustinae Ordinis S. Benedicti, Constit. *Regularem* (1436), § 6 (a). Item Sixtus IV FF. Minoribus et Praedicatoribus, in eorum Mari magno, Const. *Regimini* (1474), §§ 7 et 8. Ibi declaratur, etiamsi decimae a Sede Apostolica imponantur, « Fratres praedictos et illorum domos ac eis legata.... mandatis huiusmodi non includi, nisi de ipsis Fratribus et praesenti decreto ac voluntate nostra, non per generales clausulas, quae etiam specialem mentionem importare viderentur, sed vera et specifica mentio fiat in eisdem ». Iulius II, Const. *Etsi ad universos* (1507), §§ 25 et 26, distinctius Olivetanis exemptionem a quibuscumque contributionibus a Principibus temporalibus aut Ordinariis impositis, vel a decimis a S. Sede praescriptis concedit (b).

Societas haec privilegia participat. Sed insuper immediate ipsi concessa fuit exemptio a decimis etiam papalibus, a ca-

---

7. (a) « Declaramus et nihilominus de novo statuimus, quod dictae Congregationis monasteria sive loca, a die exemptionis huiusmodi (a iurisdictione Episcoporum) ab omnibus censibus, redditibus et solutionibus.... quibuscumque Ordinariis, Capitulis, Collegiis, Congregationibus, Universitatibus, aut aliis quibuscumque personis, de plenitudine potestatis Apostolicae, omnino liberamus et penitus absolvimus ».

(b) His privilegiis non fuit derogatum a Trident., *sess.* XXV, cap. 12 et 13 *de Reform.* Equidem in cap. 12 S. Synodus « praecipit omnibus..., *ad quos decimarum solutio spectat*, ut eas *ad quas de iure tenentur*, in posterum Cathedrali, aut quibuscumque aliis Ecclesiis vel personis, *quibus legitime debentur*, integre persolvant ». Sed nulla fit revocatio privilegiorum Regularium, vi quorum ad eas solvendas non tenentur. — In cap. 13 agitur de quarta funerali, revocatis aliquibus privilegiis recentioribus, ecclesiis cathedralibus aut parochialibus solvenda (vide c. XIX, n. 15, de quarta funerali).

nonica portione solvenda, ab exactionibus, collectis, subsidiis vel provisionibus quibuscumque, nisi in litteris Apostolicis plena et expressa tum Societatis tum dicti privilegii mentio fieret. Concessit Paulus III, Const. *Licet debitum* (1549). Confirmavit Pius IV, Const. *Exponi nobis* (1561), declarando non tantum domus professas, sed etiam collegia et domos probationis hac exemptione gaudere [c]. Confirmavit denique Gregorius XIII, Br. *Pastoralis officii* (1578), declarando Societatem non comprehendi capitulo *Nuper* Innocentii III, *de Decimis* (Comp. Priv., n. 224).

Sed privilegium hoc, ait idem Compendium, n. 225, vix hodie practicum est, et aliquanto fuit limitatum (iuxta dicta n. 5, 2°).

De alienatione bonorum dicetur alibi, c. XXI, n. 15 et seq.

8. Praescriptio contra bona religiosa. — Huic duplici bonorum religiosorum proprietati adiungi debet privilegium, quo non praescribitur contra ea nisi per longioris temporis spatium. Varia concessa sunt Regularibus privilegia, quibus requiritur spatium 60 annorum. Concessere Eugenius IV Congregationi S. Iustinae Ordinis S. Benedicti, Const. *Etsi debito* (1434); Sixtus IV Canonicis Lateranensibus, Const. *Dum ad universos* (1476) [a]; Iulius II Olivetanis, Const. *Etsi ad universos* (1507) [b], et iisdem terminis Canonicis regularibus S. Augustini, Const. *Inter caeteros* (1512), § 42.

(c) « Et nihilominus pro potiori cautela universam Societatem omnino et singula illius domos probationis, collegia praesentia et futura, eorumque personas, fructus, redditus, proventus, etiam bonorum ecclesiasticorum saecularium et regularium quorumcumque unitorum, aliasque res et bona quaecumque, a quibusvis decimis, etiam papalibus,... subsidiis etiam caritativis et aliis ordinariis oneribus.... impositis, etiamsi in illorum impositione caveatur quod nulla prorsus exemptio cuiquam adversus illa suffragatur, — ita quod Societas eiusque domus, collegia, fructus, res et bona praefata semper ab illis, absque declaratione desuper facienda, exempta sint, et esse censeantur, — perpetuo liberamus et eximimus ».

8. (a) « Porro volumus et decernimus quod contra Congregationem, ecclesias, monasteria, loca, res, bona et iura sua praedicta, tam praesentia quam futura, praescribi non possit nisi spatio 60 annorum continuorum, quodque nulla alia quam sexagenaria contra Congregationem, Canonicos, ac bona ac iura sua praedicta currat praescriptio » (§ 22).

(b) « Et contra praefatae Congregationis monasteria, loca, personas et bona, tam in praeteritis quam in futuris, aliqua non currat praescriptio, nisi post lapsum 60 annorum » (§ 28).

Eugenius iv autem monasterio Benedictinorum S. Pauli extra muros Urbis concessit non valere contra ipsum nisi praescriptionem 100 annorum: ita Const. *Ex Apostolicae* (1442) § 15. Paulus iii idem privilegium Benedictinis Montis Cassini concessit Const. *Benignitas* (1537) (c).

Comp. Privil., ad vocem *Praescriptio,* n. 454, refert haec privilegia, etiam haec duo ultima 100 annorum: sed in titulo ponitur: « Nulla praescriptio minor 60 annis valet contra Societatem », et in textu, de participatione maioris privilegii tacet. Inde duo eruuntur: 1° Societatem sibi vindicare communicationem privilegiorum quoad praescriptionem 60 annorum; 2° dubitare an valeat communicatio privilegii praescriptionis 100 annorum. Hoc privilegium enim est extraordinarium, et nonnisi duobus celeberrimis monasteriis directe concessum invenitur.

9. Immunitas localis. — Tertia est immunitas localis (a). Duo complectitur: 1° prohibitionem ne certi actus profani in locis sacris, maxime in ecclesiis, propter reverentiam eis debitam, exerceantur; 2° ius asyli.

I. **Actus profani in ecclesiis specialiter prohibiti** hi enumerantur (Wernz, t. iii, n. 447): iudicia saecularia, ludi profani theatrales, musica profana, negotiationes, nundinae, contractus, convivia, conventus societatum profanarum, profanae confabulationes, profanus usus pro habitatione aut asservatione supellectilis.

Huc etiam spectant, addit Wernz, decisiones S. Congr. Inquisitionis, quibus prohibetur ne vexilla societatum laicorum, nisi religiosa, in ecclesiis admittantur (S. Congr. Inquis., 14 *iul.* 1887, 3 *sept.* 1887, 17 *ian.* 1890).

II. **Ius asyli** est securitas seu privilegium immunitatis ab

---

(c) In § 6, Paulus iii primum refert privilegium monasterio S. Pauli ab Eugenio iv concessum: « Ac (Eugenius) statuit et sancivit ut, sicut contra Romanam Ecclesiam nonnisi centenaria.... currebat praescriptio, ita praefato monasterio S. Pauli minoris temporis praescriptio non obsisteret »; deinde, § 10, hanc et alias enumeratas gratias dictae Montis Cassini Congregationi extendit.

9. (a) Cf. Wernz, t. iii, n. 445, seq. — Schmalzgr. in lib. iii, tit. 49, n. 66, seq.

extractione ac omni violentia externa, quam locus sacer ad se confugientibus praestat, propter reverentiam ipsi debitam.

1. Ius asyli adhuc vindicari ab Ecclesia, patet ex Const. *Apostolicae Sedis*, in qua violantes ius asyli excommunicatione R. P. simpliciter reservata feriuntur his verbis: « Immunitatem asyli ecclesiastici ausu temerario violare iubentes, aut violantes ».

Adest responsio aliqua, d. 1 *febr.* 1871, a S. Congregat. Inquisitionis facta alicui Episcopo, qui dubia moverat super excommunicatione lata in violantes ius asyli, et in trahentes clericos ad suum tribunal. Sciscitabatur: « An revera excommunicationem incurrerent illi, qui vix idaeam habent legum a longo tempore obsoletarum sive in Anglia sive in Francia ». S. Congregatio respondit: « Mirum autem visum est quod de iisdem censuris addebas, an revera etc. Agitur enim de Constitutione *Apostolicae Sedis,* quae non a longo tempore, sed d. 12 *octob.* 1869 edita est, et in quo S. P. expresse monet censuras omnes quae in ea continentur, « non modo ex veterum Canonum auctoritate, verum etiam ex hac ipsa Constitutione nostra, non secus ac si primum ab ea edictae fuerint, vim suam prorsus habere debere ». — Et rursus, *d.* 22 *dec.* 1880, alii Episcopo interroganti: « Movetur quaestio, utrum abrogata contraria consuetudine lex asyli denuo statuta, in his quoque regionibus sit saltem quoad substantiam servanda, necne », respondit: « Affirmative, et detur particula Instructionis 1 *febr.* 1871 ad rem faciens » (b). Est sane particula supra recitata.

2. Quaenam autem loca iure asyli gaudeant, exprimitur a Gregorio xiv, C. *Cum alias* (1591). Enumerantur ecclesiae, monasteria, sacella, domus regulares locave sacra et religiosa. Nomine monasterii venit quidquid inter septa monasterii continetur et clausurae subiacet (Schmalzgr., l. c., nn. 108 et 128); non autem probabiliter villae aut domus, quas religiosi separatas habent a suis monasteriis, recreationis aut alterius honesti usus gratia (ibid.). In *Mari magno Servitarum*, a. 1487, dicitur iure asyli gaudere non tantum ecclesias, sed etiam domus, collegia, cum hortis, claustris, et locis omnibus intra domorum ambitum contentis (Cf. Comp. Priv., n. 325).

Wernz (t. iii, n. 448, circa finem), notat in recentibus con-

(b) A. S. S., t. vi, p. 433, et apud Wernz, l. c., qui ait quaestionem esse subobscuram, et verba « denuo statuta » nondum esse accurate et authentice definita.

cordatis, cum Austria (a. 1855) et cum republica Aequatorii (a. 1862), ceu loca asyli tantum commemorari domos Dei, sive sacra templa. Ergo in his regionibus saltem, Ecclesia videtur partim cessisse de suo iure asyli.

3. Ecclesia semper aliqua crimina graviora a privilegio asyli exclusit. Gregorius xiv, in eadem Constitutione *Cum alias,* revocatis omnibus aliis concessionibus in contrarium facientibus, statuit quaenam deinceps delicta a iure asyli excipiantur.

4. Adnotat Wernz (l. c.) in praedictis Concordatis ius asyli rursus quibusdam clausulis limitari, quibus fit ut theoreticum iam potius quam practicum retineat valorem. Vindicatur enim ius asyli, « in quantum id publica securitas et ea, quae iustitia exigit, fieri sinant ». Scribit D'Annibale, in commentario Const. Apostolicae Sedis, n. 121: « Iuris asyli in regnis saecularibus vix vestigium superest » (citatus a Wernz, l. c.). Et idem d'Annibale (nota 18), alludens ad responsum S. Inquisitionis d. 22 *dec.* 1880, subiungit: « Sed ubi lex asyli contraria consuetudine est abrogata, *si denuo statuatur,* servanda erit sub poena excommunicationis huiusmodi ». (c).

CAPUT XV.

DE PRIVILEGIIS IN GENERE

Sectio I. — 1. Notiones generales de Privilegiis. — 2. Eorum promulgatio et intimatio. — 3 Privilegiorum acquisitio: per explicitam concessionem, per communicationem, per consuetudinem aut praescriptionem, per confirmationem in forma specifica. — 4. Privilegia Regularium, maxime mendicantium, et de communicatione privilegiorum inter ipsos. — 5. Notanda circa communicationem privilegio-

---

(c) His verbis sane duo saltem insinuantur: 1° ante Const. *Apostolicae Sedis,* legem asyli in multis locis consuetudine contraria sublatam fuisse; 2° non fuisse ubique restitutam Bulla Pii ix; et ideo excommunicationem contra violantes ius asyli esse hypotheticam, scilicet incurri tantum in locis ubi viget aut de novo statueretur lex asyli. Aliis verbis Pius ix excommunicationem renovasset, non autem ipsam legem asyli. — Sed haec sententia non modicum pugnare videtur cum duobus responsis S. Inquisitionis supra citatis. — De antiqua disciplina circa ius asyli, vide, si placet, Ferraris, v. *Immunitas,* a. 2.

rum. — 6. De usu privilegiorum. Qualia remedia, si impediatur. — 7. De interpretatione privilegiorum. De authentica interpretatione. — 8. De interpretatione doctrinali. Eius regulae. — 9. De cessatione privilegiorum: per revocationem explicitam. — 10. Per revocationem implicitam. — 11. De privilegiis Regularium a Tridentino revocatis. — 12. Revocatio privilegiorum Regularium a Summis Pontificibus facta. — 13. Revocatio oraculorum vivae vocis. — 14. Revocatio a Paulo V indulgentiarum Regularium. — 15. De cessatione privilegiorum per renuntiationem aut per non usum aut usum contrarium. — Praescriptio contra privilegia Regularium.

Sectio II. — 16. Concessiones privilegiorum Societati Iesu factae. — 17. Varia notanda super his privilegiis.

Appendix historica de privilegiis. — 18. Origo et prima concessio privilegiorum. Quatuor periodi in historia privilegiorum. — 19. Periodus prima, ab origine Monachismi ad primas Congregationes diversas Benedictinorum et fundationem aliorum Ordinum monachalium. — 20. Periodus secunda, a fine saeculi XI ad originem Ordinum mendicantium. — 21. Periodus tertia, ab Ordinibus S. Dominici et S. Francisci ad C. Tridentinum. — Ordo Praedicatorum et Minorum. — 22. Alii Ordinis Mendicantes. — 23. Ordines Canonicorum et clericorum regularium. — 24. Privilegia contenta in Constitutionibus quae Maria Magna dicuntur. — 25. Periodus quarta, a C. Tridentino. Privilegia Congregationum votorum simplicium. — Moderatio et strictior definitio privilegiorum.

SECTIO I.

1. Notiones [a]. — Privilegium est lex specialis favorem permanentem contra vel praeter ius commune conferens. Hac lege ius speciale confertur; hoc ius etiam privilegium dicitur: ita ut nomine privilegii modo favor ipse, modo lex qua confertur, veniat.

1. Privilegia sunt alia praeter, alia contra ius commune: praeter ius commune, v. g., facultas absolvendi a reservatis, decimas percipiendi; sed communius sunt contra ius commune, v. g., exemptio Regularium a iurisdictione Episcopi.

2. Alia sunt mere favorabilia, v. g., facultas dicendi missam ante vel post tempus legitimum; alia odiosa, quae ius alterius restringunt aut ei incommodum afferunt, v. g. exemptio a iurisdictione Episcopi, ius taxas exigendi.

3. Alia sunt personalia, alia realia. Realia ea sunt quae fundo, ecclesiae, officio, dignitati proxime alligantur, et per-

---

1. (a) Cf. Wernz, t. I, n. 158 sq.; Ferraris, v. *Privilegium;* Piat, t. II, p. 91-170.

sonae alicui non competunt nisi ratione officii, dignitatis, dominii, beneficii; personalia, quae alicui personae immediate conceduntur, v. g., favor altaris privilegiati alicui factus. — Privilegia Regularium sunt realia: ipsis enim propter statum religiosum competunt.

4. Alia sunt mere gratiosa, alia remuneratoria, sc. quae propter merita et in ipsorum compensationem conceduntur. — Privilegia Regularium sunt remuneratoria, ut ex innumeris Pontificum Constitutionibus apparet (b).

5. Alia ad preces conceduntur, alia motu proprio. Non repugnat autem privilegio motu proprio largito, ut concedatur post instantiam; dummodo causa motiva non sit ipsa petitio aut instantia, sed meritum vel utilitas aut alia causa. Instantia tunc est mera occasio propter quam confertur. — Privilegium ad preces concessum e contra est merus favor, qui conceditur quia petitur.

2. Promulgatio solemnis privilegii non est ad eius valorem necessaria. Ita ex praxi et natura rei. Quae enim necessitas, ut toti Communitati notum fiat privilegium aliquibus largitum? Sufficit ut iis innotescat quibus interest, et ad hoc satis est **privata intimatio,** dummodo concessio aut existentia privilegii per authentica instrumenta aut aliam aequivalentem probationem certa evadat. Haec autem intimatio et probatio, exigente illo, cui privilegium forte praeiudicat aut qui privilegii exercitio sese opponere posset, necessario facienda est. Haec per se satis clara sunt. Affertur praeterea responsio Innoc. x, C. *Cum sicut* (1648), in causa Angelopolitana, § 4, n. 3: « An Regularibus etiam S. I., asserentibus se habere privilegia, quominus obediant Episcopo in executione decretorum Iuris communis, C. Tridentini et Constitutionum Apostolica-

---

(b) V. g., in Const. *Regiminis militantis* Sixti iv (1474) (quae vocatur *Mare magnum*), in favorem Praedicatorum et Minorum, § 16 dicitur: « Quum Praedicatorum sicut et praedicti Minorum Ordinum professores pro fidei catholicae dilatatione continue (et) indefesse laborent, fructusque afferant in Ecclesia salutares, et *propterea* fuerint variis per Sedem Apostolicam privilegiis decorati.... ». — In Const. *Cum inter* Pauli iii (1545), in favorem Societatis: « *Attendentes* ad uberes fructus quos in domo Domini hactenus produxistis et producere non desinitis... ». — In Brevi *Dolemus* Leonis xiii (1886): « Hanc eripuimus occasionem exhibendi nostrae erga Societatem Iesu, *egregie de re catholica et civili meritam*, voluntatis testimonium ».

rum, Ordinarii debeant ipsis adhibere fidem absque exhibitione huiusmodi privilegiorum? Resp.: Ordinarios non teneri huiusmodi assertioni fidem adhibere absque integrali privilegiorum exhibitione ». — Si autem ageretur de privilegio in Corpore Iuris aut in lege solemniter promulgata contento, alia probatio non esset necessaria.

3. Privilegiorum acquisitio. — Privilegia quadruplici modo acquiri possunt: per explicitam Superioris concessionem, per communicationem, per consuetudinem aut praescriptionem, per confirmationem in forma specifica.

1. **Explicita concessio,** ut dictum est, fit vel ad preces sive instantiam, vel motu proprio et certa scientia. Differentia practica ea est, quod privilegium ad preces concessum vitiatur et irritum evadit subreptione vel obreptione in causa motiva aut in aliis necessario exprimendis; privilegium motu proprio aut ex certa scientia concessum nequit obreptionis aut subreptionis incriminari. — Insuper concessio fieri potest aut per scripturam aut per oraculum vivae vocis. Oraculum vivae vocis valet in foro interno sine ulla scriptura; ut valeat in foro externo, necessaria est aliqua scriptura authentica: non quidem qua concedatur privilegium, sed qua concessionis testimonium habeatur (Piat, II, p. 164, q. 2).

2. **Communicatio** duplici modo fieri potest: per extensionem ad alios, qui in concessione non explicite exprimebantur; v. g., ad novitios, familiares, qui in privilegio Regularibus concesso non exprimuntur: haec extensio fit per aliquam epikeiam, iuxta mentem concedentis. V. g., Clemens VIII, ut testatur S. Lig., *De privil.,* n. 9, declaravit novitios frui privilegiis Ordinis, et est communis sententia. Ita Piat, t. I, p. 120, *nota,* 4; Ferraris, v. *Novitius,* n. 20. Cf. Comp. Privil., n. 106. Alia communicatio dicitur *ad instar*. Locum habet quando conceditur alicui ut fruatur privilegio alteri concesso, quasi ipsi esset concessum, quamvis nullo modo in priore concessione, etiam per epikeiam, contineatur.

Haec communicatio ad instar rursus duplici modo concedi potest, seu duplex est. Alia est accessoria et dependens a priori; ita ut privilegium per communicationem ad instar hoc modo concessum omnibus conditionibus privilegii principalis subiectum remaneat, et ideo cum principali restringatur, amittatur. Alia communicatio ad instar fit *aeque principaliter*, seu *aequipariter,* et tunc privilegium sic communi-

catum per se independens est a priore, sive illud augeatur, sive imminuatur aut tollatur (vide infra, nn. 4 et 5). FERRARIS, v. *Privilegium,* art. 1, n. 29.

Attamen etiamsi communicatio fiat aeque principaliter, in casu revocationis bene attendendum est utrum Princeps velit revocare tantum primum privilegium, an simul privilegia communicata etiam aeque principaliter : quod maxime ex motivo revocationis dignosci poterit, an sit generale et omnibus aeque conveniens, an contra speciale illi cui privilegium primo fuerat concessum. Sic S. CONGR. INDULGENTIARUM interrogata « Utrum tuta sit opinio quae docet, indulgentiis pro Ordine communicante per revocationem pontificiam sublatis, caeteri quibus illae per communicationem factae sunt propriae, iis frui nihilominus pergant, nisi revocatio expresse ad eos dirigatur? — respondit: « Negative, imo falsa » (31 *ian.* 1893). Ratio responsionis patet, sc., quia revocatio alicuius indulgentiae, saltem communissime, non fit ratione eorum quibus concessa fuerat, sed ratione ipsius indulgentiae concessae; ergo est generalis (Vide PIAT, t. II, p. 99, nota 4).

3. **Consuetudo et praescriptio.** — Quemadmodum alia iura consuetudine et praescriptione acquiruntur, ita et privilegia. Ratio est eadem, et habetur praeterea explicita mentio huius modi acquirendi privilegia c. *Novit ille,* 13, *De iudiciis,* II, 1, ubi dicitur: « nisi forte iuri communi per speciale privilegium vel contrariam consuetudinem aliquid sit detractum.... ». Ergo ius speciale contra ius commune per consuetudinem acquiri potest: hoc ius speciale ex definitione est privilegium.

Quantum temporis requiritur ad praescribendum privilegium? — Alii 40 annos requirunt, alii 10 (Vide PIAT, t. II, p. 104, q. 15).

4. **Confirmatio in forma specifica.** — Confirmatio simplex seu in forma communi non confirmat nisi quod existit. Et si privilegium, quod forma communi confirmatur, sit mere putativum, quia aut nunquam exstitit aut cessavit, confirmatio nihil operatur.

Confirmatio in forma specifica novam concessionem continet, ut plerumque explicite dicitur his verbis aut similibus: « Confirmamus et innovamus ». Sed etiamsi innovatio privilegii explicite non pronuntietur, nihilominus confirmatio in forma specifica tamquam nova concessio habetur, quando confirmatio fit ex certa scientia, quia sic suppletur defectibus

primae concessionis aut cessationi privilegii (cf. Ferraris, v. *Privilegium*, art. 2, n. 5; Piat, t. II, p. 108, q. 4). Igitur, etiamsi privilegium sic confirmatum de facto non existat, confirmatione in forma specifica conceditur. Ita ex variis Iuris capitibus (Piat, t. II, p. 107, q. 3).

4. Privilegia Regularium, maxime mendicantium, et communicatio privilegiorum inter ipsos.

Privilegia Regularium alia in corpore Iuris clausa inveniuntur, alia in C. Tridentini decretis, alia variis Summorum Pontificum constitutionibus, indultis, decretis concessa fuerunt, quarum collectionibus constituta sunt Bullaria diversorum Ordinum; alia tandem vivae vocis oraculo emanarunt.

Si res historice consideretur, prima privilegia Regularium diversis monasteriis, plura aut pauciora, iam a saeculo VI et deinde sequentibus saeculis concessa inveniuntur (Cf. Appendicem huiusce capitis).

Quando, saeculo XIII, primi Ordines mendicantium, S. Dominici et S. Francisci, erecti sunt et approbati, ex privilegiis sic diversis monasteriis antea concessis multa ipsis fuerunt collata. Ordini Praedicatorum contulit Honorius III, Constitutione *Religiosam vitam* (1216); Ordini Minorum Clemens IV, Const. *Virtute conspicuos* (1265).

Deinde Sixtus IV FF. Minoribus conventualibus S. Francisci et FF. Praedicatoribus S. Dominici, duplici Bulla *Regimini militantis* (31 *aug.* 1474), utraque fere iisdem terminis constans, privilegia utrique Ordini prius collata confirmavit, amplificavitque et nova concessit. Hae Constitutiones, propter multiplices favores quos continent, vocantur *Mare magnum* Praedicatorum et Minorum. Pontifex, n. 16 huius Constitutionis, *communicationem privilegiorum* inter duos Ordines statuit, et utrumque *aequipariter* gaudere privilegiis alterius declarat. Notabilia sunt verba, quibus exprimitur ratio huius communicationis: « Ut, quos par labor pariaque merita coniungunt, paria coniungant merita et favores ». Haec est ratio et fundamentum communicationis privilegiorum. Inde bene intelligitur quod, si uni Ordini aut conventui concedatur privilegium propter specialem rationem quae in aliis nec eadem nec similis inveniatur, communicatio haberi non debeat.

Eodem anno 1474, d. 27 maii, idem Sixtus IV iam Congregationi Eremitarum S. Francisci de Paula, Const. *Sedes Apostolica* concesserat aut potius confirmaverat communicationem

privilegiorum cum Fratribus S. Francisci caeterisque mendicantibus (n. 9) [a].

Idem Pontifex utrique Ordini S. Dominici et S. Francisci nova privilegia concessit Const. *Sacri Praedicatorum et Minorum Fratrum Ordines* (1479), et in ea, n. 13, communicationem privilegiorum eis tribuit cum Eremitis S. Augustini, Carmelitis et Servis B. M. V. (nempe cum aliis mendicantibus).

Iulius II, Const. *Dudum ad sacrum* (1506) nova privilegia Minimis contulit; et propterea haec Constit. *Mare magnum* Minimorum audit. In ea declarat eorum communicationem cum caeteris mendicantibus esse non tantum in privilegiis iam concessis, sed et *in privilegiis in futurum concedendis*.

Eamdem declarationem facit idem Pontifex in Constitutione *Etsi* (1508) in favorem Eremitarum S. Augustini. Et in alia constitutione *Religionem vestram*, eiusdem anni 1508, in favorem eorumdem Eremitarum, declarat communicationem haberi etiam *in privilegiis vivae vocis oraculo concessis* [b].

Deinde Leo X, Constit. *Dudum per nos* (1519), plura de hac privilegiorum communicatione statuit aut declaravit. 1° Plenam privilegiorum communicationem inter sex Ordines Praedicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum, Servorum B. M. V. et Minimorum S. Francisci de Paula statuit. 2° Haec communicatio impertitur tum in privilegiis iam concessis, tum etiam in privilegiis in posterum concedendis. 3° Fit pariformiter seu aeque principaliter. 4° Respicit privilegia donata tum domibus, ecclesiis, oratoriis, eaque

---

4. (a) « Necnon, ut omnibus et singulis privilegiis, gratiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, quibus PP. S. Francisci caeterique mendicantes fruuntur et utuntur, frui et uti possitis et valeatis ». Hanc communicationem confirmavit Alexander VI, Const. *Ad ea* (1501), in qua n. 7, communicatio eisdem conceditur cum Praedicatoribus, Minoribus, Eremitis S. Augustini, Carmelitis, necnon aliis mendicantium Ordinibus, et declaratur haec communicatio fieri aequipariter.

(b) « Decernimus communicationem privilegiorum aliorum mendicantium ad ea extendi, quae vivae vocis oraculo ab illis impetrata aut eis in genere donata sunt » (Comp. Priv., n. 98). Idem expresse statuit Clemens VIII pro FF. Minoribus, Const. *Ratio* (1597): « Privilegia etiam per solam signaturam, etiam vivae vocis oraculo, ut praefertur, aut alias per eosdem Romanos Pontifices sub quacumque forma et expressione verborum concessa.... approbamus, confirmamus et innovamus ».

visitantibus ac pro eorum manutentione aut ornatu contribuentibus, tum personis, scilicet fratribus, sororibus, tertiariis (in communi viventibus), Superioribus non solum Generalibus et Provincialibus, sed et localibus, oblatis quoque et conversis. 5° Complectitur non tantum privilegia coniunctim et in genere domibus, ecclesiis, oratoriis, personis largita, sed etiam concessa divisim et in specie; et haec privilegia similiter conceduntur per communicationem singulis Ordinibus, eorumque singulis domibus, ecclesiis, oratoriis, personis. 6° Tandem concessio illa fit « motu proprio, ex mera scientia et liberalitate et de Apostolicae auctoritatis plenitudine »: unde obreptionis aut subreptionis praetextu infirmari nequit. — Patet, si privilegia impertita conventui aut aliquibus personis unius Ordinis communicantur conventibus aliorum Ordinum, a fortiori in eodem Ordine communicationem locum habere inter varias eius provincias, domos et personas. De caetero hoc expresse declarat ac concedit Iulius II, in duabus Const. *Dudum ad sacrum* (1506) et *Alias venerabilem* (1507), in favorem Minimorum, his verbis: « Quod singula privilegia, indulgentiae, gratiae, indulta uni aut alicui ex domibus Ordinis Minimorum hactenus quomodolibet concessa vel concedenda, ad omnes et singulas alias domos Ordinis hactenus constructas et construendas intelligantur concessa, ac si in specie cuilibet earumdem concessa fuissent ». Quod privilegium, per Const. Leonis X *Dudum per nos* (1519), ad omnes mendicantes fuit extensum (Comp. Priv., n. 100).

Praeterea Clemens VIII, Const. *Ratio pastoralis* (1597) in favorem Minorum, 1° eis communicationem privilegiorum *cum Ordinibus etiam non mendicantibus* concessit, aut potius antea concessam confirmavit et innovavit; 2° declaravit communicationem locum habere etiam quoad privilegia quae hi Ordines per modum communicationis et extensionis habent; et 3° etiam quoad privilegia quacumque forma concessa, etiam per solam signaturam aut vivae vocis oraculo, aut alias.

Societas Iesu amplissimam habet privilegiorum horum omnium communicationem, ut dicetur sectione II.

Quoad Ordines non mendicantes et Congregationes aliaque Instituta votorum simplicium, eam habent cum mendicantibus et aliis Ordinibus aut Congregationibus privilegiorum communicationem, quae singulis per peculiaria indulta concessa est. Ordines formales non mendicantium fere participant pri-

vilegia mendicantium. Congregatio SS. Redemptoris nonnullarum aliarum Congregationum privilegia participat.

5. Observanda circa communicationem privilegiorum. — (Cf. Piat, t. II, p. 100, q. 7 et sq.).

1° Communicatio non fit in privilegiis quae alicuius Ordinis Constitutionibus contraria sunt aut regularem disciplinam in eo labefactarent. Evidens est enim, aliam non posse esse intentionem SS. Pontificum communicationem concedentium. Insuper in Societate communicatio non fit contra voluntatem et beneplacitum Superiorum. Haec duplex restrictio explicite ponitur in concessione communicationis Societati facta a S. Pio V, Const. *Dum indefessae* (1571), ubi apponitur conditio: « dummodo (haec privilegia) Instituto Societatis et Praepositi seu deputatarum personarum huiusmodi voluntati et beneplacito non refragentur ». Ita etiam Gregorius XIII, Const. *Decet Romanum* (1575).

2° Communicatio *regulariter* non fit in privilegiis quae alicui Ordini conceduntur sub clausula: ne aliis communicentur.

Dicitur *regulariter*. Nam non paucis Ordinibus concessum est ut participent privilegia aliis etiam sub hac clausula ne communicentur largita. S. Lig., *de Privileg.*, n. 9; Ferraris, v. *Privilegium*, art. 1, nn. 27 et 28; Compend. Priv., nn. 95 et 96, ubi dicitur communicationem locum habere etiam quoad privilegia sub generalibus clausulis communicationis prohibitivis concessa. Privilegium enim huiusmodi fuit donatum Praedicatoribus, Minoribus, Cisterciensibus, Ordini SS. Trinitatis et aliis (cf. Comp. Privil., n. 96). Unde fit ut Ordines, qui plenam habent cum his communicationem, et ipsi simili privilegio gauderent. Sed hoc non est sine difficultate; nam tunc clausula prohibitiva communicationis iam nullum effectum haberet. — Certe istud dicendum est: quemadmodum unus Pontifex potest concedere alicui Ordini communicationem privilegiorum, quae aliis etiam cum formula communicationis prohibitiva concessa sunt aut in futurum concedentur: simili modo alius subsequens Pontifex potest alicui Ordini concedere privilegia nulli alteri communicabilia. Ergo prudenter intelligi debet haec communicatio in privilegiis non communicandis, et attendi debet ad sequentes normas.

3° Communicatio non fit in privilegiis exorbitantibus, nec

in iis quae alicui Ordini aut conventui aut ecclesiae conceduntur ob specialem omnino rationem: v. g., si ecclesiae privilegium conceditur propter miraculosam B. M. V. imaginem in ea veneratam. Hinc communiter DD. docent non communicari aliis Ordinibus indulgentiam Portiunculae, quae Ordinis S. Francisci ecclesiis speciali modo propter ipsius Ordinis fundatorem concessa fuit et est exorbitans. Sic etiam favor altaris privilegiati, ex speciali decreto S. Congr. Indulgentiarum, d. 5 *febr.* 1748, et a Bened. XIV confirmato, non communicatur (FERRARIS, v. *Altare privilegiatum,* post n. 29). Nec communicantur privilegia circa officia et missas, ex responso S. R. C., d. 20 *mart.* 1706 [a].

4° Communicatio praeterea non fit in privilegiis ad tempus concessa (LIG., *de Privil.,* n. 9; SCHMALZGR., l. c., n. 92).

5° Nec communicantur privilegia alicui religioso, ut est privata persona, concessa. Ea autem quae donantur ratione officii aut muneris, v. g., Superioribus et aliis, communicantur, ut habetur in Bulla Leonis X [b]. Tunc communicatio fit de praelatis ad praelatos eiusdem muneris (quamvis diversi nominis, v. g., de guardianis ad praepositos locales cuiusvis appellationis), de privatis personis ad privatas personas, de conventibus ad conventus. Ita declaravit IULIUS II, C. *Alias ad supplicationem* (1509) (apud PIAT, t. II, p. 102, q. 9).

6° Communicatio etiam habetur in privilegiis vivae vocis oraculo concessis (quae non fuerint revocata). Expressae sunt hac de re declarationes IULII II et CLEMENTIS VIII supra citatae. De caetero saepe sequitur ex verbis ipsis quibus communicatio conceditur [c].

---

5. (a) « An Regulares, absque speciali privilegio, sed sola privilegiorum communicatione aliarum Religionum, possint addere nomen S. Fundatoris in Litaniis et Confiteor, itemque recitare officia et Missas concessas aliis Religionibus? Resp. Negative in omnibus ». — Dicit tamen SCHMALZGR. (l. v, titul. XXXV, n. 91) privilegia alicui Ordini pro propriis Sanctis concessa, communicari aliis Ordinibus pro Sanctis propriis singulorum, non aliorum Ordinum. An haec sententia sit tuta, dubitare licet.

(b) In ea dicitur communicari privilegia, quae « domibus et Praesidentibus, non solum Generalibus et Provincialibus, sed et localibus, fratribusque et sororibus necnon et conversis, oblatis.... concessa sunt ». LEO X, C. *Dudum per nos,* 1519.

(c) Sic IULIUS II, Const. *Etsi* (1508), concedit Augustinianis « *quicquid* in hunc diem concessum est.... et *quicquid* in futurum concedetur » quatuor

7° An communicatio fiat in Indulgentiis, controvertitur, ait Piat, p. 103, q. 11. Nam ex una parte indulgentia est aliquod privilegium; sed ex altera parte in concessionibus haec duo distingui solent. At si in concessione communicationis alicui Ordini facta, expresse dicitur communicationem haberi etiam in Indulgentiis, tollitur omne dubium. Et ita fit pro Societate (vide infra, n. 15).

P. Beringer (*les Indulgences*, ed. 3ª, 1905, t. II, p. 490) ait communicationem indulgentiarum haberi pro Ordinibus mendicantium tum inter se, tum cum non mendicantibus; hanc communicationem, sicut in aliis privilegiis, fieri de Ordine ad Ordinem, de domo ad domum, de personis ad personas. Excipitur semper, si indulgentia fuit concessa alicui Ordini aut conventui aut aliquibus personis propter specialem rationem quae in aliis Ordinibus, conventibus, personis non verificatur. Unde, notat, propter dubia, quae saepius remanent, an privilegium concessum fuerit propter specialem rationem necne, plerumque incertam remanere communicationem.

8° In privilegiis Regularium, observandum est an privilegium immediate concedatur singulis religiosis, an Ordini ipsi aut Ordinis Superioribus: utrumque enim fit. Si privilegium Ordini aut eius Superioribus concedatur, tunc privati religiosi eo uti nequeunt, nisi ipsis a Superioribus communicetur.

In Societate Iesu omnia privilegia Generali conceduntur, aut saltem ita Societati conceduntur ut diversis personis aut locis per Praep. Generalem communicari debeant, cui liberum est communicare aut non communicare. Vide Sect. II.

6. De usu privilegiorum.

1. Nulla est ordinarie obligatio utendi privilegiis. Nam favor non debet in gravamen cedere.

Excipitur 1° Si privilegium non tantum in favorem privilegiati, sed propter bonum commune fuit concessum, v. g.. exemptio. Nam tunc bonum commune petit ut privilegiatus suo iure utatur. — 2° Si per accidens, caritas aut pactum cum tertio, aut alia causa usum privilegii exigeret; v. g., confes-

---

Ordinibus mendicantibus. Pius V, Const. *Indefessae*, Societati Iesu communicationem privilegiorum, « quaecumque, quotcumque qualiacumque sunt.... et quomodolibet concessa ». Quibus verbis comprehenduntur etiam oracula vivae vocis.

sarius cum poenitente uti debet privilegiis quae habet circa casus reservatos, absolutionem a censuris vel ab irregularitatibus, etc. — 3° Si per privilegium removetur obex quo impeditur impletio praecepti; v. g., si quis privilegium habet audiendi missam tempore interdicti, tenetur diebus festis eam audire: ita plerique contra alios (Wernz, t. I, n. 161 — Piat, t. II, p. 112, q. 2).

An qui non utitur privilegio, ipsum amittat, dicetur n. 12.

2. Si privilegiatus in usu sui privilegii iniuste vexatur, diversis remediis uti potest. — 1° Obedire non tenetur. Ita c. *Sane, 5, De excessibus Praelatorum,* v, 31: « Sane si Episcopi aliquid ab Abbatibus praeter debitam obedientiam, contra libertatem Ordinis a praedecessoribus nostris et a nobis indultam, exigunt, liberum sit Abbatibus auctoritate Apostolica quod petitur denegare ». Sed vitari debet scandalum. — 2° Datur recursus ad S. Sedem, seu ad S. Congr. EE. et RR. — 3° Ad defendenda sua iura Regulares possunt eligere *Conservatores*, qui facultatem habent ipsos ab iniuriis et damnis manifestis vindicandi (Greg. XV, C. *Sanctissimus,* 1621). Sed hodie, propter facilem recursum ad S. Sedem, praesertim post Const. *Cum omnium* (1762) Clementis XIII, disciplina ecclesiastica quoad Conservatores immutata videtur, et eorum munus fere ubique obsolevit (Wernz, t. II, n. 709). Cf. Comp. Privil., v. *Conservatores*, n. 137 et sqq. — 4° Regulares, si habent Cardinalem Protectorem, ad eum recurrere possunt. Olim Cardinales Protectores veram exercebant iurisdictionem in favorem Ordinis sibi commissi; sed hanc ipsis abstulit Innocentius XII, C. *Christi fidelium* (1694): illis remanet tantum auctoritas ipsorum dignitati et muneri adnexa, eaque uti possunt ut dissidia pacifice componant (vide cap. XXI, n. 24, 2° et 3°).

7. De interpretatione privilegiorum. — Duplex est interpretatio: authentica et doctrinalis [a].

Interpretatio authentica fit ab eo qui privilegium concessit eiusve successoribus aut Superioribus, vel tandem ab iis quibus ipsi ius interpretandi concesserint. Eius enim est legem interpretari, cuius est condere, secundum axioma Iuris. De

---

7. (a) Est praeterea interpretatio *usualis*, quae longo et legitimo usu practico est introducta. De ea valet vulgare dictum, quod consuetudo est optima legum interpres.

privilegiis a S. Sede concessis insuper expresse prohibetur per alios iudicari (c. *Cum venissent*, 12, *De iudiciis*, II, 1). — Interpretatione authentica ita declaratur verus sensus privilegii, ut propter auctoritatem declarantis omne dubium tollatur. — Episcopi igitur non possunt interpretari authentice privilegia Regularium, et ideo nequeunt de iis iudicare. Res est per se clara, et eam expresse declaravit Clemens X, C. *Superna* (1670), § 7: « Quoties, exhibitis aliquibus Regularium Apostolicis privilegiis coram Episcopo, ab eo iudicetur ipsa non suffragare casui de quo agitur, si dictorum privilegiorum verba obscura sint et ambigua, non esse ad Metropolitanum provocandum: sed, cum eius sit interpretari cuius est condere, dictorum privilegiorum interpretationem a Sedis Apostolicae iudicio, prout alias Constitutione praedecessoris nostri f. r. Clementis IV statutum fuit, esse requirendam ». Idem iam declaraverat Innocentius X, C. *Cum sicut* (1648), § IV, 4°.

Inde sequitur Episcopum, in dubio de sensu privilegii, non posse impedire Regulares quin utantur suis privilegiis, quae Regulares sibi favere censent: hos enim impedire non posset nisi iudicando authentice de sensu privilegii (Piat, t. II, p. 118, q. 12). Attamen in casu conflictus, Regularibus scandalum et offensio Praelati vitanda sunt; et si Praelatus causae iudicium ad S. Sedem defert, ab usu privilegii interea, ob Praelati reverentiam, nisi gravis ratio contrarium suadeat, abstinere convenit (cf. Piat, t. II, p. 124, nota 2).

Nihilominus Generales Ordinum mendicantium possunt, ex concessione S. Sedis, privilegia, indulta, gratias et exemptiones a S. Sede elargitas, necnon et Ordinis Constitutiones, *ad serenitatem animi suorum subditorum tantum*, declarare (Piat, II, p. 123, q. 2). Ita concessit Iulius II Magistro Generali Praedicatorum (1509) (Prümmer, q. 212, d.); et caeterorum Ordinum mendicantium Generales eodem privilegio per communicationem fruuntur (Comp. Privil., n. 286). Ex hoc privilegio igitur, inferiores tuta conscientia Superiorum suorum declarationi sese subiicere possunt aut debent. Declaratio tamen huiusmodi nihil de vero indultorum et privilegiorum sensu praeiudicat.

8. Interpretatio doctrinalis ea est, quae verum sensum ex ipso documento atque ex variis circumstantiis scientifice probat. Tantum valorem habet, quantum habent rationes allatae. A quolibet docto fieri potest. Ubi enim prohibetur a SS. PP.

privilegiorum interpretatio, de sola authentica interpretatione prohibitio intelligenda est (S. Lig., *de Privil.*, n. 6).

Sed haec doctrinalis interpretatio est res satis delicata, ut statim ex regulis infra dandis et ex dicendis de privilegiorum revocatione apparebit. « Ut haec privilegiorum interpretatio recte fiat, ait Piat, t. II, p. 126, magna requiritur prudentia et discretio, nec minor iurium ac privilegiorum scientia. Unde consultum foret ut minus periti, consilio virorum doctorum utantur ».

Sequentes *interpretationis regulae* dari possunt [a]. 1ª Si verba sint clara, nulla admittitur interpretatio, quia proprietas verborum servari debet, nisi aliqua ratio manifesta contrarium suadeat. — 2ª Si verba sunt obscura aut ambigua, mens concedentis inquiri debet: quae ex supplicatione, ex materia et genere privilegii, ex concessionis motivo, aliisque adminiculis intelligi potest [b]. — 3ª Privilegia quae merum favorem continent, scilicet quae tertiae personae praeiudicium non afferunt, nec Iuri communi derogant (quia sunt praeter, non contra Ius commune), sunt late interpretanda. — 4ª Privilegia quae sunt contra Ius commune aut tertio praeiudicium afferunt, regulariter sunt stricte interpretanda. Dicitur « regulariter » : nam privilegia in corpore Iuris inserta aut quae cedunt in bonum commune, vel in favorem Religionis aut causae piae, item privilegia remuneratoria aut concessa motu proprio vel ex certa scientia, etiamsi sint contra Ius commune aut alii odiosa, sunt latae interpretationis. — 5ª Nunquam privilegium ita interpretandum est ut fiat onerosum privilegiato: siquidem privilegium est favor. Sic, v. g., privilegium exemptionis non impedit quin regularis cum licentia Superioris ab Episcopo absolvatur. — 6ª Neque lata interpretatio ultra mentem concedentis extendi, neque stricta infra coarctari debet: nam semper interpretatio iuxta mentem concedentis facienda est. — 7ª In conflictu privilegiorum, privilegium speciale derogat generaliori, et non vice versa (*Reg.* 34 *Iuris* in 6°).

---

8. (a) Cf. Schmalzgr., l. v, tit. 33, nn. 117-129; — Wernz, t. I, n. 161, II.

(b) Interpretatio privilegii ab eiusdem extensione differt: interpretatio fit iuxta mentem concedentis; extensio autem non quidem contra, sed praeter eius mentem, ac privilegium, per epikeiam, ad alios in privilegio non comprehensos amplificat (Schmalzgr., l. v, tit. 33, n. 130).

Privilegia Regularium late sunt interpretanda, etiamsi sint contra Episcoporum iura. Ita SCHMALZGR., l. c., n. 121. Imo S. LIG., *de Privilegiis,* n., 8, ait esse latissime interpretanda, et hanc sententiam communissimam vocat (c). Ratio est, quia privilegia Regularium sunt remuneratoria et pleraque motu proprio atque ex certa scientia conceduntur, praeterea non pauca in corpore Iuris inclusa sunt. — Contradicunt Petta, Fagnani, Pignatelli (cf. PIAT, t. II, p. 125, q. 5).

9. De cessatione privilegiorum. — Omissis casibus, quibus privilegia ipso facto cessant, — v. g., morte concessarii, si privilegium erat personale; morte concedentis, si ita expresse fuit concessum, aut etiam ad suum beneplacitum, iuxta probabiliorem sententiam (vide PIAT, l. c., p. 126); aut elapso tempore, si privilegium erat concessum ad tempus: — privilegia triplici modo generali cessant: revocatione, renuntiatione, non usu aut usu contrario.

I. **Revocatio** duplex est, expressa et tacita.

Revocatio expressa potest exprimi aut verbis privilegium prius concessum explicite designantibus, aut verbis generalibus illud implicite tantum comprehendentibus; et haec verba possunt esse plus minusve stricta. Duae sunt clausulae revocatoriae generales praecipuae: una « non obstantibus privilegiis contrariis quibuscumque »; altera post eadem verba addit: « etiam speciali mentione dignis ». — *Revocatio tacita* habetur per actum principis scienter positum (sc. cum scientia privilegii cui actus est contrarius), et directe privilegio ita contrarium ut illud amplius simul existere nequeat.

Magna et difficilis quaestio est, *quaenam privilegia revocentur per clausulam generalem vel per tacitam revocationem.* Dantur tamen aliquae regulae utriusque.

Revocationis expressae per clausulam generalem prima regula ea est, quam tradit SCHMALZGR., l. c., n. 229: Ad diiudicandum an clausula generali revocentur omnia privilegia, etiam speciali mentione digna, non tam ipsa verba revoca-

---

(c) « Privilegia quae sunt concessa alicui Ordini, conventui, communitati, omnia sunt interpretanda non modo late, sed latissime, etiamsi adversentur Iuri communi vel alicui tertio, quemadmodum communissime affirmant DD. » (S. LIG., *de Privilegiis,* n. 8).

tionis, quam mens revocantis consideranda est. Eadem regula traditur a S. Lig., *de Privil.*, n. 16, ubi, expositis variis casibus in quibus clausula generalis revocationis non tollit contraria privilegia, subiungit: « Omnes vero praefatae limitationes intelliguntur locum habere, si non constet de contraria mente derogantis, quemadmodum omnes praefati DD. communiter affirmant ».

Notari debet stylum Curiae, decursu temporis, variis vicibus subiacere. Olim clausulae derogationis saepe valde erant complexae [a]; nunc multo simpliciores adhibentur, nec propterea minus efficaces censendae sunt [b]. Ergo male argumentaretur qui, comparatis formulis revocationis, censeret aliquas esse minus efficaces, eo solo quod certas clausulas in aliis expressas non continent.

Crescit difficultas, quia conceduntur aliquando privilegia, quae declarantur sub nulla revocatione generali comprehensum iri. Cf. clausulas a Greg. xiii appositas Constitutioni *Omnipotentis* (1584), et a Sixto v Constitutioni *Superna* (1587) de erectione Congregationum B. M. V. (Bull. Societ., pp. 106 et 111) [c]. Non obstante tali clausula, nemini dubium esse potest alium Pontificem, si voluerit, posse haec privilegia revocare, etiam per generalem clausulam.

---

9. (a) Confer clausulas Constit. Iulii iii, *Sacrae Religionis* (1552), in quibus privilegia Societatis confirmantur (Bull. Soc., pag. 30).

(b) V. g., in decreto S. C. C., d. 11 *maii* 1904, *de missis manualibus*, dicitur simpliciter: « Contrariis quibuslibet minime obstantibus »; in decreto *Auctis* (1892): « Contrariis quibuscumque, etiam speciali individua mentione dignis, minime obstantibus »; in Const. *Conditae* (1900): « Contrariis non obstantibus quibuscumque ». Nihilominus de extensione harum revocationum nullum est dubium. — C. Trid., in decreto de observandis et evitandis in celebratione missae, hanc clausulam tantum habet: « Non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus ac consuetudinibus quibuscumque ». Attamen sub hac clausula revocari privilegia contraria Regularium non est dubium, ait Bened. xiv, *de Synodo*, l. ix, c. 25, n. 5.

(c) « Decernentes praesentes litteras sub quibuscumque similium vel dissimilium indulgentiarum vel aliarum gratiarum revocationibus,... etiam per nos aut alios RR. PP. praedecessores (legendum forsan: successores) nostros, etiam motu proprio, etiam potestatis plenitudine.... quomodolibet factis, minime comprehendi; sed semper ab illis exceptas, et *quoties illae emanabunt*, toties in pristinum statum restitutas, repositas et plenarie redintegratas ac de novo concessas esse et censeri debere; irritumque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari ». Ita in utraque Constitutione.

Ergo *prima regula* haec est: De efficacia clausulae revocationis ante omnia iudicandum est ex mente legislatoris revocantis. — Hoc posito, datur ista *secunda regula* (Schmalzgr., l. c., n. 229; S. Lig., *de Privil.*, n. 16): clausula generali « non obstantibus privilegiis quibuscumque » non comprehenduntur 1° privilegia in corpore Iuris contenta[d]; 2° privilegia pro quorum revocatione requiritur mentio specialis; 3° privilegia remuneratoria, qualia sunt privilegia Regularium.

10. De tacita revocatione hae leges traduntur.

1ª Privilegium in Iure communi contentum (non speciale extra ius concessum) revocatur per *legem universalem* huic privilegio contrariam, etsi lex non abroget expresse privilegia. Ita Schmalzgr., l. c., n. 231, et S. Lig., l. c., n. 17. — Verumtamen Bened. xiv, C. *Magno cum animi* (1751), § 30, ad horum privilegiorum revocationem requirit derogationem generalem privilegiorum, et proinde videtur censere, ea omissa, non haberi tacitam revocationem (vide verba Benedicti, n. 9, *nota* d).

(d) Piat, p. 137, q. 4, postquam hanc sententiam retulit tamquam communiorem, eam impugnat, et contra ponit hanc regulam: Privilegium speciale extra Ius commune contentum non revocatur nisi mediante speciali huius mentione: quia S. Pontifex censetur illud ignorare. — Ferraris, v. *Privilegium*, art. iii, n. 44, eamdem sententiam sed cum aliqua restrictione admittit: ait per generalem clausulam non revocari privilegia specialia extra Ius commune contenta, quae concessa fuerint cum clausula quod revocata non censeantur nisi eorum specialis mentio fiat (et hic est 2us casus datus a Schmalzgr.); deinde, n. 43, admittit non revocari per clausulam generalem privilegia in corpore Iuris contenta, quia privilegia in corpore Iuris contenta non ignorantur a Principe; ergo, si Princeps ea revocare voluisset, facile erat exprimere. Sed responsio est obvia: clausula « non obstantibus privilegiis quibuscumque » de se est omnino generalis; ergo si Princeps ab ea excipere voluisset privilegia in corpore Iuris contenta, quae bene nosse supponitur, facile erat illud exprimere. — Et revera Bened. xiv, C. *Magno cum animi* (1751), § 30, ait: « Nihil autem valet ea quae a quibusdam promovetur assertio, videlicet Concilium privilegio de quo agitur minime derogasse, *eo quod illud in corpore Iuris inclusum sit*. Etenim S. Conc. Trid. iis etiam derogare privilegiis consuevit, quae in corpore Iuris inserta sunt, nullam etiam de iis expressam mentionem faciendo, sed simpliciter aliquid contrarium ipsis determinando, generali adiecta ad contraria privilegia derogatione, quemadmodum celeber Fagnanus ample demonstrat ». — Ex dictis ergo apparet quam fallaces sint hae regulae particulares, et quam leves rationes quibus innituntur.

2ª Per sequens privilegium non tacite revocatur prius ipsi contrarium, nisi prius sit contentum in corpore Iuris. Ratio exceptionis est, quia tunc prius privilegium, utpote in corpore Iuris contentum, non ignoratur a principe, ergo concedendo privilegium contrarium merito prius revocare voluisse censetur. — Sed, ni fallor, haec regula fallax saepe invenietur (cf. Piat, t. II, p. 140, q. 6).

3ª Sequens privilegium particulare non revocat privilegium antecedens generale ipsi contrarium, sed ei partialiter derogat, in iis nempe quae privilegio particulari adversantur.

4ª Sententia iudicis privilegio contraria non revocat privilegium, sed supponit privilegium non existere. Si ergo privilegium revera existit, reformanda est sententia iudicis. Schmalzgr., l. c., n. 233; Piat, l. c., q. 5.

11. De privilegiis Regularium a Tridentino revocatis. — Tridentinum plura privilegia Regularium revocavit. Quaestio est quaenam revocata fuerint.

Resp. 1° — Revocata sunt omnia privilegia contraria decretis *sess.* XXV, *de Regularibus*. Dicitur enim c. 22 huius sessionis: « Haec omnia et singula in superioribus decretis contenta observari S. Synodus praecipit..., non obstantibus.... privilegiis sub quibuscumque formulis verborum concessis ». Ita omnes. Bened. XIV, C. *Apostolicum ministerium* (1753), n. 13: « Quamvis in cap. 11 (*sess.* XXV) non derogetur privilegiis, quae hanc in rem producere possent Regulares: nihilo tamen minus, quia huiusmodi derogatio apertis verbis exprimitur c. 22, ideo *haec ipsa complectitur singula capita anteriora ipsius sessionis* XXV, *de Regularibus*, quemadmodum enuntiatum est Constitutione Innocentii XIII, *Apostolici ministerii* (1723), confirmata a Bened. XIII, in altera « *In supremo* », data anno 1724, n. 23: « Sciant omnes derogationem huiusmodi non ad ea tantum referri quae in praedicto capite (scil. 22) continentur, sed etiam ad alia, quae in singulis superioribus eiusdem sessionis constituta sunt ».

Resp. 2° — Revocata sunt omnia privilegia contraria aliis decretis Tridentini, quae adiectam habent clausulam generalem revocativam privilegiorum, etiamsi privilegia sint speciali mentione digna. Ita communiter, cum Bened. XIV in C. *Magno* (vide n. 9, *nota* d).

Resp. 3° — Controvertitur an revocata fuerint privilegia contraria decretis in aliis sessionibus latis praeter *sess.* XXV, quando

non habent adiectam clausulam revocatoriam privilegiorum. Qui affirmant revocata fuisse, duplicem rationem afferunt. Prima est, quod clausula revocatoria *capitis* 22 *sess.* XXV extenditur, aiunt, ad omnia Tridentini decreta, etiam priorum sessionum, et hic est sensus verborum « in superioribus decretis contenta ». Sed haec interpretatio est omnino violenta: cum enim spatium 20 annorum, et maius etiam, elapsum sit inter primas et ultimas sessiones, Synodus non potuit verbis « superioribus decretis » comprehendere prima decreta, de quibus nulla alia mentio in dicto capite facta fuit. Sane BENEDICTUS XIV, l. c., haec sola privilegia a Tridentino revocata agnoscit, quae contrariantur decretis generalem clausulam revocatoriam habentibus. Et INNOCENTIUS XIII, Const. *Apostolici ministerii,* § 25, ait: « Cum in capite 22 (sessionis XXV) amplissime derogetur omnibus contrariis privilegiis,... sciant omnes derogationem huiusmodi non ad ea tantum referri, quae in praedicto capitulo continentur, sed etiam ad alia, quae in singulis superioribus capitibus *eiusdem sessionis* constituta sunt. Praeterea sub BENED. XIII, in Concilio Romano, d. 16 *maii* 1725, decretum fuit, non obstante decreto Tridentino *sess.* XXIII, c. 8, *de Reformatione,* « ordinationes sacrorum ordinum statutis a Iure temporibus celebrentur », privilegia a Summis Pontificibus tam ante quam post Tridentinum Regularibus concessa, suscipiendi ordines extra tempora, permanere, « cum privilegia ipsa in suo robore persistant, nec eis derogatum fuisse constet » (apud WERMEERSCH, t. II, p. 630).

Secunda ratio desumitur ex Bulla PII IV, *In Principis* (24 *febr.* 1565), confirmativa Concilii, ubi revocantur omnia privilegia, « in his omnibus et singulis, in quibus illa statutis et decretis eiusdem concilii adversentur » [a]. Certe hoc argumentum vim

---

11. (a) « Cum itaque in eodem Concilio quamplurima.... decreta atque statuta.... sint edita, quibus multa atque diversa privilegia.... in plerisque contrariantur: Nos, quibus cordi est, tam sancta et Ecclesiae Dei saluberrima decreta suos.... effectus ubique consequi et ab omnibus obedienter observari, privilegiorum.... tenores, ac si de verbo ad verbum inserentur,... pro sufficienter expressis.... habentes, motu proprio et ex certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, quod eadem omnia et singula privilegia.... in his omnibus et singulis, in quibus illa statutis et decretis Concilii contrariantur, ipso iure revocata, cassata et annullata, ac ad ipsius Concilii terminos atque limites reducta sint, nec quidquam adversus ipsa decreta et statuta quominus ubique et apud omnes observentur, in aliquo suffragari posse,... tenore praesentium declaramus atque etiam statuimus et ordinamus ».

non modicam habet: non enim videtur dici posse Pium IV haec sola voluisse privilegia revocare, quae iam a Tridentino erant explicite revocata, sed dicendum illum omnia revocasse quibus impediretur observatio decretorum Tridentini. Attamen huic rationi responderi potest: privilegia Regularium, quae non fuerunt expresse revocata a Tridentino, ipsi non adversari. Nam quando Patres Tridentini revocare voluerunt privilegia Regularium alicui decreto contraria, decreto clausulam privilegiorum revocatoriam apposuerunt, ut in pluribus capitibus videre est (b). Ergo quando huiusmodi clausulam non apposuerunt, signum est eos admisisse derogationem decreti secundum privilegia quae non revocabant. Et haec responsio est argumentum validissimum sententiae contrariae.

Confirmatur haec responsio eo quod nec Innocentius XIII nec Benedictus XIII, nec Benedictus XIV, in locis supra citatis, censuerunt privilegia Regularium, quae decretis Tridentinis adversantur et quibus non fuerit clausula expressa derogatum, per hanc Pii IV Constitutionem fuisse revocata (c).

Notandum. — S. Pius V, Const. *Etsi mendicantium* (1567), mendicantium privilegia Tridentino non expresse contraria universim confirmavit (d), aliaque S. Conc. Tridentini decretis derogantia concessit. Illius quidem Constitutio fuit per Gregorium XIII ad terminos Iuris redacta; nihilominus adhuc valere videtur, ut mox dicetur.

Idem Benedictus XIII pluribus suis Constitutionibus, et maxime Const. *Pretiosus,* sua antiqua privilegia Regularibus restituerat et absque restrictione confirmaverat, et igitur etiam ea quae a Tridentino revocata fuerant. Sed Constitutiones istae Benedicti XIII fuerunt a Clemente XII annullatae, ut etiam mox dicetur.

(b) Sic, in *sess.* V, c. 2, *de Reform.*, facultas datur, imo praeceptum imponitur procedendi contra praedicatores etiam regulares, qui haereses praedicarent « etiamsi praedicator privilegio exemptum se esse praetenderet ». *Sess.* VI, c. 3, *de Reform.*, datur facultas Episcopis procedendi contra Regulares extra claustra viventes, si deliquerint, quin « sui Ordinis privilegii praetextu » se tueri possint. — *Sess.* VII, c. 7, *de Reform.*, datur facultas Episcopis visitandi ecclesias parochiales monasteriis adnexas, « privilegiis, exemptionibus,... quibuscumque minime suffragantibus ». Etc.

(c) Piat, t. II, pag. 144-164, enumerat 59 privilegia Regularium, quibus adversantur decreta Tridentina, sive haec decreta clausulam privilegiorum derogativam habeant, sive non.

(d) Ita ad verbum, § 3, post declarationes ad 26 molestias.

12. Revocatio privilegiorum Regularium a SS. Pontificibus facta.

1. Leo x, Const. *Dum intra* (1516), plura Regularium privilegia revocavit aut temperavit, quae Episcoporum iurium laesiva videbantur [a].

Hae moderationes respiciunt 1° parochiales Regularium ecclesias et iurisdictionem Episcopi ratione ipsarum; 2° celebrationem missae a saecularibus sacerdotibus in Regularium ecclesiis; 3° assistentiam ad processiones; 4° approbationem confessariorum ab Ordinario et ius eos prius examinandi; 5° facultates Regularium circa administrationem sacramentorum saecularibus; 6° fidelitatem servandam pactis inter Praelatos aut curatos ac Regulares; 7° funera saecularium apud Regulares et sepulturam eorumdem in habitu Regularium; 8° Regularium ordinationem; 9° consecrationem ecclesiarum eorumdem; 10° benedictionem matrimoniorum; 11° pulsum campanae sabbato sancto; 12° publicationem et observationem censurarum ab Ordinariis latarum; 13° solutionem decimarum a saecularibus; 14° electionem Conservatorum, et iura ipsorum; 15° absolutionem excommunicatorum Religionem ingredi volentium, et exemptionem a censuris Regularium procuratoribus concessam; 16° tertiarios sive in propriis domibus sive in claustro viventes.

2. Gregorius xiii, Const. *In tanta* (1573), ad terminos iuris revocavit privilegia mendicantibus concessa a Pio v in Const. *Etsi mendicantium* (1567), necnon in alia *Ad exsequendum* (1567) de parochiis unitis, omnesque alias Constitutiones *de iisdem rebus* tractantes [b]. Non revocantur ergo nisi privilegia circa

---

12. (a) « Et si aliqua dictis Fratribus mendicantibus in eorumdem Episcoporum laesionem per Romanos Pontifices praedecessores nostros et Sedem Apostolicam concessa fuerint, concessiones huiusmodi eisdem religiosis factas in subsequentibus duximus moderandas » (§ 2). — Hae moderationes eo animo factae sunt, ut « unicuique, quantum fieri potest, sua iurisdictio conservetur » (§ 3).

(b) « De nobis attributae potestatis plenitudine statuimus et ordinamus *de praedictis et aliis omnibus litteris et Constitutionibus,* quae ab eodem praedecessore, *eisdem de rebus,* pro quorumcumque Regularium, etiam mendicantium, Ordinibus et Congregationibus quomodolibet emanarunt, ac omnibus et quibuscumque in eis contentis, eam deinceps dispositionem atque decisionem, pro subiecta materia, futuram esse, quae sive ex Iure veteri sive ex sacri dicti (Trid.) Concilii decretis sive alias legitime, ante dictarum litterarum et Constitutionum editionem erat et, si ipsae non emanassent, futura fuisset » (§ 6).

argumenta in his duobus Constitutionibus contenta, minime vero alia.

In Const. *Etsi mendicantium,* Pius V referebat 26 molestias Regularibus factas, et suis declarationibus eis remedium afferebat. Sic enumerat Gregorius XIII argumenta de quibus agitur in Constit. Pii V: « Super sacris concionibus et lectionibus habendis, confessionibus audiendis, poenitentiis iniungendis, fratribus ad ordines promovendis, celebratione missarum, cura animarum, sacramentorum ministratione, sepulturis, quarta funeralium, legatis, donationibus, eleemosynis, collectionibus aliisque huiusmodi iuribus, necnon decimis et diversis oneribus, ac etiam super statu et regimine sanctimonialium ipsis Fratribus subiectarum, formatione processuum, censurarum publicatione, processionibus, praecedentia, locorum acquisitione certisque aliis rebus tunc expressis » [c].

Notat praeterea Gregorius (in § 4) quod Pius V ipse moderaverit suas litteras in favorem mendicantium; quod « omnes et quascumque alias litteras, quae de aliis Ordinibus et Congregationibus extra mendicantium Ordines de observantia nuncupatos emanaverant, omnino aboleverit » [d]; et demum (§ 5) quod privilegium (Const. *Romani Pontificis,* 6 *aug.* 1571, concessum), quo ab examine pro confessionibus graduatos aliosque exemerat, revocaverit.

Sed Benedictus XIII, C. *Pretiosus* (1717) PP. Praedicatoribus concessa, confirmat et renovat eorum privilegia; in § 47 derogat Constitutioni Gregorii « *In tanta* » et Constitutionem S. Pii V *Etsi mendicantium* innovat his verbis: « Quoad privilegia mendicantium Ordini Praedicatorum concessa, praevia

---

(c) *Certae aliae res,* quae in dicta Constit. « *Etsi mendicantium* » continentur et hic minus explicite exprimuntur, in quibus molestiae Fratribus inferebantur, sunt: ingressus in monialium domos (molestia 5ª); puellarum e monasteriis extractio (mol. 6ª); inquisitio et processus contra Fratres (mol. 16ª); gubernatio monasteriorum eorumque rationes et computa (mol. 17ª); recursus Fratrum ad Episcopos (mol. 18ª); potestas supra Fratres degentes extra monasteria (mol. 19ª); haereditas decedentium extra monasteria (mol. 20ª); unio beneficiorum (mol. 21ª); campanarum pulsatio (mol. 22ª); domorum aedificatio (mol. 23ª); defunctorum associatio (mol. 24ª); officia pro defunctis (mol. 25ª), testamenta saecularium in favorem Regularium (mol. 26ª).

(d) Revera in Bullario non reperitur nisi revocatio privilegiorum in iis quae *temporalitatem respiciunt:* continetur in Const. *Romani Pontificis aequa* (30 *iun.* 1570).

derogatione Constitutione Greg. XIII *In tanta,* d. 1 *mart.* 1573, innovamus Constitutiones S. Pii V *Etsi mendicantium,* et *Ad hoc nos Deus,* et quatenus opus sit, in his contenta de novo disponimus et respective concedimus, atque perpetuo observanda esse decernimus et mandamus, dummodo decretis C. Tridentini et dispositis in hac nostra peculiari Constitutione non sint contraria; ut etiam demandarunt Clemens VIII, Const. *Iniuncti,* 5 *oct.* 1604, et URBANUS VIII, Const. *In plenitudinem,* 31 *maii* 1625, declarantes, quod haec restrictio, contenta etiam in mox dictis litteris Clementis et Urbani, haud tollit decreta C. Trid. iuxta interpretationem ipsi attributam in praecitatis litteris S. Pii V » (e).

3. Verum haec Constitutio Benedicti XIII ipsa fuit revocata a CLEMENTE XII, Const. *Romanus Pontifex,* 30 *martii* 1732 (Cf. PIAT, t. I, p. 576). S. LIG. (l. VII, n. 101) postquam retulit C. *Pretiosus* eiusque privilegia tamquam semper vigentia, subiungit : « Sed post haec scripta, inveni quod Clemens XII, in Bulla *Romanus,* revocavit omnes Constitutiones et privilegia (praesertim contenta in praedicta Bulla *Pretiosus*) concessa a Benedicto XIII, omniaque reduxit ad pristinum statum (f).

(e) Huius phrasis sat obscurae hic sensus videtur esse, quod interpretatio facta a S. Pio V decretorum Tridentini non debet censeri contraria istis decretis, et proinde, quod propter restrictionem appositam (scilicet, per praesentem Constitutionem nihil innovari in his quae sunt Concilio contraria) nullo modo censendum est interpretationem S. Pii V esse deserendam. — In sua Const. *Etsi mendicantium,* in plerisque ex 27 molestiis quibus S. P. remedium affert, Tridentini sensum tantum declarat, in aliquibus tamen ipsius decretis derogat, v. g., in 4ª, 5ª, 27ª.

(f) In hac Constitutione *Romanus,* Clemens XII non tantum Constitutionem *Pretiosus,* sed plures alias ab ipso enumeratas his verbis revocat : « Statuimus et decernimus de omnibus et singulis praedictis litteris et Constitutionibus, quae ab eodem Praedecessore nostro Benedicto prodierunt, necnon de omnibus privilegiis, gratiis.... in iisdem contentis, eam deinceps decisionem ac iudicium etiam in foro conscientiae habendum, quod sive ex C. Tridentino, sive ex decretis et Constitutionibus Apostolicis, sive alias legitime habebatur, antequam eaedem litterae et declarationes ab eodem Benedicto concessae fuissent, perinde scilicet ac si illae non emanassent: ad quam dispositionem, eiusque pristinum statum ac terminum omnia superius enuntiata omnino reducimus et reducta esse volumus ». — N. B. Haec Constitutio *Romanus Pontifex,* d. 30 *mart.* 1732 data, confundi non debet cum altera iisdem verbis incipiente, d. 12 *febr.* eiusdem anni, in qua idem Pontifex revocat plura oracula vivae vocis.

Attamen S. Congr. EE. et RR. privilegia Constitutione *Etsi mendicantium* concessa veluti non revocata habere videtur, in pluribus decisionibus. Sic d. 15 *nov.* 1905, in controversia inter Episcopum Sanctae Fidei, et PP. Dominicanos, pronuntiabat: « Firmo remanente PP. Praedicatorum privilegio pulsandi campanas quando eis placuerit, ad tramitem Constitutionis S. Pii v, *Etsi mendicantium*.... » (A. S. S., t. xxxviii, p. 583). Haec declaratio eo maiorem vim habet quod, in suo ad S. Congregationem recursu, Episcopus Constitutionem S. Pii v tamquam revocatam allegabat. Dicebat enim: « Quum vero PP. Praedicatores, contra episcopale decretum opponant privilegium ipsis a S. Pio v concessum C. *Etsi mendicantium,* atque a resolutione S. Congregationis EE. et RR., d. 11 *martii* 1892, confirmatum.... ». — Resolutio, cui alluditur (A. S. S., t. xxiv, p. 558) pronuntiabat, in causa inter Capitulum alicuius Ecclesiae et PP. Praedicatores, quoad celebrationem Missae diebus dominicis et festis. In disceptatione synoptica dicebatur religiosos S. Dominici contendere sibi ius competere missam celebrandi quo tempore ipsis libuerit, « idque in vim privilegiorum quae religiosis a f. m. S. Pio v indulta fuerunt, C. *Etsi mendicantium;*... huiusmodi vero Constitutionem modo etiam omnem vim retinere, dubio procul deduci posse ex variis resolutionibus tum S. Congr. EE. et RR., 28 *sept.* 1742, tum S. C. C., 19 *sept.* 1750 et 19 *maii* (9 *iun.*) 1760. Dubio tandem proposito, an religiosi S. Dominici valeant missam celebrare diebus dominicis et festis in casu? S. Congregatio respondit: « Affirmative ».

13. De revocatione oraculorum vivae vocis. — Pleraque oracula vivae vocis variis SS. Pontificum actis revocata fuerunt.

1. Gregorius xv, C. *Romanus Pontifex* (1622), et Urbanus viii, C. *Alias* (11 *apr.* 1635), revocaverunt omnia vivae vocis oracula « Collegiis, Capitulis, Ordinibus tam mendicantium quam non mendicantium, Societatibus etiam Societati Iesu, ac Congregationibus quibuslibet, aut eorum Superioribus quibuscumque concessa ». Greg. xv in revocatione sua duas exceptiones admiserat, scilicet non revocaverat oracula ad instantiam regum concessa, neque oracula Cardinalibus facta et eorum manu subscripta. Urbanus viii has duas exceptiones suppressit, voluit tamen valere oracula vivae vocis a S. Sedis Officialibus, in rebus ad eorum officium pertinentibus, impetrata. Hi Officiales, ex Const. Benedicti xiv, *Pastor bonus,* § 5, sunt

Praefecti et secretarii Congregationum Romanarum, necnon Poenitentiarius maior, ac Cardinalis Protector Ordinis. Non sunt autem Episcopi, ut declaravit S. Congr. EE. et RR. (1866), nec Generales Ordinum (Apud Piat, t. II, p. 167, q. 5, Resp. 4° et 5°).

Revocata sunt ergo et nullius sunt valoris oracula vivae vocis ante d. 11 *aprilis* 1635 concessa, nisi a praedictis Officialibus impetrata. — Sed oracula vivae vocis post hanc diem quocumque modo concessa sunt valida. Non enim voluit Pontifex, nec velle potuit, ut irrita forent.

Non pauci volunt non fuisse revocata a Gregorio XV et Urbano VIII privilegia et gratias per oraculum vivae vocis concessa, sed deinde (ante eorum Bullas) per Constitutiones confirmata et innovata. Verum opus est distinctione. Admitti potest non fuisse revocata ea oracula quae, facta eorum expressa et particulari mentione, ab aliqua Constitutione fuerunt confirmata et innovata. Quod ad ea autem spectat quae, non facta eorum expressa et speciali mentione, per solas formulas generales confirmata fuerunt, haec per duas dictas Constit. revocata videntur. Ratio est, quia in primo casu haec privilegia vere fuerunt innovata per Constitutionem subsequentem, non remanent oracula vivae vocis; contra privilegia per solam formulam generalem confirmata, remanent oracula vivae vocis (Piat, t. II, p. 167, q. 7). — Cf. dicta supra, n. 3, 4°.

2. Alia est revocatio, scilicet Clementis XII, C. *Romanus Pontifex* (12 *febr.* 1732). In ea revocantur plura (14) indulta, facultates, gratiae, vivae vocis oraculo concessa, et etiam per rescripta Cardinalium sive ipsius R. P. manu subscripta. Sed simul Pontifex declarat suam non esse intentionem haec indulta, facultates et gratias revocare, si per litteras Apostolicas etiam in forma Brevis, aut per rescripta SS. Congr. Romanarum seu S. Poenitentiariae emanaverint (vide Piat, t. II, p. 168, qq. 8 et 9, qui enumerat ista 14 indulta revocata).

14. De Revocatione Indulgentiarum. — Paulus V, Const. *Romanus Pontifex* (1606), aliquas indulgentias omnibus Regularibus concessit, et caeteras omnes alias concessas revocavit[a].

---

14. (a) Ita § 19: « Caeterum omnes et singulas indulgentias quibuscumque Ordinibus et Institutis regularibus huiusmodi, etiam mendicantibus et quibuslibet personis regularibus, tam vigore privilegiorum et Litte-

Notandum est cum *Beringer* (*Les Indulgences*, Editio gallica 3ª, t. II, p. 490), in hac Const. revocari tantum indulgentias Ordinibus et personis regularibus concessas, ideo non esse revocatas indulgentias locales, alicui ecclesiae Regularium, neque alias *directe* pro defunctis largitas.

15. De renuntiatione privilegiis et amissione eorum per non usum aut per usum contrarium.

1. Privilegium amittitur *renuntiatione* libera, legitima et expressa (WERNZ, t. I, n. 162, II).

1. Renuntiatio *legitima* est, si in potestate privilegiati sit renuntiare. Hanc potestatem habet, si privilegium in eius solius favorem sit illi indultum; non habet autem, si privilegium praecipue in favorem boni communis aut alterius sit concessum. Sic, exemptioni Regulares renuntiare non possunt, quia Summus Pontifex eam concedit in favorem Sedis Apostolicae et pro bono totius Ecclesiae (WERNZ, t. III, n. 664, nota 528). Sic etiam in Ordinibus, in communitatibus, nequit quivis particularis, aut etiam quivis Superior renuntiare privilegiis Ordini concessis: ad renuntiandum oportet ut, vel ex concessione pontificia vel ex constitutionibus Ordinis, plenam habeat auctoritatem disponendi de eiusdem bonis et iuribus, aut saltem de gratiis ipsi concessis. Haec auctoritas autem in diversis Ordinibus aut Generali soli, aut Generali cum Capituli approbatione competit (vide infra, n. 16, 3°; PIAT, t. II, p. 130, q. 1; FERRARIS, v. *Privilegium, art.* III, n. 21 et sqq.).

2. Renuntiatio est *explicita aut implicita*. Explicita rursus duplici modo haberi potest, vel ex pacto cum aliquo alio tertio: v. g., si religiosi, ut admittantur in aliqua dioecesi ab Episcopo, aliquibus privilegiis ex pacto renuntient; vel sine pacto, simplici renuntiatione.

Si pactum intercedit, servari debet[a]: nisi tamen religiosi

---

rarum Apostolicarum, quam vivae vocis oraculo, aut alias quovis modo per quoscumque Romanos Pontifices, praedecessores nostros, et Nos et Apostolicam Sedem hactenus concessas, auctoritate et tenore praedictis perpetuo revocamus, cassamus, annullamus et abrogamus et ad praesentium nostrarum Litterarum praescriptum reducimus et moderamur. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus etc.... ».

15. (a) Haec assertio, certa ex principiis iustitiae, explicite exprimitur a LEONE X, Const. *Dum intra* (1516), § 8: « Pacta autem et conventiones, inter eosdem Fratres et Praelatos atque curatos pro tempore inita, va-

illegitime renuntiaverint privilegiis, quibus renuntiari non poterant, sive ex defectu potestatis ad renuntiandum, sive quia renuntiatio eis prohibetur: tunc enim nulla aut irritabilis esset renuntiatio (vide PIAT, t. II, p. 132, q. 3). Sed in casu huiusmodi, pactum a Religiosis nullo modo scienter admitti potest: esset deceptio tertii cum quo fit pactum. Fundationem domus sub conditione ab Episcopo imposita, quod Regulares aliquibus suis privilegiis renuntient, non expedit acceptare, ait PRUMMER, q. 215, nisi gravissimae sint rationes; et in casu, melius et tutius est petere beneplacitum Apostolicum.

Si fuit simplex renuntiatio sine pacto, donec acceptata fuerit, revocari potest, non autem postea.

3. Renuntiatio implicita *per non usum privilegii aut per usum contrarium* haberi potest, sed non semper habetur: scilicet non usus aut usus contrarius non semper aequivalet renuntiationi privilegii. Dantur hac de re duae regulae [b].

Prima. Privilegia mere favorabilia et nemini onerosa, sive sint affirmativa sive negativa [c], non amittuntur per non usum aut usum contrarium: v. g., privilegium celebrandi ante auroram, absolvendi a casibus reservatis, non ieiunandi. Nec fit ulla praescriptio contra privilegia huiusmodi, cum nullus sit qui praescribere possit.

Secunda. Privilegia aliis onerosa non semper amittuntur per non usum aut usum contrarium, sed tunc tantum: 1° quando privilegiatus suo privilegio scienter, libere et constanter non utitur, ubi eo uti posset; aut 2° quando contra ipsum agit, et protestationem ad ius suum salvandum non intermittit. Tunc

---

leant, nisi per subsecutum Capitulum proximum generale vel provinciale refutata, atque per eos refutatio eiusmodi intimata debito tempore fuerit ». Ibi Leo X supponit Fratres non plenam habuisse potestatem ad paciscendum, sed eorum acta a Capitulo fore confirmanda vel irritanda: de quo tertius, cum quo pactum fit, moneri debet.

(b) WERNZ, t. I, n. 162, III; FERRARIS, v. *Privilegium, art.* 3, n. 30.

(c) Privilegia affirmativa sunt ea quae actione aliqua privilegiati exercentur: v. g., absolutio, servitus activa. De his potest uti, aut *non uti*. Privilegia negativa ea sunt quae eximunt ab aliqua actione, secus debita: v. g., privilegium non ieiunandi, exemptio. De his privilegiatus uti potest non agendo, aut e contra *actum contrarium* privilegio exercere potest: v. g., ieiunando, iurisdictionem Episcopi in aliqua re contra privilegium admittendo.

enim non usus aut usus contrarius renuntiationi aequivalet, quae ab alio acceptari potest[d].

II. Privilegium amittitur *praescriptione* debitis conditionibus vestita (inter quas conditiones est bona fides praescribentis); hoc valet etiamsi privilegiatus suo privilegio per ignorantiam non utatur[e]. Tunc expleto tempore ad praescribendum requisito, privilegium cessat. Illud tempus est 40 annorum: quia agitur de iure ecclesiastico, quod ex SS. Canonibus non praescribitur nisi per spatium 40 annorum; imo secundum aliquos, si agitur de immobilibus, requiruntur 100 anni. Aliqui Ordines privilegium habent ut contra ipsos non valeat praescriptio nisi 60 annorum (PIAT, l. c., q. 3; — COMPENDIUM PRIVILEG., n. 454).

SECTIO II.

16. Privilegia Societati Iesu concessa.

1. Varia Privilegia Societati primo concessa sunt a PAULO III Const. *Cum inter* (1545) et Const. *Licet debitum* (1549); deinde fuerunt confirmata et aucta a IULIO III, Const. *Sacrae Religionis* (1552), et postea a pluribus aliis summis Pontificibus. Privilegia ab his Pontificibus Societati concessa eadem fere sunt quae aliis Ordinibus et iisdem terminis concepta, ut videre est ea comparando cum *Mari magno* Minorum et Minimorum et cum aliis horum Ordinum Constitutionibus.

2. Societas communicat in omnibus gratiis, privilegiis et indulgentiis cum Ordinibus sive mendicantibus sive non mendicantibus. PIUS V, Const. *Dum indefessae* (1571) Societatem esse Ordinem mendicantium declaravit, et amplam commu-

---

(d) WERNZ, l. c.; PIAT, p. 133, q. 2. Uterque clare dicit tunc privilegium amitti posse, quin requiratur tempus sufficiens ad praescriptionem. Ex altera parte non sufficit ut privilegiatus semel aut bis tantum ab usu abstineat; sed requiritur non usus aut usus contrarius *constans* per aliquod tempus.

(e) Inde est quod, in causis Regulares inter et Episcopos aut curatos, non soli iuri attendatur, sed tanta vis usui tribuatur. Sic in celeberrima causa PP. Barnabitarum pro administratione viatici et extremae unctionis convictoribus collegii (21 *iul.* 1848). Parochus, inter alia argumenta proferebat agi de collegio quod iurisdictioni parochi ab immemorabili subiacebat, et in quod parochus 14 annis, sc. a tempore quo fuerat PP. Barnabitis commissum, iurisdictionem *pacifice* exercebat (vide cap. XIX).

nicationem privilegiorum cum aliis Ordinibus mendicantium concessit.

In hac Constitutione, 1° communicantur « omnia et singula mendicantium privilegia, immunitates, exemptiones, facultates, concessiones, *indulgentiae* [a], peccatorum remissiones, gratiae tam spirituales quam temporales ; 2° quaecumque, quotcumque et qualiacumque sint, etiam speciali nota digna ; 3° quibusvis Ordinibus Fratrum aut Sororum mendicantium, etiam per modum extensionis seu communicationis et alias quomodolibet concessa : 4° non tantum in genere, sed in specie et divisim eorum Congregationibus, domibus, ecclesiis, hospitalibus et aliis piis locis, necnon utriusque sexus personis concessa ; 5° non tantum iam concessa, sed et in posterum concedenda ; 6° concessio fit pariformiter, aeque principaliter, perinde ac si Societati, Praeposito, personis, domibus et collegiis nominatim et specialiter ac generaliter facta fuisset ».

3. Gregorius XIII, Const. *Decet Romanum Pontificem* (1575) amplissimis verbis omnia privilegia quocumque modo Societati iam concessa confirmavit, et insuper communicationem cum reliquis Religionibus non mendicantibus et Congregationibus, necnon cum illorum singulis conventibus, hospitalibus aliisque locis piis et personis, in omnibus supra enumeratis concessit [b].

4. In restituta Societate, Leo XII, Brevi *Plura inter* (1826), varia privilegia Societati concessit, alia perpetua, alia vicennalia.

5. Tandem Leo XIII, Brevi *Dolemus* (1886), omnia privilegia et gratias Societati olim concessa nec revocata his verbis innovavit : « Omnia et singula vel directe vel per communi-

---

16. (a) Vox illa *Indulgentiae* notanda est, propter controversiam an Indulgentiae veniant sub communicationem privilegiorum. Quidquid sit de Iure communi, Societati communicatio indulgentiarum expresse conceditur. Vide num. seq., nota *a*.

(b) « Quod pro tempore existens Praepositus et Societas omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, concessionibus, indultis, indulgentiis, remissionibus, gratiis et litteris Fratrum et Sororum mendicantium, *aliarumque Religionum* ordinibus, congregationibus, conventibus, capitulis, monasteriis, domibus, ecclesiis, confraternitatibus, hospitalibus et aliis piis locis, ac personis tam saecularibus, quam regularibus, hactenus concessis et in futurum concedendis,... uti, frui, gaudere, et illa exsequi et in eis procedere possint », concedit.

cationem cum aliis Ordinibus regularibus eidem Societati impertita, quae tamen dictae Societati non adversentur, neque a Tridentina Synodo aut ab aliis Sedis Apostolicae Constitutionibus in parte vel in toto abrogata sint et revocata, privilegia, immunitates, exemptiones, indulta, hisce litteris confirmamus et Apostolicae auctoritatis robore munimus iterumque concedimus ».

17. Notanda sunt sequentia.

1° Communicatio privilegiorum cum aliis Ordinibus tum mendicantibus, tum non mendicantibus, habetur etiam in Indulgentiis [a].

2° Communicatio locum non habet in privilegiis quae Societatis Instituto adversantur, ut dicitur tum in Constitutione Gregorii XIII (ubi declaratur communicationem locum habere « iuxta Societatis Instituti rationem, Constitutiones, ritus, mores, usus, consuetudines, normas, observationes et procedendi modum »); tum in Brevi Leonis XIII, ubi communicationi privilegiorum haec ponitur restrictio: « quae tamen dictae Societati non adversentur ».

---

17. (a) Brevi *Dolemus* non restituuntur expresse Indulgentiae, quas Societas per communicationem tantum haberet. Vox *Indulgentiae,* quae invenitur tum in Const. *Dum indefessae,* Pii V, tum in Const. *Decet Romanum* Gregorii XIII, omissa fuit in Brevi *Dolemus* Leonis XIII. Stante autem dubio an Indulgentiae veniant sub nomine privilegiorum (ut dictum est n. 5), ex hoc documento dubium etiam remanet an Societas nunc gaudeat communicatione Indulgentiarum cum aliis Ordinibus. Summarium Indulgentiarum anno 1886 approbatum nullam continet indulgentiam, quae non fuerit directe concessa. Attamen argumentum ex hac omissione desumi nequit: nam in prologo huius summarii, declaratur: « Secundum hodiernam Sacrae Congregationis praxim, eae tantum indulgentiae praesenti summario inseri potuerunt, quae Societatis Iesu personis, ecclesiis, vel ministeriis propriae et *directe ipsis concessae* inveniuntur ». E contra argumentum validissimum ex eodem Summario habetur ad probandam hanc communicationem. Nam inter privilegia, quae in prima parte Summarii recensentur, expressa mentio fit communicationis privilegiorum, *indulgentiarum,* etc., Societati a Pio V et Gregorio XIII concessae. Ideo, cum hoc summarium Congregatio Indulgentiarum, « verbo facto cum Sanctissimo ab eius secretario,... imprimi et publicari posse permisit », merito affirmari potest Societatem communicatione privilegiorum cum aliis Ordinibus etiam in Indulgentiis nunc gaudere (cf. COMP. PRIVIL., n. 104). Excipi tamen debet casus quo indulgentia ob specialem rationem alicui Ordini aut domui concessa est (COMPEND., ib.).

3° In Societate omnia privilegia omnesque gratiae conceduntur Generali, aut saltem ita ut eorum usus religiosis ac locis Societatis non competat nisi prout eis Generalis communicat. Ita expresse Pius v et Gregorius xiii, in praecitatis Constitutionibus (b). Quapropter in Societate, praeter concessionem privilegii, requiritur eiusdem communicatio a Praep. Generali facta. Inde etiam habetur, Praepositum Generalem sine Congregationis generalis approbatione usui privilegiorum renuntiare posse (vide supra, n. 14).

4° Quaenam privilegia in particulari Societati directe aut per communicationem competant, et ex eis quaenam locis et personis Societatis communicentur, habetur ex singulis articulis Compendii Privilegiorum.

Notandum est tamen id quod in praefatione Compendii, n. 2, dicitur: « Si quae sint privilegia alia, quorum usus alicubi necessarius fuerit, is a Praeposito Generali impetrandus erit. Aut si periculum in mora fuerit, usus a Provinciali aut etiam, si is consuli nequit, a Superiore locali permitti poterit, monito postea Generali ».

APPENDIX HISTORICA
DE PRIVILEGIIS REGULARIUM

18. Origo et prima concessio privilegiorum. — Utile est cognoscere quae privilegia religiosis inde a prima vitae religiosae institutione et subsecutis saeculis collata sint. Ita apparet pleraque privilegia, quae recentioribus Ordinibus concessa sunt, non nova esse, sed quae antiquitus monachis, et postea primis mendicantium aliisque Ordinibus solita erant conferri; proinde modernam privilegiorum praxim pedetentim, longa praeeunte experientia, introductam fuisse.

Haec Regularium privilegia fere Apostolicis Constitutionibus continentur. Aliqua tamen potuerunt consuetudine introduci, aut prius concessa extendi deinde extra limites conces-

---

(b) « Quodque privilegia (etc.... per communicationem habita) nec non et ipsi Societati nominatim vel eius Praeposito aut personis seu locis hactenus concessa vel in posterum concedenda praedicto et pro tempore existenti Praeposito Generali Societatis concessa esse intelligantur; qui illa per se ipsum vel alium seu alios,... quibuscumque locis et personis Societatis..., prout magis expediens fuerit, communicare libere et licite valeat » (Greg. xiii, Const. *Decet Romanum*).

sionis. Inveniuntur enim aliqua privilegia, quae AA. communi consensu agnoscunt, quin ullos Canones ullasque Constitutiones Apostolicas, quibus concessa reperiantur, indicare possint; v. g., privilegia novitiorum. Piat, t. I, p. 119, q. 4. Cf. supra, n. 3, 3°.

Antiquae Summorum Pontificum Constitutiones, quibus prima privilegia religiosis concessa fuere, ut in Bullario Romano inveniuntur, nunc recensere iuvat.

Prima est Const. Pelagii II (a. 585) in favorem monasterii S. Mariae in Organo, in dioecesi Veronensi. Ad petitionem Imperatoris et consentiente Episcopo Ecclesiae Veronensis, S. Pontifex coenobium confirmat cum omnibus suis bonis [a], et Abbatem in monasterio constitui absque sua suorumque successorum consensu interdicit.

Secunda est Const. S. Gregorii Magni (596) in favorem monasterii Monialium Cassiani Massiliensis. Pontifex concedit ut « Abbatissa non extranea, sed quam Congregatio sibi de suis elegerit », consecretur, et quidem ab Episcopo loci; cui supremum regimen supra monasterium, « id exigente aliqua culpa », committitur. Deinde subiungit: « In rebus autem vel in dispositione monasterii, nec Episcopum nec Ecclesiasticum quemquam aliquam habere decernimus potestatem ». Hic iam partialis exemptio invenitur.

Tertia est Const. eiusdem Gregorii (596) in favorem monasterii Sublacensis. Omnia eius bona confirmat et alia adiungit. In hac Const. Gregorius Magnus testatur regulam S. Benedicti fuisse a se approbatam in aliqua Synodo Vaticana, cui aderant 24 Episcopi [b].

Quarta est Constitutio eiusdem Gregorii pro monasterio SS. Ioannis et Stephani in civitate Classe, dioecesis Raven-

---

18. (a) Haec confirmatio bonorum a S. Sede est primum privilegium fere omnibus monasteriis concessum. Ad hanc confirmationem obtinendam, qua monasteria aliquam securitatem contra principum temporalium aut Episcoporum forsan exactiones consequebantur, monasteria ad S. Sedem recurrebant, et sub eius specialem protectionem recipi petebant.

(b) « Praeterea ego ipse Gregorius, Sanctae Romanae Ecclesiae praesul S. Benedicti vitam scripsi, et eius perlegi regulam, quam ipse Sanctus manu propria scripserat, laudavi eam, et in S. Synodo edita apud S. Petrum Romae in Vaticano, viginti quatuor Episcoporum, confirmavi et per diversas Italiae partes, et ubicumque latinae litterae legerentur, praecepi diligentissime eam a monachis observari ».

natis (a. 598). Privilegia in ea contenta rursus inveniuntur in decretis generalibus ab eodem Pontifice anno sequente datis.

Quinto loco igitur sunt *Decreta generalia* ab eodem Gregorio Magno, a. 599, *pro Monachorum libertate edita* (c). In eis statuuntur sequentia: declaratur 1° immunitas bonorum monasteriorum; 2° lites, quae supervenerint inter Episcopos et Abbates atque non potuerint pacifice definiri, per electos Patres et Abbates definiantur; 3° Abbas a Fratribus eligendus est unus ex monasterio aut, si aptus ibi non fuerit, ex aliis monasteriis: 4° Ad ordinanda alia monasteria, aut ad ordines sacros vel clericatus officium, monachi invito Abbate e monasterio tolli non debent; 5° Episcopo ius ullam descriptionem rerum aut chartarum monasterii faciendi, vivente seu mortuo Abbate, omnino denegatur; 6° Eidem interdicitur missas publicas in monasterio celebrare; 7° monasteria ab Episcopi iurisdictione exempta declarantur; 8° nullus monachus ad aliquam ecclesiam sine consensu Abbatis promoveri potest.

An haec decreta fuerint omnino generalia non constat; probabilius pro solis locis ditioni Romani Pontificis subiectis vim habuerunt.

Sequuntur deinde in Bullario innumerae Constitutiones in favorem monasteriorum Italiae, Germaniae, Galliae, Hispaniae, Angliae. Ut concessiones privilegiorum in eis contentae melius intelligantur, quatuor periodi, quoad historiam Ordinum religiosorum in temporis decursu, distingui possunt: prima, a monachismi institutione usque ad priores monasteriorum coadunationes in diversas familias; secunda, ab hac institutione variarum familiarum religiosarum (ut plurimum Ordinis S. Benedicti) et primorum Ordinum monachalium, usque ad institutionem Ordinum mendicantium a S. Dominico et a S. Francisco saeculo XIII; tertia, ab hac aetate usque ad Tridentinum; quarta, a Tridentino ad nostra tempora: in

(c) Haec decreta in aliquo synodo lata fuerunt. Etenim ad calcem dicitur: « Universi episcopi responderunt: libertate monachorum gaudemus, et quae nunc de his statuit Beatitudo vestra firmamus ». Subscribit Pontifex et post eum 21 episcopi, 10 sacerdotes et 3 diaconi. — De authenticitate huius documenti dubitant aliqui AA. nostrae aetatis; fatentur tamen privilegia in eo contenta inveniri in aliis Constitutionibus authenticis eiusdem Gregorii: quod ad scopum nostrum praesentem sufficit.

ea multae novae Congregationes, maxime votorum simplicium, ortum habuerunt.

19. Periodus prima. — In hac periodo non existunt proprie Ordines religiosi, sed solummodo monachorum monasteria, sub diversis regulis; in Occidente fere omnia sub S. Benedicti regula instituta sunt, verum singula inter se independentia, quin ullum generalem Superiorem religiosum supra monasterii Abbatem haberent.

Ex hac mutua monasteriorum independentia evenit, ut singula monasteria privilegia sibi propria a S. Sede impetrarent. Inde fere innumerae, hoc lapsu temporis, SS. Pontificum Constitutiones, quibus privilegia, saepe iisdem verbis concepta, variis monasteriis conceduntur.

Praecipua vero privilegia hac periodo concessa haec sunt [a].

1° Confirmatio omnium bonorum quae a principibus aut ab aliis acceperint. Ita Pelagius II, a. 985 [b]; S. Gregorius Magnus, a. 599. — Saepe in fine privilegii additur prohibitio ne quis, sive ecclesiasticus sive laicus, ea quae monasterio donata sunt, auferre vel minuere aut aliis usibus applicare audeat. Gregorius Magnus, a. 599; Stephanus II, pro monasterio Vulturnensi, a. 752.

2° Prohibitio alienandi haec bona. Stephanus II, a. 754 [c]; Paulus I, a. 761.

3° Facultas aedificandi monasteria; quibus specialis protectio S. Sedis conceditur, aliquando cum facultate ad ipsam

---

19. (a) Quantum fieri potuit, pro singulis privilegiis prima eorum concessio indicatur; omittuntur autem similes concessiones postea factae. In notis referuntur ipsa verba concessionum.

(b) PELAGIUS II, a. 585: « Quia postulatis a nobis quatenus coenobium S. Mariae ad Organum quod Ferox Abbas construxit, quod vestrae subiecit ditioni, cum omni suo honore et suis pertinentiis totum confirmaremus, inclinati vestris precibus,... consentiente Episcopo,... vobis vestrisque successoribus Apostolica auctoritate concedimus et per huius nostri privilegii paginam coenobium S. Mariae ad Organum confirmamus, statuentes quoque ipsum vobis monasterium cum omnibus terris cultis et incultis, seu decimationibus..., sub iure nostro atque dominio vestrorumque successorum subiacere atque pertinere corroboramus, etc.... ».

(c) STEPHANUS II, *pro Monasterio Fuldensi*, a. 754: « Praecipimus etiam tibi cunctisque successoribus tuis Abbatibus, ut locum tibi commendatum omni studio et diligentia excolas, res et facultates sub Dei timore conserves, et nihil ex his, quae Deo sunt oblata et consecrata, cuiquam laico vel clerico beneficium concedas vel praestes ».

recurrendi in casu oppressionis aut conflictus. Honorius I, a. 628, Stephanus II, a. 757; Silvester II, a. 1000 (d).

4° Immunitas plus minusve extensa ab ecclesiasticis contributionibus. Gregorius Magnus, a. 599 (e). Item a tributis et decimis sive ecclesiasticis personis sive laicis persolvendis. Martinus I, a. 653; Ioannes VI, a. 704; Agapetus II, a. 949 (f) et Leo IX, a. 1049, pro monasterio Cluniacensi.

5° Monasteria modo sub immediata S. Sedis iurisdictione suscipiuntur et eximuntur a iurisdictione episcopali: ita Decreta Gregorii Magni, a. 599; Honorius I, a. 628; Nicolaus I, a. 863 (g); modo e contra sub Episcopi auctoritate constituuntur. Adeodatus I, a. 676; Ioannes XIII, a. 970.

(d) Idem Stephanus II Abbati Fuldrato, a. 757: « Quia postulasti a nobis.... ut (tibi) monasteria construendi licentiam tribueremus, ipsa monasteria a te fundata privilegiis Sedis Apostolicae in futuro munirentur, ut sub iurisdictione S. Ecclesiae, cui Deo auctoritate deservimus (sc. Romanae) constituta, nullius alterius Ecclesiae iurisdictionibus submittantur: pro qua re piis desideriis faventes, hac nostra auctoritate id quod exposcitur effectui mancipamus. Et ideo tibi, vel caeteris tuis successoribus Abbatibus licentiam et potestatem largientes concedimus aedificandi monasteria ubique in Franciae provinciis volueritis.... Et omnem cuiuslibet Ecclesiae Episcopum.... in praefatis monasteriis ditionem quamlibet habere, praeter Sedem Apostolicam, hac auctoritate prohibemus. — Et omnes causas tuas vel coenobii tui per Sedem sacratissimam Apostolicam reclamare licentiam habeas,... et interim nullus te condemnet.... Ipsaque venerabilia a te aedificata monasteria sub ditione sacratissimae Sedis B. Petri, Apostolorum Principis confirmata protectione Apostolica ut tueantur (omnes), promulgamus ». — Silvester II, a. 1000, *monasterio Fuldensi* appellationem ad S. Sedem tamquam privilegium extraordinarium concedit: « Liceat autem tibi et tuis successoribus in perpetuum, Episcoporum more, nostro dono nostraque munificentia, Apostolicam Sedem ad vestram defensionem appellare ».

(e) Gregorius Magnus, *in decretis pro monachorum libertate* (599): « Statuimus ut (Episcopi) suae Ecclesiae tantummodo sint iure contenti, et monasteria ecclesiasticis conditionibus seu angariis, vel quibuslibet obsequiis saecularibus nullo modo subiiciant (*forsan* subiaceant), nullis canonicis iuribus deserviant, sed remotis vexationibus a cunctis gravaminibus, divinum opus cum summa animi devotione perficiant ».

(f) Agapetus II *pro monasterio Cluniacensi* (a. 949): « Itaque sit illud monasterium cum omnibus rebus, vel quas nunc habet vel quae deinceps ibi traditae fuerint, liberum a dominatu cuiuscumque regis aut Episcopi sive comitis.... Decimas vero, quae olim ad vestras capellas pertinuerunt et a quolibet Episcopo subtracta sunt, vobis restituimus ».

(g) Gregorius Magnus *in decretis generalibus* a. 599: « Nec audeat (Episcopus) ibi cathedram collocare vel quamlibet potestatem imperandi ha-

6° Quoad receptionem chrismatis, ordinationem monachorum, ecclesiarum aut Abbatum consecrationem, communius praescribitur ut monachi ea ab Episcopo loci repetant: ita Adeodatus I, a. 676, pro monasterio Turonensi; alias tamen conceditur ut a quolibet Episcopo in communione cum S. Sede petere possint: Theodorus I, a. 643, pro monasterio Bobiensi; Stephanus II, a. 752, pro monasterio Vulturnensi[h]. Aliquando

---

bere, nec aliquam ordinationem vel levissimam faciendi, nisi ab Abbate loci fuerit rogatus, quatenus monachi semper in Abbatum suorum sint potestate ». — HONORIUS I *pro monasterio Bobiensi* (a. 628): « Petis nos igitur ut monasterio.... privilegia Sedis Apostolicae largiremus, quatenus sub iurisdictione sanctae nostrae, cui Deo auctore praesidemus, Ecclesiae constitutum, nullius Ecclesiae iurisdictionibus submittatur...: ideo omnem cuiuslibet Ecclesiae Sacerdotem in praedicto monasterio ditionem qualibet auctoritate ne extendere, atque sua auctoritate, nisi a Praeposito monasterii fuerit invitatus, missarum solemnitates celebrare omnino prohibemus ». Hoc privilegium confirmatum et amplificatum fuit a THEODORO I, a. 643 (vide *notam* 4). — STEPHANUS II idem privilegium fere iisdem verbis concedit *monasterio Vulturnensi*, a. 752. — Item etiam SERGIUS I, a. 687, monasterio SS. Petri et Pauli Meldunensi, necnon monasterio S. Ioannis Bapt. in Saxonia: « Quia igitur talibus debetur Pontificalis indulgentiae beneficium, praesentibus Apostolicis privilegiis praedicta venerabilia monasteria decernimus munienda, quatenus sub iurisdictione ac tuitione eius, quam dispensamus ecclesiae (sc. Romanae), et nunc sint et in perpetuum permaneant, nulliusque alterius iurisdictioni sint subiecta, nec quisquam Episcoporum aut sacerdotum, aut cuiuslibet ecclesiastici ordinis clericus, quoquo tempore, sibi in ea quamlibet iurisdictionem defendere praesumat ».

NICOLAUS I *pro monasterio Corbeiensi* (a. 863): « Episcopus vero Ambianensis nullam ex eis (sc. bonis monasterii) vel accipiat vel exposcat portionem; neque vel in Abbate vel in Fratribus vel in ipso coenobio potestatem obtineat, neque in cellis monasterii dominatione potiatur ulla, neque in clericis, neque in famulis, et in omnibus quaecumque ad monasterium illud videntur habere possessionis respectum.... Nec ad monasterium seu cellas eiusdem, vel ipse per se Episcopus, aut quaelibet ex eius agentibus persona, potestatem habeat accedendi, nisi forte ab Abbate monasterii vel Fratribus vocatus advenerit. Neque in ecclesiis praedicto monasterio subiectis vel in presbyteris eisdem ecclesiis ordinatis aliquam tentet facere perturbationem, Abbati vel Fratribus novam constituendo et antiquam consuetudinem violando ».

(h) THEODORUS I, *pro monasterio Bobiensi* (a. 643): « Episcopus, quem Pater monasterii vel cuncta Congregatio voluerit ad celebrandum missarum solemnia aut consecrationes presbyterorum seu diaconorum, vel etiam tabularum in quibus missae debeant celebrari, habeat facultatem in eodem monasterio ingrediendi ad pii opus ministerii: quo peracto,

ponitur conditio ut ad Episcopum alienum non recurrant, nisi dioecesanus recusaverit; vel etiam ecclesiarum et altarium consecratio ab Episcopo loci petenda imponitur, ordinationem autem a quocumque Episcopo impetrare conceditur: ita Urbanus II, pro monasterio Cluniacensi (a. 1097).

7° Saepissime Episcopis, etiam dioecesanis, prohibetur ne monasteria adeant ibique solemnia missarum celebrent, nisi ab Abbate et monachis vocati. Gregorius Magnus, a. 599, in decretis generalibus; Martinus I, a. 653; Sergius I, a. 687.

8° Saepe etiam iisdem Episcopis interdicitur ne, renuente Abbate, monachos ordinent aut e monasterio extrahant ut aliis monasteriis vel ecclesiis quibuscumque praeficiant. Gregorius Magnus, a. 599 (i); Martinus I, a. 653. — Aliquando tamen haec apponitur restrictio: nisi monasterium monachis abundet et Abbas nihilominus recuset praebere monachos pro ec-

---

nihil contingens sed gratis omnia perageus, ad propria mox regredi non moretur.... Chrisma igitur vel quidquid ad sacra ministeria pertinet, si a Patre monasterii fuerit postulatum, a quibuscumque praeviderit concedimus Praesulibus tribuendum ».

Contra, ADEODATUS, *pro monasterio S. Martini Turonensi* (a. 676): « Reverendissimo autem Episcopo (Dioecesano) faciendae tantum Ordinationis ac promotionis sacerdotum atque levitarum, vel conficiendi Chrismatis sit tantum concessa licentia ».

STEPHANUS IX, *pro monasterio S. Petri Perusino* (a. 1057): « Licentiam quoque damus tibi de omnibus tuis clericis, tam in monasterio degentibus quam etiam foris in possessionibus tuis manentibus, a quocumque volueris idoneo Episcopo eos ordinandi et chrisma in tuis plebibus accipere: *si tamen* ab Episcopo, in cuius dioecesi praefatum tuum monasterium situm est, nec ordinationes nec chrisma potueris canonice et gratis obtinere aut impetrare. Et de ecclesiis aut altaribus consecrandis eodem modo ».

URBANUS II, *pro Congr. Vallumbrosana* (a. 1090), et CALLIXTUS II, *pro monasterio Cassinensi* (a. 1123): « Chrisma, oleum sanctum, consecrationem altarium sive basilicarum, ordinationes clericorum, a quocumque malueritis catholico accipiatis Episcopo ».

(i) GREGORIUS I, *in decretis a. 599 pro monachorum libertate:* « Pariter autem custodiendum est ut, invito Abbate, ad ordinanda alia monasteria aut ad ordines sacros vel clericatus officium, tolli exinde monachi non debeant ». Huic privilegio iisdem verbis concesso saepe additur clausula: « Sed si abundantes fuerint qui ad celebrandas Dei laudes vel utilitates loci complendas sufficiant, de his quae superfuerint offerat Abbas coram quos dignos potuerit ». Ita MARTINUS I, a. 653, et ipse GREGORIUS I, a. 598, pro monasterio S. Stephani dioecesis Ravennatis; quinimo addit: « Quod si (Abbas) sufficienter habens dare noluerit, tunc Ravennas Episcopus, ad ordinanda alia monasteria, de his quae supersunt tollat ».

clesiis aliisve monasteriis quae indigeant. Idem Gregorius Magnus, a. 596 et 598; Martinus I, a. 653.

9° Monachis interdicitur ut in sui electionem ad regendam ecclesiam aut ad aliam dignitatem consentiant, sine proprii Abbatis licentia. Gregorius Magnus, a. 599. — Monachis autem in Episcopos electis non datur potestas, nec concedi debet licentia ut in monasterio habitent. Gregorius Magnus, a. 598; Martinus I, a. 653 (j). — Ulterioribus saeculis, ipsis interdicitur ne quidquam e monasterio secum asportent, maxime libros.

10° Fere semper conceditur ut monasterio non praeficiatur Abbas extraneus, sed monachus ex ipso monasterio aut ex eadem Congregatione, et is ab ipsis monachis libere eligatur. Gregorius Magnus, a. 599; Martinus I, a. 653 (k).

11° Aliqua monasteria donantur facultate generali aedificandi domos ubicumque voluerint. Stephanus II, a. 757 (*nota* d).

12° Saepe conceditur ut quemcumque sacerdotem aut clericum in monasterium ad monasticam vitam ducendam confugientem admittere liceat. Stephanus II, a. 752; Urbanus II, 1097 (l).

(j) Gregorius Magnus, *in decretis generalibus*, a. 599: « Nullus monachus sine testimonio vel concessione Abbatis ecclesiam aliquam teneat vel ad aliquem promoveatur honorem ». — Gregorius Magnus, a. 598, et Martinus I, a. 653: « Quisquis autem ex monasterio ad ecclesiasticum ordinem pervenerit, ulterius illic nec potestatem nec licentiam habeat habitandi ».

(k) Gregorius I, a. 599: « Defuncto autem Abbate cuiusque Congregationis, non extraneus eligatur, nisi de eadem congregatione, quem sibi propria voluntate concors Fratrum societas elegerit, et qui electus fuerit sine dolo vel venalitate aliqua ordinetur. Quod si aptam inter se personam invenire nequeunt, solerter sibi de aliis monasteriis similiter eligant ordinandum ». Idem decernit Martinus I, a. 653, *pro monasterio Elnonensi* in Gallia.

(l) Stephanus II, *monasterio Vulturnensi* (a. 752): « Iniungimus vobis vestrisque successoribus Abbatibus ut sacerdotes vel clerici, si venerint ad habitandum aut in conversatione Fratrum, sive (*forsan* studio) monachicum suscipiendi habitum se contulerint, statim sint recipiendi ». Urbanus II, *monasterio Cluniacensi* (a. 1097): « Hanc etiam vobis praerogativam concedimus ut quisquis ad vos alieni monasterii monachus pro melioratione vitae transierit, licenter recipiatur, remotis prioris loci querimoniis.... Clericos quoque regulares, quos canonicos vocant, qui vel in locis suis salvari non possunt vel pro necessitatibus ad loca vestra confugiunt, suscipiendi et ad vestrum propositum admittendi, licentiam impertimur ».

A saeculo XI nova conceduntur privilegia.

13° Aliqua monasteria praecipua obtinent ut contra ipsa et ipsorum monachos excommunicationis aut interdicti sententia pronuntiari nequeat. Ioannes XIX tribuit monasterio Cluniacensi, a. 1032 (m). Item ut, tempore interdicti generalis, monachi sub quibusdam conditionibus celebrare possint. Alexander III, a. 1160; Celestinus III, a. 1191 et 1197 (n).

14° Monasteriis indulgetur libera facultas sepeliendi mortuos, qui in eis sepeliri elegerint. Gregorius VII, a. 1077. — Postea additur generatim clausula « salvis tamen iuribus parochialibus ». Adrianus IV, a. 1158 (o).

15° Ius refugii monasteriis agnoscitur. Alexander II, a. 1066, et Urbanus II, a. 1097, in favorem monasterii Cluniacensis (p).

(m) IOANNES XIX, *pro monasterio Cluniacensi* (a. 1032): « Interdicimus autem.... ut idem locus sub nullius cuiuscumque Episcopi vel sacerdotis deprimatur interdictionis titulo, seu excommunicationis vel anathematis vinculo ». — STEPHANUS IX, *pro monasterio S. Petri Perusini* (a. 1057): « Et nullus Episcopus (quemquam) ad idem monasterium pertinentem excommunicare aut damnare audeat, si in causa sua nostrum ac S. Apostolicae Sedis patrocinium et examen flagitat ».

(n) ALEXANDER III (a. 1160) *pro monasterio S. Mariae de Rievalle:* « Liceat autem vobis, cum commune interdictum terrae fuerit, clausis ianuis et exclusis excommunicatis et interdictis, diversa officia celebrare ». Item ADRIANUS IV (a. 1158), *pro monasterio Prufeningensi.*

(o) GREGORIUS VII (a. 1077) *pro monasterio S. Michaelis in Burgo Pisarum:* « Praeterea statuimus.... ut nemo fideles christianos in monasterio sepeliri cupientes contradicat vel missam aliquando cantare prohibeat ». URBANUS II (a. 1092) *pro monasterio Cavensi*: « Si quis vero ad eumdem locum vel eius ecclesias sibi sepulturam elegerit, licitum sit.... Fratribus ipsum in suo coemeterio sepelire, absque cuiuslibet contradictione ». — ADRIANUS IV (a. 1158) *pro monasterio Prufeningensi* dioec. Ratisbonae: « Sepulturam quoque illius loci liberam esse concedimus, ut eorum devotioni et extremae voluntati, qui se illic sepelire deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat; salva tamen iustitia illarum ecclesiarum, de quibus mortuorum corpora assumuntur ».

(p) ALEXANDER II (a. 1066) et postea URBANUS II (a. 1097) *pro monasterio Cluniacensi:* « Decernimus etiam et sancimus, ut idem locus et loca ei subdita omnibus ob salutem confugientibus sint misericordiae sinus, sint totius pietatis et salutis portus; obtineat in eis locum iustus, nec repellatur poenitere volens iniustus; sit autem omnibus ibi advenientibus causa salutis hic et in perpetuum, divinae miserationis et pietatis refugium, et Apostolicae benedictionis et absolutionis praesidium ». ALEXANDER III (a. 1164) *pro monasterio Boni Fontis:* « Auctoritate Apostolica prohibemus ut, infra clausuram locorum sive grangiarum vestrarum, nullus violentiam.... facere vel hominem capere audeat ».

16° Eidem monasterio et eadem Constitutione Urbanus concedit privilegia circa curam animarum saecularium; similia privilegia Innocentius II monasterio Prufeningensi et Adrianus IV abbatiae Lemovicensi Ordinis S. Benedicti indulget, a. 1158 (q).

17° Datur exemptio ab obligatione assistendi Synodis et Conciliis particularibus. Callistus II, a. 1123 (r).

18° Prohibetur ne professi in uno monasterio absque Abbatis consensu ad aliud monasterium transeant vel in eo recipiantur. Alexander III, a. 1164 (s).

(q) Urbanus II (a. 1097) *pro monasterio Cluniacensi:* « Liceat quoque vobis seu Fratribus in ecclesiis vestris presbyteros eligere, ita tamen ut ab Episcopis vel Episcoporum vicariis animarum curam absque venalitate suscipiant. Quas si committere illi, quod absit, ex pravitate noluerint, tunc presbyteri ex Apostolicae Sedis benignitate officia celebrandi licentiam assequantur ».

Innocentius II (a. 1139) *monasterio Prufeningensi* dioec. Ratisbonensi: « Adiecimus etiam, ut in ecclesiis vel capellis, quae in fundo vestri monasterii sunt, liceat vobis honestos eligere sacerdotes, qui nimirum per vos Episcopo praesententur atque, si idonei fuerint, ab eodem Episcopo animarum curam suscipiant, eique de spiritualibus, vobis vero de temporalibus respondeant ». Idem privilegium iisdem verbis Adrianus IV confirmat, atque Alexander III (a. 1163) *monasterio S. Crucis Burdigalensi,* Ordinis S. Benedicti, necnon (a. 1179) *monasterio S. Quirini* concedit.

(r) Callixtus II (a. 1123) *pro monasterio Cassinensi:* « Sane tam in venerabili monasterio, quam in cellis eius, cuiuslibet ecclesiae Episcopum vel sacerdotem, praeter R. P., ditionem quamlibet aut excommunicandi aut interdicendi aut ad synodum provocandi praesumere prohibemus ». Idem Callixtus II, eodem anno 1123, *pro monasterio S. Georgii* in Venetiana ditione: « Nec Patriarcha, nec Episcopus, nec persona quaelibet ecclesiastica saecularisve praesumat te vel successores tuos ad concilium cogere ». — Innocentius II (a. 1130) *pro monasterio Cuxanensi:* « Ipse Abbas ire ad synodum huius loci Episcopi minime compellatur ». Eugenius III (a. 1146) *pro monasterio Cluniacensi:* « Ne ipsius Cluniacensis loci presbyteri aut etiam parochiani ad cuiuslibet, nisi Romani Pontificis et Cluniacensis Abbatis, cogantur ire synodum vel conventum ».

(s) Alexander III (a. 1164) *pro monasterio Boni-Fontis,* Adurcensis dioeceseos: « Auctoritate Apostolica interdicimus ut quis Fratrum vestrorum clericum sive laicum, post factam in monasterio vestro professionem, absque licentia vestra suscipere audeat vel retinere ». Idem privilegium monasterio Cluniacensi, cum addito: « nisi arctioris vitae obtentu » conceditur, a. 1185: « Nulli Fratrum vestrorum post factam professionem fas sit, nisi arctioris vitae obtentu, absque Abbatis sui licentia discedere, et nemo discendentem audeat retinere ».

19° Privilegia conceduntur circa pulsum campanarum atque circa admissionem saecularium in ecclesias monasterii ad missam et officia divina. Callistus II, a. 1123; Alexander III, a. 1159 et 1173 (t).

20° Privilegium cannarum datur Ordini Carthusianorum. Alexander III, a. 1176 (u).

20. Secunda periodus, a primis coadunationibus monasteriorum Ordinis S. Benedicti in varias Congregationes et institutione novorum Ordinum monachalium, usque ad institutionem priorum Ordinum mendicantium.

Decursu temporis, praecipuis monasteriis alia subiecta sunt, non tantum cellae (sc. parvae domus cum paucis religiosis) sed prioratus et etiam abbatiae, ita ut Abbati praecipui monasterii aliqua iura in alios Abbates monasteriorum subiectorum competerent, et inciperent locum habere capitula generalia Abbatum, quibus paulatim magna auctoritas collata est.

Urbanus II, a. 1090, approbat *Congregationem Vallumbrosanam*, cuius monasterium praecipuum Vallis Umbrosae iam prius, a. 1055, confirmatum fuerat; illud tanquam caput monasteriorum eiusdem Congregationis constituit eiusque Abbatem ab Abbatibus aliorum monasteriorum eligendum fore statuit (a).

(t) Callixtus II (a. 1123) *pro monasterio Cassinensi:* « Liceat Fratribus per cellas in civitatibus constitutas, ad divina officia celebranda quandocumque voluerint signa pulsare; populum Dei tam in ipsum coenobium quam in cellas eius ad Dei verbum audiendum ingredi nullus Episcopus, excepto pro communi totius civitatis vel parochiae interdicto, prohibeat.... Baptismum et infirmorum visitationes, per clericos vestros in oppidis vestris seu villis agetis ». — Hoc privilegium iisdem verbis confirmatum fuit ab Alexandro III, a. 1159. — Idem Alexander III, a. 1173, pro monasterio S. Savini, Placentinae dioecesis: « Praesenti decreto sancimus, ut in nocte Natalis Domini, more solito, et in Sabbato Sancto in introitu missae et ad vesperas, liceat vobis secundum antiquam consuetudinem campanas pulsare ».

(u) Alexander III (2 *sept.* 1176): « Adiicentes quoque statuimus, ut infra dimidiam leucam a terminis possessionum quas habetis, nulli religioso liceat quodlibet aedificium constituere vel possessiones acquirere ».

20. (a) « Quia vero plura iam monasteria (15 enumerat) in eamdem vobiscum formam consenserunt Religionis,... constituimus ut eorum omnium caput, vestrum, quod in Valle Umbrosa situm est, monasterium habeatur.... (cuius Abbas), quia et vobis et aliis omnibus praeesse debebit, omnium, qui caeteris praesunt monasteriis, consensu et iudicio eligatur ».

Paschalis II, a. 1105, *monasterium Cassinense* « caeteris per Occidentem coenobiis praeferendum » declarat, eiusque Abbati primum locum inter Abbates eiusdem Ordinis S. Benedicti assignat. In hac Paschalis Constitutione enumerantur aliqua monasteria et circa 150 cellae, quae monasterio Montis Cassini subiiciebantur. Alia monasteria deinde ei adiuncta sunt, et sic Congregatio Cassinensis ortum habuit.

Eugenius III, a. 1146, *monasterio Cluniacensi* concessit, ut « in abbatiis, quae cum suis Abbatibus ordinationi Cluniacensis monasterii datae sunt (13 nominat), sine Cluniacensis Abbatis consilio Abbas nullatenus eligatur ».

Ordo Cisterciensis, sub regula S. Benedicti, a. 1100, a Paschale II fuit approbatus et sub speciali Apostolicae tutela susceptus. Callixtus II, a. 1119, confirmavit aliqua statuta, quae (ait) « consensu et deliberatione communi Abbatum et Fratrum monasteriorum vestrorum et Episcoporum in quorum parochiis (sic) eadem monasteria continentur, de observatione regulae B. Benedicti et de aliis nonnullis, quae Ordini vestro et loco necessaria videbantur », decreta fuerant. — Eugenius III, 1 *aug.* 1152, alia eiusdem Ordinis statuta etiam confirmat, nominatim ut omnes Abbates de Ordine singulis annis ad generale capitulum Cisterciense conveniant; ut controversiae inter Abbates et causae criminales ipsorum a capitulo diiudicentur, et « quidquid fuerit a capitulo canonice definitum, sine retractatione aliqua observetur ». Etiam interdicit « ne aliqua omnino persona Fratres Ordinis audeat ad saecularia iudicia provocare », sed tantum ad iudicis ecclesiastici examen. Abbas Cisterciensis caetera monasteria Ordinis singulis annis per se vel per alios visitare debet, etc. (b) — Alexander III, a. 1181, rursus alia statuta de electione Abbatum et abbatiarum dependentia approbavit.

Alexander III, a. 1176, *Ordinem Carthusianorum* approbat. « Vestram et alias domos Ordinis vestri, cum omnibus bonis, sub B. Petri et nostra protectione suscipimus ». Gregorius IX, a. 1232, declarat eorum oblatos « iisdem libertatibus et immunitatibus gaudere, quibus Fratres Ordinis ».

Urbanus III, a. 1187, *Ordinem Cruciferorum*, hospitali Bononiae inservientium, approbat eique plura ex praedictis privilegiis confert. Omnia privilegia domui Bononiae immediate donantur.

(b) Statuta haec vocantur *Charta Caritatis.* Inveniuntur in Bullario Romano post praedictam Bullam 1 *aug.* 1152, eiusdem Ordinis confirmativam.

Innocentius III, a. 1198, *Ordinem Canonicorum Praemonstratensium* confirmat. Meminit primum monasterium, seu primam ecclesiam Praemonstratensium, ut ait, fuisse a. 1120 a S. Norberto institutam, secundum regulam S. Augustini, eiusque Ordinis statuta a quatuor suis praedecessoribus, scilicet Alexandro, Lucio, Urbano et Clemente fuisse approbata. Statuit ut « Abbas Praemonstratensis ecclesiae, quae mater dignoscitur esse aliarum, non solum in iis ecclesiis quas instituit, sed etiam in omnibus aliis eiusdem Ordinis, et dignitatem et officium Patris obtineat, et ei ab omnibus tam Abbatibus quam Fratribus debita Patri obedientia impendatur » ; ut capitulum generale omnium Abbatum Ordinis singulis annis habeatur, in quo definiantur ea quae ad bonum Ordinis spectant. « Illud teneatur irrefragabiliter et servetur quod Abbas Praemonstratensis, cum his qui sanioris consilii et magis idonei apparuerint, iuste ac provide iudicabit » (c). Quaedam de Abbatum electione statuit ; deinde nonnulla ex supra dictis privilegiis confert. Notanda est prohibitio appellationis : « Ne aliquis praelatorum vel subditorum vestrorum, in his quae ad disciplinam et instituta Ordinis spectant, audeat, prout statutum est in Lateran. Conc., appellare » (d).

(c) Hic prima vice enuntiatur haec regula, saepius deinde repetenda, ut illud teneatur quod maior ac sanior pars Capituli statuerit.

(d) Privilegia ab Innocentio III Ordini Praemonstratensium in hac Const. collata, ea sunt quae sequuntur. 1° « Universas regulares institutiones et dispositiones, quas communi consensu vel maioris et sanioris partis fecerunt, auctoritate Apostolica roborat et communit ». — 2° « Abbates singulis annis ad generale capitulum convenire debent ». — 3° « Nulli Ordinis licet ad aliquam aliam professionem temeritate qualibet se transferre » ; et etiam « Nulli canonicos vel conversos Ordinis, sine licentia Abbatum, recipere aut susceptos retinere licet ». — 4° « Prohibetur ne aliquis praelatorum vel subditorum, in his quae ad disciplinam et instituta Ordinis spectant, audeat appellare, sed si quisquam appellare tentaverit », effectu careat appellatio. — 5° Illis licitum est, « salvo iure dioecesanorum Episcoporum, oratoria in grangiis construere, et in ipsis, canonicis et familiae divina officia, cum necesse fuerit, celebrare ; et ipsam familiam, nisi aliqui sint qui in vicinia habeant propria domicilia, ad confessionem, communionem, et sepulturam suscipere ». — 6° « Licet personas liberas et absolutas e saeculo fugientes ad conversionem recipere, et eas cum rebus suis sine contradictione aliqua retinere ». — 7° Datur ius liberae sepulturae : « Infirmos quoque absolutos, qui in extrema voluntate ad vos se transferri aut apud vos sepeliri deliberaverint, nullus impedire praesumat, salva tamen canonica iustitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur ». —

Innocentius IV, a. 1247, *Congregationem Silvestrinorum* (cuius primum monasterium est eremus S. Benedicti de Monte Fano, dioecesis Camerinensis) approbat, et pleraque ex consuetis privilegiis aliis monasteriis tum temporis concessis ipsi etiam confert.

Alexander IV, a. 1256, *Camaldulensium* (e) « monasteria, prioratus, etc. tamquam corpus unum sub uno capite, id est sub Priore dumtaxat eremi supradictae (sc. Camaldulensis) perpetuis temporibus permanere ac sub illius disciplinae observatione persistere » sancit. Consueta privilegia ei confert. Prohibitionem addit alienandi sine Prioris maioris licentia terras vel beneficium aliquod ecclesiis collatum; item fide iubendi aut mutuam accipere pecuniam, sine consensu capituli domus.

Innocentius III, anno 1198, *Ordinem SS. Trinitatis* approbat, eique dat regulam. Hic ordo iam constitutiones speciales ha-

8° Abbatibus datur « plena facultas subiectos ligandi atque solvendi ». — 9° Conceditur exemptio a decimis aliisque exactionibus: « Sane laborum vestrorum, quos propriis manibus aut sumptibus colitis,... nullus a vobis decimas exigere vel extorquere praesumat » ; et infra : « Prohibemus etiam ne cuilibet ecclesiasticae vel saeculari personae fas sit in ecclesiis vestris, contra statuta Lateranensis Concilii, tallias exercere, vel quaslibet alias ineptas et iniquas exactiones imponere ». Episcopis in monasteriis hospitari aut ad grangias divertere interdicitur. — 10° Prohibetur « ne aliqua persona Fratres Ordinis audeat ad saecularia iudicia provocare », sed tantum ad ecclesiastica. — 11° Indulgetur ut, « Episcopis (dioecesanis) malitiose differentibus aut pro iusto impedimento non valentibus ordinationes et caetera ecclesiastica ministeria ipsis conferre », ea ab alio Episcopo accipiant, « dum tamen praeiudicium dioecesano Episcopo non debeat generare ». — 12° Prohibetur « ne quis Archiepiscopus vel Episcopus, aut eorum officiales, ecclesias aut regulares personas Ordinis, absque manifesta et rationabili causa interdicere seu suspendere praesumat; sed si quid in eis fuerit corrigendum, ad capitulum generale referatur. Si qui Episcopi sententiam contra hanc libertatem promulgaverint, ea sententia, tamquam contra Apostolicae Sedis indulta prolata, est irritanda ». — 13° Notanda insuper sequens dispositio, qua concessis privilegiis non censeatur haberi derogatio nisi ex speciali mentione: « Nec aliquae Litterae habeant firmitatem, quae, tacito nomine Praemonstratensis Ordinis, contra libertates vobis ab Apostolica Sede indultas, fuerint impetratae ».

(e) Primum Camaldulensium monasterium fuit Campi Amabilis, a. 1012 erectum; a. 1073 sub protectione S. Sedis ab Alexandro II, cum cellis et coenobiis adiacentibus et ipsi adhaerentibus, susceptum fuit. — Alexander IV omnia monasteria, ecclesias, etc. (fere centum nominat) in unum Ordinem congregat.

bet. Idem Pontifex, a. 1209, ei aliqua privilegia confert ex consuetis (f).

21. Tertia periodus, ab Institutione priorum Ordinum mendicantium, usque ad Conc. Tridentinum.

Primi Ordines mendicantes fuerunt Ordo Praedicatorum S. Dominici, a. 1216, ab Honorio III approbatus sub regula S. Augustini, et Ordo Minorum S. Francisci, cuius regula propria ab Innocentio III, a. 1210, prius approbata, ab Honorio III, a. 1223, fuit confirmata.

I. **Privilegia Ordinis S. Dominici,** ei ab Honorio III, in prima ipsius approbatione, per Const. *Religiosam vitam* (1216) concessa, haec sunt: 1° Ordo bona possidere potest. 2° A decimis eximitur. 3° Facultas ei datur recipiendi clericos et laicos liberos et absolutos, eosque absque contradictione retinendi. 4° Nulli post professionem fas est recedere sine Prioris sui licentia, nisi arctioris Religionis obtentu. 5° In parochialibus ecclesiis ab Ordine possessis, licet Fratribus sacerdotes eligere eosque Episcopo praesentare, quibus Episcopus, si idonei fuerint, curam animarum committat, ut ei de spiritualibus, Fratribus vero de temporalibus debeant respondere. 6° Excommunicationis aut interdicti sententias Episcopus sine manifesta causa contra fratres pronuntiare nequit. 7° Tempore interdicti generalis divina officia celebrare possunt, ianuis clausis, campanis non pulsatis, submissa voce. 8° Ordinationes,

---

(f) Ordinem sub B. Petri et S. Sedis protectione suscipit; confirmat illi possessionem omnium bonorum quae habet et ei in posterum evenient. Concedit « aedificare villas, ecclesias, caemeteria in locis desertis, dummodo in vicinia abbatia vel religiosorum collegia non existant ». A decimis bona, quae propriis manibus vel sumptibus colant, eximit. « Licet eis clericos vel laicos liberos et absolutos a saeculo fugientes ad conversionem recipere, et eos sine contradictione aliqua admittere ». — « Nulli fratrum licet, post factam in Ordine professionem, absque Ministri licentia, nisi arctioris vitae obtentu, de Ordine discedere, et discedentem nullus audeat retinere. — Chrisma, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum et caetera ecclesiastica sacramenta a dioecesano Episcopo recipere debent. Si autem ea ipsis sine aliqua pravitate exhibere noluerit, licet eis quemcumque maluerint Antistitem adire ». Cum generale interdictum terrae fuerit, « licet eis clausis ianuis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis ac submissa voce, divina officia celebrare ». Liberam fidelium sepulturam habent.

consecrationes ecclesiarum, chrisma ab Episcopo dioecesano repetere debent. 9° Libera saecularium sepultura, salva iustitia ecclesiarum parochialium, conceditur. — Ea privilegia sunt eadem quae prius tum aliquibus monasteriis, tum Ordini Praemonstratensi aliisque Ordinibus eodem tempore (saeculo XII) ortis concessa inveniuntur.

Postea aliqua alia magis particularia eidem concessa sunt, quae maxime referuntur ad regimen internum et ad exemptionem. Sic INNOC. IV, a. 1251, ei concedit ut nullus possit ad Episcopatum aut alias dignitates extra Ordinem promoveri, nisi de licentia Generalis aut Provincialium, vel ex speciali S. Sedis facultate: quidquid contra attentatum fuerit, irritum declaratur. CLEMENS IV, a. 1268, ad eum extendit privilegium ab Alexandro IV, a. 1255, Minoribus concessum, ut promoti ad Episcopatum libros et alia, quae ad proprium usum ante tempus promotionis habebant, resignare teneantur.

GREG. XI, Const. *Virtute conspicuos,* a. 1374, eidem Ordini multa alia privilegia contulit: 1° Magister Generalis secundum Constitutiones electus immediate plenam et liberam habet et exercere potest auctoritatem. Idem a definitoribus ab officio removeri potest. — 2° Lectores in theologia libere in domibus Ordinis sine alterius licentia docere possunt, exceptis his locis in quibus viget Studium universale (nimirum, ubi sunt Universitates). — 3° Episcopi circa instituta Ordinis, et praecipue super institutione et destitutione Priorum, auctoritatem non habent. — 4° Priores confirmationem electionis secundum constitutiones obtineant. — 5° In electionibus tempus a canonibus praescriptum, intra quod electio fieri debet, prorogari potest: Fratres in hoc a Iure non coarctantur. — 6° Fratres pro ordinationibus cuilibet Episcopo praesentari possunt, et absque qualibet examinatione et promissione aut obligatione ordinandi sunt. — 7° In locis ubi degunt, Fratribus licet oratoria habere, in quibus cum altari portatili celebrent missam aut alia divina officia et sacramenta recipiant. — 8° Tempore interdicti generalis, possunt in suis ecclesiis et oratoriis celebrare clausis ianuis, non pulsatis campanis et submissa voce, exclusis excommunicatis et interdictis: dummodo ipsi causam interdicto non dederint, nec eorum ecclesiae vel oratoria sint specialiter interdicta, nec id specialiter interdicatur. — 9° Familiaribus possunt libere cuncta sacramenta ministrare, eosque in oratoriis propriis sepelire. Isti familiares non subiacent sententiis generalibus excommunicationis aut interdicti, sed tantum specialibus contra ipsos latis, aut

quibus causam dederint. — 10° Fratres in terris excommunicatorum libere commorari possunt, et ab eis tunc vitae necessaria deposcere ac recipere. — 11° Magister Generalis, Provinciales et Priores locales eorumque vice-gerentes possunt absolvere Fratres et etiam volentes Ordinem ingredi a quibuscumque casibus et sententiis excommunicationis, suspensionis vel interdicti, et ab irregularitate pro violatione censurae dispensare, « nisi adeo gravis fuerit et enormis excessus, quod sint ad Sedem Apostolicam merito destinandi ». Praelati a suis confessoribus ab iisdem casibus et censuris absolvi possunt. — 12° Multae exemptiones ipsis conceduntur : *a)* a nemine conveniri possunt ; *b)* nec cogi ad pecuniam colligendam ; *c)* aut ad officium correctoris, visitatoris aut inquisitoris ullius ecclesiae, monasterii aut personae adigi ; *d)* nec ad acceptandam curam monialium quarumlibet personarum, aut ad earum monasteria visitanda ; *e)* nec ad ullas denuntiandas sententias contra quamlibet personam latas. — 13° Obligari non possunt ad deputandos Fratres in socios Episcoporum, et quos deputaverint possunt corrigere et revocare ; item ad praedicandum Crucem vel inquirendum contra haereticam pravitatem cogi nequeunt. — 14° Nullus Frater potest sine licentia ab Ordine recedere, nullus recedentes retinere. Recedentes excommunicari possunt ; item eos retinentes, postquam praemoniti fuerint. Qui licentiam obtinuerint ingredi alium Ordinem, si post tres menses non ingrediantur, aut ingressi professionem non fecerint, tamquam apostatae tractari possunt. Apostatas autem licet excommunicare, capere, incarcerare et aliis poenis punire. Eiecti vel indebite egressi ab Ordine nequeunt praedicare, confessiones audire, docere, nec in alium Ordinem recipi, nisi de facultate et cum litteris testimonialibus Superiorum Ordinis, quibus datur facultas tales litteras concedendi. — 15° Habitum Ordinis nullus praeter Fratres deferre potest. — 16° Sepultura in locis Ordinis libera omnibus fidelibus conceditur, quin Fratres ullum ad sepulturam admittere cogantur : exsequiae tunc ipsis Fratribus reservantur. — 17° Fratres Superioribus suis tantum, aut aliis Fratribus Ordinis de licentia Superioris, confiteri debent. — 18° Eximuntur a solvendis decimis, aut a quacumque solutione vel onere super bonis quibuscumque, et etiam a quacumque exactione, subsidio, collecta vel subventione. — 19° Si domos dimittunt, omnia bona alio secum transferre possunt. — 20° Episcopi Fratres cogere nequeunt ad synodos vel ad alias convocationes, nec ad processiones ; neque eos suis constitutionibus

subiicere, vel exigere obedientiam a Prioribus et Superioribus, nec se intromittere in eorum institutione, destitutione aut ubi de statutis Ordinis agitur. — 21° Iidem non possunt prohibere ne Fratres in civitatibus aut villis domum erigant, atque construant ecclesias, oratoria et alia aedificia. — 22° Fratres tandem eximuntur a Constitutione Innocentii IV, qua statuitur ut etiam exempti, ratione delicti seu contractus aut rei de qua contra eos agitur, rite possint coram locorum Ordinariis conveniri.

II. **Privilegia Ordinis Minorum** ei primo concessa fuere a Clemente IV, C. *Virtute conspicuos,* 21 *iul.* 1265. Concedit ut Fratres a Superioribus in lectores deputati, sine cuiusvis licentia, in domibus Ordinis legere et docere valeant in theologica facultate, illis locis exceptis in quibus viget Studium generale; ut Fratres a Provincialibus cum definitoribus in provincialibus capitulis examinati et approbati, ministerium praedicationis exercere valeant. Concedit facultatem accipiendi ordinationem a quolibet Episcopo nulla praevia examinatione, habendi oratoria, celebrandi, officia divina tempore interdicti generalis ab irregularitate tum Fratres tum Ordinem ingredientes absolvendi. Deinde multas exemptiones confert: a nemine conveniri possunt; ad officium correctionis, visitationis, inquisitionis, ad recipiendam curam monialium seu religiosarum quarumcumque personarum, ad visitanda earum monasteria aut audiendas earum confessiones cogi nequeunt, etc. Nullus post professionem ab Ordine sine Superiorum aut S. Sedis licentia recedere potest, nemo recedentem recipere. Datur facultas persequendi apostatas. Nemini licet deferre eorum habitum. A decimis eximuntur. Libera fidelium sepultura, salva iustitia ecclesiarum parochialium, conceditur. Praelatis aut confessariis Ordinis peccata confiteri tenentur. Episcopi nequeunt Fratres cogere ad sibi confitendum, nec ad synodos compellere, aut ad processiones, aut suis constitutionibus subiicere; neque prohibere ut, ubi a populis evocati fuerint, accedant ibique pro suis usibus aedificia, ecclesias et oratoria constituant. Tandem per speciale privilegium, non obstante contraria dispositione Innocentii III, non subiacent iurisdictioni Episcopi ratione delicti, contractus, aut rei de qua contra eos agitur. — Ut constat, ea privilegia fere eadem sunt quae FF. Praedicatoribus iam concessa fuerant aut deinde concessa sunt.

Alia Constitutione eiusdem anni (20 *nov.* 1265), idem Cle-

MENS IV eis privilegium 300 cannarum concedit; sed deinde, anno 1268, distantiam ad 140 cannas reducit.

III. Sunt insuper Privilegia et favores duobus praedictis Ordinibus et etiam aliis aliquando simul concessa.

1. INNOCENTIUS IV litteras dederat, quibus « universis religiosis districte iniungebat ut parochianos alienos diebus dominicis et festivis non reciperent in suis ecclesiis seu oratoriis temere ad divina; nec illos ullatenus ad poenitentiam admitterent sine suorum licentia sacerdotum; nec eis in suis praedicarent ecclesiis ante missarum solemnia, pro quibus audiendis (aiebat) parochiani debent in suis ecclesiis convenire; nec sermones facerent ea die qua dioecesanus Episcopus aut alius eius loco praedicaret solemniter, maxime in ecclesia cathedrali; ut si aliorum parochianos ad sepulturam reciperent, portionem canonicam, etiam non requisiti, infra octo dies Episcopo vel parocho defuncti solverent ». — Sed ALEXANDER IV, Const. *Non insolitum est,* 31 *dec.* 1254, has memoratas litteras praedecessoris sui in singulis penitus revocavit.

2. Idem ALEXANDER IV, Const. *Quasi lignum* (1255), ex nonnullis statutis Universitatis Parisiensis contra Praedicatores et Minores, aliqua probat, alia moderatur, alia penitus rescindit.

3. CLEMENS IV, Const. *Ordinis vestri* (1268), prohibet ne Episcopi Praedicatorum et Minorum privilegia interpretentur.

4. MARTINUS IV, C. *Viam ambitiosae* (1281), prohibet ne Fratres Ordinum mendicantium ad alios Ordines, Carthusianorum excepto, transeant, et irritat quaecumque contra hanc prohibitionem fierent.

5. Tandem, omissis aliis multis privilegiis ab aliis SS. Pontificibus utrique Ordini collatis, SIXTUS IV, a. 1474, duabus Constitutionibus, utraque incipiente verbis « Regimini », magna privilegia duobus Ordinibus S. Francisci et S. Dominici concedit: quapropter haec Constitutio *Mare magnum* vocatur. In ea inter duos Ordines communicationem privilegiorum statuit, « ut, quos par labor, paria merita coniungunt, paria coniungant privilegia et favores » (Privilegia in eo concessa indicantur infra, n. 24, 1).

Idem Pontifex, a. 1479, Const. *Sacri Praedicatorum et Minorum,* iis duobus Ordinibus omnia privilegia caeterorum Ordinum mendicantium extendit, ita ut aeque principaliter eis concessa habeantur. Tres autem alios mendicantium ordines enumerat: Carmelitas, Eremitas S. Augustini et Servitas. Non

nominat Minimos, quamvis ipse, a. 1474, privilegia mendicantium ad eos extenderat; forsan praecise quia Minimi haec privilegia iam per communicationem habebant [a].

22. Alii ordines mendicantes sunt:

1. *Carmelitae.* — Regula a patriarcha Hierosolymitano eis data, ab Honorio III, a. 1226, Const. *Ut vivendi normam,* breviter fuit approbata, deinde ab Innocentio IV, a. 1247, mitigata. Bonifacius hunc Ordinem inter mendicantes recenset (in Bulla pro Eremitis S. Augustini, anno 1295). De caetero nulla in Bullario Romano Constitutio legitur, qua specialia privilegia ei conferantur.

2. *Ordo Servorum B. M. V.* — Eum, ab Innocentio IV, a. 1254 iam approbatum, ALEXANDER IV, a. 1256, Const. *Deo grata,* sub tutela S. Sedis suscepit, eiusque regulam confirmavit. URBANUS VI, a. 1380, C. *Sacrosancta,* Ordinem S. Sedi immediate subiicit, eique plenissimam exemptionem et alia privilegia concedit. Haec Constitutio *Mare magnum Servitarum* audit.

3. *Eremitae S. Augustini.* — ALEXANDER IV, eodem a. 1256, quo regulam Servitarum confirmavit, Const. *Licet Ecclesiae,* universas domos et Congregationes Eremitarum S. Augustini « in unam Ordinis Eremitarum S. Augustini professionem et regularem disciplinam perpetuo counivit sub Generalis cura Prioris ». SIXTUS IV prius, a. 1476, et deinde IULIUS II, a. 1508, Const. *Etsi ad benemerendum,* huic ordini communicationem privilegiorum cum caeteris mendicantibus concedit [a]. Deinde duo privilegia confert nondum aliis concessa: primum, « potestatem benedicendi corporalia, vestes et ea quae sacris usi-

---

21. (a) Benedictus XIII, Constitutione *Pretiosus* (a. 1717) amplam confirmationem et innovationem suorum privilegiorum Praedicatoribus concessit; sed Clemens XII hanc Constitutionem ad terminos iuris reduxit (Vide tamen dicta supra, n. 11, 4°).

22. (a) « Confirmamus etiam privilegia Religionis vestrae.... Confirmamus et privilegiorum communicationem, quam f. r. Sixtus praedecessor noster fecit inter vos mendicantesque alios. Decernimusque et volumus, quidquid usque in hunc diem Ordini Minimorum aut Praedicatorum aut Carmelitarum aut Servorum concessum ab Apostolica Sede est, et quidquid in futurum concedetur, vobis concessum esse, fratresque tuos eisdem concessionibus perpetuo uti posse, perinde ac si vobis nominatim concessa essent ».

bus necessaria sunt »; alterum quod « nemo ex Ordine ad aliquem aliorum Ordinum, occasione arctioris vitae, transire possit ».

4. *Ordo Minimorum.* — Hunc Ordinem a S. Francisco de Paula fundatum, Sixtus IV, a. 1474, Const. *Sedes Apostolica* approbat, gratias ei concedit et privilegia mendicantium communicat. Pius V, Const. *Apostolicae Sedis* (1567), eum mendicantem declaravit. — Iulius II, C. *Dudum ad sacrum* (a. 1506), magna privilegia ei contulit. Quapropter haec Constitutio *Mare magnum Minimorum* appellatur (Privilegia in eis contenta enumerantur infra, n. 24, II).

5. *Congregatio Capucinorum* e familia S. Francisci. — Clemens VII, a. 1526, Const. *Religionis zelus,* eam approbavit ad ducendam vitam eremiticam eique communicavit *aeque principaliter* privilegia Minimorum et Camaldulensium. Paulus III, a. 1536, huius Congregationis privilegia confirmavit.

23. Praeter Ordines mendicantium, **Ordines canonicorum et clericorum regularium,** et quidam alii, eadem periodo, sc. a saeculo XII ad concilium Tridentinum, fuerunt approbati. Praecipui tantum hic indicabuntur:

1. *Canonici Regulares SS. Salvatoris.* — Eos iam ab anno 494 conditos, sed in monasteriis mutuo independentibus distributos, Martinus V, a. 1421, in unam Congregationem coadunavit, « privilegiaque singulis monasteriis ac locis antea concessa et in futurum concedenda, in omnibus et per omnia, ad universa et singula loca et monasteria eorumque personas » extendit. — Huic Congregationi Sixtus IV, a. 1476, C. *Dum ad universos*, magna privilegia confert (vide infra, n. 24, III); ei confirmat donationem ab Eugenio IV factam, qua Basilicae Lateranensis cura ipsi committitur. Unde *Congregatio Canonicorum Lateranensium* etiam vocatur.

2. *Ordo SS. Trinitatis* pro redemptione captivorum, a. 1198 ab Innocentio III approbatus fuit. Paulo post in eumdem finem *Ordo B. M. V. de Mercede Redemptionis Captivorum,* a. 1235, a Gregorio IX sub regula S. Augustini fuit constitutus. Quoad privilegia his Ordinibus concessa, nihil dicendum occurrit.

3. Deinde varii *Ordines Clericorum regularium* instituti et approbati fuerunt. Primus fuit *Congregatio Clericorum Regu-*

larium Theatinorum. Approbatur a CLEMENTE VII, Const. *Exponi nobis,* a. 1524, cum votis solemnibus, et ei confertur communicatio privilegiorum cum Canonicis Lateranensibus. In alia Constit. *Dudum,* a. 1533, ipsi conceditur communicatio privilegiorum cum quibuslibet monachis, etiam cum Cisterciensibus et Cluniacensibus, necnon cum « aliorum tam mendicantium quam non mendicantium Ordinum Fratribus ».

4. *Congregatio Clericorum regularium S. Pauli* (vulgo *Barnabitarum*) approbata fuit a CLEMENTE VII, a. 1533, deinde a PAULO III, a. 1535, confirmata et privilegiis ornata Const. *Dudum felicis.* In ea Barnabitis plena communicatio privilegiorum confertur cum Canonicis Lateranensibus, « perinde ac si omnia et singula privilegia, exemptiones, indulgentiae, facultates, indulta, gratiae ipsis immediate collata fuerint ».

5. *Societas Iesu*, a. 1540, a Paulo III approbatur.

6. *Congregatio Clericorum de Somascha,* a S. Hieronymo Æmiliano fundata, et prius a PAULO III (a. 1540) tamquam Societas tam ecclesiasticarum quam saecularium personarum sine votis approbata, fuit deinde a PIO V (a. 1568) Const. *Iniunctum nobis,* tamquam Ordo regularis cum tribus votis et professione religiosa erecta.

Alii Ordines religiosi post C. Tridentinum fuerunt instituti.

24. Privilegia praecipua in Constitutionibus, quae Maria Magna vocantur, contenta [a].

1. **Mare Magnum Minorum et Praedicatorum.** — Ita vocatur duplex Bulla *Regimini* (1474) SIXTI IV, una FF. Praedicatoribus, altera FF. Minoribus concessa; utraque fere iisdem terminis concipitur, praeter aliquas differentias ortas ex diversis privilegiis antea utrique Ordini per alias Constitutiones collatis et in istis Bullis confirmatis.

Ante omnia, Pontifex confirmat in genere privilegia ab Eugenio IV et Clemente IV Minoribus, et ab Eugenio IV, Martino V et Gregorio XI Praedicatoribus concessa [b]; deinde novos favores concedit, aut iam concessos innovat.

---

24. (a) Utile est videre quomodo privilegia diversis Ordinibus concessa pleraque sint eadem inter se, et conveniant cum privilegiis prius diversis monasteriis deinde Ordinibus monachalibus concessis. Fit quasi lenta privilegiorum evolutio, duce experientia.

(b) Constit. EUGENII IV pro Minoribus est simplex confirmatio Const.

1° Fratribus oratoria in locis, in quibus degunt, erigere licet.

2° Tempore interdicti, missarum solemnia et alia divina officia, ianuis clausis, excommunicatis et interdictis exclusis, celebrare possunt; necnon ad ea fratres et sorores tertii Ordinis admittere.

3° Celebrare permittitur non solum in oratoriis, sed extra ea in quovis alio loco congruenti et honesto.

4° Fratrum obsequiis insistentes excommunicationibus generaliter promulgatis non ligantur.

5° Superiores possunt Fratres ab omnibus eorum peccatis absolvere, et vicissim ipsi a suis confessariis absolvi. Excipiuntur tantum haeresis, schisma, relapsus, falsificatio Litterarum Apostolicarum (c).

6° Ius tribuitur libere sepeliendi fideles, « salva iustitia earum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur ».

7° Exemptio conceditur a solutione decimarum de piis legatis et aliis bonis, quando hae decimae a S. Sede imponuntur, nisi specifica eorum mentio fiat. Item donatur exemptio a quibuslibet aliis decimis.

8° Plena confertur exemptio a iurisdictione Episcoporum, quoad personas, domos et loca, etiam ratione contractus, delicti, vel rei de qua contra ipsos ageretur.

9° Interdicitur quaslibet sententias excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliarumque poenarum contra Fratres eorumve domus vel loca pronuntiare, et si quae pronuntiatae fuerint, nullius sunt roboris et momenti.

10° Facultas datur audiendi fidelium confessiones (d) ; et si propterea parochi iis fidelibus sine rationabili causa Eucharistiam aut Extremam Untionem denegant, facultas ea sacramenta iisdem ministrandi.

Virtute conspicuos CLEMENTIS IV, de qua n. 21, II dictum est; — Const. EUGENII IV et MARTINI V pro Praedicatoribus sunt confirmativae Const. GREGORII XI, de qua dictum est n. 21, I.

(c) Privilegium absolvendi ab omnibus peccatis usquedum concedebatur cum hac clausula restrictiva « nisi talia commiserint propter quae essent merito ad Sedem Apostolicam deputandi » : hic declaratur peccata sub hac clausula vaga contenta esse solum ea quae enumerantur : haeresis, schisma, etc.

(d) Facultas audiendi confessiones § 10 potius supponitur quam conceditur ; directe conceditur id quod secundo loco dicitur ; et § 15 innovatur damnatio opinionis, quod confessi Fratribus iterum parochis confiteri debeant.

11° In ecclesiis parochialibus quae domos Fratrum coniunctas habent, curam animarum per cappellanum, pro eorum nutu ponendum et amovendum, Fratres exercere possunt; et si hic cappellanus est Ordinis professus, exemptione gaudet. Ecclesiae autem praedictae et earum bona exemptione gaudent.

12° Facultas conceditur dispensandi Fratres ab irregularitatibus tam ad ordines suscipiendos et exercendos, quam ut ad quascumque administrationes et officia eligi aut assumi valeant (e).

13° Tribuitur communicatio privilegiorum inter Minores et Praedicatores. Locum habet « in privilegiis, indulgentiis et gratiis, favoribus et indultis, tam spiritualibus quam temporalibus,... in omnibus et per omnia prorsus et sine ulla differentia, proinde ac si, quae uni ex Ordinibus sunt concessa, ea utrique simul nominatim concessa fuissent aut concederentur in posterum ».

II. **Mare Magnum Minimorum,** eis a Iulio II, Const. *Dudum ad sacrum,* a. 1506, necnon alia Const. *Virtute conspicuos,* eiusdem anni, concessum. In Const. *Dudum*, sequentia habentur:

1° Minimis privilegia quatuor Ordinum mendicantium communicantur, scilicet Praedicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini et Carmelitarum (nn. 5, 14, 37).

2° Haec privilegia famulis domorum communicantur, necnon caeteris habitum Ordinis portantibus (n. 15).

3° Privilegia uni domui concessa et concedenda omnibus et singulis Ordinis domibus et fratribus communicantur (n. 18).

4° Facultas « benedicendi corporalia et alia ornamenta ecclesiastica suorum locorum ac domorum, praeter calices et patenas », Generali, Provincialibus et eorum vicariis conceditur.

5° Facultas datur oratoria, ecclesias.... domos ac loca recipiendi et in perpetuo retinendi, aut construendi, « cuiusvis etiam Superioris licentia minime requisita et absque alia desuper facienda nova concessione Apostolica » (n. 20).

(e) Excipitur irregularitas contracta ex homicidio voluntario, bigamia et mutilatione membrorum. Dispensatio « postquam Ordinem ipsum professi fuerint » concedi debet. Specialiter conceditur facultas dispensandi a quocumque defectu natalium.

6° Ecclesiae et oratoria Ordinis, « facta prius requisitione ab Episcopis locorum eisdemque recusantibus vel negligentibus, per quemlibet alium catholicum Episcopum consecrari » possunt (n. 21); benedici autem aut reconciliari per Generalem et Provinciales, aqua tamen prius per aliquem catholicum Antistitem benedicta (n. 22).

7° Recipere valent religiosos ex quocumque Ordine, etiam mendicantium et quantumcumque privilegiato, etiam qui non obtinuerint licentiam suorum Superiorum, dummodo petierint (n. 33).

8° Facultas tribuitur confessiones quarumcumque personarum, tam religiosarum quam ecclesiasticarum et saecularium, ubilibet audiendi (n. 34), eisque sacramentum Eucharistiae in suis ecclesiis ministrandi ac ministrari faciendi (n. 39).

9° Ecclesiae, oratoria, domus et loca ab omni solutione decimarum aut oblationum, necnon a quarta funerali eximuntur (n. 35).

10° Apostatas et fugitivos ubilibet requirere, punire et incarcerare possunt (n. 40).

In Const. *Virtute conspicuos* haec alia conceduntur:

11° Praelati, per electionem aut alias secundum Ordinis statuta constituti, statim officium suum exercere valent (n. 3) (Generalis non nominatur).

12° In electionibus faciendis non coarctantur spatio temporis a Iure constituto (n. 2).

13° Superiores possunt sine cuiusque licentia deputare in domibus suis lectores in theologia, qui legant et doceant, iis locis exceptis ubi sunt Studia generalia (Universitates) aut ubi quilibet alius iam solemniter docere consuevit (n. 4).

14° Fratres ordinari possunt a quocumque Antistite, sine quacumque examinatione vel promissione Episcopo facta (n. 5).

15° In locis ubi degunt, licet eis habere oratoria, in quibus cum altari portatili missam aliaque divina officia celebrent, ac sacramenta recipiant (n. 6).

16° Generali et Provincialibus facultas datur absolvendi Fratres, sive in eorum ingressu sive post, a sententiis excommunicationis, suspensionis et interdicti tum a iure tum a iudice generaliter promulgatis, necnon ab irregularitate, quam per censurae huiusmodi violationem incurrissent, dispensandi. At si ita absoluti non statim ingrediantur, in pristinas sententias reincidunt (n. 8).

17° Fratres a cura monialium eximuntur, et etiam a visi-

tandis earum monasteriis aut earum confessionibus audiendis (n. 9).

18° Superiores non tenentur Fratres in socios Episcoporum aut in eorum servitium deputare; deputatos autem corrigere et revocare possunt (n. 10). Item obligari non possunt ut Fratres ad Crucem praedicandam aut ad inquirendum contra haereticos deputent (n. 11).

19° Nulli licet post professionem sine licentia Generalis vel sui Provincialis ab Ordine recedere. Qui cum licentia in aliam Religionem transierint, si in ea non admittantur aut admissi ab ea recedant, etiam ad ingrediendam aliam quae sit mitior, ad priorem Ordinem redire debent; quod si non faciant, tamquam apostatae puniri possunt (n. 12).

20° Privilegia contra apostatas conceduntur (n. 13).

21° Expulsi ab Ordine praedicare, confessiones audire, aut docere nequeunt (n. 14).

22° Sepultura libera in locis Ordinis omnibus fidelibus conceditur, salva iustitia ecclesiarum a quibus corpora mortuorum assumuntur (n. 19). Sed Fratres cogi nequeunt ut inviti quemquam ad sepulturam admittant (n. 20).

23° Facultates tribuuntur pro tempore interdicti (n. 21).

24° Inhibetur Fratribus ne aliquis eorum aliis quam Praelatis suis aut aliis Ordinis sacerdotibus, secundum regulam, nisi necessitatis urgente articulo, confiteantur (n. 22).

25° Nova exemptio conceditur a solutione portionis canonicae de bonis Ordini relictis (n. 24), a decimis (n. 28), ab aliis contributionibus (n. 27), a gabellis et impositionibus (n. 31).

26° Fratres possunt domus suas relinquere et vendere, exceptis dedicatis ecclesiis, mobiliaque, etiam ecclesiarum, alio transferre (n. 25).

27° Facultas eis conceditur absolvendi a censuris, dispensandi ab irregularitate (n. 27) (ut in Mari magno Minorum).

28° Eximuntur a iurisdictione Episcoporum atque ab eis nequeunt censuris plecti (n. 29).

29° Superiores, non obstante eorum appellatione, subditos coercere possunt. Fratribus autem a correctionibus et punitionibus secundum regulas inflictis appellare interdicitur (n. 30).

III. **Privilegia Canonicis regularibus Lateranensibus a Sixto IV collata** (Constitut. *Dum ad universos,* 1476).

1° Pontifex confirmat praecedentia privilegia (n. 9).

2° « Congregationem ipsam, illiusque monasteria, eccle-

sias, loca quaelibet et personas eximit ab omni Episcoporum et etiam Nuntiorum iurisdictione » (n. 10).

3° Eximit etiam « ab exactionum quarumcumque praestatione ».

4° Item liberat ab assistentia synodis, processionibus et aliis quibuscumque congregationibus (n. 10).

5° Nemo, nec Episcopus, nec Legatus aut Nuntius, potest in eorum loca aut personas excommunicationis, suspensionis aut interdicti sententias, seu alias censuras aut poenas, specialiter vel generaliter, propria auctoritate ordinaria promulgare, aut iurisdictionem in eos exercere, ratione delicti, contractus, aut rei de qua contra ipsos ageretur (n. 11).

6° Eis conceditur ut in parochialibus suis ecclesiis possint « per se vel per presbyteros saeculares vel regulares, sui aut cuiuslibet alterius Ordinis, alias tamen habiles et idoneos, ad ipsorum nutum deputandos et amovibiles, animarum curam et ecclesiarum parochialium libere et licite exercere; quodque ipsi cappellani, dum curam eiusmodi gerent, ea libertate et exemptione fruantur ac si ex Canonicis Ordinis extiterint » (n. 12).

7° Ordinationes a quolibet Episcopo expetere possunt, quin ordinandi examini Episcopi aut ulli obligationi subiaceant (n. 13).

8° Conceditur usus altaris portatilis « in itineratione, in locis tamen congruis et honestis. Etiam per unam horam ante diem ac usque ad horam nonam in ipsa itineratione celebrare et sacramenta recipere possunt » (n. 14).

9° Tempore interdicti generalis possunt celebrare consuetis conditionibus, dummodo ipsi causam non dederint interdicto nec contingat id eis specialiter interdici (n. 15).

10° Iis, qui sunt in eorum obsequiis ac in ipsorum locis morantur, omnia sacramenta ministrare valent eosque in ecclesiis suis sepelire (n. 17).

11° Eximuntur a solutione omnium praestationum et decimarum (n. 18).

12° Liberam fidelium sepulturam habent, salva iustitia ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur (n. 20).

13° Contra eos non valet praescriptio nisi 60 annorum (n. 22).

14° Dispensare possunt « cum canonicis, novitiis, conversis et commissis super irregularitate ex delicto aut natalibus (ut fuit concessum Minimis) (n. 23).

15° Confessiones ubique audire eis licet, et Eucharistiam in suis ecclesiis ministrare, praeterquam in festo Resurrectionis Domini (n. 24).

16° Conceditur Capitulo generali et Priori maiori facultas alienandi quaecumque immobilia, pro evidenti tamen utilitate monasteriorum vel ecclesiarum (n. 26).

17° In articulo mortis, quemcumque presbyterum ex canonicis in confessarium eligere possunt, et in casu necessitatis alium presbyterum saecularem aut regularem (n. 27).

18° Variae indulgentiae donantur (n. 28).

19° Conceditur recipere eos qui votum ingrediendi Religionem etiam arctiorem habuerint (n. 29).

21° Prohibetur transitus ad quemcumque alium Ordinem (n. 31).

22° Impertitur libera praedicandi facultas (n. 33).

23° Haec privilegia, in casu dubii, sunt « largissime intelligenda et interpretanda, non autem secundum iuris rigorem vel doctorum opiniones et subtilitates » (n. 34). — Severae poenae edicuntur in Episcopos aut parochos contra privilegia haec agentes (nn. 37 et 38). — Expresse mandatur ne parochi molestent parochianos apud canonicos confitentes (n. 39).

25. Quarta periodus a concilio Tridentino.

A tempore C. Tridentini multae Congregationes votorum simplicium erectae sunt, quibus etiam privilegia fuerunt concessa, sed non omnia mendicantium aliorumque Ordinum formalium.

Ordinibus formalibus ipsis, in ea periodo, aliqua nova privilegia propter novas circumstantias largita inveniuntur; sed potius prius concessa fuerunt restricta aut magis definita, tum ad aliquos abusus tollendos, tum ad concordiam stabiliendam inter Ordinarios locorum et Regulares.

Praeivit huic strictiori Privilegiorum definitioni Leo x, a. 1516, C. *Dum intra* (supra, n. 12). Deinde Tridentinum, in capitibus *de Reformatione* et in *sessione* xxv *de Regularibus,* multa privilegia, in iis quae suis decretis erant contraria, revocavit. Post Tridentinum, plures SS. Pontifices expresse privilegia Regularium constrinxerunt. Quaenam sit praesens praxis horum privilegiorum in tota hac opera exhibetur.

CAPUT XVI.

DE EXEMPTIONE. — DE HIS IN QUIBUS REGULARES EXEMPTI AB EPISCOPIS DEPENDENT

Sectio I. — 1. Notiones generales de exemptione. Exemptio personalis, localis, mixta. — 2. Exemptio totalis et partialis. — Potestas ordinaria et delegata Episcopi in exemptos. — 3. Notiones historicae de exemptione. — 4. Ad quos exemptio extenditur: novitii, famuli, alumni. — 5. De parvis conventibus quoad exemptionem. — 6. De grangiis et membris conventus exempti. — 7. De iurisdictione ab Episcopo exercenda in parvos conventus, grangias et membra. — 8. De exemptione in Missionibus — 9. De exemptione dispersorum. — 10. De ecclesiis domorum Regularium, quibus non incumbit cura animarum. — 11. De ecclesiis domorum Regularium, quibus incumbit cura animarum. — 12. De ecclesiis adnexis — 13. De ecclesiis saecularibus quae Regularibus committuntur administrandae. — 14. De parocho ecclesiarum parochialium ad Regulares spectantium. — 15. De his in quibus Regulares exempti Episcopis subiiciuntur. Erectio novae domus. Regulares delinquentes extra claustra. — 16. Regulares quoad causas civiles, coram quo conveniendi? — 17. Regulares delinquentes circa ipsam Episcopi personam; — 18 circa moniales earumque clausuram; — 19 in administratione sacramentorum; — 20 circa custodiam SS. Eucharistiae. — 21. Regulares quoad expositionem SS. Sacramenti; — 22 missae celebrationem; — 23 publicationem novarum indulgentiarum; — 24 novas imagines aut reliquias exponendas, et processus pro canonizatione SS.; — 25 quoad confraternitates; — 26 quoad processiones. — 27. Regulares in causis fidei quae ad S. Officium pertinent; — 28 quoad executionem ultimarum voluntatum ad causas pias; — 29 librorum impressionem, et prohibitionem librorum ab Episcopo pronuntiatam; — 30 quaestuationem seu collectionem eleemosynarum; — 31 scholas elementares; — 32 caemeteria et loca pia quae ab ipsis reguntur; — 33 renuntiationem bonorum ante professionem. — 34. Regulares Episcopo subiiciuntur in his quae sunt ordinis episcopalis. — 35. Praerogativae Episcopi dioecesani in ecclesiis Regularium: usus pontificalium, baldaquinum, collatio confirmationis, ordinatio, praedicatio. — 36. Regulares quoad praescripta ab Episcopo: collectas missae, dies festos, stipendia missarum, pulsationem campanarum, interdicta et censuras. Appellatio a statutis Episcopi. — 37. Regulares quoad Synodum dioecesanam; — 38 quoad conferentias casuum conscientiae. — 39. An et quando Regulares ab Episcopis per censuras coerceri possunt? — 40. An Regulares frui possunt gratiis ab Episcopo provenientibus?

Sectio II. — 41. De exemptione Societati Iesu concessa. — 42. Facultas erigendi oratoria in omnibus locis ubi aliqui de Societate resident. — 43. De oratoriis in grangiis et locis ruralibus. — 44. Varia privilegia circa celebrationem missae. — 45. Societas non indiget licentia Episcopi ad alienanda immobilia exigui valoris. — 46. Privilegia tempore interdicti. — 47. De assistentia proces-

sionibus: exemptio Societatis. — 48. Privilegia circa sodalitates bonae mortis et B. M. V. — 49. Renuntiatio bonorum ante ultima vota est in Societate ab Episcopo independens. — 50. Censurae et interdicta contra personas et loca Societatis ferri non possunt, nisi in casibus exceptis. — 51. Loca Tridentini quae Instituto nostro certo adversantur, ex Congr. generali tertia. — 52. Loca Tridentini quae Instituto adversari videntur, re autem vera non adversantur.

SECTIO I.

1. Notiones generales de exemptione[a].

1. Exemptio Regularium privilegium est, quo Regulares a iurisdictione Episcoporum subtrahuntur, ita ut soli Romano Pontifici subsint, qui eos per proprios Praelatos regit.

2. Exemptio, quamvis sit privilegium Regularium, est etiam ius Summi Pontificis, quo exercitium suae immediatae in omnes Fideles iurisdictionis quoad Regulares sibi reservat. Ideo privilegio exemptionis Regulares renuntiare non possunt. Est communis, ait S. Lig., *de Privilegiis*, n. 73[b].

3. Triplex distinguitur exemptio: personalis, localis et mixta. *Exemptio personalis* ea est, qua ipsa persona a iurisdictione Episcopi eximitur, personae adhaeret ipsamque sequitur. — *Exemptio localis* ea est, qua locus subtrahitur iurisdictioni Episcopi, ita ut personae, quae in loco exempto existunt, eximantur ratione loci et quatenus tantum in eo versantur. Effectus exemptionis localis est ut locus visitationi Episcopi non subiaceat. — *Exemptio mixta* ea est, qua tum loca tum personae a iurisdictione Episcopi per se et primario aequaliter eximuntur. Talis est exemptio Regularium (Piat, t. II, p. 1, q. 2).

4. Sub alio respectu duplex distinguitur exemptio: passiva et activa. — *Exemptio passiva* est illa, qua Praelatus aliquis et conventus aut ecclesia ipsi commissa, cum personis intra septa ecclesiae vel conventus commorantibus, a potestate episcopali eximuntur. Locus sic exemptus dicitur esse in dioecesi, non autem de dioecesi. — *Exemptio activa* illa est,

---

1. (a) Wernz, t. III, nn. 700-702; Piat, t. II, pp. 1-90; Ferraris, v. *Regulares*, *art.* 2; Prümmer, qq. 176-199.

(b) C. *Cum tempore*, 5, *De arbitris*, I, 43, dicitur: « Cum, etsi sponte volueris, de iure tamen nequiveris sine licentia R. P. renuntiare privilegiis vel indulgentiis libertatis, quae monasterium illud indicant ad ius et proprietatem Romanae Ecclesiae pertinere.... ». — Est *responsum* S. Congr. EE. et RR., 19 *nov.* 1624, idem asserens (apud Piat, t. II, p. 6, q. 8).

qua Praelato, praeter conventum aut ecclesiam et personas in eis degentes, aliquod territorium tribuitur, in quo iurisdictionem ab Episcopo dioecesano plus minusve independentem in populum et clerum exercet. Si territorium est plene separatum a dioecesi, ita ut Episcopus nullam in eo iurisdictionem exerceat, tunc Praelatus cui territorium committitur, ordinarie Abbas, dicitur *Nullius* (sc. dioeceseos) (Wernz, t. II, n. 815, III). — Praelatus regularis per se sola passiva exemptione gaudet.

5. Exemptio suum *fundamentum* habet in primatu R. P. et in eius suprema ac immediata iurisdictione in totam Ecclesiam singulasque eius personas. Supponit ius, quod illi competit, dioeceses describendi et unicuique Episcopo suum territorium et personas, in quas suam exerceat iurisdictionem, determinandi. Ex quo iure consequitur, ut Romanus Pontifex Episcopo denegare possit iurisdictionem in aliquam suae dioecesis partem aut in aliquas personas, quae tamen in sua dioecesi remaneant (Wernz, t. II, n. 816).

Huic Romani Pontificis iuri accedit magna *convenientia* exemptionis Regularium, imo quasi necessitas. Nisi enim Regulares Episcopo iurisdictioni subtraherentur, non possent suam regulam, regimen suum internum ac unitatem actionis servare. — Exemptio in monasteriis a se invicem independentibus et sub unica Abbatis auctoritate constitutis non adeo necessaria apparet; sed contra maxime opportunum est ut ea donetur Ordo, cuius variae domus, in diversis dioecesibus sitae, non sunt ita independentes, sed praeter Praelatum localem alios Praelatos Provinciales et Generalem habent, a quibus iuxta finem Ordinis proprium in unitatem actionis communis reguntur. Propter hanc magnam convenientiam, imo quasi necessitatem, Romani Pontifices, dicto sui Primatus et supremae ac immediatae iurisdictionis iure utentes, exemptionem Regularibus ad universale Ecclesiae bonum contulerunt.

Haec omnia luculenter indicantur in Constit. Leonis XIII, *Romanos Pontifices* (1880), § 7 (c).

(c) « Ad Regularium exemptionem quod attinet, certa et cognita sunt Canonici Iuris praescripta.... Quo melius in religiosis Ordinibus omnia essent inter se apta et connexa, ac sodales singuli pacato et aequabili vitae cursu uterentur, denique ut esset incremento et perfectioni religiosae conversationis consultum, haud immerito Romani Pontifices, quo-

2. Exemptio potest esse totalis vel partialis. — Totalis est, si societas religiosa penitus subtrahatur ab iurisdictione Episcopi; partialis, si in aliquibus tantum subtrahatur et in caeteris remaneat subiecta. Ad haec notare iuvat, religiosos habere obligationes caeterorum fidelium, et insuper obligationes vitae religiosae, quam professi sunt: quoad has ultimas obligationes praecipue convenit eos eximi a potestate episcopali. — Etiam ubi exemptio est totalis, ei tamen aliquae exceptiones fieri possunt, et hoc duplici modo. Primo relinquendo Episcopo in casibus exceptis suam potestatem, quam habet cum propriis subditis: tunc Episcopus etiam cum Regularibus in his casibus *potestate sua ordinaria* utitur. Alio modo exceptio fieri potest, et saepius fit a Concilio Tridentino, ita scilicet ut summus Pontifex potestatem suam Episcopo deleget (quod facit ut aliquos abusus aut praeveniat, aut corrigat): tunc Episcopus *potestate delegata* agit.

Differentia practica inter utramque potestatem in duobus maxime consistit. 1° Potestas delegata, sede vacante, ad vicarium capitularem non transit: vicarius capitularis igitur non potest uti erga Regulares potestate delegata, sed tantummodo ordinaria[(a)]. 2° Quando Episcopus potestate delegata utitur, appellatio, si ipsi sit locus, non iam fit ad Metropolitanum, sed solum ad S. Sedem; si autem potestate ordinaria, tum ad Metropolitanum, tum ad S. Sedem fieri potest (Piat, II, p. 14, varia Iuris capita indicat). In utroque casu autem Episcopus suam potestatem alii committere valet: nam potestatem delegatam, quae a summo Principe habetur, licet subdelegare.

C. Tridentinum, ad concedendam potestatem Episcopis in Regulares, aliquando alia formula paulo diversa utitur: Epis-

---

rum est dioeceses describere ac suos cuique subditos sacra potestate regundos attribuere, clerum regularem Episcoporum iurisdictione exemptum esse statuerunt. Cuius rei ea fuit causa..., quod earum domus habitae fuerint Iuris fictione quasi territoria quaedam ab ipsis dioecesibus avulsa. Ex quo factum est ut religiosae familiae, quas Iure communi et Episcopis propter hieraticum principatum, et Pontifici maximo propter primatum pontificium immediate subesse oporteret, in eius potestate esse perrexerint, ex Episcoporum potestate per privilegium exierint. Quum autem reipsa intra fines dioecesium vitam degant, sic huius privilegii temperata vis est, ut sarta tecta sit dioecesana disciplina, adeoque ut clerus regularis in multis subesse debeat episcopali potestati, sive ordinariae sive delegatae ».

2. (a) Wernz, t. II, n. 695, plures S. C. Conc. declarationes indicat.

copo committit, ut agat « *etiam* tamquam Sedis Apostolicae delegatus ». Haec vox *etiam* duo indicare videtur, ait WERNZ, t. II, n. 696; primo insinuat potestatem ordinariam quae in illis causis Episcopo in proprios subditos competit, et secundo indicat potestatem delegatam quae insuper ei communicatur a S. Sede : ita ut, in istis causis, erga non subditos tamquam delegatus S. Sedis agere possit, erga subditos cumulative potestate tum ordinaria tum delegata. — Alii paulo aliter explicant. Dicunt dari potestatem agendi *etiam* uti delegatus S. Sedis, quando dubium de potestate ordinaria moveri posset, ut tunc, remotis omnibus exceptionibus, Episcopus saltem uti delegatus S. Sedis certam potestatem habeat (VERMEERSCH, t. I, 368; PRÜMMER, ante q. 180; PIAT, II, p. 14).

3. Notiones historicae de exemptione [a]. — Quinque aut sex primis saeculis Ecclesiae, monasteria sub iurisdictione Episcoporum erant : exemptiones in Iure non inveniuntur. Videtur nihilominus sat magnam independentiam quoad ipsam vitam religiosam ipsis fuisse relictam.

1. Prima exemptionis adumbratio invenitur in saeculo VI, tum in Oriente, tum in Occidente, ut ex Conciliis Africanis apparet. Sed privilegium exemptionis a S. Gregorio Magno, in decretis generalibus a. 599, monachis clare concessum fuit. Postea varia monasteria (non omnia) plenam aut partialem exemptionem impetrarunt [b]. URBANUS II, a. 1090, exemptionem coenobio Vallumbrosano aliisque monasteriis sub eadem regula viventibus Const. *Cum universis* concessit.

2. Exortis deinde Ordinibus mendicantibus, plenior exemptio eis concessa fuit, non solum quoad regimen internum sed etiam quoad ministeria in salutem animarum. Notandum est tamen diversos Ordines non per legem generalem, sed per specialia indulta vel per privilegiorum communicationem, exemptionem adeptos fuisse. Imo lex generalis exemptionis, ait WERNZ (t. III, n. 701, *nota* 708), ne quidem nostra aetate existit; quamvis nunc (addit in *nota* 712) vera votorum solemnium Religio non existat, quae ex iure speciali privilegio exemptionis non gaudeat [c].

---

3. (a) WERNZ, t. II, n. 817, et praesertim t. III, n. 701.

(b) Vide in c. XV, n. 18, decreta Gregorii, et *ibid.*, n. 19, varia privilegia diversis monasteriis concessa.

(c) Exemptio FF. Praedicatoribus et Minoribus a Sixto IV concessa est Const. *Regimini* (1474). Confirmatis praecedentibus Constitutionibus, Pon-

3. Cum autem abusus in exemptionis usu irrepsissent non pauci, maxime circa externa ministeria, frequentes prodierunt Episcoporum querelae. Ideo factum est ut tum Summi Pontifices variis Constitutionibus, tum C. Tridentinum pluribus decretis, privilegium exemptionis non paucis exceptionibus circumscripserint; de quibus infra, a n. 15, dicetur.

4. Approbatis autem ab ineunte saeculo XVII Congregationibus et Institutis votorum simplicium, eis generatim non fuit concessa plena Ordinum Regularium exemptio, sed partialis tantum, plus minusve ampla; aliquibus tamen, v. g., Passionistis et Redemptoristis plena, sicut Regularibus (PIAT, t. II, p. 4, *nota* 3, et WERNZ, t. III, n. 701).

5. Tandem LEO XIII, C. *Conditae* (a. 1900), nihil detrahendo

---

tifex, n. 9, ait: « Et ne locorum Dioecesani et alii Ordinarii, aut alii quicumque in personas et loca Fratrum praedictorum.... sibi quamcumque iurisdictionem et superioritatem vindicare praesumant, districtius inhibemus ne quispiam, absque Sedis Apostolicae speciali commissione et auctoritate, in personas, domos ac loca dicti Ordinis, utpote *prorsus exempta*, aliquam excommunicationis, suspensionis et interdicti sententiam.... quomodolibet promulgare, aut in personas, domos et loca huiusmodi aliquam praeminentiam, superioritatem et iurisdictionem quomodolibet exercere praesumat, etiam ratione contractus vel delicti seu rei de qua contra ipsos ageretur.... ».

Exemptionis privilegium Servitis concessit URBANUS VI, Const. *Sacrosancta* (1380). Haec habet: « Volentes vos ac loca vestra praesentia et futura praerogativa specialis favoris et gratiae insignire ac singulari privilegio decorare,... vos, vestrasque personas ac omnia loca vestra, tam praesentia quam futura, omni iurisdictione, potestate, dominio, visitatione,... omnium et singulorum Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum et quorumcumque aliorum iudicum ordinariorum, de speciali dono gratiae plenarie eximimus et totaliter liberamus, vosque ac personas et loca ipsa in ius et proprietatem B. Petri et Sedis Apostolicae et sub eorum et nostra protectione speciali et immediata suscipientes, decernimus vos ac personas et loca praedicta soli et immediate Sedi praedictae subiacere, volentes quod locorum Dioecesani, vel alia quaevis persona in vos vel loca praedicta, utpote prorsus exempta et dictae Sedi immediate subiecta, non possint.... potestatem, dominium aut iurisdictionem aliquam quomodolibet exercere ».

Simile privilegium habent Minimi a IULIO II, tum Const. *Dudum* (1506) (qua eis plena communicatio privilegiorum cum aliis mendicantibus tribuitur), tum ex directa concessione Const. *Virtute conspicuos* facta (vide c. XV, n. 22).

Societas Iesu privilegium exemptionis habet a PAULO III, C. *Licet debitum* (1549), necnon ab aliis pluribus Pontificibus (infra, n. 42).

privilegiis iam obtentis, lege generali et magis accurata definitione statuit limites exemptionis partialis, qua fruerentur Congregationes et Instituta a S. Sede quomodolibet laudata et approbata. Congregationes autem et Instituta dioecesana declarat esse Episcopis plene subiecta: sed si sodalitas dioecesana ad aliam dioecesim transierit, iam nihil de eius natura et legibus mutari licet, nisi ex consensu utriusque Episcopi. Antistitae semper a sororibus eligi debent, Episcopus autem, quando sodalitas est dioecesana, electioni praeest eamque confirmare vel rescindere potest.

Notandum est, quod si dubium inter Episcopum et Regulares de ipsorum exemptione exoritur, Regularium est probare exemptionem: nam exemptio est privilegium quo derogatur iuri Episcopi; ergo nisi probetur, Episcopus ius suum prosequi potest. — Contra, si exemptio est certa sed Episcopus censeat casum aliquem ab exemptione esse exceptum, ipsius est probare exceptionem (Piat, II, p. 7, q. 9, d). Quod si casus remanet dubius, ad S. Sedem recurrendum est. Nam illius est legem interpretari, cuius est condere [d].

4. De extensione privilegii exemptionis.

1. Privilegium exemptionis comprehendit non tantum pro-

(d) Ita Innocentius X, Const. *Cum sicut* (1648), in causa Angelopolitana, dubiis 3, 4 et 14 ab Episcopo propositis. — Dub. 3: « An Regularibus, etiam Soc. Iesu, asserentibus se habere privilegia, quominus obediant Episcopo in executione decretorum Iuris communis, Concilii Tridentini et Constitutionum Apostolicarum, Ordinarii debeant ipsis adhibere fidem, absque exhibitione huiusmodi privilegiorum? — Respondit: Ordinarios non teneri huiusmodi assertioni fidem adhibere, absque integrali privilegiorum exhibitione ». — Dub. 14: « An privilegia, quae sunt contra iurisdictionem Ordinarii et quibus gaudere praetendunt Regulares praedicti, debeant Episcopis notificari sive insinuari? — Respondit: Regulares teneri huiusmodi privilegia Episcopo exhibere, si eis uti voluerint ». — Dub. 4: « Quid in casu quo Regulares quicumque exhibeant privilegia, et Ordinarii iudicent ea non suffragari casui de quo agitur et ad rem non facere? — Respondit: Si verba privilegiorum sunt obscura et ambigua,... Summum Pontificem pro interpretatione esse adeundum ». — His responsis praeiverat Bonifacius VIII, c. *Cum personae,* 7, *De privilegiis,* V, 7, in 6° : « Cum personae ecclesiasticae, tam religiosae quam saeculares, plura praesumant praetextu exemptionis vel libertatis quam asserunt se habere,... statuimus, ut hi, qui se asserunt per privilegia seu indulgentias Apostolicae Sedis exemptos, a locorum Ordinariis requisiti, huiusmodi privilegia vel indulgentias ipsis Ordinariis.... ostendere ac ad legendum integraliter exhibere.... teneantur ».

fessos, sed et *novitios*. Quamvis nullus textus iuris afferatur, certum est apud omnes, ait S. Lig., *de Privil.*, n. 74; item Wernz, n. 638, II; Piat, t. I, p. 119, q. 4).

2. Comprehendit etiam *famulos*, secundum definitionem Clementis X, Const. *Superna*, § 4 (1670), nempe « saeculares qui viventes in Regularium monasteriis inibi vere sunt de familia et continui commensales, non autem illos qui tantum ipsis deserviunt ». Statuit Pontifex horum famulorum confessiones posse a Praelatis et confessariis regularibus audiri absque approbatione Episcopi: ideo non versantur sub Episcopi iurisdictione (vide c. XIX, n. 10) [a].

3. An comprehendat etiam *alumnos* in collegiis Regularium viventes, dicetur c. XIX, n. 12.

4. Privilegium exemptionis Regularium est etiam locale, ut patet ex documentis num. praec. allatis. — Tridentinum autem loca Regularium exempta visitationi Ordinariorum non subiecit, ut expresse declaratur c. 20, *sess.* XXV, *de Regul.* — Unde, quaerenti alicui Episcopo: « Utrum lex qua, iuxta S. C. Trid., Ordinarius tenetur communitates et monasteria dioecesis suae visitare, extendatur etiam ad communitates et monasteria quae a Superiore aut Superiorissa Generali reguntur? » S. Congr. EE. et RR., d. 27 *febr.* 1863, respondit: « Quoad Regulares exemptos, negative: exceptis casibus a Iure exceptis; relate vero ad Fratres et Sorores piarum Congregationum votorum simplicium non exemptarum, affirmative: salvis statutis et constitutionibus ab Apostolica Sede approbatis ».

5. Verumtamen non omnes Regulares, etiamsi pertineant ad Religiones exemptas, neque omnia eorum loca, iam exemptione gaudent. Nam privilegium exemptionis, quod Ordinibus mendicantium concessum fuerat amplissimum quoad personas

---

4. (a) Non raro ad probandam famulorum exemptionem, citatur Trident., *sess.* XXV, c. 11, *de Regul.* In hoc capite agitur de monasteriis quibus imminet cura animarum personarum saecularium, et dicitur exercentes hanc curam subesse quoad eam visitationi Episcopi, sed notatur non agi de cura animarum personarum saecularium quae sint de familia monasterii: quia si de his tantum cura habeatur, eam exercentes non propterea subsunt visitationi Episcopi. Igitur sat indirecte hic agitur de exemptione horum familiarium; scilicet, quatenus regulares curam eorum animarum habentes non propterea visitationi Episcopi subiaceant. Sed revera, si hi familiares remanerent sub iurisdictione Episcopi, Regulares curam eorum animarum habentes ratione ipsorum visitari possent. Unde argumentum est retinendum.

et loca, sicuti quoad actus in quibus exempti erant, tractu temporis multis exceptionibus limitatum fuit, non tantum quoad actus, sed etiam quoad loca et consequenter quoad personas. Nunc privilegio exemptionis non gaudent, nisi *domus in quibus certus numerus religiosorum* (6 aut 12) *vivunt, et ipsi Regulares exemptione quoad proprias personas non fruuntur nisi has domos habitent.*

Ergo privilegio exemptionis non gaudent:

1° Parvi conventus numerum personarum requisitum non habentes, nec Regulares in his habitantes.

2° Grangiae, praedia ruralia, parochiae, aliaque loca quae non fuerunt erecta in conventus, nec Regulares in his habitantes;

3° Regulares extra claustrum (habitualiter) viventes, ut decernit Trident., *sess.* xxv, c. 4, *de Regularibus* (b).

5. De parvis conventibus partim dictum est c. xiii, n. 6. Ex ibi expositis haec habentur, *secundum Constitutiones et Decreta SS. PP.* (a).

(b) « Nec liceat Regularibus a suis conventibus recedere, etiam praetextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint. Qui vero sine praedicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab Ordinariis locorum tamquam desertor sui Instituti puniatur. (Inde necessitas litterarum patentium, vulgo litterarum obedientiae, pro Religiosis itinerantibus, aut ad praedicandum missis). Illi autem qui studiorum causa ad Universitates mittuntur, in conventibus tantum habitent; alioquin ab Ordinariis contra eos procedatur ».

5. (a) *Documenta* de parvis domibus et grangiis sunt : 1° Const. *Cum aliae* Gregorii xv, 1622. — 2° Const. *Cum Saepe* Urbani viii, 21 *iun.* 1625. — 3° Const. *Instaurandae* Innocentii x, 1652. — 4° Duae litterae circulares *S. Congr. super statu Regularium*, scriptae a. 1652 et 1653 ad Episcopos Italiae, circa suppressionem parvorum conventuum et circa membra et grangias monasteriorum. — 5° Decretum *Ut in parvis* Innocentii x, 1654. — 6° Declarationes *S. Congr. super statu Reg.*, 27 *iul.* 1655, circa hoc decretum, quae continent responsiones ad 21 dubia, et aliae declarationes eiusdem Congr., 11 *sept.* 1670, quibus respondet ad quinque alia dubia. — 7° Decretum Alexandri vii, 25 *iun.* 1664, prohibens Episcopis visitantibus parvos conventus, ne quid exigant procurationis nomine. — 8° Decretum 8 *oct.* 1670, circa vicarios parochiales in grangiis monasteriorum. — 9° Declarationes 19 *nov.* 1671 eiusdem Congr. super iurisdictione Episcopi in parvos conventus. — 10° Decretum *Sanctissimus* Innoc. xii, 1695, probabiliter pro sola Italia. — 11° Decretum *Nuper* eiusdem, 1697, in quo § 11 inseritur decretum Urbani viii, cum duabus declarationibus super eo (sunt responsa ad du-

1. Omnes conventus erecti post decretum *Cum saepe* URBANI VIII (21 *iun.* 1625) non sunt exempti, nisi in eis adsint 12 religiosi ut expresse in ipso decreto declaratur: « Alioquin, monasteria et loca huiusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim religiosi sustentari atque inhabitare non poterunt et actu non habitaverint, Ordinarii loci visitationi, correctioni ac omnimodae iurisdictioni subiecta esse intelligantur » [b]. S. Congr. Conc., respondens variis dubiis super decreto *Nuper*, ad ultimum dubium declaravit hanc dispositionem valere non tantum in Italia, sed etiam extra Italiam (vide c. XIII, n. 6, *nota* b).

2. Quoad parvos conventus ante decretum *Cum saepe*, scilicet ante 21 *iun.* 1625 erectos, tres classes distingui debent.

1° Ii qui in Italia et insulis adiacentibus fuerunt per Const. *Instaurandae* (1632) INNOCENTII X suppressi et postea restaurati: hi, ex decreto *Ut in parvis* (1654) eiusdem Pontificis, non gaudent exemptione nisi 12 religiosi in eis actu habitent [c].

2° Ii qui existentes in Italia, non fuerunt suppressi: exemptione non gaudent, nisi sex ad minus in eis actu vivant religiosi, quorum quatuor saltem sint sacerdotes [d].

---

bium 19 et 20). — Documenta sub n. 1, 2, 3, vide cap. XIII, n. 6; — docum. sub n. 5, 6, 7, 9 apud FERRARIS, v. *Conventus*, art. 2, nn. 15, 20, 21, 22, 31; — docum. n. 4 cum plerisque aliis, apud FAGNANI, Cap. *Auctoritate, de Censibus*, III, 39; — docum. 8, apud BIZZARRI, pag. 294; — docum. 1, 3, 10, 11 apud VERMEERSCH, t. II.

(b) Notetur, ad exemptionem perpetuam non sufficere numerum 12 Regularium tempore erectionis conventus; sed si deinde 12 Regulares « actu non habitaverint », conventus iam exemptione non gaudet. Ita ex ipso decreto.

(c) « Sanctitas sua omnes et singulos conventus huiusmodi sic restitutos,.. ac personas tam regulares quam saeculares in eis degentes, visitationi, correctioni et omnimodae iurisdictioni Ordinarii loci, tamquam super hoc a Sede Apostolica delegati, subiecit ac subditos esse declaravit, donec eorum redditus eousque adaucti fuerint ut in eis commode sustentari valeant et actu sustententur 12 religiosi ».

(d) « Sanctitas sua omnes et singulos huiusmodi conventus non suppressos.... aut grangias, seu membra alterius monasterii, existentes intra fines Italiae et insularum adiacentium, in quibus nunc non aluntur, aut quandocumque actu non alantur saltem sex religiosi itidem probatae vitae, quorum ad minus quatuor sint sacerdotes maturae aetatis, eidem visitationi, correctioni, et omnimodae iurisdictioni Ordinarii loci, ut Sedis Apostolicae delegati, plene in omnibus subiectos esse statuit et declaravit ».

3° Parvi conventus extra Italiam ante a. 1625 existentes; circa eos nihil statutum fuit: ergo si spectant ad Regulares, quorum omnes conventus sine distinctione erant exempti, remanent exempti, quilibet sit numerus religiosorum qui in eis alantur.

3. Haec autem ita se habent, si res ex Constitutionibus Apostolicis tantum iudicatur; sed contradictoriae emanarunt sententiae SS. Congregationum, et quantum res sit intricata videre est apud Ferraris, v. *Conventus*, *art.* 2, n. 23 seq., n. 32 seq. Quapropter paulatim *ex stylo Curiae* alia disciplina introducta fuisse videtur, qua ubique ad beneficium exemptionis requiritur et sufficit numerus sex religiosorum (e).

Leo xiii, C. *Romanos Pontifices* (1880) § 8, nulla distinctione inter varios casus supra dictos facta, ait: « Iure communi constitutum est ut domus, quae sodales religiosos sex ad minimum non capiant, in potestate Episcoporum esse omnino debeant ». Verum quidem est haec verba esse narrativa, nullumque decretum continere; nihilominus testantur quodnam sit ius vigens. — P. Wernz tamen (t. iii, n. 620, *nota* 159) requirit numerum 12 religiosorum ab Urbano viii C. *Cum saepe* statutum, et scribit: « Quo in iure ab Urbano viii constituto quoad conventus post d. 21 *iun.* 1625 fundandos, certe nihil est immutatum per Leonem xiii, Const. *Romanos Pontifices,* ubi

---

(e) Bizzarri (p. 396) refert responsum *S. Congr. EE. et RR.* anni 1741 sic conceptum: « S. Congreg. inhaerendo decretis alias super editis, decrevit et declaravit Episcopum posse visitare solum quando actu non adsint sex religiosi ». Rescriptum hoc dirigebatur ad Procuratorem FF. Minorum Conventualium, cuius quaesitum fuerat his verbis conceptum: « Die 1 *martii* 1714 determinavit haec Congr. ut conventus, in quibus actu aluntur sex religiosi, sint exempti a iurisdictione Ordinarii. Idcirco conventus Bonefri, in quo nunc 8 aut 9 religiosi aluntur, suppliciter petit ut, iuxta dictam resolutionem S. Congregationis, declaretur exemptus a iurisdictione Episcopi ». Idem Bizzarri, p. 284, refert declarationem 29 *nov.* 1657 datam Procuratori Capuccinorum: « S. Congr. super statu Regul. censuit conventus nunquam suppressos, in quibus actu degunt de familia plures quam sex religiosi, minime comprehendi in decreto s. m. Innocentii *Ut in parvis*; ac proinde locorum Ordinarios nequaquam posse, in vim dicti decreti, in huiusmodi Conventibus aut illorum personis ullam sibi iurisdictionem vindicare ». Hic etiam nulla fit distinctio inter conventus intra aut extra Italiam, ante aut post decretum erectos, sed indistincte dicitur sex religiosos sufficere ut conventus sit exemptus; sola restrictio est, quod hi conventus non sint ex suppressis et postea rursus erectis.

in parte historica, mitior sententia de sufficientia sex sociorum ad servandam exemptionem generaliter videtur asseri ». Esto, ius non sit immutatum per Leonem XIII; sed certe Leo XIII testatur iure praesenti sufficere in omni casu sex religiosos ad beneficium exemptionis servandum. — Ita interpretatur hanc Const. COMP. PRIVILEG., nn. 211, 212. — PRÜMMER, q. 182, ait: « Ex hodierna Curiae Romanae praxi senarius saltem religiosorum numerus habitualiter in monasterio degentium, pro habendo privilegio exemptionis sufficiunt. Cf. Const. *Romanos Pontifices,* Card. Melchers, Craisson, n. 2564 ». VERMEERSCH, n. 365, postquam agnovit ex lege canonica numerum 12 religiosorum esse pro omnibus conventibus in Italia erectis post a. 1625 necessarium, refert sententiam benigniorem, in eius favorem dat responsum *S. Congr. EE. et RR.* anni 1741, et subiungit: Const. *Romanos Pontifices* eamdem videtur laudare sententiam.

In causa Mediol. exemptionis alicuius conventus, discussa d. 3 *mart.* 1905 coram *S. C. EE. et RR.,* consultor in suo voto adnotabat: « Iuxta Const. *Romanos Pontifices,* ad effectum exemptionis, ordinarie loquendo, sex saltem religiosos requiri; in Italia, durantibus praesentibus rerum adiunctis, iuxta dispositiones S. Sedis, a S. C. EE. et RR., in una Neritonen. 26 *mart.* 1897 confirmatas, sufficere tres tantum religiosos.... » (A. S. S., t. XXXVIII, p. 144). — Editor Actorum, ad resolutionem adnotabat: « Ergo ad effectum exemptionis, ex hodierna Curiae Romanae praxi, senarius saltem religiosorum numerus habitualiter degentium requiritur. Quinimo pro Italia in praesens etiam ternarius sufficit ». In causa agebatur de parvo nosocomio, in quo tres religiosi laici commorabantur, quorum unus erat novitius: nihilominus S. Congr. pronuntiavit nosocomium esse exemptum. Consultor in voto notabat non officere quod unus e tribus esset novitius; quia « in favorabilibus novitii professis aequiparantur ».

P. FERRARI, p. 211, postquam dixit conventus, qui sex religiosos non alunt, non gaudere exemptione, addit: « Quoad alios conventus qui sex aut plures, sed non 12 religiosos habent, probabile saltem est eos, sin ex stricto iure, saltem ex hodierna Ecclesiae praxi, visitationi ac iurisdictioni Ordinariorum non subiacere, nisi forte aliquando, ob extraordinaria adiuncta ad id devenire, praevia Sedis Apostolicae approbatione, necesse sit ». Postea notat idem Auctor: « Imo ipsum ius Episcoporum visitandi parvos conventus (qui sex religiosos non alunt) in desuetudinem vergere videtur ». Refert aliquam

causam apud *S. Congr. EE. et RR.*, d. 16 *martii* 1866 discussam: in ea Auctor disceptationis synopticae animadvertebat quod « S. Congr. Conc., in responsionibus ad Episcoporum relationes, quod pertinet ad parvorum conventuum visitationem, solemne habeat nullatenus urgere, ut hoc ius, *quod ab omnibus ordinarie omitti solet*, exercere studeant, dummodo peculiares circumstantiae aliter fortasse non suadeant. Neque diversa est S. Congregationis EE. et RR. disciplina ». Idem testatur Wernz, n. 620; imo, ait, interdum expresse suadetur Episcopis ut ab exercitio iuris abstineant. Attamen ius visitandi, si conventus sex Religiosos non alat, est indubium (f).

6. De grangiis (a). — Duae sunt species grangiarum monasteriorum. Grangiae primae speciei, seu proprie dictae, sunt domus rurales seu praedia rustica sub proprietate et dominio alicuius monasterii, in quibus non consueverunt degere religiosi, sed tantum aliqui conversi ad ea colenda, in quibus nulla est ecclesia vel publicum oratorium, sed tantum privatum, ubi aliquando religiosi, sive ex licentia Episcopi, sive ex privilegio celebrant. — Grangiae secundae speciei seu proprie *membra*, sunt revera parvi conventus in locis ruralibus existentes et dependentes ab aliquo monasterio principali, in quibus vivunt aliqui religiosi, non conversi tantum sed etiam clerici. — Grangiae primae speciei non sunt loca religiosa nec sacra nec pia, sed privata et profana. De his non loquitur Innocentius x in suis duabus Constitutionibus *Instaurandae* et *In parvis*, sed tantum de grangiis secundae speciei, quae sint parvi conventus et membra monasterii principalis (b).

(f) In Acta S. Sedis, t. vii, p. 626, est responsum datum d. 23 *aug.* 1873 Episcopo (non dicitur cuius regionis) interroganti: An, vigore decreti *Ut in parvis*, visitare posset parvum conventum S. Restitutae, in quo a sua primaeva fundatione a. 1602 sequuta, tres semper religiosi, quorum duo sacerdotes, habitavere? Responsum fuit: « Affirmative ».

6. (a) Quae hic de grangiis dicuntur, sumuntur e Fagnano, *Disceptatio super grangiis eorumque oratoriis*: (habetur in cap. *Auctoritate, de Censibus*, iii, 39). Fagnanus autem erat Secretarius Congr. Concilii sub Innocentio x: magnam partem habuit in CC. *Instaurandae*, et *Ut in parvis*, ac in toto negotio de suppressione parvorum conventuum. Unde obtinet in hac materia maximam auctoritatem.

(b) Hoc manifeste probat Fagnanus, n. 3, contextu duorum Constitutionum et Epistolae circularis anni 1653. In Constitutione *Instaurandae* supprimuntur omnes parvi conventus « etiamsi sint hospitia vel grangiae

Grangiae primae speciei eorumque oratoria privata (si ex privilegio habeant), sive pertineant ad conventus exemptos sive ad non exemptos, non subiacent visitationi Episcopi, eo quod non sunt loca religiosa nec sacra nec pia, sed profana (etiam oratoria esse loca profana probat Fagnanus, n. 11 et 12, quia non deputantur ab Episcopo in perpetuum cultui divino nec ab eo benedicuntur). — Verum conversi qui in his grangiis degunt, si delinquunt, subiacent correctioni Episcopi ceu delegati S. Sedis (ex TRIDENT., *sess.* VI, c. 3, *de Reform.*),(c) quia sunt Regulares extra claustra (ita Fagnanus, l. c., n. 26); at si nullum praecesserit delictum, non videntur posse visitari personaliter ab Episcopo: nam eo ipso quod Tridentinum hanc

---

vel alterius monasterii membra, in quibus ob parvum numerum religiosorum regularis disciplina servari non potest »: ergo agitur de his tantum grangiis aut praediis, quae sint conventus, non de meris possessionibus ruralibus.

Haec explicatio multum illustratur per secundam Epistolam circularem a. 1653. In illa dicitur: 1° In Const. *Instaurandae,* circa extinctionem et suppressionem parvorum conventuum, comprehendi etiam membra monasteriorum et grangias, in quibus ob parvum numerum religiosorum regularis disciplina observari non potest, etiamsi sint parochiales. — 2° Ideo Superiores debere retrahere ex his membris et grangiis et parochialibus religiosos qui in eis versantur, et eos in monasteriis ubi viget observantia collocare. — 3° Episcopos non debere permittere quod in his membris, grangiis et parochialibus habitet ullus sacerdos aut clericus professus; possunt tantum ibi a Superioribus relinqui, ubi saeculares coloni deficiant, aliqui conversi professi bonae vitae. In ecclesiis autem aut capellis dictorum membrorum, in quibus missae publice celebrantur, adhuc celebrari possunt per sacerdotes saeculares aut etiam regulares, dummodo ibi non pernoctent. — 4° In grangiis aut membris, quae curam animarum adnexam habent, et sunt parochiales, debent nominari vicarii aut perpetui aut amovibiles, ut Episcopo videbitur, sacerdotes saeculares, nullo modo regulares. Nominatio horum vicariorum ad Superiores regulares pertinet, sed approbari debent ab Episcopo, et portio congrua eis assignari debet. — 5° Sua Sanctitas non intendit ut ex hac extinctione et suppressione, in possessione et proprietate bonorum membrorum et grangiarum ullum praeiudicium obveniat illorum monasteriis, quibus haec bona debentur ». Ex his omnibus clarum est hic agi de solis grangiis 2ae speciei.

(c) TRID., *sess.* VI, c. 3, *de Reform.:* « Nemo saecularis clericus cuiusvis personalis (privilegii praetextu), vel regularis extra monasterium degens, etiam sui Ordinis privilegii praetextu, tutus censeatur, quominus, *si deliquerit,* ab Ordinario loci, tamquam super hoc a Sede Apostolica delegato, secundum canonicas sanctiones visitari, puniri et corrigi valeat ».

restrictionem ponit « si deliquerit », alios casus a facultate visitandi et corrigendi Episcopo concessa excludit. Nec obstat Trid., *sess.* xxv, c. 4, *de Regul.*: quia ibi quaestio est de Regularibus qui degant extra claustra sine Superiorum suorum facultate aut contra praescripta S. Sedis; S. Sedes autem grangias permittit (d).

Grangiae secundae speciei personaeque in eis degentes, sicuti parvi conventus, subsunt cumulative visitationi Episcopi et Superioris regularis; sed eorum ecclesiae aut capellae publicae, si agitur de grangiis suppressis et ad statum saecularem redactis (e), privative Episcopi visitationi subiacent, non autem Superioris religiosi; si autem non fuerint suppressae, tunc (quia remanent loca religiosa) cumulative visitationi Episcopi et Superioris regularis. In neutro casu Episcopus

---

(d) Huic resolutioni, ait Fagnanus, opponi possunt declarationes ad dubia 5, 6 et 7 d. 27 *iul.* 1655. Dubium 5um erat : An ecclesiae dictorum conventuum et capellae grangiarum, in quibus degunt conversi pro agrorum cultura, ab Episcopo visitari possunt ? Resp. « Posse ». — Dub. 6um : An ipsae grangiae et conversi in ipsis degentes, subsint visitationi Episcopi ? Resp. « Subesse ». — Dub. 7um : Quid de ecclesiis et capellis grangiarum in quibus nullus degit conversus, an similiter subsint Episcopi visitationi ? Resp. « Itidem subesse ». Haec non officiunt resolutioni, ait Fagnanus, n. 20. Nam hae declarationes intelligendae sunt de ecclesiis et capellis publicis grangiarum dumtaxat et de grangiis iis adnexis, non autem de capellis privatis adnexisque grangiis. Ratio est, quia hae declarationes datae sunt super decreto *Ut in parvis;* quod decretum est « super subiectione nonnullorum *conventuum* iurisdictioni Ordinarii loci », et hoc tum in titulo, tum initio ipsarum declarationum repetitur. Nec refert, ait Fagnanus, quod in his dubiis agatur de grangiis ubi nulli sint clerici, sed tantum conversi, aut nec etiam conversi (quod convenit grangiis primae speciei); quia saepe fit ut ex parvis conventibus aut grangiis 2ae speciei variis ex causis retrahantur clerici aut etiam conversi, sed nihilominus, quia prius erant loca sacra ac capellas publicas aut ecclesias habebant, remanent semper loca sacra, et proinde ecclesiae et capellae cum grangiis adnexis, quoniam non sunt in conditionibus ad exemptionem requisitis, visitationi et correctioni Episcopi subiectae remanent.

(e) Hoc ius speciale fuit introductum ab Innocentio x. Grangiae suppressae erant loca religiosa ideoque ecclesiastica : eas supprimendo, Pontifex possessionem aut reservavit, aut conventibus a quibus pendebant reliquit (Declarationes 11 *sept.* 1670, ad 1); sed earumdem ecclesias visitationi Episcopi privative subiecit, grangias autem ipsas cumulative Episcopi et Superioris regularis (ibid., ad 1 et 2).

in temporalibus se ingerere potest: ita in declarationibus 11 *sept.* 1670 (FERRARIS, v. *Conventus,* art. 2, n. 21).

7. De iurisdictione ab Episcopo exercenda in parvos conventus et membra, seu grangias 2ae speciei, aut in ecclesias parochiales etiam conventuum exemptorum. — Haec iurisdictio fuit determinata declarationibus 17 *iul.* 1655: *a)* Non permittitur Episcopo Superiores horum conventuum aut membrorum deputare et familiam constituere (dub. 1). — *b)* Sed potest se ingerere in his quae ad regularem disciplinam spectant (dub. 4), et a Superiore petere ut aliquos subditos amoveat (dub. 2). — *c)* Potest exigere rationes administrationis, libros introitus et exitus (dub. 3). — *d)* Superior regularis, scilicet Provincialis aut Superior conventus a quo membrum dependet, omnem suam iurisdictionem exercere potest, non tamen privative ad Episcopum (dub. 11); potest amovere subditum (dub. 14), non tamen ab Episcopo inquisitum (dub. 13).

Illud notandum est: si in conventu non suppresso non adsint de facto sex illi religiosi qui requiruntur ut sit exemptus, absente nimirum uno aut pluribus qui habitualiter in eo degunt, conventus subiacet iurisdictioni Ordinarii [a]; verum redeuntibus absentibus aut alias impleto numero sex religiosorum, conventus recuperat exemptionem (dub. 16 et 17). — Episcopo autem non licet visitare conventum ad effectum cognoscendi an sex adsint religiosi, sed debet prius illi constare de deficentia numeri et illud fundamentum suae intentionis visitandi declarare tenetur (dub. 8).

8. De exemptione in Missionibus. — Leges, quae praescribunt quibus conditionibus novi conventus erigi possunt et quisnam numerus religiosorum in eis requiratur ut ab Ordinarii iurisdictione eximantur, locum non habent in locis missionum. Ius quoad haec loca a LEONE XIII, C. *Romanos Pontifices* (1881), sic refertur, n. 9: « Iam vero S. Congr Christiano nomini propagando pluries declaravit Constitutiones Clementis VIII, *Quoniam* (1603), Gregorii XV, *Cum alias* (1622), Urbani VIII, *Romanus Pontifex* (1624), itemque Constitutiones

---

7. (a) Ita quidem in his declarationibus, sed si ex praxi actuali S. Congr. non urget visitationem parvorum conventuum, imo ab ea dissuadet, ut dictum est n. 5, quanto magis censenda est eam dissuadere, quando ex absentia aliquorum religiosorum, conventus habitualiter exemptus invenitur non habere ad breve tempus sex religiosos praesentes.

Innocentii X, non esse de domibus et hospitiis missionum intelligendas. Ac merito quidem. Nam cum dubium iamdudum fuisset propositum Clementi VIII, utrum religiosi viri, ad Indos missi ad culturam animarum, existimandi essent quasi vitam degentes extra coenobii septa, proindeque Episcopis subesse Tridentina lege iuberentur: Pontifex ille per Constitutionem *Religiosorum quorumcumque* (1601) decreverat eos reputandos esse tamquam religiosos viventes intra claustra, quamobrem in concernentibus curam animarum Ordinario loci subesse, in reliquis vero non Ordinario loci sed Superioribus suis subiectos remanere. Nec aliud sensit iudicavitque Benedictus XIV in suis Constitutionibus *Quamvis* (1746), *Cum nuper* (1751) et *Cum alias* (1753). Ex quibus omnibus liquet, etiam hospitia ac domos, quantumvis incolarum paucitate infrequentes [a], huius de quo agitur privilegii iure comprehendi, idque non in locis solum ubi sunt Vicarii apostolici, sed etiam ubi Episcopi praesunt: de Episcopis enim in Constitutionibus, quas memoravimus, agebatur ». Deinde, n. 10, Pontifex definit de Regularibus in Anglia: « Quamobrem in praesenti etiam Ecclesiae Catholicae apud Britannos conditione, declarare non dubitamus: Regulares, qui in residentiis missionum commorantur, exemptos esse ab Ordinarii iurisdictione, non secus ac Regulares intra claustra viventes, praeterquam in casibus a Iure nominatim expressis et generatim in iis quae concernunt curam animarum et sacramentorum administrationem ». Quae declaratio valet a fortiori pro Missionibus.

9. De exemptione dispersorum. — Dispersis in Italia religiosis post a. 1860, statim quaestio mota est, utrum hi religiosi, utpote extra claustra versantes, Episcoporum iurisdictioni subiacerent, an contra exemptionis privilegium servarent. Iudicatum est media quadam via esse procedendum.

---

8. (a) Etiamsi in eis aliquis religiosus *solus* vivat. Initio enim n. 8, referebat Pontifex dubium exortum fuisse de religiosorum exemptione, qui in Anglia et Scotia missionum caussa consistunt: « hi enim ut plurimum, in privatis domibus, terni, bini, interdum singuli commorant ». Porro omnes hos pronuntiat exemptos, quia vivunt in loco missionum. — Idem declaratum fuerat a BENED. XIV, C. *Apostolicum ministerium* (1753), § 15, quamquam Regulares Missionarii « apud privatos ut plurimum seorsim, ut in Anglia contingit, commorent »; quos decernit, non obstante aliquorum dubio, non esse habendos tamquam extra claustra degentes et ideo Episcopis subiectos.

Ideo prodierunt duae *Instructiones* S. Poenitentiariae, d. 18 *aprilis* 1867 et d. 12 *sept.* 1872, quibus nonnulla statuta sunt. Ea, ut fuit declaratum, stricte non valent nisi pro religiosis Italiae, pro quibus edita sunt, et aliis quibus hae instructiones extensae fuerint[a]; attamen mentem S. Sedis aperiunt pro aliis dispersis. Sunt autem sequentia:

1. « Regulares a propriis domibus expulsi, praesertim vero clerici professi, quatenus in aliud coenobium recipi nequeant, in peculiarem aliquam domum, a Superioribus suis designandam, conveniant » (18 *apr.* 1867, n. 1).

2. S. Poenitentiaria « decernit praefatas domos, dummodo in eas tres saltem ad ibi degendum convenerint Regulares, quorum unus ad minus sit sacerdos, Iurisdictioni ministri Provincialis fore subiectas, easque regendas esse per peculiarem Superiorem ibi constituendum (ib., n. 3).

3. Declaratum fuit « ecclesias et domos » (a quibus communitas religiosa fuerat expulsa, in quibus tamen tres religiosi remanserant), necnon « Religiosos ibidem degentes eadem immunitate gaudere a iurisdictione Ordinarii qua antea fruebantur » (12 *sept.* 1872, ad 1). — Idem exemptionis beneficium extensum est ad alios religiosos extra conventus et domos praedictas viventes, « qui violentia impediti simul vivere non possunt, si soleant convenire ad sacras functiones in ecclesia propria peragendas, et ad ea quae ad Ordinem et conventum pertinent curanda » (ib., ad 2).

4. Viventes extra claustra et domos praedictas subsunt iurisdictioni Ordinarii loci, quoad politiam et disciplinam ecclesiasticam, sed quoad disciplinam regularem et obligationes vitae religiosae iurisdictioni suorum Superiorum regularium subsunt[b]. Deinde declaratum fuit Regularibus huiusmodi

---

9. (a) S. Congr. Episcop. et Regul. interrogata: « An S. Poenitentiariae responsum diei 12 *sept.* 1872 derogavit omnino decreto Innocentii *Ut in parvis*, cum declarationibus? » respondit: « Pro locis, ad quae extenduntur instructiones S. Poenitentiariae diei 18 *aprilis* 1867, et durantibus praesentibus adiunctis, affirmative » (d. 26 *mart.* 1897).

(b) « Pariter curandum ut etiam Regulares, qui extra claustra et praefatas domos, tamquam saecularizati ad tempus, vivere coguntur, in sua vocatione permaneant... Unde omnibus.... Superioribus regularibus S. Poenitentiaria declarat, ipsorum iurisdictionem in proprios subditos suppressos etiam extra claustra viventes minime cessasse. Nam licet quisque Regularis degens extra claustra, quoad politiam et disciplinam ecclesiasticam ab iurisdictione Ordinarii loci, in quo degit, exemptus non sit, attamen

Ordinarios non posse, vi iurisdictionis quam in eos habent quoad politiam et disciplinam ecclesiasticam, iniungere independenter a beneplacito Superioris regularis executionem muneris aut officii alicuius ecclesiastici permanenter et irrevocabiliter (12 *sept.* 1872, ad 5).

Et haec quidem pro Italia et locis quibus hae facultates fuerint extensae.

Dispersis in Gallia religiosis, anno 1880, prodiit d. 30 *iul.* 1881 *decretum S. Congregationis EE. et RR.*[c]. In eo nihil explicite dicitur de religiosis qui ternario aut maiori numero convenerint in aliquibus domibus. De iis qui soli extra claustra vivere coguntur, dicitur quod sint « sub obedientia Ordinarii loci, tamquam saecularizati ad tempus et ad nutum S. Sedis et ipsius Superioris ». Voluit S. Pontifex « ipsos Ordinariis locorum, etiam in muneribus sacri ministerii obeundis, ac praesertim in cura animarum exercenda, obedire omnino teneri ». Quod tum de Regularibus, tum de sacerdotibus aliorum Institutorum S. Sanctitas voluit intelligi (ibid.).

Sed multo magis explicita de exemptione habentur in duabus *Instructionibus,* quae post legem gallicam 1[i] Iulii 1901 datae sunt, una ad Antistites, altera ad Superiores Congregationum Galliae (d. 10 *iulii* 1901).

In prima ad Antistites, n. 3 dicitur: « La lecture du Document ci-inclus (l'Instruction aux Supérieurs) ne manquera pas

---

quoad disciplinam regularem et obligationes quae ex religiosa professione promanant et cum novo eius statu sunt compatibiles, propriis Superioribus subesse eisque obedire tenetur » (18 *apr.* 1867, n. 2).

(c) In hoc decreto, n. 2, dicitur : « Ad religiosos eiusdem regni vi maiori e claustris eiectos, quod iam S. Poenitentiaria pro Regularibus Italiae constituit, *extendendum ita esse existimavit :* Curandum nempe esse pro viribus, ut Regulares expulsi a propriis conventibus in alios conventus collocentur ac recipiantur. Quatenus vero Regulares expulsi, praesertim ob defectum domorum, alibi collocari nequeant, concurrentibus gravibus iustisque causis, super quibus conscientia Superioris Generalis graviter onerata remaneat, ipse Superior Generalis Apostolica auctoritate eisdem indulgere poterit, ut manere valeant extra claustra sub obedientia Ordinarii loci, tamquam saecularizati ad tempus et ad nutum S. Sedis ac ipsius Superioris.... ». Dubia remanet mens Poenitentiariae. Nam ex una parte non loquitur de domibus in quibus terni aut plures habitarent ; ex altera, quod ultimo loco dicit de saecularizatis ad tempus sub obedientia Ordinarii loci, id non pronuntiat nisi de iis qui « ob defectum domorum, alibi collocari nequeant ».

d'appeler votre attention sur le point exceptionnellement grave de *l'Exemption des Réguliers, que le S. Père veut conserver* ». Et n. 4 : « A la verité, les Réguliers, bien qu'exempts, dépendent des Evêques en plusieurs points très importants, comme le marque le document que je vous envoie; mais d'une part, si le S. Siège veut maintenir intégralement la soumission des Réguliers aux Evêques dans les cas qui y sont exprimés, il ne saurait d'autre part permettre que dans les autres cas on méconnaisse ou amoindrisse l'exercice direct et immédiat de son autorité suprême sur les Ordres et les Instituts réguliers, aux quels il a accordé l'exemption.... Cette declaration est la volonté bien arrêtée du S. Père ».

In altera declaratione permittebatur Ordinibus et Institutis petere licentiam seu *autorizationem* a Gubernio, ut ab ipso requirebatur; sed quoad conditionem subiectionis Ordinariis, quam Gubernium exigebat, dicebatur: « Que les Congrégations approuvées par le S. Siège et visées par la Constitution *Conditae* (1900) promettent soumission aux Evêques dans les termes de cette même Constitution. Quant aux Ordres réguliers, qu'ils promettent soumission aux Evêques *dans le termes du droit commun*. Or d'après ce droit commun, comme vous le savez fort bien, les Réguliers dépendent des Evêques pour l'érection d'une nouvelle maison dans le diocèse, pour les écoles publiques, les asiles, les hôpitaux et autres établissements de ce genre, la promotion de leurs sujets aux ordres, l'administration des sacrements aux fidèles, la prédication, l'exposition du S. Sacrement, la consécration des églises, la publication des Indulgences, l'érection d'une confrérie ou pieuse congrégation, la permission de publier des livres; enfin les Réguliers dépendent des Evêques pour ce qui regarde la charge des âmes, dans les endroits où ils sont investis de ce ministère ».

10. De ecclesiis publicis Regularium. — Ecclesiae publicae Regularium sunt, vel 1° ecclesiae ipsorum conventuum seu domorum canonice erectarum et exemptarum; vel 2° ecclesiae adnexae aut unitae, quae sint ipsorum Regularium, sed ubi domum canonice erectam et exemptam non habent, v. g., in beneficiis adnexis, in possessionibus ruralibus, ex privilegio [a]; vel 3° ecclesiae quarum Regulares non habent proprie-

10. (a) Dicitur « ex privilegio »: nam in possessionibus ruralibus, grangiis aut hospitiis, Regularibus ex Iure non licet habere ecclesiam publicam, ut dictum est nn. 6 et 7.

tatem, sed solam administrationem spiritualem ipsis commissam.

Rursus ecclesiae Regularium possunt habere adnexam curam animarum, aut non habere: et in his quae curam animarum habent, haec cura exerceri potest vel per Regularem a suo Superiore deputatum, vel per vicarium saecularem.

His positis, de ecclesiis publicis Regularium haec tenenda sunt.

1. **Ecclesiae conventuum exemptorum, quibus non incumbit cura animarum,** ab omni Ordinariorum iurisdictione et visitatione sunt immunes. Hoc certum est apud omnes et patet ex praxi continua a pluribus saeculis. — Hoc privilegium fuit mendicantibus a Summis Pontificibus largitum, maxime in Constitutionibus quae vocantur *Maria magna* Franciscanorum, Praedicatorum, Servitarum, Minimorum [b], et ad alios Regulares per communicationem privilegiorum extensum.

(b) Vide c. XV, n. 22. In Constitutione *Regimini* SIXTI IV (1474), confirmatur exemptio personarum et locorum FF. Praedicatorum et Minorum, eis duobus ante saeculis concessa, et n. 9 « districtius inhibetur ne quisquam in personas, domos aut loca eorum, utpote prorsus exempta, aliquam praeeminentiam, superioritatem et iurisdictionem quomodolibet exercere praesumat ». Porro ecclesiae conventuum sunt loca Regularium. Similia habet URBANUS V, in Const. *Sacrosancta* (1380) pro Servitis (vide supra, n. 3, *nota* b); item IULIUS II, in Const. *Dudum* (1506) pro Minimis, n. 20 innovat facultatem iam antea ipsis factam, « recipiendi ecclesias, oratoria et loca pro perpetuis usu et habitatione fratrum », improbaturque modus agendi Archiepiscopi Hispalensis, qui Christifidelibus prohibuerat ne in « ecclesiam et domum pro audiendis fratrum missis et praedicationibus confluerent »; et n. 39, conceditur ut in eisdem ecclesiis « quibusvis personis Eucharistiae Sacramentum ministrare ac ministrari facere » possint. Imo in Const. supradicta *Regimini*, n. 13, ipsae ecclesiae parochiales, apud quas fratres domum habent, exemptae declarantur: « Caeterum ne, si ratione parochialium ecclesiarum, apud quas domus eorumdem fratrum constructae fuere aut construerentur in posterum, locorum Ordinarii in eosdem Fratres aliquam superioritatem vindicare tentarent, Fratrum eorumdem quies in aliquo perturbaretur, concedimus (ut per capellanum eas regant, qui) si dicti Ordinis professor existat, dictorum Fratrum libertate et exemptione fruatur; ecclesiae vero praedictae et illarum bona, illa, qua domus fratrum, praerogativa laetetur ». Si istud privilegium quoad ecclesias parochiales partim fuit revocatum, nihilominus ex hoc loco constat ecclesias Regularium privilegio amplissimo exemptionis fuisse donatas; quod, si in aliquibus fuit circumscriptum, in aliis remanet.

Notandum est autem hoc privilegium concessum fuisse non tantum ecclesiis, quae usui privato conventus et monachorum inserviant, sed etiam ecclesiis in quibus admittuntur fideles, praedicationem aut missam audiunt et sacramenta recipiunt.

Nunquam autem fuit revocatum. Revocatum videri posset per TRIDENT., *sess.* VII, c. 8: « Locorum Ordinarii ecclesias quascumque quomodolibet exemptas, auctoritate Apostolica singulis annis visitare teneantur, appellationibus, privilegiis, consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore praescriptis,... penitus exclusis ». Sed quaecumque fuerit tunc, sc. in *sess.* VII, intentio Concilii circa ecclesias Regularium, certum est ex *cap.* 20 *sessionis* XXV, Episcopum nullam habere auctoritatem illas visitandi [c], et ita resolvit S. CONGR. CONCILII. « Caput 8 sessionis VII, ait FAGNANUS [d], quod attribuit Episcopo facultatem visitandi ecclesias exemptas, ex sententia S. Congregationis, non habet locum in ecclesiis Regularium ».

Nec fuit derogatum exemptioni ecclesiarum Regularium per Constitutionem *Inscrutabili* (1622) GREGORII XV. Aliqui dubitarunt, quia in ea statuitur ut Regulares qui ecclesiae sacramenta ministrent, « in his quae eiusmodi administrationem concernunt, omnimodae iurisdictioni, visitationi et correctioni Dioecesani Episcopi, tamquam Sedis Apostolicae delegati, plene in omnibus subiiciantur ». Inde propositum fuit dubium, cui S. CONGR. respondit [e]: « Episcopis non licere, in

---

(c) In dicto cap. 20, *sess.* XXV, *de Regul.*, visitatio monasteriorum, quae pendent a Superioribus exemptis, his Superioribus committitur, etiamsi monasteria sint commendata (quidquid statutum fuerit *sess.* XXI, c. 8, *de Reform.*) et caput clauditur his verbis: « In caeteris omnibus (scil. praeter visitationem monasteriorum Superioribus regularibus impositam), praefatorum Ordinum privilegia et facultates, quae ipsorum personas, loca et iura concernunt, firma sint et illaesa ». Ideo in hoc capite confirmatur exemptio ecclesiarum Regularium.

(d) FAGNANUS, tomo I, cap. *Grave*, 19, *De officio iudicis ordinarii*, lib. I, tit. X, n. 18. In hoc capite Fagnanus totam quaestionem exemptionis Regularium tractat. — N. 9 notat: « De visitatione ac iurisdictione Episcoporum in ecclesias et personas huiusmodi (scil. exemptas) varia decreta in Trident. Conc. atque in Constit. Apostolicis ad idem Concilium spectantibus reperiuntur; et ob multiplicem casuum diversitatem, facile possunt perplexitatem ingerere ».

(e) Hae declarationes inveniuntur in BULL. ROM. ad calcem Constit. *Inscrutabili:* apud VERMEERSCH, t. II, p. 676; apud FERRARIS, v. *Regulares*, art. 2, n. 6.

vim eiusdem Constitutionis visitare altaria ecclesiarum Regularium, quibus non incumbit cura personarum saecularium, nec loca ubi in eisdem ecclesiis asservatur SS. Eucharistiae Sacramentum, vel ubi confessiones personarum saecularium audiuntur ».

In hoc responso, ante dubiorum resolutionem praemittitur haec generalis declaratio: « S. Congr. Cardinalium C. Tridentini interpretum censuit, Constitutionem s. m. Gregorii XV, de exemptorum privilegiis, nequaquam subiicere Regulares exemptos, quibus cura animarum personarum saecularium non incumbit, Episcoporum iurisdictioni, in his quae sacramentorum administrationem concernunt, nisi cum in sacramentis personis saecularibus administrandis iidem Regulares delinquunt » (f).

11. II. **Ecclesiae conventuum exemptorum, quibus incumbit cura animarum,** necnon personae in eis hanc curam exercentes, quoad ea quae curam animarum respiciunt, subsunt iurisdictioni Ordinariorum. Ita ex Const. *Dum intra*, LEONIS X, § 3, — ex TRIDENT., *sess.* XXV, c. 11 *de Regul.*, — ex C. *Inscrutabili*, GREGORII XV (1612), — ex C. *Firmandis*, BENED. XIV (1744).

LEO X: « Sacro approbante Concilio statuimus et ordinamus, quod Episcopi..... parochiales ecclesias ad eosdem Fratres ratione locorum suorum legitime spectantes, quoad ea quae ad parochianorum curam et sacramentorum conservationem administrationemque pertinent (sine tamen visitatorum [sc. Fratrum] insolito gravamine vel impensa) visitare, et illarum curam gerentes et circa illam delinquentes, si religiosi fuerint, iuxta ipsius Ordinis regularia instituta, intra septa regularis loci,... punire (valeant) ».

TRIDENTINUM: « In monasteriis seu domibus virorum seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum saecularium, praeter eas quae sunt de illorum monasteriorum seu

---

(f) Anno 1866, Episcopus aliquis interrogavit S. Congr. EE. et RR. Censebat visitare posse ecclesias Regularium exemptorum, ex eo « quod sacerdotes saeculares missae sacrificium perlitare et confessiones ibi audire solerent, quod christiana doctrina et catechismus in eis explicaretur, quod divinae functiones extra ordinem absque suo consensu non sine damno parochorum celebrarentur ». S. CONGR. EE. ET RR., 16 *mart.* 1866, respondit: « Prout exponitur, non constare de iure Episcopi peragendi sacram visitationem » (A. S. S., t. II, p. 151).

locorum familia, personae tam regulares quam saeculares huiusmodi curam exercentes subsint immediate, in his quae ad dictam curam et sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi et correctioni Episcopi in cuius dioecesi sunt sita » (a).

Gregorius xv renovat decretum Tridentini praecedens, et quoad rem praesentem statuit, ut tam regulares quam saeculares, quomodolibet exempti, curam animarum agentes personarum saecularium, sive haec cura incumbat monasteriis seu domibus regularibus, sive quibusvis aliis ecclesiis vel beneficiis, « omnimodae iurisdictioni, visitationi et correctioni Dioecesani Episcopi, tamquam Sedis Apostolicae delegati, plene in omnibus subiiciantur ». Revocat omnia privilegia contraria.

Benedictus xiv totam rem magis accurate definit. Declarat non tantum personas curam animarum exercentes, sed etiam ecclesiam in qua exercetur, subiacere iurisdictioni Episcopi: aliis verbis, Episcopus exercere potest visitationem tum localem, tum personalem personarum quibus subest cura animarum. Haec minutatim determinantur §§ 7, 8, 9.

Quoad visitationem localem, Episcopus potest visitare altare in quo asservatur SS. Sacramentum et tabernaculum, non alia altaria; confessionale in quo parochus audit confessiones, non alia; vasa sacra, sive quibus particulae sacrae asservantur, sive quibus olea sancta aut aqua benedicta continentur; supellectilem pro Sacramentorum administratione, et sacrarium in quo servatur; fontem baptisterii, pulpitum, sepulchrum pro sepultura, coemeterium, turrim campanariam, si ecclesia habeat (n. 7) (b).

---

11. (a) Duae ibidem fiunt exceptiones (praeter aliam circa monasterium Cluniacensem): 1ª circa monasteria et loca in quibus Abbates generales seu capita Ordinum sedem ordinariam principalem habent; 2ª circa monasteria seu domos, in quibus Abbates aut alii Regularium Superiores « iurisdictionem episcopalem et temporalem in parochos et parochianos habent ». Haec monasteria cum eorum ecclesiis, et curam animarum in eis agentes non subiacent iurisdictioni Episcoporum, nisi hi specialia iura habeant, ut ibidem dicitur his verbis: « salvo tamen eorum Episcoporum iure qui maiorem in praedicta loca vel personas iurisdictionem haberent ». — Nihilominus in his etiam ecclesiis rector praefici nequit, etiam regularis, nisi praevio Episcopi examine et approbatione, uti statuit Bened. xiv, C. *Firmandis*.

(b) Si ad visitationem praeparandam Episcopus praemittat Missionarios, sive saeculares sive alterius Ordinis, « praedicti missionarii a Re-

Quoad visitationem personalem parochi, Episcopus rationem de his, quae ad regularis instituti observationem spectant, exigere nequit : sed potest inquirere de eius moribus et vita, si qua extra claustra prodierunt, et « quidquid a parocho saeculari exquirere et exigere solet, id omne, regulari observantia unice excepta, a parocho regulari exquirere et exigere potest : atque ubi hunc muneri suo defecisse compererit,... meritas in eumdem poenas statuere. Ita n. 10. Plura num. praec. explicite enumeraverat, super quibus Episcopus parochum regularem examinare potest.

Potestas autem Episcopi non est privativa, sed cumulativa cum potestate Superioris regularis, ita tamen ut in casu conflictus praevaleat auctoritas Episcopi (n. 10) [c]. Deinde n. 12 pronuntiat potestatem Episcopi in his omnibus, « iuxta magis receptam sententiam », esse ordinariam. Gregorius XV dixerat Regulares curam animarum agentes Episcopo subiacere tamquam S. Sedis delegato. Unde videtur Episcopum utraque potestate frui, ordinaria scilicet et delegata (vide dicta n. 2).

S. Congr. EE. et RR., d. 11 *maii* 1904, in aliqua decisione particulari, pronuntiavit Episcopum non habere ius visitandi librum missarum manualium in ecclesia Regularium etiam parochiali [d].

12. III. **Ecclesiae quae non sunt ecclesiae conventuum exemptorum, sed eis sunt perpetuo adnexae** (v. g., ecclesiae quae inveniuntur in beneficiis adnexis, vel, ex speciali privilegio, in possessionibus ruralibus aliisve membris), aut habent curam animarum, aut non habent.

1° Si habent curam animarum, ab Episcopo visitari possunt eodem modo ac ecclesiae ipsorum conventuum, quae eamdem curam habent. Hoc certum est : decernitur explicite in

---

gularibus parochis seu curatis libenter excipi debent, omnibusque iuvari, quibus ad iniunctum sibi onus adimplendum opus illis esse contigerit » (§ 5).

(c) Haec omnia rursus exponit idem Pontifex in Constit. *Cum nuper* (1751) data pro Indiis occidentalibus (§§ 5, 6, 7), necnon in Const. *Apostolicum ministerium* (1753) pro Anglia data (§ 12 et sqq.).

(d) « Mens est, quod exemptio a iurisdictione episcopali FF. MM. competens extenditur etiam ad missas manuales ; ideoque Episcopus in visitatione canonica (propter ecclesiam parochialem monasterio adnexam) nullam sibi vindicare potest inspectionem librorum missarum manualium in paroecia Fratrum » (A. S. S., t. XXXVI, p. 718).

Const. *Firmandis* Benedicti xiv (1744), § 7: « In exequenda vero pastorali visitatione ecclesiarum parochialium, *quae a Regularibus administrantur,* minime licet Episcopo omnia ecclesiarum huiusmodi altaria visitare, etc... » ; et nn. 8 et 9, de personali parochi harum ecclesiarum visitatione, ea dicuntur quae superius sunt recitata: conveniunt enim omnibus ecclesiis quae a Regularibus administrantur.

De visitatione parochi et aliorum Regularium, qui parochiae inserviunt, haec habet Ferraris (v. *Regulares, art.* 2, n. 37): « Regulares degentes in parochialibus monasterio unitis non possunt puniri ab Ordinariis, nisi delinquant circa curam animarum et sacramentorum administrationem. Sic fuit a S. Congr. resolutum: et ratio est, quia ipsi censentur degere intra claustra ». Ideo, addit, casus ille diversus est a casu quo Regulares degunt in servitio Ordinis (non iam parochiae) in parvis conventibus aut in membris, quae exemptione non gaudent.

Idem dicit Fagnanus, t. 1, in c. *Grave*, 19, *De officio iudicis ordinarii*, l. 1, tit. 31: « Quod si monasterio parochiales ecclesiae perpetuo unitae vel adnexae reperiantur, Episcopus potest illas visitare, non tamen potest visitare domos ipsarum parochialium, in quibus non viget regularis observantia, sed *soli* parochi regulares ab ipso approbati habitant, ut alias respondit Congregatio ».

2° Si autem in his ecclesiis adnexis non exercetur cura animarum, iis applicari debent quae nn. 5, 6 et 7 dicta sunt de parvis conventibus et grangiis: scilicet, secundum ius praesens, si in domibus his ecclesiis adnexis non habitent sex regulares, nec domus nec ecclesiae sunt exemptae [a].

Recordandum est insuper (vide n. 6), in grangiis proprie dictis Regularibus non licere *proprio iure* aperire ecclesias aut cappellas publicas: si ergo id faciant ex licentia Episcopi, hae ecclesiae aut cappellae iurisdictioni et visitationi Episcopi subiacent [b]. Et hoc fuit declaratum a S. Congr. super

---

12. (a) Si vero in domibus annexis his ecclesiis habitarent sex ad minus religiosi, iam istae domus cum eorum ecclesiis essent veri conventus, etiamsi a maioribus conventibus tamquam membra dependerent: ergo domus et personae sunt exemptae, secundum ea quae n. 10 dicta sunt; sed nonnisi secundum praescriptiones Iuris erigi debuerunt.

(b) S. C. C., 9 *febr.* 1754, declaravit, aliquibus religiosis S. Benedicti Ulysipone degentibus non licuisse ecclesiam ruralem in quodam ipsorum praedio aedificare absque licentia Episcopi.

STATU REGUL., *die* 11 *sept.* 1670, *ad* 5. « Grangias seu membra alicuius monasterii nunquam suppressa [c], in quibus non degunt saltem sex religiosi, subesse iurisdictioni ac visitationi Ordinarii loci ac Superiorum Regularium cumulative, videlicet Ordinario tamquam Delegato Sedis Apostolicae, ex decr. *In parvis*, Regularibus autem iure ordinario ». Ita tenet PIAT, t. II, p. 90, q. 3 [d].

13. IV. **Ecclesiae saeculares, quae Regularibus committerentur** [a] ut eis inserviant, sive sint parochiales sive non, subsunt visitationi Episcopi. Sic TRIDENT., *sess.* VII, c. 8: « Locorum Ordinarii Ecclesias quascumque, quomodolibet exemptas, auctoritate Apostolica, singulis annis visitare teneantur ». Nec quoad eas valet c. 20, *sess.* XXV, *de Regularibus:* illud enim unice respicit monasteria et alia loca Superioribus regularibus subdita. Ita PIAT, t. II, p. 90, q. 1. — Forsan aliter dici posset ex C. *Firmandis*, n. 7, ubi de omnibus ecclesiis parochialibus, *quae a Regularibus administrantur,* BENED. XIV de-

---

(c) Hic non fit expressa mentio ecclesiarum: sed ecclesia, si in loco habetur, est pars grangiarum aut membrorum; est ergo subiecta iurisdictioni et visitationi, sicut totus locus. De caetero in dubiis 1 et 2 fit explicita mentio ecclesiarum (Haec dubia, d. 11 *sept.* 1670 resoluta, referuntur a FERRARIS, v. *Conventus*, a. 2, n. 21; a BIZZARRI, p. 298).

(d) Aliam doctrinam tenet FAGNANUS (t. I, c. *Grave, De officio iudicis ordinarii*, n. 18). Iuxta ipsum ecclesiae adnexae, quibus non imminet cura animarum, non subiacent visitationi Ordinarii, nisi sint commendatae et in ipsis non vigeat observantia regularis. Hoc deducit ex Trident. c. 20, *sess.* XXV, *de Regul.* — Sed dicendum est, ex documentis posterioribus tenendam esse doctrinam quae fuit exposita.

13. (a) Regula generalis est, beneficia saecularia quaecumque non esse committenda Regularibus. Ut contrarium fiat, necessaria est dispensatio S. Sedis. Ius vigens breviter exponit BENED. XIV, C. *Cum nuper* (1751), § 1: « Quemadmodum negari nequit, ex veterum canonum lege monachos et Regulares ecclesiarum parochialium regiminis capaces fuisse, de quo diserte pronuntiat INNOCENTIUS III, c. *Quod Dei timorem*, tit. *De statu monachorum,* ita certum nunc est ex recentiori canonica disciplina, interdictum esse Regularibus parochialem curam assumere sine dispensatione Apostolica. Quae dispensatio a R. P. non aliter concedi solet, quam si pro ea instet Episcopus; ab Episcopo autem sollicitanda non est, nisi Ecclesiae necessitas aut utilitas id suadeat. Qua de re rescriptum adest S. C. C. in haec verba conceptum: Cum fuerit requisitum etc.... In eamdem sententiam deinceps alia complura decreta prodierunt, a SS. PP. confirmata ».

cernit ea quae sola visitari possunt, et quoad alia eas exemptas habet.

14. De nominatione et remotione parochi (seu vicarii parochialis) ecclesiarum parochialium ad Regulares pertinentium[a]. — Ecclesia alicui monasterio triplici modo uniri potest: 1° quoad temporalia tantum; 2° quoad temporalia et spiritualia simul, seu pleno iure; 3° plenissimo iure, ita ut Superior monasterii iurisdictionem in foro externo exerceat super parochianos, et locus iurisdictioni Ordinarii subtrahatur.

1. Quando paroecia monasterio pleno iure est unita, haec de nominatione et remotione parochi sunt statuta[b]:

---

14. (a) De hac quaestione vide Bouix, *de Iure Regul.*, t. II, pp. 15-39; Piat, t. II, p. 20, q. 7.

(b) Ius quoad has paroecias statuitur a Tridentino, *sess.* VII, cap. 7, et *sess.* XXV, cap. 11, *de Regul.*, Constitutione *Ad exsequendum* S. Pii V (1567), et Constitutione *Firmandis* Benedicti XIV (1744). Tridentinum *sess.* VII, *cap.* 7, praescribit ut « beneficia ecclesiastica curata, quae cathedralibus,.... vel monasteriis..... perpetuo unita et adnexa reperiuntur, ab Ordinariis locorum annis singulis visitentur, qui sollicite providere curent, ut per idoneos vicarios etiam perpetuos, nisi ipsis Ordinariis pro bono ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur, ab eis cum tertia parte fructuum, aut maiori aut minori, arbitrio ipsorum Ordinariorum.... ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur ». — Et *sess.* XXV, *cap.* 11, iubet ut « personae tam regulares quam saeculares curam (animarum in his paroeciis) exercentes subsint immediate in his quae ad dictam curam et sacramentorum administrationem pertinent, visitationi et correctioni Episcopi. Nec ibi (pergit) aliqui, etiam ad nutum amovibiles, deputentur nisi de eiusdem consensu ac praevio examine ». — S. Pius V, dicta Constit., § 4, decernit: « Volumus et ita mandamus, quod dicti vicarii perpetui non ad liberam Ordinariorum electionem, sed ad nominationem illorum, in quorum ecclesiis unitis ponentur, cum ipsorum Ordinariorum seu eorum vicariorum, praevio examine, approbatione deputentur ». Tum § 5: « Et si dictae parochiales unitae erunt monasteriis Regularium mendicantium, possint (vicarii parochiales) a Superioribus dictorum monasteriorum nominari ex ipsis mendicantibus. Quod si Ordinarii, praevio examine per se aut eorum vicarios faciendo, idoneos ad curam animarum exercendam invenerint et ita pro idoneis approbaverint, teneantur in vicarios ad nutum tamen Superiorum suorum amovibiles deputare. Idemque etiam servetur in Regularibus monachis tantum » (dummodo cum parocho alii quatuor monachi habitent). — Bened. XIV, citata Const., § 11: « Eveniente autem casu, quo vel Episcopus, vel Superior regularis aliquem ex praedictis pa-

a) Parochus (seu vicarius parochialis) a Superiore domus, cui paroecia adnexa est, praesentatur Episcopo, qui eum examinat, et si aptum invenit, approbare debet.

b) Hic vicarius potest esse vel saecularis vel regularis. Si est saecularis, nisi contrarium Episcopo videatur, a principio perpetuus constitui debet, et proinde amplius removeri nequit nisi ex causa et in forma canonica. Sed quidquid fuerit initio constitutum (nempe sive vicarius perpetuus, sive ad nutum amovibilis fuerit constitutus), id postea mutari nequit sine recursu ad S. Sedem (c).

c) Si vicarius perpetuus saecularis constituitur, ei aliqua portio congrua ex fructibus beneficii assignari debet, quae ab Episcopo taxanda est. Talis vicarius est vere beneficiatus (Ferraris, v. *Vicarius parochialis,* n. 18).

d) Si vicarius parochialis est Regularis, semper remanet ad nutum amovibilis.

e) Vicarius ad nutum amovibilis, sive sit regularis sive saecularis, removeri potest tum a Superiore regulari tum ab Episcopo, quin alter alteri rationes suas aperire teneatur aut ipsius consensum requirere debeat: at alteruter alterum certiorem facere debet, quia in utroque casu nominatio novi parochi tum Superioris tum Episcopi interventum requirit (d).

---

rochis ab exercitio curae removendum eademque privandum esse iudicaverint,... S. Congr. Conc. decrevit huiusmodi parochos tam ab Episcopo quam a Superiore regulari, aequo iure, non requisito alterius consensu, ab animarum cura removeri posse, nec unum alteri causas iudicii sui aperire multoque minus probare et verificare debere. Id quod a Nobis in omnibus approbatur et confirmatur ». — Nihilominus idem Bened. XIV, in Const. *Apostolicum ministerium* (1753), n. 21, relata supradicta independentia Episcopi et Superioris regularis in removendo parocho, addit: « Tamen consentaneum erit, si unanimi voluntate et consensu rem gerant ».

(c) « S. Congr. super statu Regul., S. Domino nostro approbante, praesenti decreto statuit, ut in posterum minime liceat ipsis Ordinariis locorum, ex quavis causa vel praetextu vel quaesito colore, vicarias perpetuas, ab eis vel eorum praedecessoribus in praedictis suppressis grangiis constitutas, facere amovibiles, nec vice versa constitutas amovibiles facere perpetuas, absque licentia S. Congregationis » (8 *oct.* 1670. — apud Bizzarri). — Hoc decretum proprie datur pro ecclesiis parochialibus adnexis grangiis suppressis; sed videtur convenire omnibus ecclesiis parochialibus Regularium.

(d) Episcopus tamen parochum regularem amovere non debet nisi ex gravi causa. Ita respondit S. Congr. de Prop. Fide, 28 *iul.* 1887. Quaerebat quidam Episcopus Statuum Foederatorum Americae: « An necessario

f) Vicarius parochialis regularis, in iis quae ad parochiae curam pertinent, tum a Superiore regulari tum ab Episcopo visitari et corrigi potest, iuxta dicta num. praec. ex Const. *Firmandis.*

2. Si paroecia tantum quoad temporalia monasterio unitur, tunc a parocho saeculari regi debet; sed praesentatio eius ad Superiorem regularem pertinet [e], et si examinatus aptus invenitur, eum Episcopus approbare tenetur. Vicarius debet esse perpetuus nisi Episcopus contrarium iudicet, ex Trid., *sess.* vii, c. 7. Ipse vicarius et ecclesia visitationi Episcopi omnimode subsunt.

3. Si autem paroecia unita est plenissimo iure, tunc Episcopus eius administrationi nullo modo sese immiscere potest, et provisio parochi ad solum Superiorem regularem pertinet. Ita ex Trid., *sess.* xxv, c. 11, et ex Bened. xiv, C. *Firmandis,* n. 12, ubi ait S. Congregationem Conc. respondisse: « In hoc casu, abstinere omnino debet Episcopus tam a visitatione

---

institui debeat processus canonicus ad validitatem actus, qua Episcopus transfert, removet, aut transmutat rectorem missionarium amovibilem ab officio parochi ad officium vicarii auxiliarii, aut ad officium gradus aut dignitatis inferioris? Respondit S. Congr.: « In casibus remotionis peragendae in poenam criminis vel reatus disciplinaris, affirmative; in reliquis, negative: sed opus est ut fiant graves ob causas » (apud Collect. de Prop. Fide, n. 2153).

(e) Ita Ferrari, n. 79, et Wernz, t. ii, n. 840, *litt.* b. Nihil explicite de hoc casu dicitur in praedictis documentis; sed forsan data solutio ex ipsis deduci potest, quia nulla facta distinctione inter ecclesias quoad temporalia tantum aut quoad temporalia et spiritualia unitas loquuntur. Confirmari potest ex resp. 11 *sept.* 1670, ad 4 (apud Ferraris, v. *Conventus,* a. 2, n. 21). Quaerebatur de ecclesiis, quae inveniuntur in grangiis Regularium ab Innocentio x suppressis *et ad statum saecularem redactis:* « An Superiores possint in dictis ecclesiis curam animarum habentibus nominare vicarios ad curam animarum exercendam, eosque ad nutum amovere? Resp.: Superiores regulares posse huiusmodi vicarios nominare, et illos ad nutum amovere, si Ordinarius loci ab initio illos reputaverit amovibiles ». Bouix, t. ii, p. 26, contrariam sententiam probabiliorem habet. Imo censet (p. 29), in parochiis pleno iure adnexis, Superiorem ut vicarium parochialem posse tantum nominare aut subditum ad nutum revocabilem aut saecularem vicarium perpetuum; sed eius probatio est infirma. Bened. xiv, *de Synodo* (l. iii, c. 1, n. 11 et 12, et l. xii, c. 1, n. 2), quamvis id explicite non dicat, videtur admittere Praelatum regularem posse praesentare, ut vicarium ad nutum amovibilem, etiam saecularem.

quam ab alio quocumque iurisdictionis actu in huiusmodi parochos et parochianos. Quod quidem, addit, veluti ipsius Concilii decretis consonum, Nos etiam Apostolica confirmatione roboramus ».

Notandum. Ex Trident., *sess.* xxv, c. 11, in monasteriis seu locis, in quibus Abbates Generales aut Capita Ordinum sedem ordinariam principalem habent, institutio vicariorum parochiarum adnexarum et iurisdictio in ipsos privative pertinent ad hos Abbates aut Generales, nullo modo ad Episcopum. Magis particularia de hoc casu videri possunt in C. *Firmandis,* n. 13 et sq.

15. De his in quibus Regulares Episcopis subiiciuntur [a]. — Non tractabitur hic de subiectione Regularium Episcopis quoad ministeria sacra erga fideles, neque de eorum aptitudine ad haec ministeria, neque de eorum ordinatione: haec in sequentibus capitibus; sed agetur de eorum subiectione in his quae ad vitam religiosam pertinent.

I. **Regulares Episcopis subiiciuntur in erectione novae domus.** — De hoc dictum est c. xiii.

II. **Regulares delinquentes extra claustrum Episcopis subiiciuntur.** — Duo casus diversi distingui debent.

1. *Regularis delinquens degit extra claustra,* id est, habitualiter residet extra conventum exemptum. Hic omnimodae Ordinarii correctioni subest, ex Trid., *sess.* 6, c. 3: « Nemo.... regularis, extra claustra degens, etiam sui Ordinis privilegii

---

15. (a) Plura de hoc argumento statuerunt 1° Leo x, in Conc. Later., Constit. *Dum intra* (1516), de moderatione et declaratione indultorum mendicantibus aliisque Ordinibus concessorum; — 2° Tridentinum, variis sessionibus (verumtamen non omnia privilegia Regularium decretis Tridentini contraria fuerunt ab ipso revocata, sed tantum ea quibus clausula revocationis adnexa est, et insuper omnia decreta *sess.* xxv, *de Regularibus,* ut fuit dictum c. xv, n. 11); — 3° Gregorius xv, Const. *Inscrutabili* (1626); — 4° Benedictus xiv, Const. *Firmandis* (1744); — 5° Leo xiii, Const. *Romanos Pontifices* (1881). — 6° Plura alia magis determinata sunt decretis SS. Congregationum; multa inveniuntur apud Ferraris, v. *Regulares,* art. 2. — 7° Aliqua eorum enumeratio invenitur in *Epistola a C. Gotti* Episcopis Galliae iussu Leonis xiii scripta, 10 *iul.* 1901, et in Instructionibus ad Superiores eodem die datis (vide supra, n. 9).

praetextu, tutus censeatur quominus, si deliquerit, ab Ordinario loci, tamquam super hoc a Sede Apostolica delegato, secundum canonicas sanctiones visitari, puniri et corrigi valeat ».

Hanc Tridentini legem memorat BENED. XIV, Const. *Pontificia* (1746): « Nos itaque Fraternitati tuae in memoriam revocamus omnes et singulos Regulares Episcopo in civilibus subiectos esse eosdemque religiosos, cuiusvis Ordinis et Instituti sint, extra claustra degentes et delinquentes, subiectos esse Ordinario loci uti Sedis Apostolicae delegato, qui eos visitare, punire et corrigere potest, uti conceptis verbis statutum est a C. Tridentino ».

Hoc valet, etiamsi Regularis extra claustra cum Superioris sui licentia degat: Concilium enim nullam distinctionem facit; et *sess.* XXV, c. 4, statuit: « Illi autem qui studiorum causa ad Universitates mittuntur, in conventibus tantum habitent; alioquin ab Ordinariis contra ipsos procedatur » (b).

Attamen Regulares degentes in parochialibus monasterio unitis censentur degere intra claustra (supra, n. 12, et FERRARIS, v. *Regulares,* nn. 37 et 38); item versantes in missionibus (supra, n. 8). Hi igitur correctioni Episcopi non aliter quam alii in claustra versantes subiiciuntur.

2. *Regularis delinquens degit intra claustra,* scilicet habitualiter degit in conventu exempto, sed extra conventum delinquit. Episcopus non potest contra ipsum procedere; sed, si delictum est notorium et fuit scandalo populo, potest ab eius Superiore exigere ut puniatur. Ita TRID., *sess.* XXV, c. 14, *de Regul.* « Regularis, non subditus Episcopo, qui intra claustra monasterii degit, et extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, Episcopo instante, a suo Superiore, intra tempus ab Episcopo praefigendum, severe puniatur, ac de punitione (Superior) Episcopum certiorem faciat. Sin minus a suo Superiore (c) officio privetur, et delinquens ab Episcopo puniri possit ».

(b) Ideo S. CONGR. CONC., 26 *mart.* 1588, resolvit: « Regularis manens extra claustrum, *de licentia Superioris,* etiam in domo destinata ad erectionem monasterii, nisi in dicta domo sit regularis observantia, ut saltem vivat sub Superiore conventualiter, potest puniri ab Ordinario ». Sed in casu hoc particulari, si vivit regulariter sub Superiore, remanet exemptus (FAGNANUS apud FERRARIS, l. c., n. 36).

(c) Scilicet Superior localis a suo Superiore maiore, a quo dependet,

Tria notanda veniunt: 1° Quamvis in casu Episcopus non possit procedere contra delinquentem, potest capere informationem et eam ad Superiorem mittere ut de delicto constet. *Ita S. Congr. Conc.* (Ferraris, l. c., n. 43). — 2° Si Regularis deliquit notorie in ecclesia monasterii et ita fuit scandalo populi, censetur deliquisse extra claustra. *Ita eadem S. Congr.* (Ferraris, l. c., n. 42). — 3° Clemens viii, C. *Suscepti muneris* (1596), statuit quid fieri debeat ut servetur ius Episcopi, in casu quo Superior delinquentis eum non puniat aut e loco moveat ut eum Episcopo subtrahat[d]. Similem solutionem dedit Innocentius x in *causa Angelopolitana* (vide, infra, n. 17).

16. iii. **Regulares extra claustrum degentes quoad causas civiles conveniri possunt coram Episcopo,** iuxta modum a Tridentino statutum, *sess.* vii, *cap.* 14, *de Reformatione;* scilicet: « In exemptorum causis, Constitutio Innocentii iv, *Volentes*[a], in generali C. Lugdunensi edita servetur, quam ea-

officio privari debet. — Ex verbis « officio privetur » apparet hanc poenam esse ferendae sententiae. Imo requiritur instantia Episcopi apud Superiorem maiorem, ut ipse teneatur Superiorem localem ab officio removere (quemadmodum ex nota sequenti apparet).

(d) « Caeterum si Superior in Regularem delinquentem non animadverterit, quinimmo si illum impunitum ad alia Ordinum loca, extra Episcopi dioecesim transmiserit, volumus ut Superior, instante Episcopo, infra terminum ab Episcopo praefigendum.... ipsum Regularem delinquentem a loco, ad quem transmissus fuerit, revocare, et in quo deliquit constituere et sistere teneatur »; et hoc sub poena privationis ab officiis, inhabilitatis ad illa et alia, ac privationis vocis activae et passivae. Ita Clemens viii, C. *Suscepti muneris,* § 3 (Ferraris, l. c., nn. 40 et 41).

16. (a) « Volentes libertatem (quam *nonnullis* Apostolica Sedes privilegio exemptionis indulsit) sic integram observari, ut et illam alii non infringant, et ipsi eius limites non excedant, declaratione irrefragabili definimus quod, quantumcumque sic exempti gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti sive contractus aut rei de qua contra ipsos agitur, rite possunt coram locorum Ordinariis conveniri, et illi, quoad hoc, suam in ipsos iurisdictionem (prout ius exigit) exercere ». Deinde addit quod ii « nec coram Ordinariis ipsis conveniri possunt aliquatenus super istis, si in loco exempto commissum sit delictum, vel contractus initus, aut res litigiosa »; sed contra, « si alibi delinquant vel contrahant, aut res ipsa consistat » et ibi conveniantur, non possint praetextu domiciliorum quae habent, illuc a Dioecesanis remitti.

Sed deinde Pontifex ab omni Ordinariorum iurisdictione immunes,

dem S. Synodus innovandam censuit et innovat; addendo insuper, quod in civilibus causis mercedum et miserabilium personarum, clerici saeculares, aut regulares *extra monasterium degentes,* quomodolibet exempti, etiamsi certum iudicem a S. Sede deputatum in partibus habeant; in aliis vero (sc. causis), si ipsi iudicem non habuerint, coram locorum Ordinariis, tamquam in hoc ab ipsa Sede delegatis, conveniri et iure medio ad solvendum debitum cogi et compelli possint: privilegiis, exemptionibus.... nequaquam valituris ».

Super hoc capite Tridentini, PAULUS V, Constit. *Religiosorum*, refert et confirmat sententiam S. Congr. Concilii. Querela erat Carmelitarum, quosdam Ordinarios locorum contendere *religiosos intra claustrum degentes* coram ipsis Ordinariis conveniri debere in causis civilibus, capite « Volentes » comprehensis, propter illius innovationem a Tridentino. A S. Congr. Conc. fuit responsum: « Neque Constitutione *Volentes,* neque decreto Concilii Tridentini comprehendi Regulares [b], ideoque eos, iuxta eorum privilegia, coram suis Superioribus vel Conservatoribus esse conveniendos; necnon decretum eiusdem C. Tridentini cap. 20 sess. XXIV ad Regulares non pertinere » (Titulus huius capitis est: Ratio tractandi causas ad forum ecclesiasticum pertinentes) [c]. — Haec autem

---

etiam quoad ista, declarat « eos quibus ne interdici, suspendi, vel excommunicari a quoquam valeant, a S. Sede est indultum (sicut sunt Regulares quamplures): Ordinarii iurisdictionem suam, quantum ad ista, ubicumque illi fuerint, penitus exercere non possint ».

Unde patet hanc Constitutionem alios exemptos, non autem Regulares respicere; sed eam Tridentinum ad omnes exemptos extendit.

(b) Ita, sine restrictione, legitur; sed tum ex manifesto textu Tridentini, tum ex verbis ipsius querelae, haec declaratio ad Regulares intra monasterium viventes restringi debet. Sic eam intelligit FERRARIS, v. *Regulares, art.* 2, n. 76: « Regulares intra claustra degentes et habentes suos Conservatores legitime electos, in causis civilibus conveniri solum possunt coram dictis Conservatoribus vel coram suis Superioribus, non autem coram Ordinariis seu Episcopis. Sic pluries decrevit S. Conc. Congr., et expresse statuit ac confirmavit Paulus V, Const. *Religiosorum* ». Ac, v. *Conservatores,* art. 2, n. 35: « Et sic Regulares pro contractibus vel debitis, *si intra monasteria maneant,* conveniendi sunt coram suis Superioribus vel Conservatoribus, non autem coram Ordinariis aut alibi ».

(c) Idem etiam declaravit BENEDICTUS XIII, motu proprio 26 *mart.* 1729 (apud FERRARIS, v. *Regulares,* art. 2, n. 88). Nihilominus notandum est responsum INNOCENTII X, in causa Angelipolitana S. I. (Const. *Cum sicut,* 1648, dub. 6): « An Regulares praedicti gravati aere alieno vel ad

nunc parum sunt in usu: siquidem Potestas civilis non agnoscit privilegium fori Ecclesiae; sed remanet quod Episcopus, ad quem querela contra Regularem intra claustra viventem in causa civili deferretur, non posset sese intromittere, sed tantum si extra claustra degit.

17. IV. **Regulares « delinquentes in personam ipsius Episcopi vel eius iurisdictionem impedientes »** citra ullam exceptionem, ab eodem Episcopo coerceri et puniri possunt. Ita declaravit S. CONGR. CONC., in decreto approbato a Gregorio XIII (ut refert FAGNANUS, t. I, c. *Grave,* n. 76) et citato a BENEDICTO XIV, *de Synodo,* l. IX, c. 15, n. 11, qui addit Episcopum tunc agere ut S. Sedis delegatum [a].

In causa Angelopolitana, INNOCENTIUS X, Const. *Cum sicut* (1648), proposito dubio: « An si contingat ut aliquis praedictorum Regularium insurgat contra Episcopum in propria dioecesi, maledicto, scripto vel dicto populum scandalizando, possit ab Episcopo puniri et qua animadversione? Et qua poena puniendus sit Regularis qui, commorans in una dioecesi, spargat famosos libros contra Ordinarium alterius dioecesis? » — Respondit: « Si Regularis intra claustra degens, extra ea in casibus in dubio expressis ita notorie deliquerit ut populo scandalo sit, Episcopo instante, teneri Superiorem intra tempus ab eo praefigendum, severe illum punire, ac de punitione Episcopum certiorem facere; alioquin sic delinquentem posse ab Episcopo puniri ad praescriptum C. TRIDENT., c. 14 *sess.* XXV, *de Regul.*; quod si delinquens ad aliam dioecesim migraverit, servandum esse quod praescribitur in Const. s. m. CLEMENTIS VIII, *Suscepti muneris* » (1ª series, dub. 12).

18. V. **Regulares delinquentes circa personas degentes intra septa monasteriorum monialium, aut circa clausuram monialium, aut prohibitionem accedendi ad earum monasteria, subiacent correctioni Episcopi.** — Ita GREGOR. XV,

---

ratiocinia vel testamentorum executores possint conveniri coram Ordinario, si Conservatores non nominaverint? » — Resp. « Affirmative ».

17. (a) Notat autem FAGNANUS, decretum S. Congregationis prius fuisse conceptum his verbis: « qui iurisdictionem turbant vel impediunt »; sed Summum Pontificem voluisse ut tolleretur verbum « turbant », quod visum est nimis generale.

C. *Inscrutabili* (1622), § 4: « Ad haec, tam Regulares quam Saeculares huiusmodi nullis privilegiis aut exemptionibus tueri se possint, quominus, si dereliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem monasteriorum monialium etiam Regularibus subiectarum, ab Episcopo loci, similiter tamquam ad hoc Sedis Apostolicae delegato, quoties et quando opus fuerit, puniri et corrigi valeant ».

In declaratione 13ª super hac Constitutione, S. C. C. ait: « Constitutio (quoad hoc) locum habet in omnibus delictis, non autem in notoriis tantum et cum populi scandalo » (apud VERMEERSCH, t. II, p. 677).

Et in altera serie, proposito dubio: « An Regularis absque legitima licentia accedens ad monasterium monialium Regularibus subiectarum, ibique in loco colloquiis destinato cum monialibus colloquens, a dioecesano Episcopo, tamquam Sedis Apostolicae delegato, coerceri et puniri possit? » — S. CONGR. respondit: « Posse ». Quam S. Congregationis sententiam Smus Dom. Urbanus VIII approbavit [a].

19. VI. **Regulares graviter delinquentes in administratione cuiuslibet sacramenti** Episcopo, tamquam Sedis Apostolicae delegato, subiiciuntur.

Ita GREGORIUS XV, Const. *Inscrutabili* (1622): « Decernimus, statuimus ac declaramus, ut deinceps tam Regulares quam Saeculares, quomodolibet exempti, sive animarum curam.... exerceant, sive alias Ecclesiae sacramenta aut unum ex illis ministrent, in his quae eiusmodi curam seu administrationem concernunt, omnimodae iurisdictioni, visitationi et correctioni dioecesani Episcopi, tamquam Sedis Apostolicae delegati, plene in omnibus subiiciantur » (§ 4).

Haec verba Gregorii videntur Regulares, quoad administrationem sacramentorum, iurisdictioni Ordinariorum in omnibus submittere, sive delinquant, sive non delinquant. Verum inferius facultas Episcopis data restringitur ad casus in quibus Regulares deliquerint; additur enim: « Ita ut Episcopi in supradictis casibus, in praenominatas personas in praemissis omnibus et singulis aut circa ea *quomodolibet delinquentes* .... per censuras ecclesiasticas aliasque poenas, uti eiusdem Sedis

---

18. (a) Alia documenta videri possunt apud BENED. XIV, *de Synodo*, l. IX, c. 15, nn. 6 et 7, et FERRARIS, l. c., nn. 22-29.

delegati, procedere omnemque iurisdictionem exercere libere et licite valeant ».

Nihilominus dubia prodierunt: quae S. Congr. Conc., cum approbatione Gregorii XV et Urbani VIII, resolvit[a]. Proposita prima serie 13 dubiorum, eorum solutioni praemissa fuit sequens declaratio: « S. C. C. Tridentini censuit Constitutionem s. m. *Gregorii* XV, de exemptorum privilegiis (sc. Const. *Inscrutabili*), nequaquam subiicere Regulares exemptos, quibus cura animarum personarum saecularium non incumbit, Episcoporum iurisdictioni, in his quae sacramentorum administrationem concernunt, nisi cum in sacramentis personis saecularibus administrandis iidem Regulares delinquunt ».

Ergo ex hac declaratione, quod ad sacramentorum administrationem attinet, Regulares animarum curam non exercentes iurisdictioni Episcoporum non subsunt, nisi circa eam delinquant. Imo Benedictus XIV, *de Synodo*, l. IX, c. 15, n. 11, enumerans casus in quibus Regulares exempti Episcopis subiiciuntur, grave delictum requirit: ait: « *Graviter* delinquentes in administratione cuiuslibet sacramenti, quemadmodum expresse sancitum fuit a Gregorio XV, C. *Inscrutabili* ».

Subsunt ergo omnimodae correctioni Episcoporum confessarii regulares, si violent sigillum confessionis, si sollicitent in confessione, si poenitentes doceant non teneri ad denuntiandum sollicitantes, aut eos de obligatione denuntiandi non moneant: sunt enim haec gravia delicta contra Poenitentiae sacramenti administrationem, et insuper hi casus explicite enumerantur a Gregorio XV, alia Constitutione *Universi* (1622)[b]. Item. confessarius qui exigeret a poenitente

---

19. (a) Hae declarationes sine data inveniuntur in Bullario Romano post Constit. *Inscrutabili* Gregorii XV (1626); eas refert Vermeersch, t. II, p. 676. Complectuntur duas series dubiorum.

(b) § 4 ait: « Statuimus, decernimus et declaramus quod omnes et singuli sacerdotes, tam saeculares quam quorumvis etiam quomodolibet exemptorum.... Institutorum Regulares,... quovis privilegio muniti existant, qui personas, quaecumque illae sint, ad inhonesta.... sollicitare vel provocare tentaverint,... in officio Sanctae Inquisitionis severissime puniantur. Et praeterea omnes Inquisitores et locorum Ordinarios, in suis quemque dioecesibus et territoriis, per has nostras litteras, etiam privative quoad omnes alios, specialiter ac perpetuo iudices delegamus, ut super his contra praedictos, in omnibus, prout in causis fidei,... diligenter inquirant et procedant, et quos in aliquo huiusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos.... poenas decernant. — Et § 7: Mandantes omnibus confessariis ut suos poenitentes, quos noverint fuisse

nomen complicis sub denegatae absolutionis poena si recuset (ex C. Bened. xiv, *Ubi primum,* 1746).

In supradicta S. Congregationis Conc. declaratione notanda est restrictio: « in sacramentis personis *saecularibus* administrandis delinquunt ». Unde sequitur, si in administrandis sacramentis personis regularibus delinquant, eos non subesse correctioni Episcoporum. Excipi debet si delinquerent erga personas degentes intra septa monasteriorum monialium: nam de his fit specialis mentio in C. *Inscrutabili*, ut dictum fuit n. 18 (c).

20. vii. **Regulares delinquentes circa custodiam SS. Eucharistiae,** violando Decretalem Innocentii iii, c. *Statuimus,* 1, *De custodia Eucharistiae,* iii, 44, « ab Episcopo corrigi et puniri possunt, ut rescripsit S. Congr. EE. et RR., decr. 8 *ian.* 1724, ab Innoc. xii approbato ». Ita Bened. xiv, *de Synodo,* l. ix, c. 15, n. 4.

Decretalis Innocentii iii est tenoris sequentis: « Statuimus ut in cunctis ecclesiis Chrisma et Eucharistia sub fideli custodia clavibus adhibitis conserventur; ne possit ad illa temeraria manus extendi ad aliqua horribilia vel nefaria exercenda. Si vero is, ad quem spectat custodia, ea incaute reliquerit, tribus mensibus ab officio suspendatur, et si per eius incuriam aliquid nefandum inde contigerit, graviori subiaceat ultioni » (a).

---

ab aliis sollicitatos, moneant de obligatione denuntiandi sollicitantes.... Quod si hoc officium praetermiserint vel poenitentes docuerint non teneri ad denuntiandum, iidem locorum Ordinarii et Inquisitores illos pro modo culpae punire non negligant ».

(c) Quomodo Regulares dependeant ab Episcopis quoad sacramenta administranda saecularibus et quoad praedicationem, dicetur cc. xviii et xix.

20. (a) Dicit Ferraris (v. *Regulares,* art. 2, n. 71), Regulares subiici correctioni Episcopi, si negligentes fuerint in servanda lampade accensa coram SS. Sacramento; et hoc deducit ex decreto Tridentini, de observandis et vitandis in celebratione Missae. At decretum Tridentini non concernit asservationem SS. Eucharistiae, verum unice Missae celebrationem: ergo assertio fundamento caret. Nec subiectio Episcopis quoad hoc deduci potest ex decretali Innocentii iii aut ex decreto 8 *ian.* 1724. Insuper ecclesiae Regularium sunt ut plurimum a visitatione Episcoporum immunes: ergo Episcopi non est iudicare de facto, an lampas fuerit necne accensa. Attamen hoc ultimum argumentum impugnari potest, dato decr. S. C. C. 21 *mart.* 1642, quod infra (n. 22, 2°) affertur.

21. VIII. **Regulares subiacent Episcopo in publica et solemni S. Eucharistiae expositione.** - Ita S. CONGR. CONC. decreto 17 *aug.* 1630: « S. Congr. censuit non licere Regularibus, etiam in propriis eorum ecclesiis, SS. Eucharistiae sacramentum publice adorandum exponere, nisi ex causa publica *quae probata sit ab Ordinario;* ex causa autem privata posse, dummodo SS. Sacramentum e tabernaculo non extrahatur et sit velatum, ita ut sacra ipsa hostia videri non possit ». Quod decretum refert et approbat BENED. XIV, *de Synodo,* l. IX, c. 15, n. 4. Eamdem doctrinam sic enuntiat in Const. *Accepimus* (1746): « Illud in primis certissimum est huic Sedi Apostolicae, in quibuscumque ecclesiis etiam privilegio immunibus, sive saecularibus sive regularibus, non licere exponi publice divinam Eucharistiam, nisi causa publica et Episcopi facultas intervenerint; solius autem Episcopi partes esse, ut causae publicae meritum expendat ac declaret ».

Decretum S. Congr. Conc. confirmatum fuit responsione S. CONGR. RITUUM, d. 3 *apr.* 1821, ad 4. Quaerebatur: « An, praeter consuetas usuque receptas SS. Sacramenti expositiones, extraordinariae quoque in ecclesiis exemptis fieri possint absque licentia Ordinarii? » Responsum fuit: « Negative, et serventur decreta hac super re pluries edita » (*Decreta authentica*, n. 2613). — Ex hac responsione sequitur, Regulares licentia non indigere pro expositionibus SSmi ordinariis usuque receptis: sufficit tunc licentia generalis quam usus communis probat. Licentia etiam non indigent ad exponendum SSmum inter missarum solemnia et ad vesperas in solemnitate et infra octavam Corporis Christi. Ita S. RIT. CONGR. 20 *apr.* 1641 (*Decreta Auth.,* n. 753).

22. IX. **Regulares subiacent Episcopis in his quae observanda et evitanda sunt in celebratione missae.** — Ita TRIDENTINUM, *sess.* XXII, decr. *De observandis,* etc. Et non solum subiacent in his quae a Concilio praescribuntur, sed in his etiam quae Episcopi statuerint. En verba decreti: « Haec igitur omnia, quae summatim enumerata sunt, omnibus locorum Ordinariis ita proponuntur, ut non solum ea ipsa, sed quaecumque alia huc pertinere visa fuerint, ipsi pro data sibi a sacrosanta Synodo potestate ac etiam ut delegati Sedis Apostolicae prohibeant, mandent, corrigant, statuant, atque ad ea inviolate servanda, censuris ecclesiasticis aliisque poenis, quae illorum arbitrio constituentur, fidelem populum compellant, non obstantibus

privilegiis, exemptionibus, appellationibus ac consuetudinibus quibuscumque » [a].

Inde nonnulla sequuntur:

1° Inter alia in hoc capite Episcopis praescripta dicitur: « Ne patiantur privatis in domibus atque omnino extra ecclesiam et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc sacrificium a Saecularibus vel Regularibus quibuscumque peragi ». Unde (salvis quoad oratoriorum erectionem privilegiis) Regulares indebite celebrantes extra ecclesias et oratoria legitime erecta ab Episcopis puniri possunt. — Item, ait Ferraris (v. *Regulares,* art. 2, nn. 18 et 19), si celebrent in oratoriis privatis contra indulti clausulas, nisi specialia privilegia habeant [b].

Sed Episcopi prohibere non possunt quin Regulares in suis locis exemptis celebrent in loco decenti (a Provincialibus approbato), nec ad hoc Regulares eius licentia indigent: nam decretum Tridentinum « De observandis, etc. » non revocavit privilegia quae Regulares habent erigendi oratoria in suis domibus (vide c. xviii). Ideo S. C. C., *d.* 5 *iul.* 1664, Episcopo, qui decretum fecerat, « quod Capucini non debeant celebrare missam in sacristia aut in aliis cubiculis », scripsit: « Capucinos posse in sacristia vel in alio loco decenti intra monasterium ad hoc destinato celebrare » (Collect. de Prop. Fide, n. 396, 3°).

---

22. (a) « Ex quibus verbis, ait Bened. xiv, *de Synodo* (l. ix, c. 15, n. 5), aperte conficitur amplam atque indefinitam auctoritatem datam esse Episcopis compellendi Regulares quoscumque ad plenam et exactam observationem non tantum eorum quae in praefato decreto continentur, verum etiam aliorum quae ipsimet Episcopi, ad maiorem illius ineffabilis mysterii decorem et cultum, duxerint praecipienda ».

(b) Ita S. Congr. Conc., in Messan., 20 *sept.* 1698. Regularis erexerat altare portatile et missam celebraverat in domo privata infirmi. Quaerebatur: « An possit Ordinarius in hoc et similibus casibus procedere contra Regulares, etiam ad censuras? Resp. Affirmative » (Ferraris, v. *Oratorium,* n. 80). — Habetur praeterea *decretum generale* Clementis xi, *d.* 14 *decemb.* 1703 (quod refert Ferraris, v. *Oratorium,* n. 5), in quo mandat Episcopis procedere, iuxta decretum Tridentini « de observandis etc. », contra Regulares qui in locis privatis altaria portatilia erexerint, aut in oratoriis privatis a S. Sede concessis praeter Indulti concessionem celebraverint.

2° Quaesito: « An liceret Episcopo punire Regulares prohibita vel indecentia *in ecclesiis suorum Ordinum* committentes circa missae sacrificium? » S. Congr. Conc. respondit: « Licere » (21 *mart.* 1642. Apud Ferraris, v. *Regulares*, art. 2, n. 17).

3° Regulares Episcopo prohibenti, ne quempiam exterum sacerdotem in suis ecclesiis sine praevia Ordinarii licentia celebrare permittant, obedire tenentur. Eo magis quod Tridentinum in praecitato decreto Episcopis committit, ut « singuli in suis dioecesibus interdicant ne cui vago et ignoto sacerdoti missas celebrare liceat ». Ideo Bened. xiv, C. *Quam grave* (*aug.* 1757), § 12: « Id pro firmo tenendum est, quod, licet non oporteat Episcopum sollicitum esse de Regularibus qui in propriis ecclesiis missas celebrare intendunt, cum eius rei cura reservata sit eorum Superioribus regularibus, si quis tamen saecularis sacerdos in ecclesiis regularium missam celebrare velit, hic etiam debet litteras discessus a proprio Ordinario obtentas exhibere Episcopo in cuius dioecesi sacrum vult peragere ».

4° Episcopus prohibere non potest quin Regulares confratres eiusdem Religionis aliunde advenientes ad celebrandam missam admittant: nam « haec cura reservata est eorum Superioribus », ait Benedictus xiv. — Exstat insuper responsum S. Congr. Conc., *d.* 27 *iul.* 1626: « Ordinarios locorum ex dispositione S. Conc. Tridentini prohibere non posse, ne Regulares peregrini in ecclesiis suorum Ordinum missas celebrent absque eorum licentia » (Collect. de Prop. Fide, n. 386) (c).

23. x. **Regulares subsunt Episcopo quoad publicationem novarum indulgentiarum.** — Trid., *sess.* xxi, c. 9 *de Reform.*,

(c) Anno 1879, petitum fuit a S. Congr. EE. et RR.: « An Superiores regulares conventuum admittere possint ad celebrationem s. missae in propriis ecclesiis aliquem sacerdotem extraneum absque praevia licentia Superioris ecclesiastici localis? » — S. C. respondit: « Detur decretum S. Inquisitionis 11 *aug.* 1649 » (14 *mart.* 1879, *ad* 3 — A. S. S., t. xi, p. 602). In citato autem decreto mandatur Superioribus regularibus, « ne admittant ad celebrandum in eorum ecclesiis, eorum vel alterius Religionis caeteros vagos seu peregrinos, nisi examinatis diligenter litteris obedientiae seu assignationis eorum Superiorum et testimonialibus promotionis ad sacerdotium; quo vero ad sacerdotes saeculares, nisi visis litteris testimonialibus, subscriptis a vicario generali vel foraneo Episcopi loci ».

statuit: « Indulgentias aut alias spirituales gratias.... deinceps per Ordinarios locorum.... populo publicandas esse »; et S. Congr. Conc. pluries declaravit Regulares non posse publicare indulgentias in suis ecclesiis exemptis lucrandas, aut eas prae foribus ecclesiarum suarum affigere, nisi postquam fuerint ab Episcopo publicatae (Pallotini, v. *Indulgentia*, nn. 44 et 45).

Nunc iam non requiritur (nisi contrarium in concessione dicatur) ut Episcopus ipse publicet indulgentiam, veluti Trid. requirebat, sed sufficit ut Breve aut Rescriptum concessionis recognoscat.

Haec autem recognitio indulgentiarum ab Episcopo non requiritur quando agitur de indulgentiis Urbi et Orbi concessis, quia tunc publicatio authentica iam Romae facta est. Ita S. Congr. Indulg., 1 *iul.* 1839 (*Decreta authentic.*, n. 273, *ad* 6) [a]. Ergo nulla est difficultas ut Regulares indulgentiam huiusmodi publicent in propriis ecclesiis.

Nec recognitio ab Episcopo videtur requiri, si agitur de indulgentiis contentis in catalogo a S. Congregatione Indulg. approbato, ut sunt indulgentiae ecclesiis Societatis in nonnullis diebus festis concessae aliaeque in catalogo indulgentiarum Societatis approbato contentae. Ita videtur tenere Comp. privil., n. 212 (pag. 574, col. 2). Attamen Episcopo illum petenti catalogus indulgentiarum esset communicandus, iuxta dicta c. xv, n. 2.

Contra, indulgentiae confraternitatibus per aggregationem cum qualibet archiconfraternitate concessae debent recognosci ab Episcopo. Ita in decreto S. Congr. Indulg., d. 8 *ian.* 1861 [b].

---

23. (a) Quaerebatur: « Quando S. P. indulgentiam quamlibet concedit Urbi et Orbi, ut Fideles talem indulgentiam in variis dioecesibus lucrari possint, requirituine ut haec indulgentia ab Ordinariis locorum promulgetur? » — S. Congr. respondit: « Negative ».

(b) Post hoc decretum, datur Formula servanda in erigendis confraternitatibus ac communicandis indulgentiis et gratiis spiritualibus, in qua praecipua capita Constitutionis Clementis viii *Quaecumque* enumerantur; n. 5 habetur: « Quod gratiae et indulgentiae confraternitati communicatae praevia cognitione Ordinarii dumtaxat promulgentur ». Clemens viii, § 7° suae Constitutionis, statuit ut « privilegia, indulgentiae, facultates et aliae gratiae spirituales a ministris et officialibus confraternitatum promulgari non valeant nisi praevia recognitione Ordinarii loci, qui illa, iuxta S. Trid. Conc. decretum, promulganda decernat ». Ita sub poena nullitatis, ut dicitur § 12 eiusdem Constitutionis.

confirmato responsione 10 *aug.* 1899 [c], quamvis in decreto 20 *maii* 1896 [d] aliter decisum videretur (vide BERINGER, *les Indulgences*, edit. gall. tertia, t. II, pp. 59 et 60; PIAT, t. II, p. 28).

24. XI. **Regulares Episcopis subiacent quoad publicam in suis ecclesiis aut alibi novarum imaginum aut novarum reliquiarum expositionem.** — Ita TRIDENT., *sess.* XXV, in decreto *de invocatione, veneratione et reliquiis Sanctorum et sacris imaginibus* [a]. — Hoc decreto omnino tenentur Regulares, ut patet ex verbis « *nemini* licere, in ecclesia *etiam quomodolibet exempta* »: non possunt ergo reliquias exponere in suis ecclesiis, nisi fuerint prius ab Episcopo recognitae aut ex eius licentia. — Videtur autem licentia posse praesumi, ubi est consuetudo et Episcopus non reclamat. — BENEDICTUS XIV, *de Synodo*, l. IX, c. 15, n. 5, referens hoc Tridentini decretum, subiungit: « Minime dubitandum est quin possit Episcopus inobedientes Regulares quibuscumque poenis etiam censurarum compescere » [b].

Regulares quoad cultum Beatorum Episcopis subiiciuntur. — Sic ex decreto S. RIT. CONGR. coram Alexandro VII emanato d. 27 *sept.* 1659 [c]. — Item quoad decreta ab Urbano VIII

(c) « An per decretum S. CONGR. INDULG., *d.* 20 *maii* 1896, abrogata censeatur lex a S. Congr., *d.* 8 *ian.* 1861, sancita his verbis: quod gratiae et indulgentiae, etc. — Resp. Negative » (A. S. S., t. XXXII, p. 185).

(d) S. CONGR. INDULG., *d.* 20 *maii* 1896, *ad* 2: « An summarium Indulgentiarum, quod una cum diplomate datur in erectione et aggregatione Confraternitatum, iam recognitum et approbatum a S. Congr. Indulg., nova etiam indigeat recognitione Ordinarii loci? — Resp. Negative ».

24. (a) « Statuit S. Synodus nemini licere in loco vel ecclesia etiam quomodolibet exempta ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit; nulla etiam admittenda esse nova miracula, nec novas reliquias recipiendas, nisi *eodem recognoscente et approbante Episcopo* ».

(b) Referre iuvat sequens S. Congr. Indulg. responsum. Quaerebatur: « An sacrae Sanctorum reliquiae a quodam Episcopo Italiae authenticatae ab altero Episcopo ultra montes possint reprobari, quin et confiscari vel impediri ne publicae venerationi exponantur? » — Responsum fuit, 16 *dec.* 1749: « Affirmative, ad formam Concilii »; etiamsi, ut dicebatur in quaesito, ex parte subscriptionis, sigilli et thecae, nulla erroris aut falsitatis nota deprehendatur (*Decr. Auth. S. C. Indulg.*, n. 183): scilicet Episcopus est iudex in propria dioecesi.

(c) In fine decreti dicitur: « Indulsit locorum Ordinariis ut auctori-

edita circa *imagines defunctorum* nondum canonizatorum cum splendoribus et radiis non proponendas, et circa *processus pro eorum beatificatione et canonizatione*. Sic URBANUS VIII, Const. *Coelestis Ierusalem* (1634) (d). In his casibus, si Regulares aliquid fecerint contra statuta Ecclesiae, correctioni Episcopi subiacent.

25. XII. Regulares quoad confraternitates in pluribus subiiciuntur Episcopis. — Exstat celebris Constit. CLEMENTIS VIII, *Quaecumque* (1601), de erigendis et aggregandis confraternitatibus. In ea auctoritas Episcopi quoad tria stabilitur; nempe requiritur: 1° eius consensus ad erectionem et aggregationem cum litteris testimonialibus seu commendatitiis (§ 2), 2° statutorum confraternitatis approbatio (§ 5), 3° indulgentiarum ab eodem recognitio et promulgatio (§ 7).

Interrogata S. CONGR. INDULG., an sub Const. *Quaecumque* comprehenderentur non solum confraternitates et congregationes proprie dictae, sed etiam piae uniones seu sodalitates? respondit: « Affirmative, quoad erectionem seu institutionem, quoad approbationem statutorum, quoad aggregationem, et quoad publicationem indulgentiarum » (25 *aug.* 1897, ad 1).

Prodierunt deinde varia decreta et responsa SS. Congregationum, maxime Indulgentiarum, ad solvenda varia dubia, aut ad quaedam puncta magis declaranda (apud VERMEERSCH, t. II, p. 724-750; PIAT, t. II, p. 51, sq.; FERRARIS, v. *Confraternitas, art.* 3).

1. De consensu Episcopi pro erectione et aggregatione haec fuerunt decisa. *a)* Consensus debet praecedere erectionem et aggregationem; non sufficit ut Episcopus approbet utramque

---

tate Sedis Apostolicae possint, imo debeant, Saeculares et Regulares quoscumque quantumvis exemptos, etiam Societatis Iesu et reliquos omnes speciali expressione indigentes, etiam sub censuris compellere » (FERRARIS, v. *Veneratio Sanctorum*, n. 43, dat integrum decretum).

(d) Memorata decreta Ordinariorum curae committit, et subiungit: « Transgressores vero, si Regulares fuerint, privationis suorum officiorum, ac vocis activae et passivae necnon suspensionis a divinis,... arbitrio praedictorum Ordinariorum seu Inquisitorum, pro modo culpae infligendis poenis plectendo;.... contradictores quoslibet et rebelles, ac praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas,... omni et quacumque appellatione, recursu ac reclamatione remotis,... non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque ».

iam factam: ita S. Congr. Indulg., 3 *dec.* 1892, ad 1. — *b)* Eadem S. Congregatio interrogata, an necessarius esset consensus Episcopi pro confraternitatibus « quae a religiosis Ordinibus in suis respectivis ecclesiis eriguntur », decreto generali, Urbi et Orbi, a S. Pontifice approbato, d. 25 *aug.* 1897, ad 2, respondit: « Si agatur de confraternitatibus proprie dictis, id est ad modum organici corporis et cum sacco constitutis, Affirmative; si de confraternitatibus late acceptis, satis provisum est per consensum praestitum ab Ordinario pro erectione conventus Ordinis in dioecesi ». — *c)* Interrogata etiam, an ex Const. *Quaecumque* « duo requirantur actus distincti (Ordinarii), consensus nempe et litterae testimoniales », d. 20 *maii* 1896 respondit: « Sufficere Ordinarii litteras, quibus consensum in erectionem vel aggregationem confraternitatum significet, et instituti pietatem ac religionem commendet » (dub. 1).

2. Quoad gratiarum et indulgentiarum recognitionem ab Ordinario, dictum est n. 23.

3. Quoad statuta id notandum est: quamvis approbata fuerint ab Episcopo, « nihilominus eiusdem Episcopi decretis ac moderationi et correctioni in omnibus *semper* subiecta remanent » (Const. *Quaecumque*, § 5).

4. Insuper confraternitates, etiam in domibus Regularium erectae, ab Episcopo visitari possunt, tum quoad loca ipsa tum quoad administrationem temporalem. Ita Trident., *sess.* xxii, cc. 8 et 9 *de Reform.* Cap. 8 dicitur: « Episcopi, etiam tamquam Sedis Apostolicae delegati,... habeant ius visitandi confraternitates laicorum ». Cap. 9: « Administratores tam ecclesiastici quam laici fabricae cuiusvis ecclesiae.... confraternitatis... singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario, consuetudinibus et privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis ». Hanc duplicem subiectionem multoties declaraverunt Congregationes Romanae (vide Piat, t. II, p. 58, q. 9, resp. 4°, et q. 10, resp. 1°. — Item Ferraris, v. *Confraternitates*, art. 3) [a].

Sed confraternitates et congregationes erectae in ecclesiis Regularium nihilque possidentes non sunt subiectae visitationi nec rationi reddendae. Nam confraternitates non sunt subiectae Episcopo, nisi quoad id quod possident, non quoad

---

25. (a) Attamen Episcopo, etiamsi rationem administrationis exigere possit, non licet sese ingerere in ipsam administrationem bonorum confraternitatum, dum illa non dilapidantur. Ita declaravit S. Congr. EE. et RR. (1603).

regimen internum. Unde, si non possident cappellam, neque altare, neque mobilia (quamvis expensas fecerint ad haec aedificanda, ornanda, emenda), atque redditus non habent, deficit omnis ratio subiectionis. Haec satis ex duobus supradictis capitibus Tridentini eruuntur, et ita fuit explicite decisum a S. Congr. Conc. (23 *iun.* 1718, in *Nucerina Pag.*) (b). Ista resolutio, ait Bened. XIV (*Instit. eccles.*, 105, n. 88), licet in casu particulari edita, tamquam lex generalis deinde probata fuit (c).

(b) « S. Congr., inhaerendo declarationibus iam factis, censuit: Confraternitates laicorum in ecclesiis Regularium exemptorum institutas subesse iurisdictioni et visitationi Episcopi, illasque ab illo visitari posse necnon eorum cappellas in iisdem Regularium ecclesiis existentes, *in his tamen quae confraternitatum administrationem respiciunt;* et si confraternitatibus *incumbit onus manutenendi* altare et illius cultum, Episcopum posse visitare circa ea quae respiciunt ipsam manutentionem, cultum et ornamenta altaris seu cappellae, onera missarum atque divinorum officiorum ibidem celebrandorum, et circa ea omnia quae *ad obligationem* eorumdem confratrum relationem habent ». — Unde si onus manutenendi ipsis Regularibus incumbit, etiamsi confratres contribuant liberis donationibus, Episcopus ius visitandi non habet (apud Ferraris, l. c., art. 3, nn. 38, 39).

(c) Invenitur apud Bizzarri, p. 560, causa visitationis confraternitatis in *Congr. generali S. Congr. EE. et RR.* anno 1844 discussa. Inter alias rationes, quibus FF. Minores Conventuales, in quorum ecclesia congregatio illa erat erecta, exemptionem a visitatione Ordinarii propugnabant, hanc afferebant: « Archiepiscopo ius non esse visitandi praefatum sacellum administrationis ratione, quia sodalitas nullos habet redditus, nihilque pecuniae impendit sive pro altari sive pro cultu, ita ut visitatio pastoralis et careat obiecto circa quod versetur et legibus canonicis adversetur ». — S. Congr. rescripsit: « Dilata, et adducantur probationes ad demonstrandum cuinam spectet actuale onus manutensionis cappellae ». — Bizzarri dat etiam binas litteras (a. 1637 et 1646) eiusdem Congregationis ad duos Episcopos de eadem materia et in eodem sensu. In prima dicitur: « Episcopos posse visitare confraternitates laicorum in ecclesiis Regularium erectas, quoad bona, quoad recepta et rationum computa, etiam ipsas cappellas, quantum ad administrationem et alias obligationes personales quae ad confraternitatem spectant, id est, ad videndum an elcemosynae datae ad cultum, ornatum et decorem cappellae, fideliter in hunc usum expendantur, sed alias non se intromittendo in alias res, quae ad curam et totalem administrationem pertinent Fratrum qui sunt domini totius ecclesiae in qua inveniuntur dictae cappellae et erectae congregationes, v. g. in altaria, imagines et alias materiales res affixas et mobilia sacra his applicata; super quae Episcopi non debent sese inge-

Exstat praeterea decisio S. Congr. EE. et RR. (a. 1690, et rursus 1707): « Episcopus potest per se aut per suum delegatum intervenire et assistere congregationibus confratrum, etiamsi fiant in ecclesiis et oratoriis Regularium in quibus sunt erectae, votum tamen dare non potest » (Collect. de Prop. Fide, n. 60).

5. Ius designandi rectores seu moderatores congregationum ad Episcopum pertinet. Ita declaravit S. Congr. Indulg., d. 18 *nov.* 1842, *ad* 3: « An Episcopus designare possit directorem uniuscuiusque confraternitatis suae dioecesis, sive iam existentis, sive ab eo... erectae? — R. Affirmative » (d). Hoc ius tamen non debet extendi ad confraternitates minus proprie dictas in ecclesiis Regularium erectas, et ab ipsis moderatas: eo ipso enim quod erigi et aggregari possunt absque Episcopi speciali consensu (ex declaratione 25 *aug.* 1897), etiam sine eius interventu moderari possunt.

26. XIII. **Regulares quoad processiones.**

1. Episcopus Regulares etiam exemptos ad publicas processiones vocare et compellere potest. Ita Trident., *sess.* XXV, c. 13 *de Regularibus*: « Exempti autem omnes tam clerici saeculares quam regulares quicumque, etiam monachi, ad publicas processiones vocati accedere compellantur, iis tantum exceptis qui in strictiori clausura perpetuo vivunt ». Praeiverat Leo X, C. *Dum intra*, § 5.

Urbanus VIII, decreto S. Congr. Rit., 28 *iul.* 1628, pronuntiavit « posse Episcopos poenis sibi bene visis compellere quoscumque Regulares recusantes, etiam monachos et quomodolibet exemptos, ad infrascriptas processiones accedere atque illis interesse, exceptis dumtaxat in strictiori clausura viventibus et monasteriis ultra medium milliare a civitate distantibus,... Non obstantibus quibuscumque privilegiis, con-

---

rere, nec ulla uti iurisdictione aut superintendentia; ita ut non sit eis permissum exercere ullum actum iurisdictionis in dictis ecclesiis Regularium, ultra id quod supra dictum est » (Piat, II, p. 59, q. 10, 2° et 3°).

(d) *Decreta authentica* S. C. Indulg., n. 312. — Pius IX, decreto *S. C. Indulg.*, 8 *ian.* 1861, concessit ut « Ordinarii locorum libere possint designare parochos pro tempore in rectores seu moderatores confraternitatum »; quae concessio, ex declaratione *d.* 3 *dec.* 1892, intelligenda est etiam de cappellanis, vicariis et aliis. Quo casu, mutato parocho, cappellano, etc., novus parochus, cappellanus, absque nova et speciali designatione fit moderator, ut declaratum fuit *d.* 16 *iul.* 1887, *ad* 1.

suetudinibus: privilegiis tantum Apostolicis S. Tridentino Concilio posterioribus, contrarium desuper disponentibus, minime sublatis » [a].

Controversias de praecedentia, quae in hoc casu et similibus exsurgerent, dirimit Episcopus. Sic TRIDENT., *sess.* XXV, c. 13, *de Regul.*: « Controversias omnes de praecedentia, quae persaepe maximo cum scandalo oriuntur inter ecclesiasticas personas tam saeculares quam regulares, cum in processionibus publicis, tum in iis quae fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, et aliis similibus, Episcopus, amota omni appellatione et non obstantibus quibuscumque, componat ».

2. Regulares non indigent licentia Episcopi ad instituendas processiones in ecclesiis suis, imo, si ecclesia claustro careat, intra ambitum, scilicet prope muros. Insuper processionem S. Sacramenti quocumque die octavae festi Corporis Christi libere peragere possunt, ex Const. GREGORII XIII, *Cum interdum,* § 2.

Ut alias processiones faciant, aut privilegium habere debent aut obtinere licentiam Episcopi vel saltem parochi dummodo Episcopus non contradicat [b].

27. XIV. **Regulares in causis fidei, quae ad S. Officium pertinent,** triplici modo Inquisitoribus seu Ordinariis locorum subiiciuntur.

1° Ab eis corrigi et puniri possunt, non obstante exemptionis privilegio. Ita TRIDENT., *sess.* V, c. 2, *de Reformat.* [a]

---

26. (a) De Privilegiis Societatis, vide n. 40.

(b) Ita in citato decreto Urbani VIII (1628): « Regularibus autem et confraternitatibus in ecclesiis regularibus esse permissum intra eorum ecclesias et claustra tantum processiones facere, et non extra. Si vero ecclesiae claustro careant, eisdem Regularibus et confraternitatibus licet processiones facere intra ambitum dumtaxat earumdem ecclesiarum, hoc est prope muros ecclesiae, sive exeundo a ianua ecclesiae et intrando per aliam sive per eamdem ianuam, et semper prope muros ecclesiae et non extra dictum ambitum, nisi de licentia et consensu Ordinarii aut cum cruce parochi; privilegiis apostolicis contrarium disponentibus haud sublatis, quibus per hoc decretum minime censeatur derogatum ».

Hoc Urbani VIII decretum fuit deinde illustratum multis SS. Congregationum declarationibus. Cf. PIAT, t. II, p. 47, q. 1.

27. (a) « Si praedicator errores aut scandala disseminaverit in populum, etiamsi in monasterio sui vel alterius Ordinis praedicet, Episcopus

2° Superiores nullo modo possunt sese intromittere in causas suorum inferiorum ad S. Officium pertinentes. Sic Paulus v, C. *Romanus Pontifex* (1 *sept.* 1606), qui revocavit omnia privilegia Regularibus concessa cognoscendi huiusmodi causas; item Alexander vii, decreto *Licet alias*. — Causae autem ad S. Officium pertinentes enumerantur in decreto S. Rom. Inq., *Sanctissimus Dominus noster,* coram Urbano viii edito.

3° Adest pro omnibus Regularibus stricta obligatio denuntiandi Inquisitoribus aut Episcopis suos confratres in haeresim lapsos aut de haeresi etiam leviter suspectos. Ita ex decr. *Licet alias, a* S. Rom. Inq., coram Alexandro viii lato. Haec duo ultima praecepta recenti decreto S. Rom. Inq., *d.* 15 *maii* 1901 dato, fuerunt innovata [b].

---

ei praedicationem interdicat. Quod si haereses praedicaverit, contra eum secundum Iuris dispositionem aut loci consuetudinem procedat, etiamsi praedicator ipse generali vel speciali privilegio exemptum se esse praetenderet: quo casu, Episcopus auctoritate Apostolica et tamquam Sedis Apostolicae delegatus procedat ».

(b) Decreta *Sanctissimus* et *Licet alias* inveniuntur intra decreta a Regularibus quotannis legenda. Decretum anni 1901 his verbis concipitur: « Uti pluries a Summis Pontificibus sancitum est, in rebus ad S. O. spectantibus nullo modo ad Superiores regulares pertinere subditorum suorum causas agnoscere, nulloque proinde titulo aut praetextu posse eos vel debere, nisi de expresso S. Congregationis mandato, de his inquirere, denuntiationes recipere, testes interrogare, reos excutere, iudicium instituere, sententiam ferre, aut alia quavis ratione vel modo in eis se immiscere vel manus apponere; — sed quos religiosi viri ex suis subditis vel confratribus vel etiam Superioribus, huiusmodi criminum (praesertim quoad abusum sacramentalis confessionis spectat) reos vel suspectos noverint, strictim teneri, absque ulla cum aliis quibuscumque communicatione, nulla petita venia, nullaque fraterna correptione vel monitione praemissa, eos S. Officio aut locorum Ordinariis incunctanter denuntiare.... Quae omnia SSmus D. N. Leo, div. prov. Papa xiii.... approbare ac confirmare dignatus est ». — Notandum est: ex verbis huius decreti videretur omnia crimina, quae causas ad S. Officium pertinentes constituunt, esse denuntianda: « quos.... *huiusmodi criminum* reos vel suspectos noverint.... denuntiare ». Verum, cum ex praecedentibus Constitutionibus ac decretis non adsit obligatio denuntiandi nisi de haeresi reos aut suspectos, atque cum praesenti decreto unice intenditur revocare in memoriam et urgere ea quae *pluries* antea *sancita sunt*, non est censendum aliam hic urgeri obligationem denuntiandi, nisi eam quae in Const. *Romanus Pontifex* Pauli v et in decreto *Licet alias* Alexandri vii continetur.

Circa obligationem denuntiandi haec observanda veniunt [c]:

1° Denuntiandi sunt, ex decreto anni 1901, « omnes religiosi subditi vel confratres vel Superiores ». Unde non videtur amplius urgeri obligatio denuntiandi religiosos alterius Ordinis, quamvis ex decreto *Licet alias* certe erant denuntiandi: in eo enim dicebatur § 3: « Et quia quandoque eorum subditi deficiunt in eo quod ipsis implendum incumbit cum religiosis *eiusdem alteriusve Ordinis*, aliisque quibuscumque personis de fide *suspectis*,... propterea idem Sanctissimus declaravit praefatos subditos.... omnino teneri et obligatos esse accedere ad denuntiandum *quoscumque, etiam* confratres ac Superiores, etiam primarios suos eiusdem Ordinis et Religionis, quos noverint esse de fide quomodolibet etiam leviter suspectos » [d].

2° Crimen propter quod denuntiari debent est haeresis, sed debent denuntiari quicumque « de haeresi quomodocumque etiam leviter suspecti »: intellige eos qui propter certa et gravia peccata nonnisi leviter sint de haeresi suspecti. Suspecti autem sunt non solum qui haereticis credunt, eis favent eosve defendunt, sed etiam, sacerdotes abutentes sacramento poenitentiae ut ad turpia sollicitent, necnon confessarii qui absolutionis denegationem comminantur poeniten-

---

(c) Ad intelligentiam decretorum ad S. O. spectantium sciendum est, impositam fuisse olim omnibus fidelibus obligationem denuntiandi omnes haereticos aliosve de haeresi quomodolibet suspectos. (Cf. apud Ferraris, v. *Denuntiatio,* nn. 1 et 10, duo decreta S. O. hanc obligationem imponentia, unum *d.* 3 *ian.* 1623, alterum *d.* 10 *mart.* 1677). Haec decreta videntur in desuetudinem abiisse in his locis ubi impune grassantur haereses, et ideo nunc fere ubique: ita ut certa obligatio denuntiandi ex positiva legis ecclesiasticae dispositione pro fidelibus non remaneat nisi in duobus casibus, scilicet ubi agitur de sollicitatione in confessione, aut de occultis coriphaeis sectarum; in reliquis casibus nisi adsit obligatio naturalis, lex positiva non videtur amplius urgere (Vide Lehmkuhl, t. I, n. 813). — Sed decreta pro Regularibus urgent obligationem ipsis factam denuntiandi quoscumque suos confratres de haeresi reos aut quomodolibet suspectos, quin ullo praetextu immunes ab hac lege sese reputent.

(d) Scilicet, tempore Alexandri VII, vigebat adhuc obligatio pro omnibus fidelibus denuntiandi quoscumque de haeresi reos aut suspectos, ideo in decreto *Licet alias* urgetur obligatio denuntiandi confratres eiusdem Ordinis (de qua remanebat dubium propter antiqua privilegia, aut saltem praxis non erat adhuc ubique inducta), et simul in memoriam revocatur obligatio denuntiandi etiam religiosos alterius Ordinis, imo quoscumque alios. At in novo decreto a. 1901 non retinetur nisi obligatio denuntiandi confratres eiusdem Ordinis.

tibus nisi nomen complicis directe vel indirecte revelent. Ita Bened. xiv, Const. *Sacramentum poenitentiae* (1741) et Const. *Ubi primum* (1746).

28. xv. **Regulares exsecutores ultimarum voluntatum ad causas pias rationem reddere debent Ordinario loci,** qui ius imo et officium habet inquirendi quomodo munere suo functi fuerint, et si defecerint, ipsos puniendi. Sic Trident., *sess.* xxii, c. 8 *de Reformatione* (a). Sacri canones, ad quos Concilium remittit, sunt c. *Tua nobis,* 17, *De testam.*, aliaque et maxime Clementina *Religiosis,* iii, 6 : « Religiosis etiam exemptis, deputatis ad exsecutionem cuiuslibet ultimae voluntatis, circa ipsius exsecutionis officium... volentes praescindere materiam delinquendi : praesentis Constitutionis auctoritate statuimus, quod tales, etiam si praelationis fungantur officio, locorum Ordinariis debitam reddere, ipsique Ordinarii ab eisdem, absque dolo, fraude seu negligentia, de susceptae exsecutionis officio teneantur exigere rationem; illos, quos circa id deliquisse repererint, in aliorum exemplum poena debita, quocumque non obstante privilegio, punituri ». — « Communiter docent AA., ait Piat, t. ii, p. 99, q. 2, haec decreta (Tridentini et Clementis v) Regularibus plene exemptis applicanda esse; adeoque Regulares, si in hoc delinquant, ab Episcopo puniri posse ».

29. xvi. **Regulares Episcopis quoad impressionem librorum subiiciuntur.** — Ita ex decreto Tridentini (*sess.* iv) de editione et usu sacrorum librorum (a), et ex Const. Leonis xiii

---

28. (a) « Episcopi, etiam tamquam Sedis Apostolicae delegati, in casibus a Iure concessis, omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate quam inter vivos, sint exsecutores... ; ac omnia quae ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos ordinata sunt, ipsi ex officio suo, iuxta Sacrorum Canonum statuta, *cognoscant et exsequantur ;* non obstantibus quacumque consuetudine etiam immemorabili, privilegio aut statuto ».

29. (a) « Nulli liceat imprimere vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine auctoris, neque illos in futurum vendere aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati probatique fuerint ab Ordinario, sub poena anathematis et pecuniae in canone C. Lateranensis apposita. Et si Regulares fuerint, *ultra examinationem et probationem huiusmodi,* licentiam quoque a suis Superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris iuxta formam suarum ordinationum ».

Officiorum ac munerum (1897), § 36: « Regulares, *praeter Episcopi licentiam,* meminerint se teneri sacri C. Tridentini decreto, operis in lucem edendi facultatem a Praelato, cui subiacent, obtinere. Utraque autem concessio in principio vel in fine operis imprimatur ».

Decretum Tridentinum unice libros de rebus sacris tractantes respicit, ut expresse dicitur. Idem ergo dicendum est de hoc § 36 Constitutionis *Officiorum ac munerum,* quae solummodo decretum Tridentinum memorat et urget[b]. Verum est § 42 dici: « Viri e clero saeculari ne libros quidem qui de artibus scientiisque mere naturalibus tractant, inconsultis suis Ordinariis publicent, ut obsequentis animi ergo illos exemplum praebeant ». Sed praecise quia in hoc paragrapho solus clerus saecularis nominatur, indirecte habetur clerum regularem, in libris de scientiis mere naturalibus edendis, nedum Episcopi licentia indigeant, nec etiam teneri ipsum praemonere.

Verum Pius X, in encyclica *Pascendi,* videtur denegare Regularibus facultatem quidquam edendi absque Episcopi licentia: « Religiosorum moderatores de gravissimo officio monemus *nunquam sinendi aliquid* a suis subditis edi, nisi prius ipsorum et Ordinarii facultas intercesserit ». Obiici quidem potest hic officium Superiorum supponi iam existens, non novum imponi: sed verba sunt adeo clara ut potius haberi debeant tamquam declaratio extensiva legis Tridentinae et Constitutionis *Officiorum.*

Aliqui libri, non Episcoporum licentiam, verum S. Sedis aut Congregationum Romanorum approbationem requirunt: nempe omnes versiones sacrorum Bibliorum in lingua vulgari sine annotationibus ex SS. Patribus et doctis catholicis scriptoribus desumptis editae (Const. *Officiorum,* §§ 7 et 30), libri a S. Sede proscripti (ibid., § 31), libri qui ad causas beatificationum et canonizationum Servorum Dei utcumque pertinent (§ 32), collectiones decretorum singularum Romanarum Congregationum (§ 33).

(b) Quinam sint libri de rebus sacris tractantes, pro quibus requiritur licentia Ordinarii, declaratur § 41: « Omnes fideles tenentur praeviae censurae ecclesiasticae eos saltem subiicere libros, qui divinas scripturas, sacram theologiam, historiam ecclesiasticam, ius canonicum, theologiam naturalem, ethicen, aliasque huiusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt, ac generaliter scripta omnia, in quibus religionis et morum honestatis specialiter intersit ».

Hic subintrat aliqua quaestio de libris prohibitis, nimirum *An Regulares subiiciantur prohibitioni librorum ab Episcopo in dioecesi sua pronuntiatae?* — Responsio ab alia quaestione videtur pendere, utrum scilicet ex proprio iure et potestate, an etiam ex potestate delegata eos Episcopus prohibuerit. Porro in Const. *Officiorum ac munerum, art.* 29 dicitur: « Ordinarii, etiam tamquam delegati Sedis Apostolicae, libros aliaque scripta in sua dioecesi edita vel diffusa proscribere et e manibus fidelium auferre studeant ». Nisi autem Episcopi contrarium dicant, videntur agere ex tota potestate quam habent, ergo etiam ut delegati Sedis Apostolicae: et consequenter Regulares exemptos obligare. — Hanc facultatem, imo et officium libros prohibendi, Pius x in litteris encyclicis *Pascendi* memorat et urget. Addit deinde: « *Universis* in memoriam revocamus art. 26 Constitutionis *Officiorum,* quo omnes qui facultatem Apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptas... ». Quibus verbis clara habetur solutio dubii propositi.

30. xvii. **Regulares aliquomodo Episcopis subiiciuntur, quoad quaestuationem seu collectionem eleemosynarum quae fit ostiatim petendo** (cf. Piat, t. ii, p. 35).

Ius praesens ex variis legibus pendet.

1° Trident., sess. xxi, cap. 9, *de Reformatione,* abolevit quaestuationem, non obstantibus privilegiis et consuetudinibus quibuscumque [a]. — 2° S. Pius v, C. *Etsi mendicantium,* declaravit hanc prohibitionem « ad mendicantium Ordines nullo modo referri posse aut debere; quin potius (addit), cum eleemosynis huiusmodi vivere cogantur, eis id facere liberum omnino esse declaramus ». — 3° Quidquid de revocatione huius Const. a Gregorio xiii teneatur [b], postea Urbanus viii, Const. *Cum sicut,* declaravit « FF. Minores Conventuales S. Francisci, *tamquam Mendicantes,* nequaquam posse ab Ordinariis

---

30. (a) S. Synodus, cum remedia « adversus pravos eleemosynarum quaestorum abusus facta fuerint inutilia,... statuit ut posthac in quibuscumque Christianae Religionis locis, eorum nomen atque usus penitus aboleatur, nec ad officium huiusmodi exercendum ullatenus admittantur, non obstantibus privilegiis ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, piis locis et quibusvis cuiuscumque gradus, status ac dignitatis personis concessis, aut consuetudinibus etiam immemorabilibus ».

(b) Cf. c. xv, n. 11.

locorum seu aliis Regularibus prohiberi quominus per seipsos, in locis ubi habent conventus, eleemosynas quaerant; sed tantum si extra loca ubi conventus existunt quaeritare voluerint, teneri suorum Superiorum licentiam Ordinario ostendere ». — 4° Plura prodierunt S. C. C. decreta de eadem materia (apud Ferraris, v. *Eleemosyna*, n. 32 et seq.) in quibus varia puncta definiuntur (c). — 5° Recentissime (d. 21 *nov.* 1908) S. Congr. de Religiosis decretum generale, a S. Congr. EE. et RR. d. 8 *maii* eiusdem anni editum sed non promulgatum, de mandato Sanctissimi D. N. Pii x publici iuris fecit, in quo praecedentes leges compendiari vel corrigi censendae sunt. Duplex series normarum statuitur: prima Ordines mendicantes respicit, altera Ordines et Instituta religiosa non mendicantium.

Quoad mendicantes haec statuuntur: 1° « Cum sola licentia Superiorum suorum eleemosynas quaerere valent in dioecesi, ubi erectus est conventus: Ordinariorum licentia necessario censenda est data in ipso actu, quo conventus fundationi consensum praebuerunt ». 2° « Si stipem extra dioecesim, ubi conventus habent, quaeritare velint, Ordinarii illius dioecesis licentia (d), per suos Superiores in scriptis obtenta, indigent ». 3° « Ordinarii autem praecipue limitrophes hanc licentiam absque gravioribus urgentioribusque causis ne denegent, si aliquis conventus ex quaestuatione in sola dioecesi, ubi erectus est, vivere nullimode possit ». 4° Haec licentia durat donec revocetur, revocatio autem nonnisi legitimis de causis facienda est. 5° Mendicantes per seipsos, non per alias personas, eleemosynas colligere debent. 6° Regulares quaestuantes semper secum habere debent litteras authenticas, quibus constet tum de licentia Ordinarii (ubi necessaria est) tum de officio sibi a suis Superioribus commisso, easque parochis et Episcopis exhibere tenentur. 7° Si Regulares quaestuantes notorie deli-

---

(c) Sic in decreto aliquo (apud Ferraris, n. 37), relata declaratione Urbani viii, ei additur: « Si extra dioecesim (quaeritare volunt), teneri etiam illius (loci Ordinarii) consensum obtinere. Caeterum nullatenus permittendum ut eleemosynas quaerant per alios quam per sui Ordinis fratres ». In alio decreto prohibetur ne eleemosynam pro aliquo bono opere petant, nisi facultatem Ordinarii habeant (ibid., n. 39); et etiam, ut videtur, pro aliis conventibus sui Ordinis (Vide Piat, t. ii, p. 37, q. 3).

(d) Si phrasis rigore grammatico accipitur, dicendum est necessariam esse licentiam Episcopi in cuius dioecesi conventus invenitur; sed vix dubitari potest quin hic agatur de licentia Episcopi dioecesis in qua quaeritare volunt.

querint, Ordinarius loci potest eos in propriam domum remandare, et Superiores monere ut illos corrigant et puniant: in hoc etiam uti Sedis Apostolicae delegatus agere valet. — Ex norma 3ª videtur deducendum, Regularibus (nisi specialem Ordinarii licentiam habeant) solum pro proprio conventu, non pro aliquo pio opere, nec etiam pro aliis Ordinis conventibus aliarum dioecesium, licitum esse quaeritare: quod precedentibus decretis fuerat statutum.

Quoad Ordines et Instituta non mendicantium, ut eorum religiosis eleemosynas colligere liceat, praeter licentiam Ordinarii loci ubi quaeritant, necessaria est licentia Sedis Apostolicae, si Institutum est iuris pontificii (cf. C. *Conditae,* 1900), aut Ordinarii a quo dependent, si Institutum est iuris dioecesani. Ordinarii autem locorum, ubi hi religiosi petunt quaeritare, licentiam quam concedunt iis limitibus circumscribere possunt quos opportunos iudicaverint. Iidem religiosi pro missionibus eleemosynas colligere non valent nisi cum facultate a S. Congr. de Prop. Fide recenter eis data.

31. XVIII. **Regulares quoad scholas elementares, quas dirigunt, ab Episcopis dependent.** — Hoc definit LEO XIII, C. *Romanos Pontifices,* § 18, tamquam rem constantem et certam. « Quaeritur an Episcopis subesse debeant scholae pauperum, quae *elementares* etiam, *primariae*, *puerorum* nuncupantur?... Nemo... non intelligit istam puerorum institutionem in Episcoporum officiis esse ponendam, et scholas de quibus agitur, tam in urbibus frequentissimis quam in pagis exiguis, inter opera contineri quae ad rem dioecesanam maxime pertinent... ». Et § 19 ad finem, relatis multarum synodorum provincialium aut dioecesanarum decretis, pronuntiat: « Quod et Nos probantes, declaramus: Episcopos ius habere quoad omnia visitandi huiusmodi scholas pauperum in missionibus et paroeciis regularibus aeque ac saecularibus ».

Deinde has scholas discernit a collegiis Regularium his verbis: « Alia profecto causa est caeterarum scholarum et collegiorum, in quibus religiosi viri secundum Ordinis sui praescripta iuventuti catholicae instituendae operam dare solent: in hisce enim et ratio postulat et Nos volumus firma atque integra privilegia manere, quae illis ab Apostolica Sede collata sunt ».

Notandum est in hoc loco, S. Pontificem non determinare ius particulare pro Anglia et missionibus, sed ex ipsa natura scholarum pauperum atque ex factis historicis et constante

consuetudine, ius Episcoporum visitandi has scholas declarare. Ideo haec declaratio tamquam omnino generalis habenda est.

32. XIX. **Regulares quoad coemeteria et alia loca pia quae ab eis reguntur.** — Idem LEO XIII, eadem Const. *Romanos Pontifices,* haec de coemeteriis, § 17, pronuntiat: « Si de coemeteriis agatur, quae solis familiis religiosis reservantur, ea plane ab Episcopi iurisdictione proindeque a visitatione exempta sunt; caetera vero fidelium multitudini communia, quum uno ordine haberi debeant cum coemeteriis parochialibus, iurisdictioni Ordinariorum subsunt indubitate, ac propterea optimo iure ab Episcopo visitantur, quemadmodum statuit BENED. XIV, C. *Firmandis* »[a]. — Deinde de *locis piis*, quae finibus missionum (seu parochiarum) Regularibus commissarum comprehensa ab ipsis reguntur, subdit: « Haud absimili distinctione de locis piis quaestio dirimitur, ea secernendo quae exempta sunt (quia sane non tantum a Regularibus reguntur, sed etiam et possidentur), ab iis quibus praeest Episcopus sive ordinario iure sive delegato. De utrisque igitur, tum coemeteriis tum locis piis, sententiam nostram paucis complectimur, pronuntiantes: Sacrorum canonum et Constitutionum Apostolicarum praescripta esse servanda ».

TRIDENTINUM autem, *sess.* XXII, cc. 8 et 9, *de Reformatione,* amplissimas dat Episcopo facultates circa loca pia, non obstante quocumque privilegio. « Episcopi, etiam tamquam Sedis Apostolicae delegati,... habeant ius visitandi hospitalia, collegia quaecumque ac confraternitates laicorum, etiam quas scholas sive quocumque alio nomine vocant,... eleemosynas Montis pietatis sive charitatis, et pia loca omnia, quomodocumque nuncupentur, etiamsi praedictorum locorum cura ad laicos pertineat atque eadem pia loca exemptionis privilegio sint munita. Ac omnia quae ad Dei cultum aut animarum salutem seu pauperes sustentandos instituta sunt, ipsi ex officio suo, iuxta sacrorum canonum statuta, cognoscant et exsequantur; non obstantibus quacumque consuetudine etiam immemorabili, privilegio et statuto » (c. 8). — Et c. 9, de omnibus administratoribus horum locorum ait: « Singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario, consuetudi-

---

32. (a) Benedictus XIV, l. c., § 7, inter alia quae Episcopus visitare potest in parochia Regularium, enumerat « sepulchrum excipiendis subditorum parochiae corporibus addictum, coemeterium parochianorum humandis cadaveribus destinatum ».

nibus et privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis... ».

33. XX. **Regulares quoad renuntiationem bonorum ante professionem faciendam Episcopis subiiciuntur.** — TRIDENT. *sess.* XXV, c. 16, *de Regul.*, statuit renuntiationem non posse valide fieri nisi cum licentia Episcopi vel eius vicarii, intra duos menses proximos ante professionem solemnem. — Verum in ipso capite ab hac praescriptione excipitur Societas Iesu (vide dicta c. IV, n. 21).

Insuper, cum Concilium, in fine h. c., iubeat « ut abeuntibus ante professionem omnia restituantur quae sua erant »; addit: « Quod ut recte fiat, Episcopus etiam per censuras ecclesiasticas, si opus fuerit, compellet ».

34. XXI. **Regulares Episcopo loci subiiciuntur in his quae sunt ordinis episcopalis,** scilicet quoad ordinationem, quoad suarum ecclesiarum consecrationem, quoad campanarum benedictionem et quoad alias functiones quae usum pontificalium requirunt. Ratio subiectionis Episcopo loci quoad haec est prohibitio facta Episcopis ne in aliena dioecesi utantur pontificalibus absque licentia Episcopi dioecesani (TRIDENT., *sess.* VI, c. 5, *de Reform.*): unde Regulares nequeunt ad alienum Episcopum recurrere nisi ex licentia Dioecesani.

1. De ordinatione dicetur c. XVII, n. 7 et sqq.

2. Quoad ecclesiarum consecrationem, videri potest Benedictus XIV, *de Synodo,* l. XIII, c. 15, n. 2, ubi probat ecclesiae consecrationem Episcopo dioecesano reservari. — LEO X, Const. *Dum intra,* § 12, haec habet: « Nec ab alieno Episcopo consecrationem ecclesiae vel altaris, aut coemeterii benedictionem petere, seu in ecclesiis per eos pro tempore aedificandis primum lapidem per alienum Episcopum poni facere possint, nisi ubi Ordinarius, bis aut ter cum debitis reverentia et instantia requisitus, sine legitima causa id recusaverit ».

3. De campanarum benedictione, vide PIAT, t. II, p. 70, q. 3.

4. Regulares chrisma et alia olea sancta ab Episcopo dioecesano etiam petere debent [a].

---

34. (a) WERNZ, t. III, n. 702, *nota* 715. — In antiquis privilegiis diversis monasteriis ante mendicantium institutionem concessis, modo conceditur ut chrisma a quocumque Episcopo petere possint, modo denegatur et exigitur ut chrisma, sicut ordinationem et ecclesiarum consecrationem, ab Ordinario loci accipiant (vide c. XV, n. 19, 6°). In prima approbatione Prae-

35. XXII. **De variis Episcoporum dioecesanorum praerogativis in ecclesiis Regularium** [a].

1° Regulares Episcopum dioecesanum in suis ecclesiis etiam non parochialibus *admittere tenentur,* et in eis Episcopus pontificalibus (scilicet baculo, mitra, et cruce si Archiepiscopus est) uti potest, dummodo praetextu eiusmodi usus, nullam iurisdictionem in Regulares aut ecclesias exemptas exerceat. Ita CLEMENS V, *in Conc. Viennensi,* c. *Archiepiscopo,* 2, *De privil.,* V, 7 [b].

2° Episcopo dioecesano, in pontificalibus aut etiam cum sola cappa in ecclesiis Regularium functiones sacras agenti aut eisdem assistenti, *baldachinum attolli* debet. Ita CLEMENS VIII, in decreto *Decet* a S. Congr. EE. et RR. edito, *die* 10 *iun.* 1603 [c]. Regulares recalcitrantes per censuras et alias poenas ab Episcopo cogi posse, ibidem statuitur.

---

dicatorum ab Honorio III, Const. *Religiosam vitam* (1216), ordinationem, ecclesiarum consecrationes, chrisma ab Episcopo loci recipere debent. In privilegiis posterioribus nihil quoad chrisma invenitur.

35. (a) Cf. PIAT, t. II, p. 61.

(b) « Archiepiscopo per quaevis loca exempta suae provinciae facienti transitum aut ad ea forsitan declinanti, ut crucem ante se libere portari faciat, benedicat populo, divina officia privatim vel publice ibidem audiat, et ea etiam in pontificalibus celebret, et faciat in sua praesentia sine pontificalibus celebrari, quovis privilegio contrario non obstante, sacro approbante Concilio, praesenti Constitutionis serie duximus concedendum. Simili modo concedimus Episcopo ut in locis eisdem suae dioecesis possit populo benedicere, audire divina officia, et ea etiam celebrare et in sua praesentia facere celebrare. Sic tamen quod praetextu concessionis huiusmodi, in locis ipsis exemptis vel circa hoc privilegiatis, nullam aliam iurisdictionem idem Archiepiscopus vel Episcopus exerceat, nec personis exemptis vel privilegiatis molestiam afferat vel gravamen, nullumque exemptioni vel privilegiis eorumdem aliud praeiudicium generetur, nec ipsis Archiepiscopo vel Episcopo ius aliud quomodolibet acquiratur ».

(c) Pontifex dolens « nonnullos Regulares, vano quarumdam immunitatum et privilegiorum praetextu, Episcopis in eorum ecclesiis in pontificalibus interessentibus eam quam par est reverentiam et honorem renuere: declarat, statuit et mandat ut de caetero, quoties Episcopi, tam ex consuetudine et privilegio quam ex ss. Canonum constitutionibus et Pontificalis Romani praescripto aut alio iure, pontificalia exercere aut pontificalibus paramentis cum mitra vel etiam sola cappa induti, in quibusvis Regularium, tam mendicantium quam non mendicantium,... ec-

An liceat Episcopo dioecesano idem ius alii Episcopo concedere, ita ut is in ecclesiis Regularium exemptis (Regularibus renuentibus) pontificalia exercere possit eique baldaquinum erigi debeat, apud AA. controvertitur. Vide PIAT, t. II, p. 62, q. 3, 3°.

3° In iisdem Regularium ecclesiis Episcopi *sacramentum confirmationis* conferre possunt. Definitum fuit a BENEDICTO XIV, Const. *Firmandis* (1744), § 6 (d).

4° An *ordinationem* etiam in ecclesiis Regularium Episcopi peragere possint (iis invitis), controvertitur. Negat PIAT, t. II, p. 63, q. 4, quia ordinare est actus iurisdictionis, et proinde in ecclesiis exemptis exerceri nequit; plures auctores citat. PIGNATELLI, t. X, *cons.* 106, n. 21, ait: « Non possunt Episcopi in dictis Regularium ecclesiis eas pontificales functiones, quae mixtam considerationem habent (scilicet quae ordinem et iurisdictionem episcopalem simul requirunt, ipsis invitis exercere, ut ordines conferre ». Item tenent PRÜMMER, q. 194, et FERRARIS, v. *Episcopus*, art. 4, n. 22.

5° Licet Episcopo in ecclesiis Regularium *praedicare;* saltem id est multo probabilius: praedicare enim non est actus iurisdictionis (PIAT, t. II, p. 63, q. 4, d). BENEDICTUS XIV (*de Synodo,* l. IX, c. 17, n. 7) ait: « S. Congr. Conc. semper fuit in sententia licere Episcopo concionem habere ad populum in qualibet suae dioecesis ecclesia, etiamsi ad Regulares pertineat ».

---

clesiis interesse possunt, ipsi Regulares, quoties opus fuerit, teneantur ibi et debeant in loco ad solium Episcopi constituendum opportuno et congruo baldaquinum attollere. Si qui vero Regularium huic declarationi, statuto, decreto et mandato inobedientes et contumaces fuerint, sciant se ab iisdem Episcopis ad id per censuras et poenas ecclesiasticas, huius decreti vigore, cogi et compelli posse » (Decretum invenitur apud PIGNATELLI, t. X, consult. 106, n. 20).

(d) « Aliqui Regulares, de suorum privilegiorum et exemptionum indemnitate plus nimis solliciti, hanc Episcopis controversiam moverunt, utrum iis liceret in ipsorum Regularium ecclesiis sive parochialibus sive non parochialibus sacramentum confirmationis administrare. Quae quidem controversia in Congr. Concilii, partibus plene auditis, pro Episcopis decisa fuit, quemadmodum et Nos generaliter et sine exceptione eamdem definimus ».

Sed Episcopus nequit in ecclesiis Regularium actum iurisdictionis exercere, ut definivit Clemens v (supra, *nota* b).

36. xxiii. **Regulares quoad praescripta ab Episcopo.** — Regulares quamvis exempti tenentur:

1° *Servare dies festos ab Episcopo praescriptos.* Ita Trident. *sess.* xxv, c. 12, *de Regul.:* « Dies etiam festi, quos in dioecesi sua servandos idem Episcopus praeceperit, ab exemptis omnibus etiam Regularibus, serventur » [a].

2° *Recitare collectas ab Episcopo imperatas,* nec ab eis recitandis cessare possunt antequam Episcopus iusserit. — Est consequentia decreti Tridentini, de observandis et vitandis in celebratione missae. Habetur insuper *decretum generale* S. Rit. Congr., 3 *april.* 1821 [b].

3° *Statuto Episcopi stipendia missarum taxantis obedire.* Nec maius stipendium exigere possunt (quamvis ultro oblatum admittere valeant) [c], nec minus admittere, si id Episcopus prohibuit': quod tamen de solis missis manualibus intelligitur. Ita Bened. xiv, *de Synodo,* l. v, c. 9, n. 2. Exstat decretum S. C. Conc., a. 1639: « Eleemosynam pro qualibet missa

---

36. (a) At post Const. Urbani viii, *Universa* (1642) super observatione festorum, saltem dubium est an Episcopi possint dies festos de praecepto in dioecesi instituere, et videtur negandum ex responsione S. Rit. Congr. *d.* 23 *iun.* 1703, *ad* 2. « An Episcopus in sua dioecesi alia festa de praecepto instituere possit, praeter illa quae in dicta Bulla expressa sunt? — Resp. Negative » (Piat, t. ii, p. 67). Nihilominus Benedictus xiv, *de Synodo,* l. ix, c. 15, n. 11, Episcopi correctioni subiici profert Regulares « non servantes dies festos ab Episcopo indictos ». — Sed dici potest, hic agi aut de festis ab Episcopo cum licentia S. Sedis institutis, aut de aliquo die festo non quidem in perpetuum instituto sed pro una vice indicto, et ideo adhuc post Const. *Universa,* locum esse decreto Tridentino.

(b) « 1. An in ecclesiis Regularium aliisque ecclesiis exemptis recitandae sunt collectae ab Ordinario loci praescriptae? — 2. An liceat clero earumdem ecclesiarum ab eis recitandis cessare pro lubitu antequam Ordinarius id iusserit? — Resp. ad 1, Affirmative; ad 2, Negative. Et S. Pontifex S. Congregationis responsa adprobavit confirmavitque ».

(c) S. C. C. interrogata, « An possit Episcopus prohibere, sub poena censurarum, laicis ne pinguius stipendium taxa solvant sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus missam celebrantibus, et quod iidem sacerdotes illud accipere non possint etiam a sponte dantibus? — Respondit: Prohiberi non posse » (16 *ian.* 1649. — Apud Bened. xiv, l. c.).

per Regulares celebranda in eorum ecclesia, esse taxandam arbitrio Ordinarii iuxta morem regionis ». Et in alio decreto d. 6 *iul.* 1689, Episcopo qui rogabat « declarari an ipse statuere possit eleemosynam unius Iulii pro qualibet missa, imponendo poenam celebrantibus pro minore quantitate », responsum fuit: « Affirmative, quoad eleemosynam manualem » (d).

4° *Pulsare campanas*, si praescriptum fuerit pro omnibus ecclesiis. Habetur *decretum generale* S. Congr. Rit., 3 *apr.* 1821, *ad* 3, a S. Pontifice approbatum (e).

Sed Ordinarius nequit prohibere Regularibus pulsum campanarum, excepto sabbato sancto antequam ecclesia principalis loci pulsaverit. Ita S. Congr. EE. et RR., 14 *mart.* 1879, *ad* 1. Quaerebatur: « An Ordinarius vetare possit campanarum pulsationem ante vel tempore missae parochialis, in omnibus dioecesis ecclesiis officiatis per sacerdotes saeculares aut regulares? » — Responsum fuit: « Quoad presbyteros saeculares Episcopus utatur iure suo, nisi laudabilis consuetudo vel privilegium obstet; quoad Regulares, negative, excepto sabbato sancto » (non obstantibus rationibus ab Episcopo adductis) (f). Eodem die respondebatur ad aliud quaesitum: « An Superiores regulares possint introducere functiones extraordinarias, alterare consuetas in respectivis ecclesiis, et processiones facere, absque praevia Ordinarii licentia? » — R. « Affirmative.... exceptis processionibus extra ecclesiae ambitum: salvis pro aliquibus processionibus, specialibus privilegiis ». — In particulari Episcopi non possunt prohibere ne Regulares campanas pulsent ad recitationem salutationis angelicae, antequam pulsentur in ecclesia maiori loci (S. Congr. Rit., 24 *sept.* 1633, et 21 *nov.* 1671), aut in nocte nativitatis D. N. (S. Congr. EE. et RR., 18 *febr.* 1723, apud Bizzarri, p. 348).

(d) S. Congr. Conc. rursus interrogata de eadem re, *d.* 8 *maii* 1905, simpliciter remisit ad duas praedictas resolutiones (A. S. S., t. XXXVIII, p. 14).

(e) Quaerebatur: « An iubente Ordinario ut in quibusdam solemnitatibus vel in alio peculiari casu sonus aeris campani omnium ecclesiarum edatur, ecclesiae quantumvis exemptae, eius mandato parere teneantur? » — Resp. « Affirmative ».

(f) A. S. S., t. XI, p. 602. — Ita etiam recenter fuit decisum a S. Congr. EE. et RR., 15 *nov.* 1905: « Firmo remanente FF. Praedicatorum privilegio pulsandi campanas quando eis placuerit, ad tramitem Const. *Etsi mendicantium* S. Pii V, Episcopus potest, propter specialia loci et temporum adiuncta, pulsationum durationem ad certum tempus limitare ».

5° *Censuras et interdicta publicare et observare, Episcopo mandante, tenentur.* Ita TRIDENT., *sess.* XXV, c. 12 *de Regul.* « Censurae et interdicta, nedum a Sede Apostolica emanata sed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo, a Regularibus in eorum ecclesiis publicentur atque serventur ». Dicitur: « mandante Episcopo »: ergo ante mandatum Episcopi nec publicare nec servare tenentur.

BENEDICTUS XIV, *de Synodo*, l. IX, c. 15, n. 11, inter alios casus « in quibus Regulares Episcopis tamquam Sedis Apostolicae delegatis subiiciuntur », et proinde ab eis, si non obediunt, puniri possunt, indicat: « Non servantes interdictum ab Episcopo latum, aut dies festos ab Episcopo indictos, vel recusantes promulgare censuras iussu Episcopi denuntiandas, contra decretum Tridentini ». S. CONGR. CONC., d. 11 *iun.* 1695, consuetudinem etiam immemorialem contra obligationem servandi interdicta ab Episcopo lata reiecit (PIAT, t. II, p. 78, qq. 1 et 2).

Verum Regulares interdicta observare non tenentur nisi cum moderamine decretalis *Alma*. Nam in dicto cap. Tridentini, quo observatio interdicti episcopalis praescribitur, in nota refertur Clementina *Ex frequenti*, 1, *De sent. excomm.*, V, 10. Porro in hac Clementina praecipitur quidem Regularibus servare interdicta, sed « cum moderamine tamen decretalis *Alma* ». Duo autem moderamina hic permittuntur: 1° ut « in monasteriis et ecclesiis, missae et officia singulis diebus celebrentur sicut prius, submissa voce, ianuis clausis, excommunicatis et interdictis exclusis, et campanis etiam non pulsatis »; 2° ut « in festivitatibus Natalis, Paschae, Pentecostes, Assumptionis (addita fuit a Martino V, C. *Ineffabile Sacramentum,* solemnitas Corporis Christi eiusque octavae) campanae pulsentur, et ianuis apertis, alta voce, divina officia solemniter celebrentur, excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis admissis » (PIAT, t. II, p. 79, resp. 2°).

6° Quoad *appellationem a decretis* per Episcopum sive in synodo dioecesana sive extra synodum editis: si agitur de decretis quibus Regulares ex iure communi tenentur, ut sunt decreta de iis quae ad curam animarum et sacramentorum administrationem pertinent, Regulares (ut de caetero saeculares) appellare possunt ad S. Sedem, sed *in devolutivo* tantum; si de decretis aliis ageretur contra ipsorum exemptionem, appellare possunt etiam in *suspensivo:* scilicet in primo casu interim decretis obedire debent, in secundo appellatio vim

habet suspendendi omnem obligationem decreti. Ita Leo xiii, C. *Romanos Pontifices*, n. 13 (g).

7° Episcopus nihil Regularibus circa horam missarum praescribere potest, contra eorum privilegia. Specialiter declaratum fuit Episcopum non posse prohibere Regularibus ne celebrent ante missam parochialem. Ita plures Congregationum decisiones, apud Piat, t. ii, p. 235, q. 9).

37. xxiv. **Regulares quoad assistentiam synodo dioecesanae** (a). — De assistentia synodo duplex quaestio movetur: prima de *obligatione,* altera de *iure* ei assistendi.

1ª *quaestio.* Ad synodum interesse debent, *si vocentur* et nisi legitime eximantur, omnes Praelati non exempti, vicarius generalis, vicarii foranei, capitulum, curati (scilicet qui actu curam animarum exercent); et si agi debent in synodo res ad clerum totum pertinentes, beneficiati simplices, imo clerici omnes (Wernz, t. ii, n. 860).

Omisso autem hoc casu ultimo, in casu generali quando vocantur Praelati, curati aliique supradicti, non autem totus clerus, quinam ex Regularibus assistere teneantur? — Hoc sta-

---

(g) « Hisce decretis (sc. synodalibus) pareant oportet etiam religiosi sodales in iis quae ad curam animarum et sacramentorum administrationem referuntur (Trid., *sess.* xxv, c. 11, *de Regul.*) caeterisque in rebus, « in quibus eos Episcoporum iurisdictioni subesse canonica praecipiunt instituta » (Innoc. iv, c. 1, *De privilegiis,* in 6°). Profecto dubitare non licet quin ab iis interpretationibus (decretorum synodalium) ad Sedem Apostolicam provocatio sit.... Fas est nimirum Regularibus appellare in devolutivo tantum, quoad interpretationem decretorum quae de iure communi, sive ordinario sive delegato, Regulares etiam afficiunt; quo vero ad interpretationem aliorum decretorum, etiam in suspensivo. Authentica namque interpretatio quae manat ab Episcopis, qui synodorum auctores sunt, tanti profecto est quanti sunt ipsa decreta. Ex quo illud omnino est consequens, licere religiosis sodalibus a primo decretorum genere appellare, eo iure et modo quo licet cuilibet de dioecesi appellare a lege communi, scilicet in devolutivo (Bened. xiv, *de Synodo,* l. xiii, c. 5, n. 12). At vero ad reliqua decreta quod attinet, ea certe lata contra Regulares vim rationemque legis amittunt. Quare constat illos sic exemptionem a iurisdictione episcopali possidere ut ante possederint, donec Pontificis maximi auctoritate iudicetur iurene an secus cum iis actum est ».

37. (a) Tractat Bened. xiv, *de Synodo,* l. iii, cc. 1 et 2; — Leo xiii, Const. *Romanos Pontifices* (1881), § 12.

tutum fuit a Trident., *sess.* xxiv, c. 2 *de Reform.:* « Synodi quoque dioecesanae quotannis celebrentur, ad quos exempti etiam omnes, qui alias cessante exemptione interesse deberent nec capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur. Ratione autem parochialium aut aliarum saecularium ecclesiarum etiam adnexarum, debent ii qui illarum curam gerunt, quicumque illi sint, synodo interesse ». — Hanc Tridentini dispositionem adhuc plane vigere affirmat Leo xiii, Const. *Romanos Pontifices,* qui quaestionem de assistentia Regularium ad synodum tractans, sic concludit: « Quare hoc unum respondemus, standum esse decretis Tridentinis ».

Igitur, ex supradicto Tridentini loco, assistere debent Synodo:

1° Praelati regulares qui non subduntur Capitulis [b].

2° Regulares omnes qui animarum curam exercent, quocumque modo id fiat, sive in propriis conventuum ecclesiis, sive in ecclesiis annexis, sive in ecclesiis saecularibus forsan curam exerceant. Ideo S. Congr. Conc., 19 *nov.* 1604, censuit: « Esse iniungendum omnibus Regularibus, qui vel capitulis generalibus non subduntur vel curam animarum exercent, ut ad synodos dioecesanas accedant, sub poena etc. » (Bened. xiv, *de Synodo,* l. iii, c. 1, n. 10).

3° His addi debent Praelati regulares, etiam ad Religiones exemptas pertinentes et capitulis subditi, si parvos conventus habitent qui iurisdictioni Episcopali subduntur. Hi enim, donec in his conventibus degunt, exemptionis privilegium amittunt (vide supra, n. 7). De eis pronuntiat Alexander vii, Const. *Cum sicut,* 30 *mart.* 1661: « Abbates, priores, guardianos et alios parvorum conventuum huiusmodi Superiores, ad synodum dioecesanam accedere teneri, si ad eam ab Episcopo uti Sedis Apostolicae delegato vocentur, auctoritate Apostolica declaramus, et ita ab omnibus ad quos pertinet servari praecipimus ». Hanc decisionem tamquam legem semper vigentem citat Benedictus xiv, *de Synodo,* l. iii, c. 2, n. 3) [c]. Leo xiii,

---

(b) Hanc subiectionem Capitulis sic explicat Bened. xiv, l. c., c. 1, n. 8: « Praelati regulares qui agnoscunt Superiorem Generalem, quorum monasteria cum aliis sui Ordinis monasteriis coalescunt in unum corpus seu conficiunt unam communitatem, cuius singula membra Capitulo generali Ordinis subduntur: hi Praelati non coguntur accedere ad Episcopi synodum ».

(c) Wernz, l. c., *nota* 28, restringit hanc declarationem ad Italiam et insulas adiacentes. Nam, ait, decretum *Ut in parvis* Innocentii x, quo

tamen, C. *Romanos Pontifices,* notat neque Constitutionem Innocentii x de parvis conventibus, neque aliam Alexandri VII, locum habere in locis missionum, ubi Regulares degentes in parochiis, etiamsi bini aut singuli in eis habitent, non subiiciuntur Episcopis, et proinde, si curam animarum non exercent, ad synodum non obligantur (d).

Quaeri potest, quinam ratione curae animarum interesse debeat, utrum vicarius qui de facto eam curam exercet, an Praelatus conventus ad quem haec cura pertinet? — BENEDICTUS XIV (l. c., c. I, n. 11, 12, 13) sic rem dirimit. Casus est diversus, prout ecclesia, cui competit cura animarum, est ecclesia conventus aut ecclesia annexa. Si est ipsa ecclesia conventus, vel animarum cura committitur capellano saeculari aut subdito regulari, utroque ad nutum Praelati amovibili: et tunc ipse Praelatus regularis synodo assistere debet, quia in casu ipse potius habet curam animarum, quamvis eam per alium exerceat; vel cura animarum committitur vicario saeculari perpetuo: et tunc non Praelatus, sed vicarius qui curam exercet animarum synodo interesse tenetur. Si autem ecclesia, cui competit cura animarum, est tantummodo annexa conventui, tunc semper vicarius deputatus, non autem Praelatus, synodo (si vocetur) adesse debet, quamvis sit subditus regularis Praelati, aut sacerdos saecularis ad nutum amovibilis.

An Regulares, qui vocati ad synodum iure communi assistere debent, privilegiis aut consuetudine sese excusare pos-

---

parvi conventus fuerunt iurisdictioni Episcopi subiecti, latum fuit pro sola Italia et insulis. Sed vide dicta n. 7, de praesenti disciplina quoad parvos conventus.

(d) Verba LEONIS XIII, sunt: « De officio conveniendi ad synodum explorata est Tridentina lex.... Quam legem egregie illustravit Bened. XIV *de Synodo,* l. III). Neque vero putamus cuiquam negotium facessere decretum Alexandri VIII, 3 *cal. aprilis* 1691, quo cavetur ut ad synodum accedant Abbates, Rectores, Praefecti, omnesque Antistites domorum religiosarum, quas Innocentius X Episcoporum potestati subiecerat. Quum enim Innocentianae Constitutiones viros apostolicos qui in sacris missionibus versantur non attingant, facile intelligitur neque decretum Alexandri ad eos, de quibus modo apud Nos agitur, pertinere. Quare huic posteriori quaestionis parti hoc unum respondemus: standum esse decretis Synodi Tridentinae ». [Nota: Const. *Cum sicut,* quam Bened. XIV merito attribuit Alexandro VII, 30 *mart.* 1661 (seu 3 *cal. apr.*), Leo XIII attribuit Alexandro VIII, 30 *mart.* 1691. Sed hoc est mendum apertum; siquidem Alexander VIII mortuus est 1 *febr.* 1691].

sint? — Si agitur de privilegiis et consuetudine C. Tridentino anterioribus, ab eo revocata fuerunt, necnon a Const. Pii IV *In Principis Apostolorum,* 13 *Kal. mart.* 1565 (Bened. XIV, *de Synodo,* l. III, c. 1, nn. 14 et 15); si de privilegiis posterioribus quae alias revocata non fuerint, iis stare possunt.

2ª *Quaestio* est, quinam ius assistendi ad synodum habeant? — Etiam quum de clericis saecularibus agitur, res non est satis definita, et difficile probaretur ius sive praelatorum, sive canonicorum, sive parochorum (vide Wernz, t. II, 860, *notis*). A fortiori Regulares exempti nullum ius certum ut vocentur praetendere possunt.

38. XXV. **Regulares quoad obligationem assistendi conferentiis seu collationibus cleri super casibus conscientiae.**

1° Parochi regulares etiam exempti tenentur assistere collationibus. Ita Benedictus XIV, Const. *Firmandis* (1744): § 9, inter ea, circa quae Episcopo parochum regularem exemptum examinare licet, ponit: « An congregationes seu conferentias super casibus conscientiae haberi solitas frequentet? » et § 10 ait, ubi Episcopus hunc in uno ex istis suo muneri defecisse compererit, posse meritas in eumdem poenas statuere.

2° An praeter parochum alii, qui in paroeciis ipsi assistunt, has conferentias frequentare teneantur? — Resp.: *De iure constituto*, non tenentur. Sed Leo XIII ius mutavit in Const. *Romanos Pontifices*, et eius statutum in Anglia et in omnibus locis, ad quos Constitutio fuit extensa, servari debet (a).

Verum obligatio haec, cum sit contra ius constitutum, restringenda est omnino ad personas in Const. Leonis XIII recensitas, sc. ad vicarios aliosve religiosos missionariorum facultatibus instructos, qui *hospitia parvasque missionum domos incolunt*. Igitur applicari non debet ad domos religiosas quae

---

38. (a) Postquam dixit parochos regulares ad conferentias in vi Const. *Firmandis* obligari, subiungit: « Aliter dicendum videretur de vicariis aliisque religiosis viris apostolica munia obeuntibus. His enim integrum quidem est de *iure constituto* a memoratis collationibus abstinere « prout alias fuit a S. C. C. declaratum,... ». Deinde expositis rationibus in contrarium: « Hisce igitur rationibus permoti, declaramus omnes missionum rectores cleri collationibus adesse ex officio debere, simulque decernimus ac praecipimus, ut iisdem intersint vicarii quoque aliique religiosi viri missionariis facultatibus concedi solitis instructi, qui hospitia parvasque missionum domos incolunt ».

ecclesiam parochialem habent, si in ea religiosi sex ad minus computantur: quia talis domus iam non est *parvus conventus*, et ideo ex ea solus rector ecclesiae cum eius vicariis ad collationes tenetur; nec obligatio extendenda est ad loca alia, praeter ea ad quae ipsa Constitutio *Romanos Pontifices* est extensa, nisi constet ex stylo Curiae factam fuisse legem universalem.

3° Caeteri Regulares exempti ad has conferentias cogi nequeunt, ut declaravit S. Congr. Concilii, 12 *mart.* 1718: « An permissum esse valeat Episcopo, concedendo sacerdotibus Regularibus facultatem audiendi confessiones saecularium, iniungere ut intersint congregationibus casuum conscientiae? ». — Resp. « Negative ». (Apud Ferraris, v. *Regulares*, a. 2, n. 123 et apud Piat, t. II, p. 191, q. 23, *nota* 7. — Bizzarri, p. 826, plures alias responsiones similes affert). Et hoc valet etiamsi agatur de religiosis in parvis conventibus viventibus, ut pluries etiam fuit responsum (b).

4° Idem dicendum est de Regularibus violenter dispersis, qui extra claustra tres simul in eadem domo degunt et statis diebus collationem casuum inter se habent. Ita pro religiosis Italiae dispersis declaravit S. Congr. EE. et RR., d. 14 *febr.* 1868 (apud Piat, l. c., *nota* 10) et S. Poenitentiaria, 12 *sept.* 1872, ad 4 (apud Vermeersch, t. II, p. 464).

Ait tamen Piat, l. c., quod si Regulares negligant apud se collationem casuum conscientiae, possunt confessarii ab Episcopo cogi ut collationibus cleri saecularis intersint. Hoc revera dicitur expresse in epistola quadam S. Congr. super regulari disciplina, d. 8 *nov.* 1752, sed tantum pro Italia et insulis adiacentibus (epistolam refert Bizzarri, p. 827, et Ferraris, l. c., n. 123); idem prius declaraverat *Concil. Romanum* a. 1725 sub Benedicto XIII, quemadmodum memorat Leo XIII, l. c.

(b) S. Congr. super statu Regul., *d.* 15 *ian.* 1682: « Cum conventus suppressi et postea restituti, in quibus non degunt de familia 12 religiosi, sint subiecti iurisdictioni Ordinariorum, contigit dubitari, an religiosi confessores et non parochi in huiusmodi conventibus degentes compelli possint ab eisdem Ordinariis ut accedant ad conferentiam casuum conscientiae. — R. Eminentissimi Patres censuerunt Ordinarios locorum posse quidem hortari, non autem compellere praedictos religiosos confessores non parochos ad accedendum ad conferentiam casuum conscientiae » (Bizzarri, p. 309, Ferraris, l. c., n. 61). Eadem responsio data fuit a S. C. C., *d.* 12 *maii* 1585, et *d.* 12 *mart.* 1718, ac rursus a Congr. super Regulari disciplina, *d.* 8 *nov.* 1752 (Apud Bizzarri, p. 827).

39. An et quando Regulares ab Episcopis censuris coerceri possunt?

Resp. 1°. Certum est Episcopos in Regulares exemptos censuris uti non posse, nisi in casibus in quibus sive potestate ordinaria, sive potestate delegata eos sibi subditos habent: puniri enim non possunt nisi subditi.

Resp. 2°. In his in quibus Regulares Episcopis subiacent, distinguendum est an Regulares privilegium habeant quo, non obstante subiectione, nihilominus Episcopi contra ipsos censuras ferre non possunt, an contra huiusmodi privilegium non habeant. — Si non habent, nihil impedit quin Episcopus eos, si ratio sit sufficiens, censuris coerceat. — Si privilegium huiusmodi habent: aut illud privilegium fuit concessum ante Tridentinum et post Tridentinum non fuit innovatum, aut fuit concessum vel saltem innovatum post Tridentinum. In primo casu, habetur uti a Tridentino revocatum: ita pluries fuit a S. C. C. decisum, ut refert Pignatelli, t. III, *consult.* 46, n. 11 et seq., et Ferraris, v. *Regulares,* art. 2, n. 78 [a]. In secundo casu, generatim Episcopi censuris contra hos Regulares uti non poterunt, sed tantum quando postea huic privilegio derogatum est. Porro certum est Gregorium XV, Constitutione *Inscrutabili* (1622), derogasse privilegiis anterioribus in casibus quos enumerat, scilicet in delictis commissis 1° circa curam animarum a Regularibus hanc curam exercentibus, 2° in administratione sacramentorum, 3° in praedicatione, si sine debita licentia aut benedictione Episcopi praedicent, 4° item si delinquant circa moniales et alias feminas intra septa degentes, aut contra earumdem clausuram, aut contra administrationem bonorum monasteriorum monialium, vel si eorum confessionem absque speciali licentia audiverint. Enumeratis enim his casibus, deinde statuit Pontifex, § 6: « Ita ut Episcopi, in suprascriptis casibus, in praenominatas personas in praemissis omnibus et singulis aut circa eas quoquomodo delinquentes, quoties et quando opus fuerit,... *per censuras ecclesiasticas*

---

39. (a) S. C. C., *d.* 17 *iul.* 1627, resolvit Episcopos posse Regulares ad processiones cogere per censuras etiam, « non obstantibus quibuscumque privilegiis, consuetudinibus vel praescriptionibus etiam immemorabilibus, *privilegiis tantum Apostolicis S. Conc. Tridentino posterioribus minime sublatis* ». S. Congr. Rit., *d.* 3 *maii* 1642, similem responsionem dedit in casu particulari: « Regulares ad processiones per censuras ab Episcopo cogi posse, nisi docuerint de Apostolicis privilegiis contrarium disponentibus, *quae sint Conc. Tridentino posteriora* ».

aliasque poenas, uti eiusdem Sedis Apostolicae delegati, procedere omnemque iurisdictionem exercere libere et licite valeant ». Sequuntur derogationes amplissimae omnium privilegiorum in contrarium.

Ideo, in causa Angelipolitana S. I., quaesito: « An Episcopus possit cum censuris procedere contra Regulares exemptos, si inobedientes fuerint in confessionibus audiendis vel praedicatione Verbi Dei, et hoc vigore Conc. Tridentini vel per quem canonem? — INNOCENTIUS X respondit: « Posse procedere, non quidem in vim C. Tridentini, sed in vim Constit. Gregorii XV *Inscrutabili* » (ita Const. *Cum sicut,* 1648, secunda series dubiorum, dub. 4).

Praeter hos casus Constitutionis *Inscrutabili,* an privilegia Tridentino anteriora, quibus nonnullis Ordinibus concessum erat ut per censuras coerceri ab Episcopis non possent, per Concilium revocata fuerint, dubium est; ita ut incertum remaneat an, in omnibus casibus, in quibus Tridentinum Episcopis in Regulares exemptos aut ordinariam potestatem agnoscit aut delegatam concedit, eos Episcopi non obstante dicto privilegio censuris coercere possint.

Triplex est sententia. — 1ª sent. negat: quia, nisi expressa habeatur privilegii derogatio, ipsum permanet. — 2ª sent. affirmat pro casibus in quibus Concilium expressam facultatem dat Episcopis Regulares censuris coercendi, etiamsi non deroget expresse privilegiis: in hac enim facultate videt implicitam derogationem privilegii contrarii; in aliis casibus negat, quia censet privilegia subsistere. — 3ª sent. affirmat Episcopos posse Regulares per censuras coercere, etiam in casibus in quibus simpliciter eis datur potestas obligandi Regulares eosque contravenientes puniendi, etiamsi non specialiter dicatur posse eos per censuras coercere (non autem in casibus, in quibus simpliciter datur iurisdictio in Regulares). Hanc sententiam sequuntur WERNZ, t. III, n. 702, *Scholion;* PIAT, t. II, p. 11; FERRARIS, v. *Regulares,* art. 2, nn. 78 et 80; et ad confirmandam sententiam citant plura decreta S. C. Conc. et S. C. Rituum.

Videre est apud PIAT, t. II, p. 12, q. 14, aliam quaestionem connexam: num scilicet Episcopus possit declarare aut denuntiare Regulares exemptos incurrisse excommunicationem latae sententiae? — Fiunt variae distinctiones, et AA. in diversas eunt sententias.

40. An Regulares exempti participes fieri valeant omnium gratiarum Episcopi, sive quas a S. Sede communicandas obtinuerit, sive quas proprio iure possideat?

Hae gratiae triplicis generis esse possunt: 1° gratiae ab Episcopo pro dioecesi impetratae, v. g., varia indulta pro ieiunio, abstinentia, iubilaeo; 2° gratiae ipsi Episcopo a S. Sede factae, ut eis cum suis subditis utatur, v. g., facultates quinquennales absolvendi a casibus R. P. reservatis; 3° gratiae ab ipso Episcopo concessae, v. g., iurisdictio, facultas quoad casus reservatos, indulgentiae. — Quaestio generalis resolvenda videtur ex hoc principio, quod exemptio sit privilegium et maxime in favorem Regularium concedatur (quamvis etiam sit ius Romani Pontificis, ut dictum est supra, n. 1). Porro, ex *regula* 61 *Iuris* in 6°: « Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium detorquendum ». Ergo beneficium quo Regulares vi exemptionis fruuntur, scilicet quod subtrahantur iurisdictioni Episcoporum, non debet eos privare commodis quae haberent, si remanerent ipsis subditi. Consequenter, nisi adsit peculiaris ratio eos excludendi, Regulares excludi non debent a gratiis quae Episcopi aliis communicare valent. Quo principio posito, resolvuntur casus speciales.

1. Regularibus communicari possunt indulta ab Episcopo pro dioecesi impetrata: habentur enim quasi leges territoriales, quibus fruuntur omnes qui in territorio existunt. Porro Regulares, quamvis non sint de dioecesi, sunt in dioecesi (supra, n. 1).

Ideo respondit S. C. Rom. Inq., d. 20 *dec.* 1871: « Regulares, speciali voto abstinentiae a carnibus non adstrictos, gaudere indulto circa observantiam ciborum tempore quadragesimae et per annum pro fidelibus promulgato ab Ordinariis locorum, nomine S. Sedis Apostolicae ». — Eadem Congr., *d.* 20 *ian.* 1892, quaestioni, an Regulares uti possint indulto dispensationis a lege abstinentiae et ieiunii propter epidemiam localem concesso, respondit: « Regulares indulto comprehendi ». Notanda est forma utriusque responsi: Indultum non extenditur per novam gratiam ad Regulares; sed Regulares ipso indulto comprehendi dicuntur vel indulto gaudere, quamvis in eo nulla mentio eorum habeatur. — Item circa favores ad lucrandum iubilaeum indultos pluries fuit responsum.

2. Quoad usum facultatum quinquennalium, S. Rit. Congr. interrogata, an extenderetur ad Regulares facultas Episcopo

concessa dispensandi super aetatis defectu unius anni ad sacerdotem ordinandum, *d.* 29 *ian.* 1896 respondit: « Affirmative, facto verbo cum SSmo », sc. non extenditur per novam gratiam, sed facultas ex se extenditur ad Regulares. Et videtur idem dicendum de aliis facultatibus eiusdem generis: eis Episcopus in favorem Regularium, quamvis exemptorum, uti potest.

3. AA. communius dicunt Regularem qui incurrisset casum R. P. reservatum, a quo Episcopus facultatem absolvendi haberet, posse cum Superioris sui facultate absolutionem ab Episcopo recipere [a]. S. Lig., l. VII, n. 107. Vide Piat, t. I, p. 422. Licentia Superioris etiam ad validitatem requiritur, si Ordo privilegium habeat quo eius alumni non possint confessionem valide peragere, nisi apud confessarios Ordinis aut a Superioribus Ordinis delegatos.

4. Regulares, quamvis communiter iurisdictionem et privilegia circa confessiones audiendas a suis Superioribus accipiant, ea tamen etiam ab Episcopo accipere possunt; ita ut, suspensi a suis Superioribus ab audiendis confessionibus, valide adhuc quamvis illicite absolvant, si facultates ab Episcopo loci acceperint. Ita S. Congr. EE. et RR. in celebri responso 2 *mart.* 1866.

5. Regulares indulgentias ab Episcopo concessas (nisi Episcopus a favore eos exciperet) lucrari possunt, ut merito dicit Vermeersch, n. 382, n. 3.

---

40. (a) Ratio est quia, ex praesenti disciplina, confessarius potest audire confessionem non tantum suorum subditorum, sed aliorum qui libere ipsius auctoritati in foro sacramentali se subiiciunt, nisi aut ipse non sit approbatus pro eis, aut his poenitentibus sit vetitum confiteri peccata apud alios confessarios praeter *statutos*. Adest responsio S. Congr. EE. et RR. 3 *iun.* 1864. Casus ita erat propositus: « Quidam Regularis, utens facultate obtenta a Priore sui conventus, confitetur sacerdoti et quidem approbato: quaeritur an valide, et utrum Prior possit iure suis subditis hanc facultatem concedere, necne? » — Responsum fuit: « In Ordine N., affirmative ad utrumque, dummodo sacerdos fuerit ex approbatis ab Ordinario loci; pro aliis Ordinibus, standum Constitutionibus et Statutis »; scilicet licentia concessa a Superiore est licita et valida, si per Statuta Ordinis non est ei vetitum eam concedere: tunc enim proprius Superior potest delegare suam facultatem cui voluerit. Si autem haec facultas Superiori denegatur, invalida esset confessio in casu.

6. Regulares nihilominus gratiis ab Episcopo sibi collatis licite frui non valent nisi ex licentia saltem praesumpta suorum Superiorum [b]. Hoc enim omnino exigit obedientia religiosa.

SECTIO II.

41. De exemptione Societati concessa. — Exemptio Societati a Paulo III, Const. *Licet debitum* (1549), fuit primum directe concessa [a]; deinde S. Pius V, C. *Dum indefessae* (1571) et Gregorius XIII, Const. *Decet Romanum Pontificem* (1575), amplissimam communicationem privilegiorum, exemptionum, indulgentiarum, cum caeteris Ordinibus mendicantibus et non mendicantibus largiti sunt (vide textus c. XV, n. 16).

Postea, cum dubia moverentur an NN. post vota biennii exemptione, sicut et professi, gauderent: idem Gregorius XIII, Const. *Ascendente* (1584), eos esse exemptos definivit [b]. Pius VII, in Bulla restitutionis Societatis, *Sollicitudo* (1814), « omnia collegia, domus, provincias, sociosque.... sub *immediata* S. Sedis tutela, praesidio et obedientia recipit, *sibi et Romanis Pontificibus reservans* ea statuere ac praescribere quae ad eamdem magis magisque constabiliendam ac muniendam, et ab abusibus, si forte irrepserint, repurgandam, statuere ac praescribere visum fuerit ». Denique Leo XIII, brevi *Dolemus* (1886), renovando omnia privilegia, quae non fuerint expresse revo-

---

(b) Prümmer, q. 190, *nota* 3: « Ad celebrem illam quaestionem, utrum necne generatim possint Regulares exempti adire ad Episcopum loci monasterii, ut in ipsorum gratiam utatur facultatibus suis ordinariis vel extraordinariis, potest hodie tuto responderi: Affirmative, praesupposita licentia Provincialis » (sufficit per se licentia Superioris localis). — Vermeersch, t. I, n. 382, ait: « Res in universum non vacat difficultate.... Nihilominus communis hodie sententia, nixa praesertim regula 61 Iuris in 6°, id concedit fieri posse, modo proprius annuat Superior ».

41. (a) « Ipsam Societatem et universos illius socios et personas illorumque bona quaecumque ab omni superioritate, iurisdictione, correctione quorumcumque Ordinariorum eximimus et liberamus, ac sub nostra et praefatae Sedis protectione suscipimus ».

(b) Postquam pronuntiavit omnes, qui tria vota post biennium emiserint, esse vere et proprie religiosos, subiungit: « et huic Sedi immediate subiectos, et a quorumvis Ordinariorum et delegatorum seu aliorum iudicum iurisdictione omnino exemptos, prout Nos etiam vigore praesentium eximimus ».

cata, plenam exemptionem olim concessam explicitis verbis innovavit (vide c. XV, n. 16, 5°).

42. Privilegia quoad oratoria. — Societas privilegium habet a GREGORIO XIII, Const. *Decet Romanum Pontificem* (1575) elargitum, vi cuius, in collegiis, domibus et aliis locis in quibus aliqui Societatis resident, erigi possunt oratoria et cappellae, licentia Ordinarii non requisita; sed duplex ponitur conditio: prima, ut haec oratoria ad cultum divinum dumtaxat deputentur; altera, ut Provinciales per se ipsos ea approbaverint [a].

Ex inciso, « et aliis locis ubi aliqui Societatis residebunt », videtur sequi, ut tempore vacationum in locis, ubi collegium aliquod feriatur, oratorium erigi possit. — An conditione, quod Provinciales ea *per se approbare* debeant, excludatur hic agendi modus, ut Provincialis aliquem ad locum visitandum deputet ac, notitia ab ipso accepta, ipse approbet, non satis constat. COMP. PRIVIL., n. 436, censet non excludi.

43. Quoad grangias et loca ruralia, Societas nulla privilegia specialia habet, sed participat per communicationem privilegia aliorum Regularium. — Unde eius grangiae et loca ruralia (quae non sint parvi conventus), iuxta dicta nn. 6 et 7, sunt exempta a iurisdictione Episcopi, quia sunt loca profana, non pia aut ecclesiastica; sed religiosi ibi degentes, si delinquant, iurisdictioni et correctioni Episcopi subiacent, utpote extra claustra degentes.

Societas autem, ex communicatione privilegii Carthusianis a CLEMENTE XII (1737), et Praedicatoribus a BENEDICTO XIV (1755) concessi, in his locis ruralibus, grangiis et membris, oratoria privata et etiam cappellas publicas, in quibus fideles praecepto audiendae missae satisfaciant necnon quicumque sacerdotes celebrare valeant, absque ulla Ordinariorum visitatione et subiectione, erigere potest. COMP. PRIVIL., n. 437. Sed, ex n. 438, ad erectionem requiritur approbatio Provincialis, ut supra (n. 42) dictum est. Insuper si de ecclesia aut oratorio publico agitur, attendi nunc debet Const. *Romanos Pontifices* (1881)

---

42. (a) « Volumus, ut in oratoriis et cappellis, quae ipsius Societatis Provinciales per se in domibus, collegiis et aliis locis ubi aliqui Societatis residebunt, approbaverint et ad divinum duntaxat cultum deputaverint, missae et alia divina officia, alterius licentia desuper minime requisita, celebrari possint ».

Leonis xiii, in qua pronuntiatur ad erectionem ecclesiae requiri licentiam tum Episcopi tum S. Sedis.

44. Privilegia circa celebrationem missae. — Praeter privilegium praecedens, celebrandi in oratoriis a Provinciali in domibus, collegiis, grangiis aliisve locis ubi Nostri resident erectis, Societas alia privilegia habet.

1. Per communicationem privilegiorum cum Passionistis, cum Congregatione Missionis, et cum Congreg. SS. Redemptoris [a], sacerdotes Societatis celebrare possunt *in oratoriis privatis saecularium*, tum in missionibus, tum in itineribus ad missiones, exercitia, triduum, aut quamlibet continuatam praedicationem, et etiam in itineribus ex quacumque causa etiam ad solatium susceptis, quin teneantur conditionibus indulti, v. g., de praesentia indultarii, de diebus exceptis (Comp. Privileg., n. 439).

2. Alterum privilegium est, ut tempore Missionis presbyteri nostri *in altari portatili*, sive in domibus privatis sive ubique gentium, in locis profanis et communibus, dummodo tuta sint et honesta, celebrare possint. Concessio reservatur Provinciali (Comp. Privil., nn. 27 et 28). Hanc gratiam Societati donavit Gregorius xiii, Br. *Usum altaris portatilis* (1 *oct.* 1579) (Bull. Societ., p. 78); similem Clemens xiv largitus est Congregationi SS. Redemptoris (1773).

3. *Alia privilegia.* Privilegium celebrandi ubique, in omni loco, decenti tamen, sine ministro, etiamsi altare sit fractum aut sine reliquiis Sanctorum, fuit a Leone xii Societati concessum Br. *Plura inter* (Cf. Comp. Priv., n. 31). — Per communicationem privilegiorum, Nostris missam in cubiculo infirmi celebrare licet, sed ad usum huius privilegii requiritur venia Praep. Generalis (Cf. Comp. Priv., nn. 33 et 34).

Notandum. Privilegia recensita nn. 42, 43, 44, concessa sunt post Tridentinum, et ideo non comprehenduntur sub revocationibus factis a Tridentino, *sess.* xxii, in decreto de vitandis in celebratione Missae. Proinde Episcopi facultatem in hoc decreto ipsis datam, corrigendi contravenientes eosque poenis ecclesiasticis ac censuris puniendi, et etiam prohibendi vel statuendi pro celebratione missae ea quae opportuna iudicaverint, in Societatem exercere non possunt, quando nostri

---

44. (a) Privilegium Passionistis concessum est a. 1789, Congregationi Missionis a. 1784, Congr. SS. Redemptoris a. 1820 (Comp. Priv., l. c.).

sacerdotes praedictis privilegiis utuntur, nec quominus utantur impedire valent[b].

4. Societas vel directe vel per communicationem varia privilegia habet *circa horam celebrationis* Missae. Ex Brevi *Plura inter* (1826) Leonis xii, NN. celebrare possunt una hora ante auroram, et una hora post meridiem; ex communicatione privilegiorum cum Congregatione Puritatis, duabus horis ante auroram et post meridiem; ex communicatione cum Redemptoristis, ex iusta causa et in nostris ecclesiis, duabus horis post mediam noctem et tribus post meridiem; missionariis ubique duabus horis post mediam noctem celebrare et s. communionem dare licet (Cf. Comp. Priv., n. 409).

45. Privilegia circa alienationem. — Societas a Gregorio xiii, C. *Apostolicae Sedis* (1576), et alia Const. *Ex debito pastoralis* (1582), privilegium acceperat quo bona immobilia et mobilia pretiosa alienare poterat, nulla requisita Sedis Apostolicae aut Ordinarii venia. Hoc privilegium revocatum fuit, primum pro Europa per decreta S. Congr. Conc., d. 7 *sept.* 1624 et 21 *mart.* 1626; deinde pro omnibus locis per Const. *Apostolicae Sedis* Pii ix (vide Comp. Priv., n. 22). Verum non fuit revocata facultas concessa capite *Terrulas,* alienandi terras modici valoris. Ad earum alienationem ex Iure communi, secundum interpretationem S. Congr. Conc., requiritur licentia Ordinarii loci. Quoniam autem Societas ex privilegio alienationes sine Episcopi licentia facere poterat, in alienationibus quae adhuc permittuntur, suo privilegio adhuc uti potest, ut videtur. Comp. Privil., n. 20. — Hae autem alienationes in Europa reservantur Generali (Comp. Priv., n. 21). De alienationibus dicetur c. xxi, n. 15 et sq.

46. Privilegia tempore interdicti. — Societas privilegium habet, quo « tempore interdicti, quavis etiam Apostolica auctoritate appositi, sacerdotes nostri possint, ianuis clausis, excommunicatis et interdictis exclusis, submissa voce, missas et alia divina officia celebrare, ac ecclesiastica sacramenta recipere et aliis ministrare, dummodo ipsi causam non dederint interdicto, nec contingat id ipsis specialiter interdici »[a] (ita

(b) S. C. C., 23 *mart.* 1907, pronuntiavit « Privilegia altaris portatilis concessa ante C. Trid., et deinde non confirmata, esse sublata » (A. S. S., t. xl, p. 295).

46. (a) Haec ultima verba aliquam difficultatem faciunt : quaeri potest an

Paulus III, Const. *Licet debitum,* 1549). Imo ex capite *Alma* licet eis publice celebrare aliquibus diebus solemnioribus; et rursus per participationem privilegiorum cum Ordine S. Hieronymi in Hispania (ex privilegio huic Ordini a Pio V a. 1567 indulto), possunt aliis diebus festis in concessione enumeratis officia publice et ianuis apertis celebrare [b].

Privilegium Societati a Paulo III concessum non fuit a Tridentino revocatum. Concilium quidem, *sess.* XXV, *cap.* 12, edicit ut « censurae et interdicta, nedum a Sede Apostolica emanata, verum etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo, a Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur atque *serventur* ». Sed respondetur, privilegium Societati a Paulo III concessum non differre a privilegio in Iure communi, c. *Alma* contento (vide supra, n. 36). Porro caput *Alma* non eximit Regulares ab interdicto servando, sed moderamen in modo ipsum observandi permittit. Hoc moderamen non fuit a C. Tridentino prohibitum.

47. Privilegia circa assistentiam processionibus aliisque supplicationibus. — Societas fuit exempta ab obligatione interessendi quibuscumque supplicationibus, precibus et processionibus, et districte inhibetur quibuscumque locorum Ordinariis, etiam Patriarchis, Archiepiscopis, Cardinalibus et Legatis Nostros ad interessendum cogere. Ita Greg. XIII, Const. *Quaecumque* (1576). Hoc privilegium, utpote posterius Tridentino, non fuit revocatum *decreto* Urbani VIII, *d.* 28 *iul.* 1628 dato. Nam in hoc decreto facultas quidem datur Episcopis Regulares ad processiones compellendi, non obstantibus quibuscumque privilegiis, sed statim additur: « privilegiis tantum Apostolicis S. Conc. Tridentino posterioribus, contrarium desuper disponentibus, minime sublatis » (Comp. Priv., n. 221).

48. Sodalitates bonae mortis ac B. M. V. in ecclesiis nostris Praepositus Generalis erigere et aggregare potest, et erectas dissolvere absque Ordinarii consensu. — Ut erigat aut aggreget erectas in alienis ecclesiis, requiritur consensus Episcopi; nec ibi erectas iam dissolvere valet.

---

usus huius privilegii ab Episcopo interdici valeat. Sed vix dubium esse potest quod solus Summus Pontifex, qui privilegium concessit, hanc prohibitionem facere possit; secus vanum evaderet privilegium.

(b) Hoc privilegium non videtur numerandum inter ea quae revocavit Gregorius XIII (Vide c. XV, n. 11, 3°).

Pro erectione et aggregatione, vide dicta n. 25. Facultas autem sodalitates in nostris ecclesiis erectas dissolvendi concessa fuit a Sixto v, Const. *Superna* (5 *ian.* 1587) [a].

Sodalitates in nostris domibus et ecclesiis erectae ita unitae et incorporatae sunt his domibus et ecclesiis, ut sodales nullum ius habeant nec habere possint circa aedes, vasa, mobilia, ornamenta et supellectilia quaecumque, atque nulla decreta, statuta, regulas condere possint. Societas pluries declaravit sodalitates in suis ecclesiis et domibus ea conditione erigi: quae conditio a sodalibus acceptata merito censetur. Ius Societatis agnovit S. Congr. EE. et RR., in duobus causis 16 *mart.* 1713 et 2 *dec.* 1740, et definivit Benedictus xiv, Const. *Laudabile* (1758). Proinde, iuxta dicta n. 25, hae sodalitates Episcoporum iurisdictioni et visitationi omnino subtrahuntur (Comp. Priv., nn. 81 et 82).

49. Privilegium circa renuntiationem bonorum ante vota ultima. — In ipso decreto Tridentino (*sess.* xxii, c. 16) quo imponitur Regularibus ut renuntiatio non fiat nisi de licentia Episcopi et intra bimestre ante professionem, Societas ab hac duplici obligatione eximitur (vide c. iv, n. 21). — Sed novitio recedenti omnia, quae asportaverat, restitui debent; et si id non fieret, Episcopus ad restituendum cogere posset, ut ibidem dicitur.

50. Societas privilegium habet quo contra eius personas censurae aut interdicta ferri non possunt. — Ita Paulus iii, Const. *Licet debitum* [a]. Sed certo excipi debent 1° casus in Constitutione *Inscrutabili* (1622) Gregorii xv contenti (vide supra, n. 39): nam in fine Constitutionis dicitur: « Ita ut Episcopi in suprascriptis casibus in praenominatas personas, *in praemissis omnibus et singulis* aut circa ea quoquo modo delinquentes, quoties et quando opus fuerit, etiam extra visitatio-

---

48. (a) « Volumus autem quod si dictae Congregationes aliquomodo eidem Societati vel domibus seu collegiis aliquod impedimentum seu praeiudicium pro tempore attulerint, idem Praepositus seu Vicarius illas.... dissolvere possit » (Bull. Soc., p. 111).

50. (a) « Nec ullis Praelatis contra aliquem de praedicta Societate, vel contra alios eorum causa, aliquam excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententiam, contra eiusdem Societatis privilegia per Nos concessa, ferre liceat; et si tulerint, eo ipso irrita nulliusve roboris vel momenti sit et esse censeatur ».

nem, per censuras ecclesiasticas aliasque poenas, uti eiusdem Sedis delegati, procedere omnemque iurisdictionem exercere libere et licite valeant » et Constitutio, § 8, amplissimas habet derogationes (b). — 2° Probabilius excipi etiam debent (iuxta dicta eodem n. 39) omnes casus in quibus Tridentinum explicite dat Episcopis facultatem Regulares coercendi etiam per censuras, necnon etiam alii casus in quibus dat tantum facultatem compellendi non obstantibus privilegiis. Quinam sint hi casus, dictum fuit in singulis paragraphis a n. 15.

51. Loca Tridentini quae Instituto Societatis adversari videntur. — CONGR. III (a. 1573), d. 8, deputationem nominavit « ad examinandum si quid in C. Tridentino reperiretur, quod nostris Constitutionibus adversari videretur ». Duplex vero earum series fuit confecta: prima, locorum « quae cum Constitutionibus, privilegiis et usitato agendi modo *plane pugnare videntur* » ; altera, locorum « quae cum nostro Instituto eiusque privilegiis quodammodo pugnare videntur, sed sane intellecta minime pugnare censemus ». Inveniuntur ad calcem Congregationis III (*Instit.*, vol. II, p. 244).

In prima serie novem aut decem statuta Tridentini enumerantur.

1. « Regulares personaliter se coram Episcopo praesentare et ab eo benedictionem petere teneantur, antequam praedicare incipiant ». — Circa hoc Societas nullum privilegium obtinuit (vide c. XVIII, n. 2).

2. « Beneficia ecclesiastica curata, quae ecclesiis sive collegiis perpetuo unita et adnexa reperiuntur, ab Ordinariis locorum annis singulis visitentur ». Hoc ius postea fuit magis definitum, et Societas nullum privilegium habet (vide supra, nn. 11 et 12).

3 et 4. « Decretum de observandis et evitandis in celebratione missae ». Huic decreto Societas subiicitur (supra, n. 22); sed habet varia privilegia (supra, nn. 42, 43, 44, et c. XVIII, n. 6 et sq.), quae Episcopi intacta relinquere debent.

(b) Stante hac clausula, non intelligitur quomodo COMPENDIUM PRIVILEG., n. 209, dicat Gregorium XV, unico tantum casu, sc. praedicationis, derogasse privilegio Societatis; eo magis quod in eodem loco affertur responsio *S. Congr.* ab INNOCENTIO X approbata, qua declaratur vi Constitutionis *Inscrutabili* Episcopos procedere posse per censuras in Regulares inobedientes in audiendis confessionibus. Dicendum est clausulam non solum ultimum paragraphum, sed omnia prius recensita comprehendere.

5. « Regulares debita aetate et non sine diligenti Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscumque penitus exclusis ». Quoad ordinationem Societas plura habet privilegia Tridentino posteriora; privilegium, quo ab examine Episcopi libera declaratur, fuit recenter revocatum Romae et in Italia. Quoad aetatem, privilegia non habet (vide c. XVII).

6. « Nullum etiam Regularem posse confessiones audire, nisi aut parochiale beneficium habeat aut ab Episcopis per examen aut alias idoneus iudicetur, privilegiis non obstantibus ». Societas nullum habet privilegium (vide c. XIX).

7. « Censurae et interdicta.... ab Ordinariis promulgata mandante Episcopo a Regularibus in eorum ecclesiis publicentur et serventur »; necnon « Regulares quicumque ad publicas processiones vocati accedere compellantur ». Quoad primum, Societas nullum habet privilegium (supra, n. 36); quoad secundum, privilegia post Tridentinum obtinuit (supra, n. 47).

8. « Ut omnia et singula in decretis de Regularibus contenta statim (Generales et alii Superiores Ordinum) exsequantur ». Hoc factum est et fit, nisi privilegia impetrata fuerint quae ab his decretis eximant.

9. « Ut Magistri, Doctores et alii in universitatibus, initio cuiusque anni, ad ea quae catholicae fidei sunt docendum solemni iuramento sese obstringant ». Societas privilegium non habet.

10. Fortasse, dicitur, adiungi posset ex *sess.* XXIV, caput 18, ubi praescribitur sex examinatores singulis annis in dioecesana synodo esse eligendos, et additur: « Sint vero hi examinatores clerici seu Regulares, iurentque.... ». Dubium est an Episcopi Regulares reluctantes in examinatores eligere possint.

Similem legem statuit Pius X, in Const. *Pascendi* (1907): sc. duplex institui consilium in unaquaque dioecesi praecipit, unum *Censorum* pro libris examinandis, alterum *Vigilantiae*. De primo decernit: « Censores e gemino clero eligantur »; et deinde: « Censores e religiosorum familiis non eligantur nisi prius Moderatoris Provinciae, vel, si de Urbe agitur, Moderatoris Generalis secreto sententia audiatur ». De altero consilio statuit: « Viri qui in illud adsciscantur, eo fere modo coaptabuntur, quo supra de censoribus statuimus ». — Porro difficile est non agnoscere in verbis « Censores e gemino clero eligantur », ius factum Episcopis religiosos ad utrumque consilium eligendi, et correlativam obligationem religiosis impositam gerendi morem Episcopis. Audiri quidem debet Pro-

vincialis aut Romae Generalis, priusquam alicuius Regularis fiat electio, sed deinde electio libere fieri potest.

52. Secunda series locorum Tridentini, haec continet:

1. « In conventibus Regularium, in quibus studia commode vigere possunt, sacrae Scripturae lectio habeatur ».

Quomodo hoc praeceptum « sane intellectum » non pugnet cum usitato nostro agendi modo, explicari forte potest, quia extra collegia maxima, in quibus sacrae disciplinae docentur, difficile esset in domibus professis et residentiis habere lectionem huiusmodi, propter incertam Patrum in eis habitationem ratione ministeriorum : quae causa fuit cur SS. Pontifices dispensationem a choro et processionibus concederent. Domus autem novitiatus et collegia studiorum inferiorum non sunt conventus in quibus Concilium vult Scripturam sacram praelegi.

2. « Beneficium unius dioecesis non uniatur perpetuo collegio alterius dioecesis ». — Hoc non difficile est observare, aut in casu particulari dispensationem a S. Sede impetrare.

3. Locus quo constituitur, ordinum quorumcumque functiones exerceri non debere nisi per constitutos in praedictis ordinibus. — De hoc nulla est difficultas [a].

4. Locus quo S. Synodus praecipit ut, in electionibus quorumcumque Superiorum, suffragatio fiat per secreta vota et nomina nunquam publicentur. — Revera nihil in hoc contra Constitutiones, nisi quod forte tollitur electio per inspirationem aut per compromissionem (vide c. XXII).

5. Praeceptum S. Synodi ut SS. Eucharistia in publica ecclesia, non autem intra septa monasterii conservetur. — Societas privilegium post Concilium obtinuit oratorii domestici (vide c. XVIII, n. 18).

6. Ut ante professionem nihil accipiatur a novitiis aut eorum parentibus, et abeuntibus ante professionem restituantur omnia quae sua erant. Nihil est etiam in hoc contra Constitutiones, dummodo per professionem intelligatur emissio votorum post biennium, quae certe est intentio Conc. Tridentini: vult enim salvam et integram servare novitiis libertatem recedendi, et nihil amplius. Locus ille igitur non spectat ad casum scholastici, qui ante ultima vota bonis suis in favorem Societatis renuntiasset et deinde e Societate dimitteretur.

---

52. (a) Officium subdiaconi in missa solemni a ministro in sacris non constituto adimpleri, iam Ecclesia tolerat sub certis conditionibus (vide decretum S. CONGR. RIT., 19 *mart.* 1906 (A. S. S., t. XXXIX, p. 119).

PARS IV.

DE IURIBUS, PRIVILEGIIS ET OBLIGATIONIBUS REGULARIUM QUOAD MINISTERIA SPIRITUALIA IN BONUM ANIMARUM

CAPUT XVII.

DE HABILITATE REGULARIUM AD MUNIA ECCLESIASTICA. DE ILLORUM ORDINATIONE

Sectio I. — 1. Regulares non sunt minus apti quam clerici saeculares ad munia ecclesiastica. — 2. Regulares non sunt tunc tantum adhibendi ad munia ecclesiastica, quando clerus saecularis ad ea non sufficit. — 3. Ex Iure communi Regulares promoveri possunt ad S. Pontificatum, ad Cardinalatum et ad Episcopatum. — 4. Ex Iure communi vigente ad parochias saeculares promoveri nequeunt absque indulto Apostolico. — 5. Ex eodem Iure, nequeunt esse vicarii generales, canonici cathedralium, nec admitti ad ullum beneficium saeculare curatum aut simplex. — 6. Possunt eligi in Examinatores synodales, constitui Notarii pro causis suis, promoveri ad gradus academicos et ad officia professorum. Praefici nequeunt seminariis episcopalibus regendis. — 7. De ordinatione Regularium; eorum aptitudo ad ordines sacros. — 8. Historica de privilegiis Regularium quoad ordinationem. — 9. Episcopus ordinationis pro Regularibus. — 10. De litteris dimissoriis et testimonialibus requisitis. — 11. De examine ordinandorum. — 12. Titulus ordinationis. — 13. Privilegia quoad interstitia. — 14. Privilegium ordinationis extra tempora. — 15. Ordinatio Regularium, qui vota simplicia tantum emiserunt. — 16. Ordinatio novitiorum. — 17. Varia notanda de ordinatione. — 18. Poenae quas incurrunt contravenientes statutis circa ordinationem.

Sectio II. — 19. De promotione Nostrorum ad dignitates et officia varia. — 20. De eorumdem promotione ad gradus academicos et de licentia publice docendi. De facultate quam Societas habet, promovendi tum proprios scholares tum extraneos ad gradus academicos. De cura seminariorum episcopalium. — 21. Ordinatio Nostrorum in genere. Varia privilegia circa ordinationem Nostrorum. — 22. Ordinatio scholasticorum. Privilegia antiqua: eorum restrictio per decretum *Auctis*. — 23. Varia de ordinatione ex Instituto.

SECTIO I.

1. Regulares non sunt propter suum statum minus apti ad munia ecclesiastica, quam clerici saeculares, imo potius contrarium dicendum est [a].

1. (a) Cf. Vermeersch, t. I, n. 493; et t. II, *Supplem.* IX.

Hoc declarat Bonifacius IV (615) in *Decreto Gratiani*, c. 25, *caus.* 16, q. 1, ubi damnat sententiam contrariam [b] : item Urbanus II, in *Concilio Nemausensi* (1096), *can.* 2, cuius titulus est : « Quod monachi sacerdotali ministerio rectius fungi possunt quam presbyteri saeculares » [c].

S. Thom., 2. 2ae, q. 187, a. 1, quaerit : « Utrum religiosis liceat docere, praedicare et alia huiusmodi facere ? » — Respondet affirmative, et addit : « Stultum est autem dicere, ut per hoc quod aliquis in sanctitate promovetur, efficiatur minus idoneus ad spiritualia officia exercenda, et ideo stulta est quorumdam opinio dicentium, quod ipse status religiosus impedimentum affert talia exequendi ». Similia habet S. Bonaventura : « Quos enim magis decet evangelium docere quam qui evangelium profitentur et servant?... Quis sanae mentis dicat ut magister et frater Alexander dives debuerit praedicare et docere : Beati pauperes spiritu : et pauper effectus debuerit reticere » [d].

Ideo Pius VI, C. *Auctorem fidei* (1794), damnavit *propositionem* 80 Conc. *Pistoriensis :* « Regula, quae statuit universe et indiscriminatim, statum regularem aut monasticum natura sua componi non posse cum animarum cura cumque vitae pastoralis muneribus, nec adeo in partem venire posse ecclesiasticae hierarchiae, quin ex adverso pugnet cum ipsiusmet vitae monasticae principiis : falsa, perniciosa, in sanctissimos Ecclesiae patres et praesules qui regularis vitae instituta cum clericalis Ordinis muneribus consociarunt, iniuriosa : pio, vetusto, probato Ecclesiae meri Summorumque Pontificum sanctionibus contraria : quasi monachi, quos morum gravitas et vitae ac fidei institutio sancta commendat, non rite, nec modo sine religionis offensione sed et cum multa utilitate

---

(b) « Sunt nonnulli, fulti nullo dogmate.... asserentes monachos, quia mundo mortui sunt et Deo vivunt, sacerdotali potentia indignos, neque poenitentiam neque Christianitatem largiri, neque absolvere posse per sacerdotalis officii divinitus iniunctam potestatem ; sed omnino labuntur, etc. ».

(c) Verba decreti sunt : « Oportet eos, qui saeculum reliquerunt, maiorem sollicitudinem habere pro peccatis hominum orare, et plus valere eorum peccata solvere quam presbyteros saeculares ; quia hi secundum regulam Apostolicam vivunt et eorum sequentes vestigia communem vitam ducunt.... Ideoque videtur nobis, ut his, qui sua relinquunt pro Deo, dignius liceat baptizare, communionem dare, poenitentiam imponere necnon peccata solvere.... ».

(d) Ita in epistola citata a Vermeersch in *suppl.* IX.

Ecclesiae, clericorum officiis aggregentur ». — Eodem plane sensu loquitur Leo XIII in epistola ad Card. Richard, d. 23 *dec.* 1900 (apud Vermeersch, t. II, p. 213). Ibi, n. 2, dicitur: « Scopus votorum religiosorum duplex est: primo eos, qui huiusmodi vota emittunt, ad altius perfectionis gradum erigere; deinde ipsos praeparare, eorum mentes purificando et roborando, ad externum ministerium in salutem aeternam proximi et levamentum tantarum generis humani miseriarum. Sic laborando sub suprema Sedis Apostolicae auctoritate,... Instituta religiosa plurimum ad divinam Ecclesiae missionem cooperantur, quae in sanctificandis animis et bono hominum promovendo consistit ». — Vide etiam nn. 4, 8, 15 huius epistolae, necnon alteram eiusdem Pontificis epistolam ad Superiores Ordinum et Institutorum religiosorum, d. 29 *iun.* 1901 (apud Vermeersch, t. II, p. 225).

Ergo per se status religiosus muniis ecclesiasticis nedum opponatur, potius suos sequaces ad ea exequenda valde aptos efficit. Dicitur *per se,* quia sunt Religiones quae vitae contemplativae unice ex fine sui Instituti sunt deditae aut finem a functionibus ecclesiasticis alienum habent. Sic antiqui monachi ab omni cura animarum prohibebantur. Cf. c. *In ecclesiis,* 1, *De capellis monac.* III, 37.

2. Erronea est similiter sententia quae affirmat: Regulares tunc solummodo ab Episcopis ad munia ecclesiastica adhibendos esse, quando eis adimplendis impar est clerus saecularis. — Regulares sane sunt auxiliarii Episcoporum, sed non in defectu tantum Sacerdotum saecularium. Quod manifeste demonstratur ex institutione et approbatione tot Ordinum et Congregationum, quorum finis proprius est salus animarum procuranda: si enim in solo cleri saecularis defectu religiosi in auxilium adhibendi essent, hae Religiones inutiles saepe evaderent. — Praeterea urgeri possunt rationes n. 1 allatae. Si enim status religiosus natura sua aptior est ad munia ecclesiastica, quia ad perfectionem suos sequaces promovet, consequens est ipsum non in defectu solummodo cleri saecularis, sed saltem aequali loco et iure in haec ministeria esse adhibendum. Ad hoc etiam faciunt praecitatae litterae Leonis XIII, d. 23 *dec.* 1900, praesertim nn. 8 et 15; necnon aliae ad Antistites Galliae, d. 10 *iul.* 1901.

3. Ex Iure communi Regulares promoveri possunt ad summum Pontificatum, ad Cardinalatum et Episcopatum

(Wernz, t. III, n. 666, II). Patet primo ex constanti praxi Ecclesiae (cf. c. VII, n. 6). Deinde, quoad Cardinalatum, cum ex sola S. Pontificis voluntate Cardinales creantur, res est manifesta. Quin ad summum Pontificatum promoveri valeant, nulla Constitutione aut lege prohibentur. Quod tandem Regulares in Episcopos eligi possint, explicite in Iure habetur, c. *Si religiosus,* et c. *Nullus religiosus*, 27 et 28, *De electione* in 6°, I, 6 [a]; et c. *Cum rationi,* 1, *De electione, in Clementinis* [b]. Idem ius agnoscit Trident., *sess.* XXII, c. 2 *de Reform.* [c].

Sed Regulares ad Episcopatum electi, priusquam consentiant, licentiam suorum Superiorum impetrare debent sub poena nullitatis, ut in cap. *Si religiosus* declaratur (*nota* a).

Religiosos creari posse Delegatos Sedis Apostolicae evidens est, cum nominatio Delegati a sola S. Sede dependeat.

Dictum fuit Regulares ad Episcopatum aut Cardinalatum *ex Iure communi* promoveri posse: nam ex iure particulari aliquorum Ordinum, eorum religiosi prohibentur consensum dare nisi a summo Pontifice praeceptum acceperint.

4. An ad officium parochi Regulares promoveri possunt? Diversa fuit diversis temporibus disciplina Ecclesiae.

a) Temporibus antiquis, *Monachi* a cura pastorali arcebantur, ut patet ex capite *In ecclesiis,* 1, *De capellis monachorum,* III, 37 [a].

b) Postea ad hanc curam admissi sunt, ut habetur ex cap.

---

3. (a) « Si religiosus.... electioni de se ad praelationem aliquam extra suum monasterium vel suam ecclesiam celebratae, sui Superioris, qui dare ipsam valeat, non petita licentia et obtenta praesumpserit consentire, consensus sic praestitus non teneat, et in poena praesumptionis illius, electio eadem ipso facto viribus vacuetur omnino ».

(b) In hoc capite, facta prohibitione ne aliquis religiosus in Abbatem vel Praelatum alterius Religionis eligatur, subiungitur : « Per hoc autem, quin religiosus in Episcopum saecularis vel cuiuslibet regularis ecclesiae licite possit eligi, non intendimus prohibere ».

(c) Titulus capitis est: Quinam ad cathedrales ecclesias assumendi. In capite requisitae qualitates enumerantur, inter quas scientia aliquo titulo comprobata, et dicitur: « Quod si (electus) regularis fuerit, a Superioribus suae Religionis similem (scientiae) fidem habeat ». Tridentinum ergo supponit Regularem eligi posse in Episcopum.

4. (a) « In ecclesiis ubi monachi habitant, populus per monachum non regatur, sed Capellanus, qui populum regat, ab Episcopo per consilium monachorum instituatur, ita ut ex solius Episcopi arbitrio tam ordinatio eius quam depositio et totius vitae pendeat conversatio ».

Quod Dei, 5, *De statu monach.*, III, 35 (vide infra, *notam* c); sed post C. *Lateran.* III (1179) cum hac cautela ut non soli, verum cum aliquibus fratribus commorarentur (c. *Monachi,* 2, *De statu monach.*) [b]. Canonici regulares potiori iure ad curam parochialem admittebantur, ut ex capite *Quod Dei* habetur [c].

c) Deinde haec regula Iure introducta fuit, ut beneficia in saecularia et regularia dividerentur [d], atque saecularia saecularibus tantum, regularia regularibus, si pleno iure essent unita, conferrentur [e], et abhinc Regulares habiti sunt incapaces parochiarum saecularium.

d) Hanc incapacitatem Regularium ad parochias saeculares implicite agnoscit TRIDENTINUM, *sess.* XIV, c. 11 *de Reform.*, ubi de religioso translato ad alium Ordinem declaratur : « Taliter translatus, etiamsi canonicorum fuerit, ad beneficia saecularia etiam curata incapax existat ».

e) Hoc ius aperte fuit a BENEDICTO XIV confirmatum, C. *Cum*

(b) « Monachi non singuli per villas et oppida per quascumque parochiales ponantur ecclesias; sed in maiori conventu aut cum aliquibus Fratribus maneant ». Cf. etiam c. *Ad audientiam*, 4, *De capellis monach.* III, 37.

(c) « Licet autem in Later. Conc. de monachis caveatur ne singuli per villas et oppida, per quascumque parochiales ponantur ecclesias, etc. ; quia tamen istud de Regularibus Canonicis specialiter non cavetur, qui etsi a sanctorum monachorum consortio non putentur seiuncti, regulae tamen inserviunt laxiori, et per antiquos canones etiam monachi possunt ad ecclesiarum parochialium regimen in presbyteros ordinari... : sic annuendum duximus postulatis, ut exercens plebani officium, si commode fieri poterit, unum canonicum regularem tecum habeas ad cautelam ; cuius, in his quae Dei sunt et regularis observantiae, tam consortio quam solatio perfruaris » (Cf. SCHMALZGR., *in* l. III, *tit.* 37, nn. 6, 7, 8).

(d) Quid sint beneficia regularia et quomodo beneficia monasterio uniri possint, dictum fuit c. VIII, 17.

(e) C. *Dispendiis, de Postulationibus* I, 2, *in Extrav. comm.* « Professores cuiusvis mendicantium Ordinis ad inferiores cathedralibus ecclesias, ad monasteria extra suos Ordines postulari edicto perpetuo prohibemus ». Cf. c. *Cum de beneficio*, 5, *De praebendis in* 6°, III, 4 ; et c. *Quia Regulares, De supplenda, in Clement.*, I, 5, ubi committitur Episcopo supplere negligentiam Praelatorum regularium in nominationibus ad beneficia, sed hac lege : « Illa videlicet, quae consueverunt per saeculares clericos gubernari, saecularibus clericis ; alia vero quae religiosis dumtaxat committi sunt solita vel conferri, religiosis monasteriorum, quorum Praelati negligentes fuerint, conferendo ». — TRIDENT., *sess.* XIV, cap. 10 *de Reform.* : « Regularia beneficia, in titulum Regularibus professis provideri consueta,... religiosis tantum illius Ordinis.... et non aliis.... conferantur ».

nuper (1751) (vide c. XVI, n. 13, *nota* a) et recentius a LEONE XIII C. *Romanos Pontifices* (1881), § 16 [f].

f) TRIDENT., l. c., videtur admittere Canonicos regulares posse promoveri ad parochias saeculares. S. C. C. sententiam contrariam amplexa est. Benedictus XIV, C. *Quod inscrutabili* (1745) controversiam solvit definitive statuendo, quod saepius iam resolutum fuerat, ipsos canonicos Regulares non posse sine indulto Apostolico ad beneficia saecularia promoveri [g] (cf. WERNZ, t. III, n. 666, *nota* 533).

g) Haec omnia de solis parochiis saecularibus sunt intelligenda: nam ad parochias domibus religiosis pleno iure unitas, Regulares promoveri possunt, iuxta dicta c. XVI, n. 14).

5. Regulares nequeunt esse vicarii generales. — Ita pluries declaravit *S. Congr. Episc. et Regul.*, ait FERRARIS (v. *Vicarius generalis*, a. 1, n. 21). WERNZ (t. II, n. 804, *nota* 42) mitius ait hoc prohiberi omnino FF. Minoribus S. Francisci. Imo, addit « saltem ordinarie etiam alii clerici regulares Vicarii generales fieri nequeunt, nisi accedat indultum apostolicum habitandi extra claustra ». — Insuper certe requiritur licentia Superioris regularis, ut ex TRIDENTINO, *sess.* XXV, c. 4 *de Regul.* habetur [a], et est consequentia voti obedientiae.

Neque admitti possunt sine indulto apostolico, ad quascumque praebendas et dignitates saeculares, Episcopatu inferiores, imo nec ad quodcumque beneficium etiam simplex (WERNZ, t. III, n. 666).

Prima pars huius asserti ex cap. *Dispendiis* (num. praec., *nota* e) habetur, et ex probationibus pro secunda parte afferendis ea etiam ample probatur. Secunda pars affirmat: Regulares ex praesenti disciplina esse incapaces cuiuscumque beneficii saecularis etiam simplicis. Hanc incapacitatem revera TRIDENTINUM aliquomodo dubiam reliquit: nam *sess.* XIV, c. 11

(f) In divisione paroeciae a Regularibus administratae, si nova paroecia veri nominis constituatur, « perquam alienum esset ab Ecclesiae disciplina e religiosa familia arcessitum parochum praeferri: sic enim iure, quod modo viget, arcentur regulares a parochi munere, ut illud suscipientes venia apostolica indigeant ». Et citatur BENED. XIV, *C. Cum nuper.*

(g) Deinde BENED. XIV, alia Const. *Oneroso* (Sept. 1750) declaravit praedictam sententiam non officere privilegio speciali Praemonstratensium.

5. (a) « Prohibet S. Synodus ne quis Pegularis sine sui Superioris licentia.... subiiciat se obsequio alicuius Praelati.... seu loci.... ».

eam pro solis Regularibus ad alium Ordinem translatis pronuntiavit [b], et ideo videbatur agnoscere alios posse admitti ad beneficia saecularia; sed pronuntiata fuit a Gregorio XIII, d. 23 *iul.* 1578. Rogatus an Regulares ad beneficia saecularia admitti possint, respondit: « Licet Tridentinum non prohibuisset Regularibus obtinere saeculare beneficium, et Conc. Lateranense sub Leone X ad concordata tantum restringeretur, tamen Ius commune obstare; quod nonnisi in parochialibus dispensat, c. *Quod Dei timorem*, 5, *De statu monachorum*, III, 35 ». Apud Ferraris, v. *Concursus, art.* I, n. 53. — Idem Ferraris notat quaestionem de promotione Regularium ad beneficium simplex pluries motam fuisse; sed S. C. Conc., ad Ius commune attendens, omnes Regulares, etiam canonicos, quamvis ad alios Ordines non translatos, constanter incapaces beneficii saecularis cuiuscumque (infra Episcopatum) declaravisse [c].

Totam hanc quaestionem accurate tractat ac definit Benedictus XIV, Const. *Quod inscrutabili* (1545). Equidem haec Constitutio directe spectat ad solos Canonicos Lateranenses seu S. Salvatoris; sed a fortiori convenit omnibus Regularibus: nam isti Canonici praecise a lege, qua tenentur alii Regulares, se non obligatos reputabant. Huic exceptioni respondens Pontifex ait: quamvis verum sit Canonicos regulares mitiori regulae deservire quam caeteri Regulares, nihilominus esse veros Regulares, *et ideo* non posse ad beneficia saecularia admitti, sicut alii Regulares admitti nequeunt [d]. Controver-

---

(b) Titulus capitis est: « Translati ad alium Ordinem in claustro sub obedientia maneant, et beneficiorum saecularium incapaces existant ». Verba ipsius capitis in textu num. praec. citantur.

(c) Ferraris, v. *Concursus*, art. I, n. 52, refert hanc decisionem: « Regulares sunt incapaces beneficii simplicis, etiamsi essent Canonici regulares »; — et n. 40, aliam decisionem d. 1 *sept.* 1630: « Quod nullus hodie Regularis absque dispensatione Papae possit obtinere saeculare beneficium ».

(d) § 16: « Et quidem Canonici Lateranenses, quique a SS. Salvatore nomen habent, non verbo et specie tantum, sed revera et proprie Regulares existunt, ipsisque cum omnibus aliis caeterorum Ordinum Regularibus, communia sunt vota solemnia Paupertatis, Castitatis et Obedientiae; *ideoque, quatenus Regulares sunt, aeque ac monachi caeterique religiosi quibusque Ordinibus adscripti*, incapaces sunt *beneficiorum ecclesiasticorum saecularium* absque Apostolicae Sedis auctoritate et dispensatione. Quia tamen, ut Innocentius ait in praecitato cap. *Quod Dei timorem*, regulae inserviunt laxiori, aequum est maiorem cum ipsis indulgentiam adhiberi,

siam autem definiens, post relatas praecedentes SS. Congregationum sententias necnon SS. Pontificum decisiones, ac tractatam a se ipso causam cum aliqua Cardinalium, Praelatorum, Canonistarum et Theologorum commissione, pronuntiat, § 14: « Et quoniam praedictorum omnium concors fuit sententia,... Nos eorumdem consilium et sententiam sequentes, atque etiam motu proprio et certa scientia, hac nostra in perpetuum valitura Constitutione statuimus, decernimus et declaramus, eosdem Canonicos regulares, absque indulto apostolico cuiuscumque beneficii ecclesiastici saecularis, sive cum annexo animarum curae aut residentiae onere, sive etiam beneficii simplicis et sine cura ac personalem residentiam non requirentis, et cuiuscumque pensionis ecclesiasticae vere incapaces esse et censeri debere ». Eamdem sententiam, § 15, rursus expressioribus adhuc verbis inculcat, declarans « Canonicos nullo modo admittendos esse absque indulto apostolico ad animarum curam in ecclesiis saecularium assumendam et exercendam, vel ad canonicatus, sive praebendas, dignitates vel alia quomodocumque nuncupata officia aut beneficia residentialia obtinenda;... similiter omnium et quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum simplicium nuncupatorum aut ecclesiasticarum pensionum quarumlibet eosdem incapaces esse... ».

Ergo nunc omnino tenendum est Regulares quoscumque, sine indulto apostolico nullam curam animarum extra ecclesias suas nullumque beneficium, etiam simplex, sine apostolico indulto accipere posse.

Inde S. Congr. super disc. regul., d. 31 *ian.* 1899, ad dubium: « An religiosi perpetuo saecularizati simplici rescripto saecularizationis perpetuae, auctoritatem habeant accipiendi ac retinendi beneficia ecclesiastica, sive residentialia vel etiam cum cura animarum *sine Apostolicae Sedis habilitatione?* » — respondit: « Negative; et investituras, etiam bona fide peractas, esse nullas in radice ». Non est haec specialis contra saecularizatos dispositio, sed applicatio legis generalis: Regulares saecularizati, quia religiosi remanent, semper incapaces sunt cuiuscumque curae animarum in ecclesiis saecularibus, necnon cuiuscumque beneficii, donec a S. Sede habilitentur.

6. Officia ad quae Regulares promoveri possunt.

1° Nihil autem ex Iure communi impedit quin Regulares

---

et, ubi eorumdem Superiorum regularium consensus adsit, benigniori quadam facilitate, per Apostolicae auctoritatis indulta ad saecularia beneficia eosdem admitti ».

in *Examinatores synodales* deputentur; imo Trid., *sess.* xxiv, c. 18 *de Reform.* (ubi praescribitur nominatio Examinatorum synodalium), dicit eligi posse « doctores vel licentiatos, vel alios clericos seu Regulares etiam ex Ordine mendicantium, aut etiam saeculares, qui ad id videbuntur magis idonei ».

2° Wernz, t. iii, n. 666, ii, ait Regulares etiam posse eligi in *Iudices synodales;* sed hoc parit difficultatem. Nam Trident. *sess.* xxv, c. 10 *de Reform.* (ubi Iudices synodales instituit), ait designandas esse « personas, quae qualitates habeant, iuxta Constitutionem Bonifacii viii, quae incipit *Statutum* » [a]. Porro in hac Const. Bonifacius, corrigens aliam ante datam Constitutionem, ait in iudices non esse designandas nisi personas « dignitate praeditas aut personatum obtinentes seu ecclesiarum cathedralium canonicos ». Et Bened. xiv, Const. *Quamvis paternae* (1741), ubi de his iudicibus ex professo tractat, n. 6 monet: « Ad tramites decretalis Bonifacii viii, cui etiam consona sunt disposita a Tridentino, facultatem hanc iudicandi tribuendam esse personis dignitate aliqua ecclesiastica, personatu vel canonicatu cathedralis ecclesiae insignitis, quibus praeterea non desit altera requisita qualitas doctrinae et idoneitatis ». Ergo dicendum est tum tantum Regulares posse in iudices synodales designari, quando ex indulto apostolico dignitatem aut personatum aut canonicatum obtinuerint, aut alio modo cum eis dispensatum fuerit.

Sed Regulares eligi possunt in *Censores dioecesanos* librorum et in membra *Consilii vigilantiae.* Ita Pius x, Const. *Pascendi* (1907). Vide dicta cap. praeced., n. 50.

3° In Ordinibus religiosis alumni proprii Instituti possunt a Generalibus et Provincialibus creari *Notarii* pro causis criminalibus suorum religiosorum (Ferraris, v. *Notarius*, n. 21; Wernz, t. iii, n. 666, ii). — Insuper S. Pius v, Const. *Debitum pastoralis* (1571), Praedicatoribus concessit ut Notarios etiam ad executionem mandatorum Apostolicorum constituere possint [b]. Et hoc privilegium per communicationem aliis Regu-

---

6. (a) Cap. 11 *de Rescriptis*, i, 3, *in* 6°.

(b) Isti notarii auctoritative possunt intimare quibusvis personis saecularibus et ecclesiasticis mandata, privilegia, concessiones, indulta, rescripta apostolica Ordini concessa, de his publica instrumenta conficere quibus fides in iudicio et extra adhiberi debet (Cf. Comp. Priv., n. 418).

laribus commune factum est (Ferraris, l. c. — Compend. Privileg., n. 418).

4° Iure communi Regulares ad gradus academicos et officia professorum, necnon ad collegia Doctorum, cum iure suffragii in gradibus academicis conferendis aliisque negotiis, ex licentia suorum Superiorum admitti possunt. Ita statuit Alexander IV, in duabus Constitut., a. 1255 et 1257, in favorem FF. Praedicatorum et Minorum, quibus facultas Parisiensis haec iura denegabat (Wernz, n. 666, III).

5° Religiosi autem non possunt ab Episcopis praefici directioni seminariorum absque venia S. Sedis, propter *decretum Tridentinum* de seminariis (*sess.* XXIII, c. 18 *de Reformat.*) quo seminaria plene sub directione Episcoporum remanere debent. Ideo S. Congr. EE. et RR. pluries in approbandis constitutionibus Congregationum religiosarum hoc animadvertit, v. g., d. 23 *maii* 1860, ad 4; d. 2 *mart.* 1861, ad 5 (apud Bizzarri, pp. 852, 845). Cf. Piat, II, p. 13, q. 15. Hoc iam notaverat Benedictus XIV, *de Synodo*, l. V, c. 11, n. 9.

7. De ordinatione Regularium [a]. Regulares generatim habiles sunt ad ordines sacros recipiendos. — Nisi enim specialis canonica prohibitio eos inhabiles reddat, non est cur non possint ordinari, sicut quilibet alii Christifideles. Porro e contra, innumerabiles sunt Pontificum Constitutiones, quae monachos religiososque alios ad ordines sacros promoveri posse supponunt, et varia privilegia quoad ordinationem conferunt (cf. c. XV, n. 19, 6°; n. 21, etc.).

Exceptionem statuit Clemens VIII, Const. *Cum ad regularem* (1603), § 23, pro conversis: « Qui ad conversorum habitum recepti fuerint ad clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis, non possint » [b]. Sed c. XI, n. 17, 6°

---

7. (a) Vide Piat, t. II, pp. 286-306, qui ample quaestionem tractat, et Bened. XIV, Const. *Impositi* (1747), de Regularium ordinatione, qui totam historiam a Tridentino tradit, et ius a Regularibus in ordinationibus servandum statuit.

(b) Consonat Institutum huic praescriptioni. Vult enim ut Coadiutores temporales, sua sorte contenti, in officiis ad auxilium domus et Societatis pertinentibus vitam ducant. (Examen Gener., c. I, n. 9; c. VI, n. 7; et Const., P. I, c. 2, n. 2). — Imo in Exam., c. VI, n. 1, dicitur admitti in Societate Coadiutores « temporales, ad sacros ordines non promotos ».

et n. 18, dictum est hoc decretum probabilius non obligare extra Italiam.

8. Historica de Privilegiis Regularium quoad ordinationem. — Lex ecclesiastica est prohibens quemquam nisi a proprio Episcopo ordinari. Cui legi Regulares, nisi privilegia habeant, subiiciuntur. Sed eis varia privilegia concessa fuere.

1. Antiquis aliquibus monasteriis indultum est, ut possent suos religiosos pro ordinatione praesentare ad quemlibet Antistitem communionem cum S. Sede habentem; aliis idem privilegium fuit denegatum, et statutum ut a Dioecesano peterent ordinationem; aliis tandem fuit concessum ut ad alium Antistitem tunc tantum recursus liceret, quando non potuerint ordinationem a Dioecesano canonice et gratis obtinere (cf. c. XV, n. 19, 6°).

2. Ortis Ordinibus mendicantibus, privilegium ordines a quocumque idoneo Antistite accipiendi largitum fuit FF. Minoribus a Clemente IV, a. 1265 [a], et Minimis a Iulio II, a. 1506 [b]; et ideo, stabilita communicatione privilegiorum, haec facultas communis facta est omnibus mendicantium Ordinibus aliisque communicationem cum ipsis habentibus.

3. Sed Leo X, Const. *Dum intra* (1516), qua moderavit et declaravit privilegia mendicantium cum clausulis derogatoriis amplissimis, n. 11 statuit: « Quod Fratres ipsi ad ordines promovendi per Ordinarios de grammatica et sufficientia examinari, et, dummodo competenter respondeant, per eosdem Ordinarios libere admitti; ac nullatenus in eorum ecclesiis seu domibus aut aliis eorum locis, ab alio quam a dioecesano Episcopo vel eius vicario, super hoc cum debita reverentia requisito, et [c] absque rationabili causa contradicente vel eo a dioecesi absente, ad dictos ordines promoveri debeant ».

---

8. (a) « Liceat vobis ordinandos fratres eiusdem Ordinis quibuscumque malueritis catholicis Pontificibus communionem et gratiam Apost. Sedis habentibus praesentare; ipsisque Pontificibus praesentatos a vobis Fratres sine qualibet examinatione per eosdem Pontifices facienda, et absque omni promissione vel obligatione ipsorum ordinandorum Fratrum ad ordines promovere » (Clemens IV, C. *Virtute conspicuos*, 1265, § 7). Constitutio haec fuit confirmata a Sixto IV, a. 1474, Const. *Regimini*, sc. in Mari magno Minorum et Praedicatorum.

(b) Idem privilegium iisdem omnino verbis conceditur.

(c) Evidenter desunt hic aliqua verba, v. g.: et ab alio Episcopo, nonnisi Dioecesano absque rationabili causa contradicente....

4. Tridentinum autem, *sess.* xxiii, *de Reformatione,* plura quoad ordinationem statuit aut renovat. Cap. 3: « Episcopi per se ipsos ordines conferant. Quod si aegritudine fuerint impediti, subditos suos non aliter quam iam probatos et examinatos ad alium Episcopum ordinandos dimittant ». — Cap. 7: Episcopus « viris prudentibus et peritis ordinandorum genus, personam, aetatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem diligenter investiget et examinet ». — Cap. 8: « Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, *etiam cuiusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii praetextu,* etiam statutis temporibus permittatur, nisi eius probitas et mores Ordinarii sui testimonio commendentur. Si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum, et ordinatus a susceptorum ordinum exsecutione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus ». — Cap. 12, Concilium aetatem ad ordines sacros requisitam statuit, et addit: « Regulares quoque nec in minori aetate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur: *privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis* ». — Cap. 13, de interstitiis statuitur: « Promoti ad sacrum subdiaconatus ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, *nisi aliud Episcopo videatur,* ascendere non permittantur. Duo sacri ordines non eodem die *etiam Regularibus* conferantur, *privilegiis ac indultis quibusvis concessis non obstantibus quibuscumque* ». — Cap. 14, de iis qui ad presbyteratum admittuntur, statuitur: « Hi sint qui non modo in diaconatu ad unum annum integrum, nisi ob Ecclesiae utilitatem ac necessitatem *aliud Episcopo videretur,* ministraverint, sed etiam *diligenti examine praecedente* idonei comprobentur ».

His editis decretis, controversia orta est, an per ea fuerint omnia Regularium privilegia revocata: quam Bened. xiv, Const. *Impositi* (1747) refert.

5. S. Pius v, Const. *Etsi mendicantium* (1567), declaraverat (molestia septima): « Decretum Tridentini, *Neminem nisi a proprio Episcopo ordinari posse,* in Regularibus locum non habere; ita quod Fratres huiusmodi etiam sacros ordines a quolibet Antistite, gratiam et communicationem Apostolicae Sedis habente, Ordinarii loci minime requisita licentia, in locis seu domibus Fratrum huiusmodi aut alibi, recipere possint ».

6. Sed Gregorius xiii, C. *In tanta rerum* (1573), hanc Constitutionem ad Iuris communis et S. Conc. Tridentini terminos reduxit, atque eodem anno, in causa Carthusianorum, statuit

ipsos ad ordinationes suorum obligari ad habendam « expressam licentiam Ordinarii in cuius dioecesi sunt, pro ordinibus conferendis ab Episcopo alterius dioecesis » (Benedictus xiv, C. *Impositi,* n. 3).

7. Deinde Sixtus v, ad instantiam Praedicatorum, aliquod decretum S. C. C. approbavit: « Regulares posse concedere dimissoriales ad Episcopum dioecesanum, eoque absente vel etiam praesente et ordinationem non tenente, ad quemcumque ; dummodo ab eo Episcopo, qui ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam ».

8. Postea Clemens viii, 15 *mart.* 1596, per S. C. C. generale edidit decretum: « De mandato Sanctissimi D. N. Clementis div. prov. P. viii, tenore praesentium *mandatur omnibus et singulis quorumcumque Regularium Superioribus,* ut de caetero observent et observari faciant ea quae in decreto S. C. C. continentur, cuius tenor est talis: Congregatio Concilii censuit Superiores regulares posse suo subdito itidem Regulari, qui praeditus qualitatibus requisitis ordines suscipere voluerit, litteras dimissorias concedere [d], ad Episcopum tamen dioecesanum, nempe illius monasterii, in cuius familia ab iis ad quos pertinet Regularis positus fuerit; et si Dioecesanus abfuerit vel non esset habiturus ordinationem, ad quemcumque alium Episcopum, dum tamen ab eo Episcopo, qui ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, et dum ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus quo Episcopus dioecesanus vel abfuturus vel nullas esset habiturus ordinationes. Verum cum a Superioribus regularibus, Episcopo dioecesano absente vel ordinationes non habente, Litterae dimissoriae dabuntur, in eis utique huiusmodi causam absentiae dioecesani Episcopi vel ordinationum ab eo non habendarum exprimendam esse (sub variis poenis) ». Hoc decretum refertur a Benedicto xiv, C. *Impositi,* § 5, qui ipse deinde, § 12, addit non sufficere praedictam declarationem circa absentiam Episcopi, sed requiri omnino attestationem authenticam vicarii generalis aut cancellarii aut secretarii Episcopi dioecesani eadem exprimentis; secus declarationem Superioris regularis nullius esse roboris vel momenti. — Insuper, eodem § 12, declarat pro his reli-

(d) S. Congr. Conc., 28 *febr.* 1604, declaravit: « Regulares volentes se promovere ad ordines non teneri ostendere dimissorias Ordinariorum propriae originis, sed sufficere ut observent formam praescriptam in decreto s. m. Clementis viii » (Apud Bened. xiv, C. *Impositi,* n. 7).

giosis qui privilegium habent ordinationis extra tempora, non autem aliud ut a quocumque Episcopo ordinentur, non sufficere ut Episcopus dioecesanus nolit ordinationem extra tempora facere ut possint ad alium recurrere, sed requiri ut ordinationem temporibus ex iure designatis non celebret.

9. Decretum Clementis VIII primo ab Innocentio XIII, Const. *Apostolici ministerii* (1723), et postea a Benedicto XIII, litteris *In supremo* (1724) confirmatum fuit, sed cum sequenti declaratione: « Exceptis tamen quoad praedicta Regularibus illis, quibus per speciale privilegium a Sede Apostolica *post C. Tridentinum* fuerit concessum ut a quolibet Catholico Antistite ordines suscipere possint, super quo indulto nihil per praesentes innovare intendimus » (apud Bened. XIV, § 8).

10. His omnibus relatis, Bened. XIV, § 11, confirmat et innovat praedictas litteras et decreta Gregorii XIII, Sixti V, Clementis VIII et Innocentii XIII, atque ab omnibus inviolabiliter observari praecipit et iubet. Item renovat contra transgressores poenas omnes in his contentas, aliasque per Apostolicas Constitutiones et per sacros canones latas, atque monet eas poenas incurri ipso facto et absque aliqua declaratione. Deinde § 13 pronuntiat: « Eorum Ordinum regularium privilegia firma et rata (remanere), quibus ab Apostolica Sede reperitur indultum, ut eorum alumni a quolibet Antistite, ipsius Sedis gratiam et communionem habente, ordinari valeant: *dummodo huiusmodi privilegia post Trid. Conc. et ipsis Ordinibus nominatim atque directe, non autem per communicationem concessa fuerint* »; omnia vero alia privilegia ante Tridentinum concessa, aut per communicationem tantum habita, esse nulla et irrita; valere tamen privilegia ante Trident. quidem concessa, sed quae post ipsum in forma specifica, non autem quae in forma tantum communi confirmata fuerint. Tandem commendat ut horum privilegiorum usus et exercitium « non sine iusta causa nec extra debitas circumstantias » fiat.

11. Anno 1892 prodiit Decretum *Auctis* S. Congr. EE. et RR., in quo, art. VI, statuitur norma circa studia ad varias ordinationes requisita.

12. Tandem Pius X duo decreta pro Urbe et tota Italia (a. 1905 et 1906) edidit de examinibus a Regularibus in curia episcopali subeundis (de quibus, infra).

13. Notanda praeterea veniunt aliqua alia documenta de ordinatione religiosorum non solemniter professorum. Praecipua sunt: 1° Constitutio *Romanus Pontifex* (1568) S. Pii V; 2° Decretum *Sanctissimus* (12 *iun.* 1858) Pii IX, art. 7, de ordina-

tione professorum professionis simplicis; 3° Decretum *Auctis* (1892) art. I, de eadem quaestione; 4° Responsum S. Congr. EE. et RR. 9 *ianv.* 1895, de ordinatione novitiorum. — Sed de his infra dicetur; nunc de sola ordinatione Regularium exemptorum solemniter professorum.

Ex praedictis, *ius nunc vigens* iis quae sequuntur capitibus constat.

9. Episcopus ordinationis.

1. Ex Iure communi, Episcopus ordinationis Regularium etiam exemptorum est solus Episcopus dioecesanus, scilicet illius domus, ad quam ordinandus pertinet seu in qua a Superioribus fuit positus (Decretum Clementis VIII, a. 1596, a Benedicto XIV confirmatum) [a].

2. Si tamen Episcopus dioecesanus absens esset vel ordinationem non esset habiturus, Regulares alumnos ordinandos ad quemcumque alium Episcopum praesentare possunt, sed debent simul authenticam attestationem vicarii generalis aut cancellarii aut secretarii Episcopi dioecesani producere, per quam constet Dioecesanum absentem esse aut ordinationem non habiturum (Ita Benedictus XIV) [b].

3. Illi soli Regulares a Iure communi quoad hoc eximuntur qui privilegium post Tridentinum obtinuerint, et quidem immediate non per communicationem, aut quorum privilegium ante Tridentinum concessum, fuerit postea in forma specifica et non tantum communi confirmatum, quo ipsis concedatur ut ordinationem suorum alumnorum a quocumque Antistite idoneo petere valeant (Ita Benedictus XIV, l. c., n. 13) [c].

---

9. (a) Contra illud decretum Clementinum et Constit. Bened. XIV nulla praevalet consuetudo. Hoc sufficienter declaraverat Benedictus XIV, qui vult suam Constitutionem (decreti Clementini confirmativam), « plenarios et integros effectus sortiri et obtinere inviolabiliterque servari, *non obstantibus consuetudinibus etiam immemorabilibus* ». Verum insuper S. C. C. quaesito : « An consuetudo contraria ab illa Constitutione Benedictina derogare possit in casu ? » d. 1, 18 *aug.* 1888 respondit : « Negative » (A. S. S., t. XXI, p. 364).

(b) Condemnatur modus agendi Superiorum regularium qui suos subditos ordinandos e domo, in qua sunt, educunt et in aliam ponunt ad hoc ut facilius ordinentur, et deinde ad priorem domum rursus transferunt. Ita Bened. XIV, C. *Impositi*, n. 13, et etiam n. 9, ubi remedium indicat, sc. : Episcopus ordinans, ut iubet Trid., *sess.* XXIII, c. 12, diligenti examine ordinandos exploret (Cf. Piat, t. II, p. 292, q. 9).

(c) Societas Iesu hoc privilegium habet a Gregorio XIII : de quo dicetur n. 21. Paucis aliis Ordinibus concessum invenitur (Piat, p. 294, q. 12).

4. Sede vacante Regulares possunt alumnos suos ordinandos ad quemcumque Antistitem dirigere, cum attestatione vicarii capitularis de Sedis vacatione. Ita S. Congr. Conc. 20 *iul.* 1675 [d] (Piat, t. II, p. 288, q. 3).

5. Parum refert an Episcopus dioecesanus per se aut per alium, item in cathedrali aut in alio loco dioecesis ordinationem habeat: hae circumstantiae non sufficiunt ut Regulares ab alio Episcopo ordinationem petant. Sunt tamen qui censeant, in casu quo Episcopus est absens a sua dioecesi, etiamsi providerit ut ordinatio per alium Episcopum habeatur, Regulares posse suos alumnos ad alium Episcopum dirigere ; verum quum id nequeant facere absque attestatione vicarii generalis, res iam a Regularibus non pendet (De his vide Piat, p. 289, q. 5, et 6).

10. De litteris dimissoriis et testimonialibus [a].

1. Superior regularis exemptus suo subdito ordinando (sive ab Episcopo dioecesano ordinetur, sive ab alio) litteras dimissorias dare debet, in quibus de eius probitate et moribus testetur.

Episcopus sine his litteris ordinans est suspensus a collatione ordinum per annum, et ordinatus ab executione ordinum susceptorum ad beneplacitum sui Superioris. Ita Trident., *sess.* XXIII, c. 8 *de Reform.*, ubi statuitur litteras dimissoriales dandas esse ab Ordinario ordinandi [b]. Ordinarius autem

---

(d) « An Regulares degentes in dioecesi, ubi Sedes Episcopalis vacat, possint promoveri ad ordines a quocumque catholico Antistite, litteris dimissorialibus suorum Praelatorum (exhibitis), et cum attestatione Vicarii capitularis testantis de Sedis episcopalis vacatione? — S. Congr. censuit confirmanda esse decreta 24 *aug.* 1619 » (quae erant affirmativa). Et rursus, d. 13 *jul.* 1732, eamdem sententiam, facto verbo cum Smo, pronuntiavit.

10. (a) *Litterae dimissoriae* eae sunt quae expressum consensum et licentiam continent proprii Ordinarii (in casu, Superioris regularis) ut eius subditus possit ordinari. — *Litterae testimoniales* seu *commendatitiae* illae sunt quae fidem faciunt aliquem esse dignum. — Praeterea sunt *litterae formatae* ordinationis, quibus Episcopus attestatur se talem ordinem tali personae contulisse.

(b) Tridentini textum vide supra, n. 7, 4° — Suspensio C. *Apost. Sedis:* « Suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso iure incurrunt ordinantes alienum subditum.... absque eius Episcopi litteris dimissorialibus; aut etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit ut canonicum impedimentum ibi contrahere potuerit, absque Ordinarii eius loci litteris testimonialibus ».

Regularis exempti, qui ex Tridentino debet dare ei litteras dimissoriales, est ipsius Praelatus regularis. Ita sententia communis, quam sequitur S. Lig., l. vi, n. 788, *notandum* 8°, et uti certam praesupponit Clemens viii in decreto a Benedicto xiv in Const. *Impositi* relato et confirmato (c).

2. Si Regulares (qui speciale privilegium non habent ut ordinentur a quocumque Antistite) ordinationem expetunt ab Episcopo alieno in casibus quibus licet, debent ei cum dimissoriis attestationem afferre vicarii generalis aut cancellarii aut secretarii Episcopi dioecesani de qua dictum est num. praeced.

3. Superiores regulares debent dare suis subditis ordinandis *litteras testimoniales,* in quibus testimonium praebeant de eorumdem natalibus, aetate, institutione, moribus, vita, doctrina et fide, ac praeterea de iam susceptis ordinibus. Tridentinum enim, *sess.* xxiii, cc. 5 et 7, requirit ut Episcopus neminem ordinet nisi de iis certior factus fuerit. Quoniam autem ei permittitur inquisitionem et examen de his requisitis committere viris prudentibus, bene Superiorum regularium testimonio fidere potest. An autem huic fidere *debeat,* aut non obstantibus testimonialibus ipse inquisitionem et examen instituere possit, dicetur num. seq.

Non est autem necesse ut hae litterae testimoniales a dimissoriis sint distinctae, nec etiam ut distinctum testimonium de singulis feratur, sed sufficit ut Superior regularis, dimittendo subditum ad ordinationem, testificetur eum secundum canones dignum esse (vide infra, n. 15, d, rescriptum 1 *mart.* 1895). Clemens viii in suo decreto nihil aliud petit, nisi ut Superiores « suo subdito, qui praeditus qualitatibus requisitis ordines suscipere voluerit, litteras dimissorias concedant ».

4. Si ordinandus extra domos Ordinis tanto tempore commoratus fuerit, ut impedimentum canonicum contrahere potuerit, Superior regularis absque Ordinarii huius loci litteris testimonialibus, ipse testimoniales dare non potest. — Hoc consequitur ex praescripto Innocentii xii, Const. *Speculatores* (1694) et Const. *Apostolicae Sedis,* suspensione 3 (d).

(c) Verum est in Const. *Apostolicae Sedis* requiri litteras dimissoriales *Episcopi* (non dicitur Ordinarii); sed certum est nullum ius novum hic statui et ideo haec verba interpretanda esse secundum decretum Clementis viii et Constitutionem Benedicti xiv (Piat, t. ii, p. 294, q. 13).

(d) In utroque documento declaratur suspensionem incurrere Episcopum « ordinantem etiam proprium subditum, qui alibi tanto tempore moratus

Tempus autem quo censetur impedimentum contrahi potuisse, est semestre, iuxta Auctores (Wernz, t. II, n. 29, v, d.). Nihilominus si ordinandus absens fuerit ob servitium militare, testimoniales habere debet Episcopi locorum ubi per trimestre commoratus fuerit. Ita declaravit S. Congr. *Super disc. regul.*, d. 27 *nov.* 1892 : « Omnes religiosos militiae adscriptos litteras testimoniales Episcoporum exhibere teneri, quoties in eorum dioecesi saltem per trimestre commorati sunt ». — S. C. C., d. 9 *sept.* 1893, censuit eamdem regulam in praxi tenendam esse quoad omnes clericos aliquod tempus militiae addictos (A. S. S., t. XXVI, p. 428).

5. Litterae testimoniales debent praeterea testificari ordinandum requisitum studiorum tempus perfecisse. Ita statuitur in decr. *Auctis,* n. VI (1892), ubi simul tempus studiorum pro quolibet ordine sacro praescribitur [e].

6. Denique Episcopo ordinanti praebendae sunt *Litterae formatae* praecedentis ordinationis (ne quis per saltum ad aliquem ordinem promoveatur).

Notanda. Aliqua sunt quae Episcopus ordinans exigere debet a clerico saeculari, non autem a Regulari.

1. Regulares ordinandi fidem baptismatis exhibendam non habent, dummodo in litteris testimonialibus eorum aetas exprimatur. Ita S. C. C., 12 *dec.* 1733, ad 2 (apud Ferraris, v. *Ordinare,* a. 3, n. 97) [f].

---

sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii huius loci litteris testimonialibus ».

Non videtur autem in casu litteras testimoniales Episcopi loci ubi subditus commoratus fuerit, quovis alio testimonio suppleri posse. Etenim S. Congr. Conc., d. 14 *iul.* 1894, Episcopo quaerenti, utrum pro suis subditis, qui in seminario alieno studiorum causa commorabantur, erant necessariae litterae testimoniales Dioecesani, an sufficere posset attestatio Superiorum seminarii, respondit necessarias esse litteras testimoniales Episcopi (A. S. S., t. XXVII, p. 159). Piat, t. II, p. 291, q. 8, 5°, hanc sententiam sat clare admittit, quin tamen eam explicite affirmet.

(e) « Professi tum votorum solemnium tum simplicium ab Ordinariis locorum ad sacros ordines non admittantur nisi, praeter alia a Iure statuta, *testimoniales litteras exhibeant,* quod saltem per annum sacrae theologiae operam dederint, si agatur de subdiaconatu; ad minus per biennium, si de diaconatu; et quoad presbyteratum, saltem per triennium, praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo ».

(f) « An monachi monasterii N. ad ordines promovendi, praeter litteras obedientiales, teneantur exhibere Ordinario fidem sui baptismatis ad

2. Item nullatenus obligantur ad praesentandum litteras Episcopi originis, ut declaravit S. C. C., d. 28 *febr.* 1654, et d. 17 *mart.* 1674, atque confirmavit Benedictus xiv, Const. *Impositi*, n. 7: « Regulares volentes se promovere ad ordines non teneri ostendere dimissorias Ordinariorum propriae originis, sed sufficere ut observent formam praescriptam in decreto s. m. Clementis viii ».

3. Nec probabiliter tenentur exhibere Episcopo ordinanti (saltem si eas non exigat) litteras testimoniales Ordinariorum locorum, ubi tanto tempore extra claustra commorati sint ut impedimentum canonicum ibi contrahere possint; sufficere videtur ut has litteras Superior regularis obtinuerit, et ipse de vita et moribus subditi testimonium det.

11. De examine ordinandorum. — Ex Trident., *sess.* xxiii, cc. 5 et 7, necnon 13 et 14 *de Reform.*, constat ordinandum examinandum esse vel a proprio Episcopo vel ab Episcopo ordinante super natalibus, aetate, moribus, vita, fide et scientia competenti. Haec in genere de omnibus affirmantur.

De Regularibus specialiter dicitur c. 12: « Regulares quoque nec in minori aetate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur: privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis ».

Nihilominus in decreto Clementino materia examinis Regularium ab Episcopo faciendi ad doctrinam restringitur. Haec enim habet: « Superiores regulares posse litteras dimissorias (subdito) dare ad Episcopum dioecesanum, aut sub praedictis conditionibus ad quemcumque alium, dum tamen ab eo Episcopo, qui ordines contulerit, *examinetur quoad doctrinam* ». Hanc eamdem conditionem iisdem verbis iam expresserat Sixtus v, quem Benedictus xiv refert in praedicta Const., n. 4. Cum autem n. 11 has aliasque dispositiones confirmat et innovat, dicendum est ius Episcoporum examinandi Regulares restringi ad doctrinam [a].

---

docendum de legitima aetate? — R. Negative, dummodo in litteris testimonialibus exprimatur aetas ».

11. (a) Idem Pontifex, n. 9, ait peccare Episcopos qui, de doctrina ordinandi dubii, eum debito examine non probent. En eius verba: « Qui (Episcopi ordinantes) culpa non vacant, in eo quod, quum ex usu rerum intelligere possint complures Regulares non alia de causa proprio domicilio relicto iter arripere, quam ut se subducant examini Episcopi dioecesani, cuius hac in re iurisdictionem aut nimium rigorem perhorrescunt,

Unde certum est: 1° Episcopi ius examinandi Regulares reduci ad examen de doctrina, atque eum de aetate, moribus et aliis examinare non posse, dummodo testimoniales litterae a Superioribus praebeantur, de aetate aliisque testificantes (Piat, q. 17, pag. 297); 2° ius examinandi circa doctrinam Episcopos semper exercere posse (nisi Regulares speciale habeant indultum quo ab hoc examine dispensentur), et exercere debere quoties de doctrina dubitant; 3° communiter tamen posse fidere litteris Superioris attestantis subditum sufficienti scientia esse instructum [b]: Episcopus enim non obligatur hoc examen per se instituere, sed potest, ut ait Trident. cap. 7, illud committere « aliis prudentibus viris peritis divinae legis ac in ecclesiasticis sanctionibus exercitatis »: tales autem merito habentur Superiores regulares. Ita communius AA.; cui sententiae favent plura responsa S. Congr. EE. et RR. necnon et S. Congr. Conc. Tridentini [c] (Piat, q. 15, p. 296); 4° Regulares in examine ab Episcopo reprobatos non posse mitti ad alios Episcopos qui eos ordinent: habetur hoc declaratum a S. Congr. Conc., 14 *mart.* 1620, et confirmatum in quadam epistola S. Congr. EE. et RR. 13 *febr.* 1838 (Piat, q. 16).

Non est omittendum S. Pontificem Pium X, *Motu proprio* 16 *iul.* 1905, revocavisse *pro Urbe* omnia privilegia eximentia Regulares ab examine et omnes obligasse ad subeundum examen in curia Cardinalis Vicarii [d]; quae praescriptio fuit

---

aliumque inveniant qui vel nullo vel admodum levi praemisso examine ordines ipsis impertiantur: quoties huiusmodi facilitate erga illos utuntur, toties adversus consultissima Tridentinae Synodi decreta delinquunt ».

(b) Sed non videtur Superiorem posse dare attestationem scientiae competentis, quin eam per examen exploratam habeat. Trident. enim, c. 12, praescribit: « Regulares quoque.... nec sine diligenti Episcopi examineordinentur: privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis ». Consonat decretum Clementinum.

(c) S. Congr. EE. et RR., 13 *iul.* 1730: « Circa examen, promovendi ipsum subire debebunt quandocumque Episcopus dioecesanus aut Episcopus ordinans de eorum scientia certiorari volet, et si aliquoties dispensaverit, proprio discrimine faciet (apud Bizzarri, p. 378). Plures sunt similes resolutiones apud Pallotini, v. *Sacramentum Ordinis*, art. 3, n. 36 et ss.

(d) « Quicumque in Urbe, sive de saeculari clero sive de regulari, sacris ordinibus initiandi erunt, omnes, excepto nemine, doctrinae periculum facient in curia Cardinalis Vicarii nostri. Qua in re Tridentinae Synodi decreta innovamus et confirmamus; ac privilegium exemptionis quodcum-

postea extensa ad totam Italiam (*Motu proprio*, 19 *mart.* 1906), ita ut nunc in tota Italia Regulares ante ordinationem teneantur examen subire in curia episcopali.

12. De titulo ordinationis [a]. Regulares solemniter professi ordinantur titulo religiosae paupertatis. Ita S. Pius V, Const. *Romanus Pontifex* (1568), ubi statuit solemniter professos et hos solos titulo paupertatis ordinari posse [b].

Alii religiosi non solemniter professi, nisi speciale privilegium habeant (ut habet Societas Iesu pro suis scholasticis), ordinari nequeunt titulo religiosae paupertatis, sed ordinantur vel titulo mensae communis, si tamen speciale habent indultum quo id eis concedatur, vel ut saeculares, titulo beneficii aut patrimonii [c]. — Aliquae Congregationes socios, quos ad

---

que penitus extinguimus, atque illud etiam quo fruitur Societas Jesu ex Const. *Pium* Gregorii XIII et Const. *Quantum* Pauli V, decessorum nostrorum ».

12. (a) Cf. Wernz, t. II, n. 92; necnon *Instructionem* S. Congr. de Prop. Fide, 27 *april.* 1871 (Collectanea, n. 1179), in qua valde clare exponitur tota materia de titulo ordinationis.

(b) Primum Pontifex notat Trident. Synodum, quae (*sess.* XXI, c. 2 *de Reform.*) statuit clericum saecularem non posse ad ordines sacros promoveri, « nisi prius legitime constet eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere », nihil statuisse de ordinatione Regularium, et inde fieri ut ad sacros ordines promoveantur religiosi « qui nonnisi ad certum tempus professionem emittunt, et ex claustris exire vel dimitti, (et) ad saeculum redire libere et licite possunt ». Ut huic malo remedium afferat, Pontifex « decretum praedictum (Tridentini) de clericis saecularibus loquens, ad omnes et singulos etiam cuiuscumque Ordinis clericos religiosos sive saeculares modo religiosorum viventes in communi *non professos* » extendit et ampliat, poenas contra contravenientes statuit, et revocat omnia contraria privilegia et consuetudines. — Nota: per *non professos* intelligi debet ex mente Pontificis, omnes non *solemniter* professos, scilicet omnes qui « ex claustris exire vel dimitti libere et licite possunt ». Et ita insuper declaravit S. Congr. super statu Regul., 20 *ian* 1860. Proposito dubio: « Possuntne novitii post emissa vota simplicia, ante emissionem solemnium, ad sacros ordines promoveri titulo paupertatis, non obstante Constitutione *Romanus Pontifex* S. Pii V? — Resp. Negative quoad ordines sacros ».

(c) Speciale indultum requiri, ut religiosus titulo mensae communis ordinetur, affirmatur in praecitata *Instructione* S. Congr. de Prop. Fide, n. 4: « Verum ex hisce clericis ii dumtaxat communis mensae titulo promoveri ad sacros ordines possunt, quorum Congregationes aut Instituta peculiari ad id privilegio ab Apostolica Sede aucta fuerint ».

missiones destinant, possunt praesentare titulo missionis; sed ad hoc indigent speciali indulto [d].

Hic subintrat aliqua quaestio. Quando clericus ordinatus titulo beneficii ecclesiastici aut alio, Ordinem religiosum ingreditur et professionem votorum simplicium perpetuorum facit, an eo ipso titulus beneficii commutatur in titulum paupertatis (aut mensae communis, pro Congregationibus religiosis) et beneficium vacat? — Relata fuit, c. v, n. 12, 6°, prudens responsio Benedicti xiv relativa ad scholasticos Societatis: censet beneficium non vacare per vota biennii, sed solummodo per renuntiationem beneficii, et ideo titulum beneficii non immutari in titulum paupertatis per vota biennii. Nulla lex generalis de hac re usque nunc lata fuisse videtur [e].

Cum autem post decretum *Auctis* (1892), videri poterat generalem facultatem factam fuisse Institutis votorum simplicium suos alumnos hoc titulo ad ordinationes praesentare, dubium ad S. Congr. EE. et RR. fuit propositum: « Utrum nunc, post decretum *Auctis*, Instituta votorum simplicium libere possint sine indulto speciali alumnos suos promovere ad ordinem sacrum titulo mensae communis vel alio simili? — S. Congr. respondit: Negative » 12 *febr.* 1894 (Apud Vermeersch, t. II, p. 641).

(d) Ita in praecitata *Instructione*, n. 7: « Sed exploratum est Ordinarios clericis titulo missionis non posse ss. ordinationum munera impertiri, nisi speciali S. Sedis indulto muniti sint.... Quod quidem indultum Superioribus missionum aut collegiorum seu Congregationum, quae missionibus inserviunt, vel ad certum tempus vel ad praefixum casuum numerum concedi solet ».

(e) Habetur hac de re quaesitum ad S. Congr. EE. et RR., anno 1903 (apud A. S. S., t. xxxvi, p. 287), quod hic referre iuvat. « Congregatio Filiorum Cordis Imm. Mariae, a. 1880, a S. Congr. EE. et RR. facultatem obtinuit alumnos suos promovendi ad sacros ordines titulo mensae communis, adiecta clausula *exclusis tamen quoad titulum mensae communis iis qui Societatem ingrediuntur proprio titulo sacrae ordinationis gaudentes;* deinde S. Congr. Neg. extr., die 29 *mart.* 1881, ad decennium gratiam sine dicta restrictione concessit...; sed haec gratia, a. 1891, fuit negata ab utraque Congregatione. Modo quaeritur: an novitii qui beneficium residentiale possident, ante professionem recurrere debeant ad S. Congr. EE. et RR. ut beneficium renuntiare possint, an potius beneficium facto ipso professionis vacet? » — S. Congr. respondit: « In Congreg. Missionariorum Cordis Imm. Mariae, professionem perpetuam vacationem beneficiorum residentialium inducere » (25 *aug.* 1903). — Ex allatis in quae sito ex ipso responso apparet Congregationes Romanas adhuc haerere in quaestione de vacatione beneficiorum per vota simplicia.

13. De privilegiis Regularium quoad interstitia.

1. Trident., *sess.* xxii, cc. 11, 13 et 14 *de Reform.*, statuit ut nemo promoveatur ad subdiaconatum, diaconatum aut sacerdotium ante integrum annum a susceptione ordinis immediate praecedentis, « nisi necessitas aut Ecclesiae utilitas, iudicio Episcopi, aliud exposcat ».

Nulla quidem ibi fit revocatio privilegiorum Regularium quibus illis liceat non servatis interstitiis promoveri. Sed revera, cum lex interstitiorum fuit a Tridentino statuta, antea non erant necessaria privilegia nec leguntur mendicantibus fuisse concessa. Post Tridentinum autem, statuta iam lege universali, Regulares sicut caeteri ei subiacent, nisi privilegium obtinuerint. Privilegium huiusmodi concessum fuit Societati Iesu a Gregorio xiii, illudque alii forsan per communicationem participant [a].

2. Hoc posito, Regulares qui gaudent privilegio nullatenus indigent iudicio Episcopi ut eo utantur, sed Superiorum regularium est iudicare de causis sufficientibus ad ordinationem suorum subditorum interstitiis non servatis. Quoad Regulares, qui huiusmodi privilegium non habent, Episcopus *ordinans* potest ex iustis causis dispensare cum eis quoad interstitia; sed quoad meritum causarum tenetur fidem adhibere iudicio et attestationi Superioris regularis ordinandi. Ita expresse quoad utramque partem respondit S. Congr. Conc., 24 *oct.* 1686 [b] (Cf. Ferraris, v. *Interstitia*, nn. 14, 15, 16).

---

13. (a) Videri potest apud Ferraris, v. *Interstitia*, n. 16, quomodo alii Ordines putent eodem privilegio per communicationem cum Societate gaudere, quamvis Gregorius xiii statuerit hoc privilegium esse incommunicabile. Prümmer, q. 204, n. 5 refert totum locum Ferraris et ait: « Haec sententia est probabilis et tuta ». Piat, q. 21, p. 300, eamdem sententiam refert, sed ait eam non carere difficultate.

(b) Apud Vermeersch, t. ii, p. 629. Agebatur de aliquo decreto Synodi Midensis, quod S. C. C. reformari iubet: « Decretum, quo edicitur « Neminem in posterum sive saecularem sive regularem in hac dioecesi, non servatis interstitiis nec sine diligenti Ordinarii examine, ad sacros ordines promovendum nisi utilitas aut necessitas Ecclesiae aliud Episcopo suadeat, et hoc iudicium etiam quoad Regulares non spectare ad Superiores regulares sed ad Ordinarium », reformandum esse quoad illos qui contrarium habent privilegium concessum post Concilium; et in reliquis (sc. qui non habent huiusmodi privilegium), danda et servanda esse decreta tenoris sequentis: 1um, *Nullus, d.* 30 *iun.* 1597: « S. Congr. etc. remissionem interstitiorum, etiam quoad Regulares, ex causis tantum a Concilio expressis faciendam, pertinere ad Episcopum ordinantem: eum

3. Permanet nihilominus integra regula Tridentini, c. 13: « Duo sacri ordines non eodem die etiam Regularibus conferantur: privilegiis ac indultis quibusvis concessis non obstantibus quibuscumque ».

Nec subdiaconatus eodem die cum ordinibus minoribus conferri potest, ut declaravit S. C. C., 7 *mai* 1707 (vide PIAT, q. 23, p. 301, et S. LIG., l. VI, n. 797).

14. De privilegio ordinationis extra tempora.

1. Ordines sacri ex lege communi non possunt conferri nisi sabbatis quatuor temporum, sabbato ante dominicam passionis et sabbato sancto. Ita ex c. *De eo*, 3, *De temp. ordin.*, I, 11.

2. Multi Ordines religiosi privilegium habent, tum ante tum post C. Tridentinum concessum, quo eorum religiosi extra tempora ordinari possunt. Hoc privilegium non fuit revocatum nec per Tridentinum nec postea, ut declaratum fuit a CONC. LATERAN. sub BENEDICTO XIII (1725) (a).

3. Attamen ordines sacri, etiam extra tempora, conferri nequeunt nisi in dominicis et diebus festis de praecepto, non exclusis tamen diebus festis suppressis, v. g., Apostolorum (b).

---

tamen hac in re debere quoad causas deferre iudicio et attestationi Superioris regularis ordinandi »; 2um, *d.* 30 *sept.* 1609: « S. Congr. etc., saepius declaravit remissionem interstitiorum, ex causis a Concilio expressis, pertinere ad Episcopum ordinantem, etiam quoad Regulares ab eo ordines suscipientes, non autem ad Superiores regulares; ipsum tamen Episcopum de causis remissionis teneri fidem adhibere ac deferre testimonio Superioris regularis ». Vide PIAT, q. 18, p. 298, qui tamen falso ait S. Congr. dedisse formulam qua uti debent Regulares, *etiam privilegio gaudentes*, ad dispensationem ab Episcopo petendam. In citato enim ab ipso decreto, agebatur de casu aliquo per eius circumstantias particulari, et solutio data non debet extendi ad alios casus.

14. (a) « Quo vero ad Regulares privilegia a SS. Pontificibus habentes, sive expresse sive per viam communicationis concessa, sacros videlicet ordines extra tempora suscipiendi; cum privilegia ipsa in suo robore persistant, nec eis derogatum fuisse constet, decernimus Regulares eosdem (sc. qui privilegio gaudent) absque novo indulto Apostolico tuto posse extra tempora ordinari » (apud PIAT, t. II, p. 143, *nota* 7).

(b) Ita S. CONGR. CONC., 15 *ianv.* 1689, et 20 *april* 1782 (apud VERMEERSCH, p. 630 et 637). Item S. CONGR. RIT., 18 *febr.* 1843, his verbis: « S. Congregationem edixisse ordines sacros conferri posse in diebus Apostolorum caeterisque per Apost. Sedem abrogatis; ac in iisdem festis, verum de mane tantum, conferri etiam posse ordines minores » (WERMEERSCH, ibid.) Plures alias responsiones congerit PIAT, p. 300, q. 22.

4. Episcopus autem non tenetur Regulares privilegium habentes extra tempora ordinare. S. Congr. EE. et RR. interrogata, d. 18 *iul.* 1732, respondit: « Episcopum posse, non teneri » (Apud Bizzarri, *Edit. altera,* p. 343).

5. Si religiosi qui habent privilegium ordinationis extra tempora, non habent simul privilegium ordinationis a quocumque Antistite, denegatio Episcopi dioecesani ordinandi extra tempora non sufficit ut possint ordinationem ab alio Episcopo petere; sed requiritur ut Dioecesanus declaret se ordinationem non esse habiturum proximo legitimo tempore: tunc solummodo possunt ordinationem ab alio Episcopo petere extra tempora. Ita declaravit Benedictus xiv, C. *Impositi,* n. 12 [c], et confirmatum fuit recenti responso S. Congr. Conc., 18 *aug.* 1888 [d].

15. De ordinatione religiosorum qui vota simplicia tantum emiserunt. — Hi religiosi vel pertinent ad Ordinem votorum solemnium, in quo tamen usquemodo solam professionem votorum simplicium fecerunt, vel pertinent ad Institutum votorum simplicium.

1. *Si sunt alumni Ordinis votorum solemnium,* durante triennio professionis simplicis, ad ordines sacros promoveri non possunt. Ita Pius ix, in *decreto* 12 *iun.* 1858, a. 7. « Superiores regulares, ad quos spectat, concedere poterunt huiusmodi professis litteras dimissoriales dumtaxat ad primam tonsuram

(c) Declarat dimissorias litteras ad Antistitem alium « nullius fore roboris, nisi illis adiuncta sit authentica attestatio... ex qua constet vel ipsum (Episcopum Dioecesanum) a dioecesi abesse, vel clericorum ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore. Hoc enim expresse declarari opus est ad excludendam aliquorum arrogantiam, qui cum privilegio gaudeant suscipiendi ordines extra tempora, existimarunt Episcopos eorum voluntati adeo addictos esse debere ut, si quandocumque ipsis placuisset ad ordines promoveri, non statim ipsoque die ab ipsis designato voti compotes fierent, iam dici posset ordinationem ab Episcopo non haberi, proindeque alius Episcopus pro suscipiendis ordinibus adeundus esset ».

(d) In casu proposito agebatur de Regulari habente privilegium ordinationis extra tempora, non autem a quocumque Antistite, et quaerebatur: « An iuxta Const. Bened. xiv *Impositi,* Episcopus extraneus possit extra tempora a canonibus statuta Regularem praedicto privilegio carentem (sc. ordinationis a quolibet Antistite) ordinare in casu? — Resp. Requiri attestationem, Episcopum proximo legitimo tempore non habiturum ordinationem » (A. S. S., t. xxi, p. 364, et Vermeersch, p. 638).

et ad ordines minores ». Haec dispositio confirmata fuit decreto *Auctis* (1892) [a].

II. *Si sunt alumni Instituti votorum simplicium*

1° Superiores nequeunt litteras dimissoriales eis dare ad ordinationem, nisi speciale indultum ad hoc habuerint. Ita in responso S. Congr. EE. et RR., 12 *febr.* 1894, ad 1 [b]; scilicet haec Instituta, nisi speciale indultum habuerint, quoad ordinationem omnino pendent ab Ordinariis; ideo eorum alumni ab Ordinariis tamquam proprii subditi ordinantur, nec est locus litteris dimissorialibus, quae ab eorum Superioribus dentur.

2° Alumni horum Institutorum non possunt ordinari titulo mensae communis, aut aliquo alio simili, nisi Institutum quoad hoc speciali indulto gaudeat. Ita Instructio praecitata S. Congr. de Prop. Fide, a. 1871 (supra, n. 12, *nota* c), et responsum 12 *febr.* 1894, ad 3.

3° Neque si Institutum indulto tali gaudeat, religiosi promoveri possunt ad ordines sacros titulo mensae communis aut missionis, nisi postquam vota perpetua emiserint et proprio Instituto stabiliter aggregati fuerint; aut, in his Institutis quae ultra triennium professionem differunt, postquam per triennium in votis temporaneis permanserint. Ita decretum *Auctis,* l. c., « revocatis omnibus contrariis » [c].

---

15. (a) Art. I decreti dicitur: « Firmis remanentibus Constitutione S. Pii V, *Romanus Pontifex,* et declaratione s. m. Pii P. IX edita 12 *iun.* 1858, quibus Superioribus Ordinum regularium prohibetur, ne litteras dimissoriales concedant novitiis aut professis votorum simplicium triennalium, ad hoc ut titulo paupertatis ad sacros ordines promoveri valeant... ». Deinde art. II additur: « Hinc notum sit oportet de generali regula haud in posterum dispensatum iri, ut ad maiores ordines alumnus Congregationis votorum solemnium promoveatur, quin prius solemnem professionem emiserit, vel per integrum triennium in votis simplicibus perseveraverit, si alumnus Instituto votorum simplicium sit addictus ».

(b) In hoc rescripto ad tria respondetur quaesita: 1um, « Utrum post decretum *Auctis,* Instituta votorum simplicium possint sine indulto speciali alumnis suis dimissoriales litteras ad ordines concedere? ... 3um, Utrum eadem Instituta « alumnos suos libere possint sine indulto speciali promovere ad ordinem sacrum titulo mensae communis vel alio simili? » — Ad utrumque hoc quaesitum responsum fuit: « Negative ».

(c) Post recitata verba in *nota* (a) relata, sic pergit art. I decreti: « Eaedem dispositiones extenduntur etiam ad Instituta votorum simplicium, ita ut horum Institutorum Superiores non possint in posterum litteras dimissoriales concedere pro sacris ordinibus, vel quomodocumque ad sacros

4° *Litterae testimoniales.* Si Superior religiosus litteras dimissoriales concedere potest, non est necesse (sicut dictum est de Regularibus, n. 10, 3°) ut distinctas det testimoniales, sufficit ut in dimissorialibus testificetur subditum dignum esse; nec est necesse ut Episcopus ordinans testimoniales habeat Episcoporum locorum in quibus ordinandus etiam diuturno tempore moratus est, sed sufficit testimonium Superioris religiosi. Ita S. Congr. EE. et RR., in rescripto 1 *mart.* 1895 (apud Vermeersch, p. 642). Quaerebatur ab aliquo Episcopo: « Utrum in ordinatione alumnorum religiosorum ex iis Institutis qui vota simplicia tantum emittunt, requirantur litterae testimoniales Ordinariorum, in quorum dioecesibus hi alumni tanto tempore morati sunt ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerint, ad normam Const. *Apostolicae Sedis*, de suspensionibus; vel potius sufficiant litterae dimissoriales Superioris generalis, quin requirendae sint dictae testimoniales? » — Responsum fuit: « Negative ad 1 part., Affirmative ad 2 ». — N. B. Ex hoc responso etiam habetur non requiri distinctas litteras Superioris religiosi, dimissoriales scilicet et testimoniales, sed sufficere dimissoriales. Hoc enim quaerebatur in secunda parte, et responsum fuit sufficere dimissoriales. Ratio est obvia: Superior non potest ad ordinationem dimittere nisi quos dignos cognoverit, et Episcopus supponere debet Superiorem religiosum debitas attestationes requisivisse, sine quibus ex iure constituto nequiret testificari eos esse dignos.

Alia quaestio hic moveri posset, nempe utrum durante triennio post prima vota, sive in Religionibus votorum solemnium sive in Institutis votorum simplicium, prohibeatur solummodo ordinatio titulo paupertatis aut vitae communis vel missionis, an etiam ordinatio quocumque alio titulo, v. g., patrimonii, aut servitii alicuius Ecclesiae? Si enim haberetur titulus huiusmodi nec deesset Episcopus qui, in casu recessus ab Ordine, ordinandum reciperet, videntur sufficienter servari mens legislatoris et praeveniri incommoda. Nec desunt textus ad affirmandum prohibitionem restringi ad ordinationem titulo pau-

---

ordines alumnos promovere titulo mensae communis vel missionis, nisi illis tantum alumnis, qui vota quidem simplicia sed perpetua iam emiserint et proprio Instituto stabiliter aggregati fuerint, vel qui saltem per triennium permanserint in votis simplicibus temporaneis, quoad ea Instituta quae ultra triennium perpetuam differunt professionem. Revocatis etc... ».

pertatis et vitae communis. Sic decretum *Auctis*, § 1, prohibet Superioribus Ordinum regularium, « ne litteras dimissoriales concedant novitiis aut professis votorum simplicium triennalium, ad hoc *ut titulo paupertatis* ad sacros ordines promoveri valeant » ; et Superioribus Institutorum votorum simplicium, « quocumque modo alumnos ad ordines sacros promovere *titulo mensae communis vel missionis*, nisi.... ». — Sed contra, in § II eiusdem decreti absolute affirmatur, durante hoc triennio post prima vota, promotionem ad ordines sacros prohiberi, et in decreto 12 *iun.* 1858, art. 7, hoc triennio sola promotio ad tonsuram et ordines minores permittitur. Quaestio ergo dubia remanet.

16. De novitiorum ordinatione. — Novitii ordinari non prohibentur, dummodo eadem forma ac clerici saeculares ordinentur. Habetur esponsio S. CONGR. EE. ET RR., 9 *ian.* 1895, tenoris sequentis: « Cum agatur de novitiis, qui non sunt adhuc Regulares, iuxta notissimum iuris praescriptum, quod sola professio religiosa facit aliquem Regularem, minime vero probatio, a qua novitii pro lubitu recedere et a Superioribus dimitti valent: exinde sequitur quod enuntiati novitii, relate ad sacram ordinationem, considerandi sint veluti pertinentes ad respectivas dioeceses, non autem uti vere Regulares. Idcirco antequam novitii vota nuncupent, nequit Episcopus nisi tamquam suos subditos [a] ad sacros ordines canonice promovere, ad formam notissimae Constitutionis Apostolicae *Speculatores* (Innocentii XII, 1694). Nec praetereundum erit sacram hanc Congr. haud permittere ad sacros ordines uti viros religiosos ascendere, nisi illos qui solemnia vota nuncupaverint, quem ad effectum dispensare quandoque iustis de causis solet a praescripto integri triennii tempore votorum simplicium » (apud VERMEERSCH, p. 639).

---

16. (a) Inde Episcopus nequit novitium origine extraneum ordinare, nisi ob specialem titulum quo fiat ipsi subditus, iuxta praescripta Constitutionis Innocentii XII *Speculatores*. Novitius autem non est subditus Episcopi alicuius, eo quod commoratur in domo religiosa suae dioeceseos ibique probationem subeat. S. CONGR. EE. ET RR., *d.* 9 *ian.* 1895, quaesito « An liceat Episcopo novitium in casu, sive dioecesanum origine sive extraneum non dimissum, habere tamquam proprium subditum et ordinare ratione domicilii, praecise propter solam considerationem sitae domus regularis in sua dioecesi ? » — huic aliisque dubiis simul propositis unica declaratione, quae datur in textu responsum est.

17. Varia de ordinatione.

1. Olim Regulares privilegium habebant, vi cuius ad presbyteratum promoveri poterant post 22 annum completum (Piat, q. 26, p. 303); sed hoc privilegium fuit revocatum a Trident., *sess.* xxiii, c. 12 *de Reform.*, ubi, postquam aetatem ad singulos ordines sacros praefixit, subiungit: « Regulares quoque nec in minore aetate... ordinentur, privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis ».

2. Episcopis, in facultatibus quinquennalibus, illa conceditur: « dispensandi super defectu aetatis unius anni, ob operariorum penuriam, ut (diaconi) promoveri possint ad sacerdotium, si alias idonei fuerint ». Quaesitum fuit: « Utrum haec facultas extendatur etiam ad Regulares? » — S. Congr. S. Officii, 29 *ianv.* 1896, respondendum censuit: « Affirmative, facto verbo cum Sanctissimo: et S. Pontifex solutionem approbavit et confirmavit » (notetur restrictio concessionis, ob operariorum penuriam).

3. Regulares exempti, in ordinatione obedientiam non Episcopo, sed Praelato regulari promittunt, ut clare in *Pontificali* dicitur. Adsunt insuper responsa S. Congr. Conc., 2 *maii* 1876, et S. Congr. Rit., 22 *iul.* 1848.

4. S. Congr. super disciplina regulari instructionem dedit d. 27 *nov.* 1892, cuius titulus: « Praescriptiones quoad iuvenes ex familiis religiosis qui militari delectui obnoxii sunt » (A. S. S., t. xxv, p. 635). In praeambulo dicitur S. Congr. « has regulas auctoritate S. Pontificis Superioribus Generalibus impertire pro eorum subditis militari servitio obnoxiis ». Praescribitur ut ii iuvenes ad solemnem professionem vel ad sacros ordines non promoveantur nisi, « militiae cursu post annum aut plures annos confecto, saltem per annum in domo regulari permanserint ibique probati fuerint » (n. 5). Haec praescriptio declarata fuit non esse directiva tantum sed praeceptiva (die 31 *aug.* 1904). — Wernz (t. ii, n. 29, v) has praescriptiones omnino generales habet. Sunt qui putent eas non obligare extra Italiam, v. g., Annotator A. S. S., vol. xxxvii, p. 239: tum quia hoc documentum scriptum fuit lingua Italiana, tum quia praecesserat Instructio similis ad solos Episcopos Italiae, d. 16 *sept.* 1875. Sed fatendum est verba praeambuli non admittere hanc restritionem.

5. Episcopus titularis, sicut quicumque alius, non potest ordinare nisi proprios subditos, et in dioecesi aut missione sibi commissa, si habet. Unde ut Episcopus titularis regularis alumnos proprii sui Instituti ordinet, etiam si Institutum gau-

deat privilegio ordinationem a quocumque Episcopo petendi, requiruntur primo litterae dimissoriales Praelati regularis; et si ordinatio non est facienda in territorio ipsi commisso, indiget facultate Episcopi loci, propter prohibitum a Tridentino usum Pontificalium extra propriam dioecesim. Monasteria autem exempta communiter sunt in dioecesi; et quamvis essent nullius, ordinatio non ad quemlibet, sed ad viciniorem Episcopum pertinet. Ita S. Congr. Conc., 24 *aug.* 1619 (Piat, II, p. 289, q. 4; qui p. 153, *nota* 2, plures alias decisiones indicat).

6. Post decretum *Auctis* non amplius requiritur *excorporatio* ordinandi a propria dioecesi, ut possit a suis Superioribus ad ordines dimitti: quae conditio saepe imponebatur Institutis votorum simplicium. Ita respondit S. Congr. EE. et RR., d. 13 *iul.* 1894, ad 4 (Vermeersch, t. II, p. 641).

18. Poenae quas incurrunt contravenientes praedictis canonibus de sacra ordinatione.

1. Episcopus contraveniens est diversis suspensionibus obnoxius, quas pronuntiat tum Pius IX C. *Apostolicae Sedis* (suspensiones 2, 3, 4), tum Trident., *sess.* XIV, c. 2, et *sess.* XXIII, c. 8 *de Reformat.* [a].

2. Superior regularis, speciali privilegio non donatus, qui subditum suum ad alium Episcopum quam Dioecesanum ordinandum mittit, si non testatur Dioecesanum absentem esse aut ordinationem proximo legitimo tempore non habiturum (supra 9, 2°), officio et dignitate seu administratione, necnon voce activa et passiva privatur (*Decr.* Clementis VIII, 1596). Has poenas renovavit Benedictus XIV, C. *Impositi,* n. 11, et ipso facto incurri declaravit. — Cum haec poena sit, non censura, semper est vigens, etiamsi per C. *Apostolicae Sedis* non sit innovata.

3. Ordinatus absque testimonialibus sui Superioris a susceptorum ordinum exsecutione, quamdiu videbitur suo Superiori suspensus remanet. Trident. *sess.* XXIII, c. 8 *de Reform.* [b].

---

18. (a) Vide tractatus theol. moral., ad suspensiones Const. *Apost. Sedis.* — Aliae erant suspensiones pronuntiatae a Pio V, C. *Romanus Pontifex* (1568), a Clemente VIII, *decr.* a. 1596, ab Innocentio XII, C. *Speculatores* (1694) a Benedicto XIV, C. *Impositi* (1747). Verum cum hae censurae a Pio IX non fuerint innovatae, cessasse videntur. — Forsan tamen potius poenae quam censurae dicendae sunt, et tunc adhuc remanerent.

(b) Tridentinum de Ordinario loquitur; sed Ordinarius Regularis, qui testimoniales dare debet, est proprius Praelatus.

Simili poenae subiacet indebite ordinatus ab Episcopo Titulari. TRIDENT., *sess.* XIV, c. 2 *de Reform.* (vide supra, n. 17, 5°). Cf. PIAT, p. 304, q. 28 (c).

SECTIO II.

19. De promotione Nostrorum ad varias dignitates vel officia.

1. *De promotione ad Cardinalatum, Episcopatum, et alias dignitates* sufficienter dictum est c. VII, n. 26 et c. X, n. 26, III.

2. *De officio parochi.* Institutum specialiter prohibet Nostris curam animarum (c. XII, n. 12, 3°), et ideo Societas nec parochias in ecclesiis domorum suarum admittit, nec beneficia cum ea cura collegiis nostris uniri voluit (a).

3. *Beneficia quaecumque* ante ingressum possessa, quamdiu Nostri retinere possint, dictum est c. IX, n. 6.

4. Quamvis Nostri in *Examinatores synodales* eligi possint, ut dictum est n. 6, attamen GREGORIUS XIII, Br. *Satis superque* (1584) voluit « Neminem ex religiosis Societatis a quibusvis quacumque ecclesiastica vel saeculari dignitate aut auctoritate, etiamsi Cardinales,... ad quodvis munus, officium vel exercitium obeundum (etiam in defectu aliorum) absque expresso sui Superioris consensu ac etiam mandato, destinari, adigi vel cogi posse » (COMP. PRIV., n. 215).

CONGR. II, d. 72, quoad *munus examinatoris* ad beneficia, ad

---

(c) Aliae poenae fuerant statutae, sed quae post Const. *Apostolicae Sedis* non amplius subsistunt. 1) TRID., *sess.* XXI, c. 2 *de Reform.*, « Antiquorum canonum poenas innovat » contra clericos saeculares qui sufficiens beneficium ecclesiasticum non habuerint. Hae poenae, ex c. *Neminem*, 1, et c. *Sanctorum*, 2, distinct. 70, erant suspensio. S. PIUS V, C. *Romanus Pontifex*, decretum Tridentinum ad Regulares extendit. Sed iam haec poena non est a Tridentino lata, et ideo cessasse dicenda est, post C. *Apost. Sedis*. Cf. PIAT, q. 25, 4°, p. 303. — 2) Statuta fuerat suspensio contra Regulares qui, reprobati in examine ab Episcopo dioecesano, ad alium Episcopum erant praesentati : eas statuerat S. C. CONC., d. 14 *mart.* 1604; sed hae poenae videntur fuisse ferendae sententiae, aut, si erant latae sententiae, non fuerunt innovatae a Pio IX (vide FERRARIS, v. *Ordo*, art. 3, n. 67; et PIAT, q. 16, p. 297).

19. (a) Cum beneficium huiusmodi in collegio Conimbricensi admissum fuisset, Congr. I, d. 124, voluit ut quamprimum ab eo liberaretur. — Congreg. II, d. 59: « Quod ad unionem beneficiorum, quae curam animarum adnexam habent, pertinet, definitum est ut in futurum non admittantur, admissa vero et unita huiusmodi beneficia.... examinentur ».

curam animarum, ad praedicandum aut ad audiendas confessiones, voluit ut Nostri, quantum fieri potest, a tali munere abstinerent. « Quod si examinandi ministerium effugere nullatenus possumus, illud retinendum: ut iudicium de admittendis vel non admittendis non feramus, sed illud omnino Praelatis relinquamus ». Congr. IV, d. 63, adiunxit: cum duplex iudicium institui debeat, unum de scientia competente, alterum de vita, morum probitate et aliis, non prohibetur per decretum Congr. II ut de scientia Nostri iudicium ferant, sed tantum de admissione. In utroque tamen decreto facultas dispensandi P. Generali asseritur.

5. De *Notariis*, quos Societas in suis causis instituere potest, per communicationem privilegiorum cum FF. Praedicatoribus, dictum est supra, n. 6, 3° (vide COMP. PRIVIL., n. 418).

20. de gradibus academicis et iure docendi (Cf. supra, n. 6, 4°).

1. *Circa gradus academicos Nostris conferendos,* Societas triplici gaudet privilegio sibi directe concesso: primo, ut Nostri in collegiis Societatis viventes ac Universitatibus studentes, praevio rigoroso et publico examine idonei reperti, ad gradus per Rectores Universitatum promoveri valeant; secundo, ut si Rectores Universitatum recusaverint huiusmodi gratis promovere, possint a Praep. Generali aut de eius licentia a quovis ex inferioribus Praepositis vel Rectoribus collegiorum, cum duobus vel tribus doctoribus vel magistris, ad eosdem gradus promoveri; tertio, ut iidem studentes in collegiis Societatis extra Universitates, « studiorum cursu absoluto et rigoroso examine praecedente, possint a P. Generali vel de eius licentia a Rectore collegiorum, cum duobus aut tribus doctoribus vel magistris, ad quoscumque baccalaureatus ac magisterii et licentiaturae ac doctoratus gradus promoveri ». Concessit IULIUS III, Const. *Sacrae Religionis,* 1552 (vide COMP. PRIVIL., nn. 294-301).

2. Scholares autem, postquam sic promoti fuerint, possunt in collegiis aut in Universitatibus legere, disputare, ac quoscumque alios actus facere, et iisdem privilegiis gaudere, quibus alii in quibusvis Universitatibus graduati. IULIUS III, *ibid.* (COMP. PRIVIL. n. 299).

3. Insuper Societas valet eosdem gradus, cum iisdem privilegiis simili modo conferre *scholaribus extraneis*, qui in collegiis nostris, sive in Universitatibus sive extra Universi-

tates positis, sub eorumdem collegiorum obedientia, directione vel disciplina studuerint. Haec facultas pro scholaribus pauperibus sine conditione conceditur; pro divitibus, qui in collegiis nostris apud Universitates existentibus studuerint, tantum si officiales Universitatis eos promovere recusaverint, et solutis suis iuribus Universitati; si autem in collegiis extra Universitates studuerint, etiam divitibus scholaribus gradus sine praedicta conditione conferri possunt. Concessit Pius IV, Br. *Exponi nobis,* 1561. — Gregorius XIII, Const. *Quanta in vinea*, 1578, facultatem promovendi, quam Iulius III et Paulus IV solis Rectoribus collegiorum concesserant, ad praefectum eorumdem collegiorum extendit (Comp. Priv., nn. 297, 298, 299) [a].

4. Paulus III, Const. *Licet debitum*, 1549, « Praeposito Generali Societatis (concessit), ut quos de suis idoneos iudicaverit, ad lectiones theologicas et aliarum facultatum, alterius licentia ad id minime requisita, ubilibet deputare possit ». — Gregorius XIII autem, Const. *Quanta,* modo magis speciali indulsit « ut in collegiis nostris, quae sunt in Universitatibus, lectores nostri *publice* legere possint, dummodo de mane per unam horam et de sero per aliam horam cum aliis Universitatum lectoribus, qui id postulaverint, non concurrant ».

5. *Seminaria episcopalia.* Congr. II (a. 1565), d. 18, statuit seminaria episcopalia, « de quibus in Conc. Tridentino actum est » [b], admittenda non esse, etiamsi eorum gubernationem Nostris committere ipsi Episcopi vellent; posse tamen admitti ex dispensatione Praep. Generalis his tribus conditionibus: si seminarium alicui collegio iungeretur quocum praeceptores haberet communes collegiumque multum inde iuvaretur, abundaret Societas operariis, et libera eidem Societati seminarii gubernatio committeretur [c].

---

20. (a) Promovere ergo potest P. Generalis per se. De eius licentia promovere etiam possunt Rector et etiam praefectus collegiorum in quibus facultates superiores praeleguntur, sed solummodo scholares qui inibi studuerint, non alios, et postquam praevium rigorosum examen subierint.

(b) Sessio XXIII Tridentini, in qua latum fuit decretum de seminariis, duobus annis antea habita fuerat, scilicet die 15 *iulii* 1563.

(c) Ut ex verbis decreti apparet, haec non fuerunt absque haesitatione statuta. Dicitur: « Re satis agitata, constituit Congregatio (seminaria ista) non admittenda videri »; et infra, sub expressis in decreto conditionibus, « placuit admitti posse ex dispensatione Praep. Generalis ».

In Congregatione xii autem (1682), postulantibus Galliae provinciis, « ut Nostris in Gallia liceret Episcoporum seminaria admittere ac eorum curam suscipere: cum audissent Patres quantae utilitatis catholicae religioni esse id possit, admittenda esse eiusmodi seminaria censuerunt, iis conditionibus, quas a nostro Instituto non alienas iudicaverit R. P. noster Generalis, cuius prudenti arbitrio res tota permissa est » (Congr. xii, *d.* 26. — Cf. Besson, *Comp. Instit.*, nn. 466 et 133).

21. De Nostrorum ordinatione in genere.

1° Societas privilegium habet suos alumnos ab irregularitatibus dispensandi ad sacros ordines suscipiendos et exercendos. De hoc privilegio et limitibus quibus continetur, vide dicta c. ii, n. 21.

2° Privilegium habet quo socii possunt a quocumque Antistite ordinari. Concessit primum Paulus iii, Const. *Licet debitum,* 1549[a]. Hoc privilegium post Trident. fuit innovatum et amplificatum a Gregorio xiii, Const. *Pium et utile,* 1582[b];

---

21. (a) « Eidem Praeposito Generali, ordinandos Socios et Fratres huiusmodi Societatis quibuscumque maluerit catholicis Antistitibus, gratiam et communionem dictae Sedis (Apostolicae) habentibus, praesentare, ipsisque praesentatos huiusmodi, absque omni promissione vel obligatione ipsorum ordinandorum Fratrum et Sociorum, ad omnes etiam sacros presbyteratus ordines promovere liceat ».

(b) In hac Const. Gregorius refert privilegium a Paulo iii concessum ; deinde memorat nonnullos Antistites post Tridentinum voluisse Societatis alumnos, in ordinibus suscipiendis, omnibus Concilii statutis subiicere. Ideo, pergit, « iis incommodis occurrere volentes, omnibus Episcopis et aliis Antistitibus praesentibus et futuris in perpetuum praecipimus atque interdicimus ne ab huiusmodi promovendis, qui licentiam a Praep. Generali dictae Societatis pro tempore existente vel ab eo delegatis habuerint, quidquam praedictorum requirant vel exigant, sed ipsos, etiam absque ulla functione in ordinibus ipsis interstitiorumque ad illos suscipiendos observatione, aut inquisitione de cantu, officiis et caeremoniis ecclesiasticis, idoneitate, proprii Ordinarii licentia, et aliis in aliis requisitis, ad minores ac, etiam extra tempora a Iure statuta tribusque dominicis vel aliis festis diebus etiam continuis, ad sacros etiam presbyteratus ordines promoveant, ac si illi omnibus requisitis praedicti essent. *Nos enim illis ordines omnes praedictos sic suscipiendi ac praedictis Antistitibus eos ipsis conferendi facultatem tribuimus.* Non obstantibus... ». Deinde praesentis privilegii communicationem cum omnibus aliis omnino prohibet.

et ideo, iuxta declarationem Benedicti XIV, non subiacet dispositionibus decreti Clementis VIII anni 1596 (vide supra, n. 8). In his Constitutionibus exprimitur quod Societatis alumni a quocumque Antistite ad omnes ordines promoveri valeant, proprii Ordinarii licentia minime requisita, sed cum sola licentia Praepositi Generalis aut cuiuscumque ab eo delegati.

3° Societati indulta fuit tum exemptio a lege interstitiorum, tum facultas ordinationis extra tempora: ita ut Nostris ordines sacri tribus dominicis aut festis diebus etiam continuis conferri possint, et absque ulla functione in ordinibus ipsis.

Haec duo privilegia, a GREGORIO XIII praedicta Constitutione concessa, fuerunt a LEONE XII renovata, Br. *Plura inter*, 1826 (c).

4° Ordinandi eximuntur ab omni examine. Hoc privilegium ab eodem GREGORIO XIII largitum fuit (d), et deinde confirmatum responso S. CONGR. CONC., 5 *iul.* 1681. Quaesitum fuerat: « An clerici Societatis Iesu, sacros ordines ab Archiepiscopo suscepturi, debeant se subiicere examini, prout caeteri Regulares? — Responsum fuit: Negative, nisi adsit consuetudo in contrarium » (e). Sed hoc privilegium fuit revocatum, primo pro Urbe *Motu proprio* PII X, d. 16 *iul.* 1905, et deinde pro tota Italia alio *Motu proprio*, d. 19 *mart.* 1906 (cf. dicta supra, n. 11).

22. De ordinatione scholasticorum. — Iam Societas a principio privilegium habebat a PAULO III, Const. *Licet debitum* (1549)

(c) « Religiosis viris in Societatem Iesu cooptatis veniam facimus, qua.... possint praeterea ordines qua minores qua maiores accipere, etiam extra tempora ac interstitiis nequaquam servatis, a quocumque Antistite cum cathedra Romana sociato, adepto tamen consensu Ordinarii illius loci Praesulis in quo id fiet ». Hac ultima conditione providetur regulae, ut nullus Episcopus extra proprium territorium pontificalibus utatur aut iurisdictionem exerceat absque consensu Dioecesani, etiam in locis exemptis.

(d) In prima parte Constitutionis, Gregorius referebat aliquos Antistites inquisitionem super ordinandorum « vita, moribus, aetate et natalibus » instituere; in secunda decernit ne « quidquam praedictorum requirant vel exigant », et ordinent nulla facta inquisitione « de cantu, officiis et caeremoniis ecclesiasticis, idoneitate, propri Ordinarii licentia et aliis in aliis requisitis ». Ultimis his verbis comprehendi examen de doctrina, S. C. C. in relata responsione declaravit.

(e) Refertur in COMP. PRIV., n. 444. Ex conditione hic apposita fit manifestum, quantum referat providere ne consuetudo contra privilegia inducatur, et proinde non omittere usum privilegiorum.

concessum, quo eius socii, sine ulla distinctione professorum et non professorum, a quolibet Antistite ordinari possent [a].

Post decretum Tridentini, *sess.* XXI, cap. 2, de titulo ordinationis, eiusque extensionem a S. Pio V ad Regulares non professos (vide supra, n. 12, *nota* b), Societas explicitum privilegium obtinuit vi cuius, non obstantibus Tridentino et decreto S. Pii V, eius scholastici, emissis votis simplicibus biennii, ad sacros ordines titulo paupertatis promoveri valerent. Concessit GREGORIUS XIII, Const. *Ex Sedis Apostolicae* (1573), confirmavit GREGORIUS XIV, Const. *Ecclesiae catholicae* (1591) [b]. Illud privilegium innovavit LEO XII, Br. *Plura inter* (1826): nam privilegia circa ordinationem indulsit « religiosis viris in Societatem Iesu cooptatis », igitur omnibus qui prima vota fecerint.

Sed nunc Societas subiacet §§ I, II et VI decreti *Auctis* (1892) (vide supra, n. 15); et ideo scholastici ordinari nequeunt nisi expleto triennio post vota simplicia. — Revera dispositiones § I non plane conveniunt Societati [c], et ideo Pater Generalis

---

22. (a) « Et quia.... in ipsa Societate idoneos tantum et comprobatos ad sacros ordines promoveri intelleximus, eidem Praeposito Generali, quod ordinandos Socios et Fratres Societatis quibuscumque maluerit catholicis Antistitibus praesentare ipsisque Antistitibus praesentatos.... ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines promovere » valeant, concedimus. — Hac facultate comprehendi etiam scholasticos habetur tum verbis generalibus « Socios et Fratres » absque restrictione, tum quia professio in Societate supponit sacerdotium; ergo ordinatio nonnisi de scholasticis, non autem de professis intelligi potest.

(b) « Ut ii, qui tria vota praedicta in eadem Societate emiserint, de licentia sui Praepositi Generalis, ad sacros etiam presbyteratus ordines, etiam ante solemnem professionem emissam, dummodo alias aetate, moribus et doctrina idonei sint, promoveri valeant,... quatenus opus sit de novo concedimus » (Greg. XIII). — « Statuimus.... religiosos huiusmodi, post emissa vota etiam simplicia, ad sacros etiam presbyteratus ordines promoveri posse » (Greg. XIV). — Non dicitur explicite quod scholastici titulo paupertatis ordinari valeant; sed quum nullus alius titulus exigatur, remanet ut titulo paupertatis revera ordinentur. Hoc explicite declaratur a Congr. II, decr. 77: « Quod attinet ad ordinationem Nostrorum qui non sunt professi, nulli videtur dari causa iustae querelae, quandoquidem nos utimur nostro iure. Quod si Nostros ordinatos contingat expelli a Societate, tamen non tenebuntur eos Episcopi alere, cum qui ordinantur ex Societate nostra cesserint suo iuri in ordinatione: *ordinantur enim ad titulum voluntariae paupertatis* ».

(c) Nam Decretum *Auctis* pro ordinatione alumni Religionum formalium requirit solemnem professionem.

Cardinalem praefectum Congregationis EE. et RR. interrogavit, atque ab eo declarationem obtinuit: licere nostros scholasticos post triennium a votis simplicibus ad ordines sacros titulo paupertatis praesentare (cf. litteras A. R. P. Lud. Martin, d. 11 *mai* 1893).

23. Varia ex Instituto de ordinatione. — 1. Facultas ordinaria praesentandi ad ordines sacros competit Provinciali (Reg. Prov., n. 61).

2. Ex Ordinat. General. cap. vii, n. 6, nemo ad sacros ordines praesentari debet, qui consueta Societatis vota non emiserit et quinquennium saltem in Societate non exegerit.

3. Nostri ordinarie non debent praesentari ad ordines sacros nisi quando accedunt ad finem studiorum, ne promotio studiis impedimentum afferat (Const., P. iv, c. vi, *litt.* C).

4. In eodem c. vii Ordinat. General. statuitur, ut omnia quae a Tridentina Synodo praescripta sunt de aetate, moribus, institutione, doctrina, idoneitate ordinandorum, sedulo a Provinciali et suis CC. perpendantur, priusquam Nostri ad ordines praesententur.

5. Eadem Ordinatione, n. 4, providetur ut nullus ad sacerdotium promoveatur, qui prius examinatus non fuerit saltem semihorae spatio a quatuor examinatoribus et aptus ad confessiones fructuose audiendas inventus. Hoc statutum confirmavit Congreg. xiii, d. 16 (n. 2), quae declaravit solius Praep. Generalis esse in eo dispensare (n. 3). Praeterea eadem Congr. vult ut promovendi in schola theologiae moralis saltem per biennium prius studuerint (n. 1). Sed nunc Nostri subiacent § vi decreti Auctis (supra, n. 10, 5°), ut Secretarius S. Congr. EE. et RR. declaravit, et R. P. Lud. Martin Societati notificavit in praecitata epistola. In Italia insuper subiiciuntur annis studiorum et examinibus a Pio x pro utroque clero saeculari et regulari praescriptis (supra, n. 11).

6. Congr. vii, decr. 3, voluit ut omnino provideretur ne dimissis a Societate, postquam ad ordines sacros in ipsa promoti fuerint, sustentatio deberetur[a]. Benedictus xiii, Br. *Iniuncti nobis* (1728) ita fore statuit et declaravit[b].

---

23. (a) Iam de hoc statuerat Congr. ii, d. 77 (supra, n. 22, *nota* b).

(b) « Statuimus ac declaramus memoratam Societatem Iesu non teneri nec obligatam esse ad ullam subministrationem, sive congruae sustentationis sive alimentorum sive alio quocumque titulo et causa, illis faciendam qui, post biennium probationis et emissionem votorum simplicium, extra

7. Quod Clemens VIII generali modo praecepit, ne recepti ad gradum conversorum deinde ad statum clericalem promoverentur (supra, n. 7), id etiam providetur in EXAM., c. VI, n. 7, et in CONSTIT., P. I, c. 2, n. 2, necnon in Const. *Ecclesiae Catholicae* GREGORII XIV, ubi dicitur « laicos ad sacerdotium aspirare non debere ».

CAPUT XVIII.

DE PRAEDICATIONE ET DE EUCHARISTIA

Sectio I. — 1. Historica de praedicatione Regularium. — 2. Ius vigens. — 3. Variae decisiones de praedicatione Regularium. — 4. De Eucharistia. De oratoriis privatis Regularium. — 5. Oratoria in locis ruralibus. — 6. Notanda de ecclesiis et oratoriis. — 7. De admissione Fidelium a Regularibus in suas ecclesias et oratoria ad missam et divina officia. — 8. Varia officia quae Regularibus in suis ecclesiis et oratoriis celebrare licet. — 9. De admissione presbyterorum saecularium aut regularium ad celebrandum. — 10. De asservatione SS. Eucharistiae in ecclesiis et oratoriis Regularium. — 11. De ministratione SS. Eucharistiae Fidelibus in ecclesiis Regularium. Exceptio diei Paschatis. — 12. Item in aliis oratoriis. — 13. De Viatico, et de Communione infirmis deferenda. Quid Regulares possint quoad familiares. — 14. De expositione SS. Sacramenti. — 15. De ecclesiis et oratoriis Congregationum et Institutorum votorum simplicium.

Sectio II. — 16. Privilegia Societatis circa praedicationem; — 17. circa erectionem ecclesiarum; — 18. circa oratoria; — 19. circa distributionem SS. Eucharistiae Fidelibus; — 20. circa asservationem SS. Eucharistiae. — 21. Favores quibus gaudent nostrae ecclesiae et oratoria. Altare privilegiatum. Indulgentiae. —

Societatem a suis Superioribus eiiciuntur, tametsi, dum in ea permanebant, ad sacros etiam presbyteratus ordines, sine beneficio ecclesiastico ac patrimonio, et ad titulum religiosae paupertatis promoti fuerint ». — BENEDICTUS XIV, *de Synodo*, l. XIII, c. 11, nn. 21-25, totam hanc quaestionem de Nostrorum ordinatione tractat. Relata declaratione Benedicti XIII n. 25, subiungit: « Peraequa sane Constitutio, provida et omnino congruens praecedentibus tribunalium iudicatis, in quibus, quoties post Constitutionem Gregorii XIII proposita fuit, toties reiecta conspicitur petitio a praedictis religiosis promota, ab iis, inquam, qui post biennalem probationem votorumque simplicium nuncupationem, ad sacros etiam presbyteratus ordines promoti deindeque e Societate dimissi, vitae subsidia exposcebant, eo quod patrimonium non haberent nec beneficium, fuerantque ordinibus initiati ad titulum religiosae paupertatis dum inter Societatis alumnos recensebantur ».

22. Privilegia circa usum altaris portatilis. — 23. Facultas celebrandi in privatis saecularium oratoriis. — 24. Privilegia circa horam missae.

1. Historica de Praedicatione. — 1. Expressa S. Sedis aut Episcoporum facultas ad praedicandum videtur medio aevo non fuisse necessaria. Prima documenta, quae exstant super materia, ad componenda dissidia inter Regulares praedicantes et Ordinarios diriguntur: supponunt ergo ius Regularium ad praedicandum. In privilegiis Ordinibus Praedicatorum et Minorum concessis non invenitur facultas praedicandi, nempe quia non reputabatur necessaria.

2. Bonifacius VIII, Const. *Super cathedram* (inter *Extrav. comm.*, 2, *De sepulturis*) ad tollendas contentiones inter Episcopos et FF. Praedicatores ac Minores plura statuit [a], quae deinde confirmavit Benedictus XI, c. *Inter cunctas*, 1, *De privilegiis* inter *Extrav. comm.*, et Clemens V, c. *Dudum*, 2, *De sepulturis*, inter *Clementinas*.

3. Tridentinum, *sess.* V, c. 2 *de Reform.*, statutis a Bonifacio VIII duo alia adiunxit: primum, ut Regulares, priusquam praedicarent, a suis Superioribus de vita, moribus et scientia examinarentur ac approbarentur, et nonnisi de eorum licentia etiam in ecclesiis sui Ordinis praedicarent; alterum, ut personaliter se coram Episcopis praesentarent, ipsius benedictionem petituri priusquam in propriis ecclesiis, aut eius licentiam priusquam in aliis praedicarent [b]. — Idem Trid.,

---

1. (a) « Auctoritate Apostolica statuimus et ordinamus ut dictorum Ordinum Fratres in ecclesiis et locis eorum ac in plateis communibus libere valeant populo et clero praedicare ac proponere verbum Dei, hora illa dumtaxat excepta in qua locorum Praelati praedicare voluerint vel coram se facere solemniter praedicari; in qua praedicare cessabunt, praeterquam si aliud de Praelatorum ipsorum voluntate processerit ac licentia speciali ». Deinde, aliquibus de praedicatione in studiis generalibus statutis, pergit: « In ecclesiis autem parochialibus Fratres ibi nullatenus audeant vel debeant praedicare vel proponere verbum Dei, nisi Fratres praedicti a parochialibus sacerdotibus invitati fuerint vel vocati, et de ipsorum beneplacito et assensu, seu petita licentia fuerit et obtenta; nisi Episcopus vel Praelatus superior per eosdem Fratres praedicari mandaret ».

(b) « Regulares vero cuiuscumque Ordinis, nisi a suis Superioribus de vita, moribus et scientia examinati et approbati fuerint ac de eorum licentia, etiam in ecclesiis suorum Ordinum praedicare non possint: cum qua licentia personaliter se coram Episcopis praesentare, et ab eis benedictionem petere teneantur, antequam praedicare incipiant. In eccle-

sess. XXIV, c. 4 *de Reform.*, rursus statuit: « Nullus autem saecularis sive regularis, etiam in ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo praedicare praesumat ».

4. GREGORIUS XV, C. *Inscrutabili* (1622), § 3, has Tridentini regulas recenset, et § 6 subiungit: « Habeat Episcopus, tamquam dictae Sedis delegatus, auctoritatem coercendi ac puniendi quosque exemptos, tam saeculares quam regulares, qui in alienis ecclesiis aut quae suorum Ordinum non sunt absque Episcopi licentia, et in ecclesiis suis aut suorum Ordinum non petita illius benedictione aut ipso contradicente, praedicare praesumpserint ». Deinde dat facultatem in contrafacientes per censuras aliasve poenas procedendi.

5. CLEMENS X, Const. *Superna* (1670), recensitis praedictis dispositionibus, notat: « Regulares, qui in ecclesiis sui Ordinis praedicare voluerint, teneri ab Episcopo dioecesano benedictionem petere: praedicare tamen posse, quamvis illam non obtinuerint; quod si Episcopus benedictionem nedum non concesserit, sed etiam contradixerit, nec in praedictis quidem ecclesiis licere Regularibus praedicare[c].... Episcopum tamen absque iusta et rationabili causa contradicere non debere ».

Deinde duas novas dispositiones addit: 1° Statuit Episcopum, antequam licentiam Regularibus concedat praedicandi in ecclesiis quae suorum Ordinum non sunt, posse eos examinare *quoad doctrinam,* « si ita ipsius arbitrio, quod moderatum et discretum esse debet, visum fuerit ». Hoc autem examen exigere potest, « etiamsi Episcopi antecessores per tempus immemorabile hanc licentiam absque examine concedere consueverint ». 2° Statuit eum « licentiam praedicandi semel concessam (posse), ob rationabiles causas, licet occultas, praedicationem tamen concernentes, suspendere; non posse tamen generatim prohibere Regularibus, quin in ecclesiis

---

siis vero quae suorum Ordinum non sunt, ultra licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur: sine qua in ipsis ecclesiis non suorum Ordinum nullo modo praedicare possint. Ipsam autem licentiam gratis Episcopi concedant ». — Deinde dantur facultates Episcopo contra praedicantes errores aut haereses, vel scandala disseminantes (vide c. XVI, 19). — Aliqua historica de hoc decreto Tridentino habet FERRARIS, v. *Praedicator*, n. 123 et sq.

(c) Expresse dicitur benedictionem Episcopi requiri, etiamsi Regulares ad sanctimoniales suae iurisdictioni subiectas, sive in ecclesiis clausis ianuis et nullo saeculari praesente, sive ad crates praedicare voluerint.

suorum Ordinum praedicent ». Haec Constitutio amplissimas habet derogationes.

S. Congr. EE. et RR., d. 31 *iulii* 1894, *Litteras encyclicas* super sacra Praedicatione, ex mandato Leonis XIII, « ad omnes Episcopos Italiae atque ad omnes Ordinum coetuumque religiosorum Praesules » dedit. In eis, n. 7, Generales monet ut nemini e sacerdotibus sibi subditis publice concionari inscio loci Episcopo permittant, et multo minus eos cum testimonialibus litteris ad Episcopos praesentent, nisi prius accurate inquisierint et certissime noverint optimam eorumdem moralem vivendi rationem et rectum concionandi modum. Si aliquis autem concionator prius approbatus a normis in his litteris traditis aberrare deprehenditur, Episcopus debet primo illum monere; quod si non sufficiat, eum ab officio omnino removeat, poenis etiam canonicis, si natura casus exigat, adhibitis.

2. Ius nunc vigens circa praedicationem Regularium [a]. — Praedictis Summorum Pontificum statutis plura deinde particularia SS. Congregationum decreta accesserunt, quibus ius circa Regularium praedicationem fuit magis determinatum [b]. Ex his omnibus habentur sequentes normae.

1° Regulares nullibi praedicare possunt, quin fuerint a suis Superioribus examinati ac probati eorumque licentiam obtinuerint (Trid., l. c). — Clemens VIII, decreto *Nullus* (1599) art. 37, statuit hoc examen instituendum esse a tribus saltem Fratribus in Capitulo generali vel provinciali electis. Sed hoc decretum probabilius non obligat extra Italiam et insulas adiacentes (vide caput XI, n. 18). — Quisnam Superior licentiam dare debeat, cum iure non determinetur, pendet a Constitutionibus cuiuscumque Ordinis.

Episcopus autem sine hac Superioris proprii licentia nulli Regulari facultatem praedicandi in sua dioecesi dare potest. Sic ex natura rei. Ita insuper decrevit Trident., l. c., et declaravit S. C. C., a. 1587 (apud Piat, t. II, p. 258, q. 5).

2° Regulares etiam in suis ecclesiis praedicare nequeunt quin prius benedictionem Episcopi petiverint. Non est quidem

---

2. (a) Praedicatio est omnis divini verbi annuntiatio populo facta. Suarez censet explicationem doctrinae christianae pueris et rudibus non esse praedicationem (*De Relig.*, tr. X, l. 9, c. 1, n. 17). Illum sequitur Piat, q. 1.

(b) De his vide Piat, t. II, pp. 254-269, qui quaestionem accurate tractat; Ferraris, v. *Praedicator*.

necesse ut eam obtinuerint; at Episcopo contradicente praedicare nequeunt (Trid., l. c.). Declaratum fuit « licere Fratribus praedicare in ecclesia *etiam parochiali* sui Ordinis petita tantum benedictione » (S. Congr. EE. et RR., 13 *maii* 1678) [c].

3° Regulares, ut in alienis ecclesiis praedicent, etiam aliorum Regularium, licentiam Episcopi petere et obtinere debent (Trid., l. c.).

4° An ad praedicandum in plateis aut alias extra ecclesias Regulares indigeant licentia Episcopi, nullo documento definitum invenitur; sed ex historia C. Tridentini habetur mentem Concilii fuisse ut, quoties Regulares extra ecclesias proprii Ordinis praedicant, semper Episcopi licentia indigeant (Piat, p. 260, q. 10) [d].

5° Regulares ad benedictionem aut licentiam petendam Episcopos *personaliter* adire tenentur. Ita Trident., l. c.: intellige tamen: nisi Episcopus de suo iure remittat. Nam in multis dioecesibus Episcopus facultatem generalem suos subditos ad praedicandum in dioecesi deputandi Praelato regulari concedit. Cf. Prümmer, q. 249, 2°.

An autem extra urbes in quibus Episcopi resident, Regulares ex solius parochi licentia praedicare possint, videtur ex usu in dioecesi recepto definiendum [e]. Idem dici potest de praedicatione in urbe episcopali, si ita fert usus: tunc enim, Episcopo non reclamante, tacita habetur eius licentia.

6° Episcopus licentiam semel concessam revocare potest ob rationabiles causas, licet occultas, sed praedicationem concernentes (Clemens x, C. *Superna*, § 3). Causae autem praedicationem concernentes primario ad sanam doctrinam referuntur: ita ut, si errores aut scandala praedicatores spargant, eos Episcopus a concionibus suspendere possit, ut expresse sta-

---

(c) « Licere Fratribus praedicare in ecclesia parochiali sui Ordinis, petita tantum benedictione, dummodo concionator sit eiusdem Ordinis » (apud Piat, p. 257, nota 7).

(d) Sane Pius vii, C. *Sollicitudo* (1814), dans Societati facultatem praedicandi absque loci determinatione, apponit conditionem: « consentientibus atque approbantibus Ordinariis locorum ». Eamdem conditionem apponit Leo xii, Br. *Plura inter* (1826).

(e) Ferraris (l. c., n. 31) ait parochum posse permittere ut Regulares bis aut ter, sine Episcopi licentia, in sua parochia praedicent. Idem, n. 80, ait S. Congr. EE. et RR., d. 20 *sept.* 1583, scripsisse hortatorias litteras ad Episcopos, qui amplas habent dioeceses, ut licentiam praedicandi per Vicarios foraneos Regularibus dari permittant.

tuit Trident. An scandalum datum, vita inhonesta, infamia sint causae propter quas Episcopus licentiam concessam revocare possit, non dicitur explicite; sed videtur affirmandum, argumento a simili desumpto ex facultate data a Clemente x, § 6, ob has causas a confessionibus suspendendi (f).

7° Episcopus non tenetur manifestare Regularibus rationes propter quas licentiam recuset, aut contradicat, aut etiam licentiam datam revocet. Ita S. Congr. Conc., a. 1587 (apud Piat, q. 15, p. 263; Ferraris, v. *Praedicator,* n. 73). Insuper valet argumentum a simili, iuxta ea quae statuuntur pro suspensione a confessione, cuius causas Regularibus manifestare Episcopus non tenetur.

8° Episcopi, antequam dent Regularibus licentiam praedicandi extra suas ecclesias, eos examinare possunt quoad doctrinam (Clemens x, § 3): etiamsi fuerint a suis antecessoribus approbati, ut videtur, ex argumento ducto ex simili facultate facta revocandi ad examen pro confessione, quando licentia ab antecessore aut ab eius vicario fuit concessa (Clemens x, § 5). Examen istud, ut dicitur, tantum circa doctrinam versari debet, et illud nonnisi pro praedicationibus extra proprias ecclesias Episcopus exigere potest. Ita Clemens x, et habetur specialis declaratio S. C. EE. et RR., 19 *dec.* 1610, (apud Ferraris, l. c., n. 82).

9° Quotiescumque Episcopus ius examinandi habet, potest etiam professionem fidei exigere: ita declaravit S. C. C., 24 *mart.* 1643, et 13 *iul.* 1646 (Ferraris, v. *Praedicator,* n. 65); et consequenter Regularibus professionem fidei emittere nolentibus potest denegare benedictionem (Piat, q. 13, p. 262). De caetero Clemens x Episcopis commendat ut suo iure examinandi moderate et discrete utantur.

10° An licentia semel data valeat indefinite? — Pendet a modo quo data fuit. Certum est Episcopum licentiam dare posse ad tempus vel ad actum, v. g., ad quadragesimales praedicationes. Ita S. C. C., 21 *mart.* 1643, ad 9: « Licere Episcopo, ex causa sibi bene visa, benedictionem Regularibus ad concionandum etiam in propria ecclesia, concedere ad tempus

---

(f) Favet huic sententiae responsum S. C. C., 28 *febr.* 1654 (apud Piat, p. 265, q. 17, *nota* 9). Quaerebatur: « An Archiepiscopus ex causis occultis non concernentibus praedicationem possit eisdem Regularibus prohibitionem (praedicandi) facere? — Resp. Archiepiscopum *posse*, non tamen ex causis *nullo modo* praedicationem concernentibus ».

limitatum » (g) (apud Piat, q. 19, p. 266). — Si licentia data fuit absque limitatione, quaeritur an Regularis, post diuturnum a dioecesi recessum in eamdem rursus missus, nova benedictione aut licentia indigeat? Piat, q. 19, 4°, refert decisionem S. C. C., 14 *nov.* 1626: « Indigere ». Sed si consuetudo esset contraria, tuto servari posset.

11° Episcopus Regulares contra has normas facientes coercere ac censuris et poenis ecclesiasticis punire potest tamquam Sedis Apostolicae delegatus (Gregorius xv, et Clemens x, § 3).

12° Quoniam ius coercendi et puniendi Episcopus non habet nisi ut delegatus Sedis Apostolicae, idem ius non competit Vicario capitulari. Sed huic Vicario competit ius dandi licentiam aut benedictionem, vel contradicendi et a praedicatione suspendendi si praedicator haereses, errores aut scandala disseminat: nam illud ius, utpote ordinarium, ad Vicarium capitularem transit (Piat, q. 22, p. 268).

3. Variae decisiones de praedicatione Regularium.

1° Episcopus nequit generatim prohibere Regularibus ne in ecclesiis suis praedicent (Clemens x).

2° Qua hora Episcopus ipse praedicat aut solemniter coram se praedicare facit, ea Regulares in suis ecclesiis praedicare nequeunt (Bonifacius viii). Praedicatio solemnis intelligitur ea quae fit ex causa publica et extraordinaria, convocatis clero, magistratu et populo, non autem ordinaria adventus aut quadragesimae: ita S. C. C., 10 *mart.* 1645 (apud Piat, q. 2, resp. 4°, p. 256) (a). In ecclesia tamen parochiali,

---

(g) Fundamentum huius doctrinae invenitur in Const. Clementis x, iuxta quam Episcopus potest negare licentiam aut etiam contradicere Regulari volenti praedicare in propria ecclesia. Ergo videtur posse permittere ut praedicet in data occasione et contradicere ut habitualiter praedicet, non tamen pro lubito et absque iusta et rationabili causa, ut ibidem dicitur.

3. (a) Benedictus xiv, *de Synodo,* l. ix, c. 17, n. 7, ait nullam unquam fuisse difficultatem circa hanc prohibitionem praedicandi quando Episcopus ipse praedicat, sed tantum quando coram se praedicare facit, ad definiendum quando habeatur praedicatio solemnis. Subiungit (n. 8): ideo S. Congr., 12 *iul.* 1687, censuisse Episcopi esse in peculiaribus eventibus monere Regulares ne praedicent tali hora in suis ecclesiis, quia ipse solemniter coram se hac hora praedicare facit; non autem esse opportunum, ut mandato synodali generaliter moneat Regulares ne praedicent quando

sive saeculari sive regulari, eadem hora praedicatio haberi potest (S. C. C., 1631, apud FERRARIS, v. *Praedicator,* n. 26).

3° Episcopus prohibere non potest ne praedicetur in ecclesia Regularium eadem hora ac in ecclesia parochiali (ita S. C. C. 2 *iul.* 1620, apud PIAT, q. 2, resp. 5).

4° Episcopum volentem in suis ecclesiis praedicare Regulares admittere debent (BENED. XIV, l. c.); sed non tenentur admittere parochum volentem praedicare (S. C. C., 26 *febr.* 1853, apud PIAT, q. 2, resp. 8). In ecclesiis suis parochialibus Regulares tenentur admittere missionarios ab Episcopo missos ante visitationem (ita BENED. XIV, Const. *Firmandis,* 1744, § 5).

5° Episcopus regulariter nequit obligare Regulares ad praedicandum in suis ecclesiis non parochialibus. Dicitur « regulariter » : nam, ait PIAT, q. 8, p. 259, S. C. C., 2 *mart.* 1861, approbavit et a Regularibus observari iussit mandatum Episcopi ob speciales circumstantias datum, quo praedicare praecipiebat[b]; et eadem S. Congregatio, in Epistola 3 *dec.* 1732, mirabatur Regulares quosdam ab Episcopo rogatos noluisse propter sua privilegia praedicare ad primam aut secundam missam (PIAT, q. 8, *nota* 8).

6° Regulares impediri nequeunt, quominus in ecclesiis suis catechismum seu doctrinam christianam explicent, saltem dummodo non eadem hora ac in parochia eam doceant (ita S. C. C., 30 *mart.* 1726, 14 *mart.* 1733, 11 *aug.* 1742, apud PIAT, q. 7); nec quominus festa et ieiunia annuntient (S. C. C., 7 *iul.* 1618).

7° Regulares monialibus etiam ad crates aut in collocutorio praedicare possunt aut sermonem de rebus spiritualibus habere (non obstantibus legibus de accessu Regularium ad monialium crates), dummodo ante aut post non colloquantur cum aliquibus (ita FERRARIS, l. c., n. 86, ubi plures decisiones refert); sed requiritur ut licentiam praedicandi ab Episcopo habeant, quemadmodum supra dictum est.

---

coram se solemniter praedicare facit: hoc enim viam innumeris contentionibus aperiret. — FERRARIS, l. c., nn. 61 et 63, refert sententias *S. C. EE. et RR.* et *S. C. C.*, ex quibus Episcopus aliquando prohibere posset Regularibus praedicare in suis ecclesiis, ut totus populus in ecclesia cathedrali aut matrice conveniret.

(b) Mandatum erat his verbis conceptum : « In diebus dominicis aliisque festis de praecepto, in prima missa in omnibus ecclesiis et publicis oratoriis post evangelium clara et intelligibili voce, sacerdote verbo ad verbum praeveniente et populo comitante, recitari debet brevis instructio, quae scienda de necessitate medii vel praecepti continet ». Sed ibi praedicatio revera non habetur.

8° Utrum Regulares praedicare possint solo habitu religioso sui Ordinis induti, an contra cotta aut superpelliceo uti debeant? — Nulla decisio affertur. Monachi et Mendicantes qui proprium habitum habent, possunt, ut videtur, absque cotta praedicare, nisi forte coram SS. Sacramento exposito [c]. De clericis regularibus dubitari licet: attamen Romae, si non ex pulpito saltem ex suggestu, in nigris praedicant.

9° Laici non possunt praedicare, cuiuscumque sint Ordinis ac professionis (c. *Sicut,* 14, *De haereticis*, v, 7). Regulariter officium praedicandi non committitur nisi presbyteris et diaconis. Episcopus tamen illud committere potest cuicumque clerico quamvis in sacris ordinibus non constituto: sic S. C. C., 23 *iun.* 1580 (apud Ferraris, l. c., nn. 18 et 20). — Societas Iesu speciale privilegium habet, quo omnes sui alumni, saltem clerici praedicare possunt (infra, n. 16).

4. De Eucharistia. — Dicendum: 1° de oratoriis privatis Regularium; 2° de admissione fidelium in eis ad missam et divina officia; 3° de asservatione SS. Sacramenti; 4° de privilegiis quoad missae celebrationem; 5° de administratione s. communionis et viatici; 6° de expositione SS. Sacramenti (Cf. Piat, t. II, pp. 225-254).

1. **De oratoriis privatis Regularium.** — Regularibus, praeter ecclesias et oratoria publica (de quibus dictum est c. XIII, n. 8, et c. XVI, n. 10 et ss.), concessum est ut in locis, in quibus degunt, possint saltem in suum usum privatum oratoria erigere, in quibus divina officia celebrent et sacramenta recipiant [a].

(c) Ut habetur ex responso S. Congr. EE. et RR., 8 *aug.* 1760 (Piat, p. 269, q. 23).

4. (a) Concessit Clemens IV FF. Minoribus, Const. *Virtute conspicuos* (1265) § 8: « In locis quoque in quibus degitis, liceat vobis habere oratoria in quibus cum altari portatili possitis missarum solemnia et alia divina officia celebrare ac etiam ecclesiastica recipere sacramenta ». Hoc privilegium iisdem verbis renovavit Sixtus IV, Const. *Regimini,* 1474 (quae est Mare magnum Praedicatorum et Minorum). — Idem privilegium Societati Iesu concessit Paulus III, Const. *Licet debitum* (1549): « Liceatque Praepositis et de eorum facultate universis Fratribus et Sociis Societatis huiusmodi in presbyteratus ordine constitutis, in locis in quibus degunt et eos pro tempore morari contigerit, habere oratoria; et in eis ac quocumque alio honesto ac congruenti loco in altari portatili cum debita reverentia et ho-

Post DECRETUM TRIDENTINUM, *de observandis et vitandis in celebratione Missae* (*sess.* XXII), non pauci censuerunt privilegia huiusmodi fuisse suppressa; ibi enim statuitur: « Neve (Ordinarii) patiantur privatis in domibus atque omnino extra ecclesiam et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc sacrificium a saecularibus aut Regularibus quibuscumque peragi »: in fine autem decreti additur clausula « non obstantibus privilegiis... et consuetudinibus quibuscumque ». Unde concludunt: etiam Regularibus non iam licet nisi in ecclesiis et in oratoriis ab Episcopis designatis et approbatis celebrare, et ideo non possunt amplius oratoria vi suorum privilegiorum erigere, sed iam in hoc ab Episcopis dependent. Verum haec rigida decreti explicatio non videtur necessaria, et ideo multi AA. censuerunt adhuc post Tridentinum Regularibus licitum esse oratoria vi suorum antiquorum privilegiorum erigere. Dicunt enim Tridentinum suo decreto duo prohibere: 1° ne Episcopi permittant erigi in domibus privatis oratoria, in quibus missa celebretur: facultates enim permittendi haec oratoria iam est S. Sedi reservata; 2° ne etiam permittant erigi privata auctoritate ecclesias et oratoria publica divinis officiis deputanda, quin haec prius visitaverint et approbaverint; omniaque privilegia aut consuetudines in contrarium esse revocata. Sed simul affirmant Regulares, qui non propria sed Apostolica auctoritate oratoria erigunt, non comprehendi decreto. Cf. FERRARIS, v. *Oratorium,* n. 72, ubi multos congerit AA. pro hac sententia, inter quos numerantur SUAREZ, LUGO, TAMBURINI, DIANA, QUARTI, LACROIX. — PIAT, t. II, p. 229, q. 5, censet privilegia Regularium esse hoc decreto revocata, et ideo eos non posse oratoria privata erigere, nisi vi privilegii post Tridentinum concessi.

Quidquid sit de hac controversia, Societas Iesu privilegium huiusmodi a GREGORIO XIII post Tridentinum rursus obtinuit: « Volumus ut in oratoriis et cappellis, quae ipsius Societatis Provinciales per se in domibus, collegiis et aliis locis, ubi aliqui Societatis residebunt, approbaverint et ad divinum dumtaxat cultum deputaverint, missae et alia divina officia, alterius licentia minime requisita, celebrare possint » (GREGORIUS XIII, Const. *Decet Romanum Pontificem,* 1575).

---

nore.... missas et alia divina officia celebrare, ac ecclesiastica sacramenta recipere et aliis ministrare ». Item GREGORIUS XIII, C. *Decet Romanum* (1575).

Hoc privilegio per communicationem fruuntur alii Regulares communicationem privilegiorum cum Societate habentes. Ita FERRARIS, v. *Oratorium,* n. 74; PIAT, t. II, p. 230, q. 5; PRÜMMER, q. 227, p. 260.

5. De oratoriis in locis ruralibus. — An hoc Gregorii privilegium adhuc invocari possit pro *grangiis et locis ruralibus,* multi in dubium revocaverunt, propter posteriora decreta circa parvos conventus et grangias (vide c. XVI, nn. 5, 6, 7). FERRARIS (v. *Oratorium,* n. 78) ait Auctores in varias sententias abire. Sed adsunt alia privilegia postea aliquibus Ordinibus expresse pro grangiis et locis ruralibus concessa, et per communicationem aliis Ordinibus extensa. CLEMENS XII, Brevi *Exponi nobis* (19 *aug.* 1737), confirmans et amplians antiqua Carthusianorum privilegia, statuit in eorum grangiis erigi et retineri posse oratoria ex sola approbatione Visitatorum et Provincialium, etiamsi unicus laicus in eis resideat, in quibus quicumque missam audiunt praecepto satisfaciunt [a]. BENEDICTUS XIV, C. *Exponi nobis,* a. 1755, Ordini Praedicatorum concessit, ut in *domibus, possessionibus* et *membris* liceret eis, sine quacumque Ordinariorum visitatione et subiectione, tum cappellas publicas [b] tum oratoria privata erigere, in quibus quilibet sacerdotes, etiam extranei, possent celebrare atque Christifideles praecepto audiendae missae satisfacere (COMP. PRIVIL., n. 437).

Ergo concludendum est, ex his saltem privilegiis licere Regularibus, qui eis fruuntur, oratoria privata in omnibus suis domibus, possessionibus, ac locis ruralibus (sive ibi aliqui religiosi resideant, sive non) erigere, in eis celebrare et, ut

---

5. (a) De hoc Brevi CLEMENTIS XII, vide infra, n. 18, *nota* d. — Breve BENEDICTI XIV, *Exponi nobis* datur in extenso a PRÜMMER, in *Appendice* I, p. 328.

(b) Quod ad cappellas publicas attinet, post Const. *Romanos Pontifices* (1881) privilegium videtur esse revocatum. In ea enim dicitur (§ 21) non licere religiosis, absque duplici S. Sedis et Ordinarii licentia, novas sibi sedes constituere, erigendo novas ecclesias. Licet quidem religiosis alicuius conventus praedia rustica sibi comparare sine Ordinarii licentia, quia ibi sedem non sibi constituunt atque loca remanent profana; sed ex Constitutione Leonis XIII non licet ipsis ecclesias erigere, nec ut videtur oratoria publica: eadem est enim ratio utriusque. Attamen haec Leonis XIII praescriptio vim retroactivam non habet: prohibetur quidem *novas* aedes constituere ecclesias erigendo, non autem servare erectas.

videtur, alios sacerdotes ad celebrandum necnon fideles ad missam audiendam ac sacramenta recipienda admittere [c].

6. Notanda de ecclesiis et oratoriis. — Ecclesiae et oratoria publica consecrari vel solemniter benedici debent. Oratoria mere privata non possunt solemniter benedici, sed tantum benedictione simplici (quae benedictio loci in Rituali dicitur); nec ea simplex benedictio est de necessitate, sed tantum ex decentia. Oratoria semipublica aut simplici aut solemni benedictione benedici possunt [a]. — Simplex benedictio non obstat quominus oratorium denuo in usus profanos convertatur (Wernz, t. III, n. 458) [b]. — Ut aliquis locus in ora-

---

(c) Est recens responsio S. Rit. Congr. (10 *nov.* 1906). Quaerebatur 1° an licentia Episcopi esset petenda ad celebrandum « in oratoriis, quae Regulares erigunt interdum in aedibus monasterii », et 2° an saltem petenda esset ad celebrandum in oratoriis quae erigunt etiam « in domibus extraneis, e monasterio sive longe sive parum distantibus et ad peculium monasterii spectantibus, in quibus unus vel plures Patres, sive oeconomiae sive sanitatis colendae causa habitant ». S. Congr. respondit ad 1um Negative, si agatur de Regularibus proprie dictis ad 2um licentiam esse petendam ab Episcopo, nisi adsit indultum (A. S. S., t. XXXIX, p. 605). Hoc ultimum responsum commovere non debet: licentia est de iure communi petenda; non autem si habetur indultum, ut dicitur.

6. (a) Ita quoad omnia in *decreto generali* S. Congr. Rit., d. 5 *iun.* 1899. Ex alio decreto eiusdem Congregationis, d. 23 *ian.* 1899: « *Publica oratoria* ea sunt quae auctoritate Ordinarii ad publicum Dei cultum perpetuo dedicata, benedicta vel etiam solemniter consecrata, ianuam habent in via, vel liberum a publica via Fidelibus universim pandunt ingressum ». *Privata oratoria* stricto sensu dicuntur « ea quae in privatis aedibus in commodum alicuius personae vel familiae et indulto S. Sedis erecta sunt. Quae medium inter haec duo locum tenent, ut nomen ipsum indicat, *oratoria semipublica* sunt, et vocantur ». Deinde decretum magis definit quaenam sint semipublica oratoria et declarat: ea esse quae in commodum alicuius communitatis eriguntur; in quibus, ait, omnes qui missae intersunt, praecepto satisfaciunt. In fine decreti fit haec declaratio: « Voluit autem Sanctitas sua sarta et tecta iura ac privilegia oratoriorum quibus fruuntur Emi S. R. E. Cardinales, Rmi Sacrorum Antistites atque Ordines Congregationesque regulares ». — In decreto 5 *iun.* dicitur festum titularis ecclesiae aut oratorii esse celebrandum sub ritu primae classis cum octava in omnibus ecclesiis aut oratoriis consecratis vel solemniter benedictis; non posse autem celebrari in oratoriis non solemniter benedictis.

(b) S. Rit. Congr., *d.* 4 *maii* 1882, prohibuit ne loca subter ecclesiam *consecratam* inservirent tamquam theatrum, etiam in collegiis pro iuve-

torium erigatur, oportet ut sit decens et ad divinum cultum dumtaxat deputatus (DECRETUM TRIDENT., *sess.* XXII, *De observandis, etc.*) (c).

De celebratione missae ubique, seu de usu altaris portatilis, vide sect. II, n. 22.

7. Regularibus licet in ecclesiis suis Christifideles ad missam, ad divina officia, ad sacramenta, ad praedicatio-

---

nibus educandis (*Decr. authent.*, n. 3546). Antea resolverat, eadem loca inservire non posse tamquam cellaria (*Decr. auth.*, n. 3157). Haec decreta revocantur in memoriam in Instructione S. Congregationis Visitationis Apostolicae, pro visitatione in urbe Roma peragenda (A. S. S., t. 38, p. 184).

(c) De *oratoriis quibus supersunt cubicula,* quatuor tantum sunt decreta particularia *in nova collectione Decretorum S. Rit. Congr.*

1um (11 *maii* 1641). « An liceat clericis seminarii habitare diu noctuque et etiam dormire in domibus aedificatis super capellis navis dexterae ecclesiae cathedralis in quibus quotidie celebratur? — R. Non licere, sed omnino prohibendum.

2um (12 *sept.* 1840). Petebatur « ut missa celebrari valeat in sacello super quo lectuli militum ex necessitate reperiantur, constituta tamen super ipso duplici concameratione (volta, voute). — R. Committitur Episcopo ut, veris existentibus narratis habitisque praescriptis cautelis, pro suo arbitrio et prudentia indulgeat iuxta preces ». In decreto de sola celebratione missae, non de asservatione SS. Eucharistiae agitur.

3um (27 *iul.* 1878). « Super oratorium, in quo missae quotidie celebrantur et asservatur SS. Sacramentum, adest locus ad deambulandum, camera (voute) tamen lapidea et crassa ab oratorio ipso separatus, cui loco superstructum est cubiculum pro habitatione novitiorum. An talis locorum dispositio licite servari potest? R. affirmative ». Nota non exigi baldaquinum. Sed super sacello adest camera lapidea et crassa, et deambulatorium.

4um (23 *nov.* 1880). « An permitti queat ut SS. Eucharistiae sacramentum asservetur in sacellis quae dormitorio subsunt? Et quatenus negative, petitur ad hoc opportunum indultum. — Resp. Pro gratia et ad mentem. Mens est ut altari imponatur ampla umbella, vulgo *baldacchino* ». — Illa concessio non debet haberi ut regula generalis, e contra tamquam exceptio legi facta: exstat enim recens responsum S. RIT. CONGR.; interrogata « Utrum liceat asservare S. Eucharistiam in altari baldaquinum habente, quamvis super illud habeatur habitaculum cum lecto? » d. 24 *ian.* 1908 respondit: « Negative, ex decreto 23 *nov.* 1880, ad 2 » (A. S. S., tr. XLI, p. 122). — Olim exigebatur ut baldaquinum erigeretur supra omnia altaria in quibus asservatur SS. Sacramentum (Decreta S. Rit. Congr., 27 *april.* 1697 et 23 *maii* 1886); sed in indice decretorum novae collectionis S. Congr. Rituum (v. *Baldaquinum*) apponitur haec nota: haec duo decreta ubique, etiam Romae, in desuetudinem abierunt.

nem admittere, quin Episcopi aut parochi contradicere possint. — *Historica* de hac re referre utile est.

1. Primis temporibus, ecclesiae in monasteriis erectae ad privatum monachorum usum videntur fuisse destinatae. Hoc erui potest ex generalibus Gregorii Magni decretis pro libertate monachorum a. 599 editis [a].

2. Deinde Fideles fuerunt admissi in ecclesiis monachorum. Hoc apparet ex privilegio, quod a saeculo XI conceditur pluribus monasteriis, ut in tempore interdicti generalis possint officia clausis ianuis celebrare, *exclusis interdictis et excommunicatis*. CALLIXTUS II, a. 1123, explicitis verbis Cassinensibus concedit ut populum ad divina officia non tantum in ecclesias monasteriorum convocent, sed etiam in cellas (scil. in minores possessiones in quibus pauci tantum habitabant monachi) [b].

3. Ortis primis Ordinibus mendicantibus, Fratres ecclesias habebant, in quibus fideles ad officia divina admittebantur, ut patet ex Constitutione quadam ALEXANDRI IV, *Non est insolitum*, in qua revocat praecedentem Constitutionem Innocentii IV (1243-1254). Refert plura privilegia quae fuerant ab Innocentio ablata Regularibus ; inter alia Innocentius eis « districte iniungebat ut parochianos alienos, diebus dominicis et festivis, non reciperent de caetero in suis ecclesiis seu oratoriis temere ad divina, nec illos ullatenus ad poenitentiam admitterent sine suorum licentia sacerdotum, nec eis in suis praedicarent ecclesiis ante missarum solemnia, pro quibus audiendis prima diei parte iidem parochiani consueverunt et debent in suis ecclesiis convenire ». His aliisque relatis, Pontifex pronuntiat : « Praefatas litteras, et si quae aliae super praedictis.... *praeter formam communem et solitam* processere,... duximus penitus revocandas ».

---

7. (a) Inter alia statuitur : « Missas publicas ab eo (Episcopo loci) in coenobio fieri omnino prohibemus, ne in servorum Dei recessibus et eorum receptacula (?) ulla popularis praebeatur occasio conventus vel mulierum fiat novus introitus : quod omnino non expedit animabus illorum ». Similis prohibitio deinde saepe legitur in privilegiis particularibus quae diversis monasteriis fuerunt concessa (cf. c. XV, n. 18).

(b) « Liceat fratribus per cellas in civitatibus constitutas, ad divina officia celebranda, quandocumque voluerunt, signa pulsare. Populum Dei tam in ipsum coenobium quam in cellas eius ad Dei verbum audiendum ingredi, nullus Episcopus, excepto pro communi totius civitatis vel parochiae interdicto, prohibeat ».

4. Iulius II, Const. *Dudum* (1506), § 39, Minimis concedit: « Quod Fratres ipsi Minimi in eorum ecclesiis constructis et construendis, curialibus, mercatoribus, peregrinis ac transeuntibus, et aliis quibuscumque personis Eucharistiae sacramentum, quoties opus fuerit, ministrare ac ministrari facere » possint.

5. Leo X, Const. *Intelleximus* (1517), « ad tollendam omnem ambiguitatem », declaravit: « Omnes fideles utriusque sexus, qui (non contempto proprio sacerdote parochiali) in ecclesiis Fratrum Ordinum mendicantium, dominicis et festis diebus missas audiunt, satisfacere praecepto Ecclesiae de missa audienda ».

6. Non defuerunt AA. qui putarent hoc privilegium per C. Tridentinum revocatum fuisse. Nam Conc., *sess.* XXII, decreto *de observandis etc.,* ait: « Moneant (Ordinarii) eumdem populum, ut frequenter ad suas parochias, saltem diebus dominicis et maioribus festis accedant »; et *sess.* XXIV, c. 4 *de Reform.:* «Moneat Episcopus populum diligenter teneri unumquemque parochiae suae interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei ». Sed respondetur primo, his verbis non contineri praeceptum strictum; secundo, hic non agi de missa audienda; tertio, Clemens VIII, in Brevi quodam ad Nuntium Apostolicum in Belgio declarat: « Praesenti nostro decreto sancimus licere saecularibus universis Christifidelibus missas diebus dominicis et aliis maioribus festis audire in ecclesiis tam Fratrum Praedicatorum quam aliorum mendicantium, necnon etiam collegii Societatis Iesu, iuxta illorum privilegia et antiquas consuetudines, dummodo id in contemptum parochialium ecclesiarum non faciant » (apud Piat, t. II, p. 236, q. 10). Hanc declarationem esse omnino generalem et per eam nihil novi statui, patet ex motivis adductis, scilicet privilegiis Regularium et antiquis consuetudinibus.

Quomodo haec privilegia cum praecitatis Tridentini verbis concilientur, indicatur sententia aliqua S. Inquisitionis, 30 *ian.* 1659. Agebatur de propositione tenoris sequentis: « Nullus in foro conscientiae parochiae suae interesse tenetur nec ad annuam confessionem, nec ad missas parochiales, nec ad audiendum verbum Dei ». — S. Congr. iudicavit: « Propositio quoad primam et secundam partem, simpliciter accepta est erronea et temeraria: *suppositis vero privilegiis Apostolicis,* nullam meretur censuram; et quoad tertiam partem de auditione verbi Dei, servetur dispositio S. C. Tridentini ». — An autem Fideles praecepto missae audiendae satisfaciant, eam

in *privatis Regularium oratoriis* audiendo, et etiam in oratoriis grangiarum: responsio danda est ex tenore privilegiorum, quibus permittitur Regularibus erectio horum oratoriorum. Ex duobus autem privilegiis Clementis XII et Benedicti XIV, recitatis n. 5, satisfaciunt.

8. Varia officia quae Regulares in suis ecclesiis celebrare possunt.

1. Regulares in suis ecclesiis non solum missam, sed etiam alia divina officia celebrare possunt. Concessit FF. Minoribus Clemens IV, C. *Virtute conspicuos* (1265) § 8, et Societati Paulus III, C. *Licet debitum* (1549): « Liceat Praepositis.... et omnibus sociis, in locis in quibus degunt habere oratoria, et in eis... missas et alia divina officia celebrare, ac ecclesiastica sacramenta recipere et aliis ministrare ». Privilegium hoc innovavit Gregorius XIII, Const. *Decet Romanum Pontificem* (1575) (supra, n. 4).

2. Licet Regularibus benedictionem candelarum, cinerum et palmarum habere in propriis ecclesiis (S. R. C., 8 *apr.* 1702).

3. Notandum est etiam aliud decretum, quoad missam fer. V in Coena Domini. S. Rit. Congr., interrogata « An ea die in ecclesiis Regularium, ubi functiones maioris hebdomadae fieri nequeunt, celebrari possit missa lecta, ut Superior communicare possit suos alumnos pro adimpletione paschalis praecepti? » respondit: « Superior celebret in privato oratorio ad ministrandam religiosis communionem; et si desit oratorium, fiat in ecclesia ianuis clausis » (31 *aug.* 1839). Et eadem S. Rit. Congr., 9 *dec.* 1899, confirmavit hoc decretum, notando quod spectabat « ad solos Regulares proprie dictos, non autem ad seminaria et pias communitates, nisi habeatur Apostolicum indultum » (*Decr. auth.*, n. 4049) [a].

4. « In quacumque ecclesia aut oratorio publico benedictio mulieris post partum fieri potest a quocumque sacerdote, si expetitus fuerit, certiore facto Superiore ecclesiae » (S. Rit. Congr., 21 *nov.* 1893, *Decr. auth.*, n. 3813).

---

8. (a) Sed, excepto hoc casu, non licet in ecclesiis aut oratoriis missam feriae V in Coena Domini legere aut cantare, nisi fiat etiam functio feriae VI in Parasceve et erigatur sepulchrum. Functio Sabbati Sancti omitti potest (ita in eodem decreto 9 *dec.* 1899). Ritus autem a Bened. XIII concessus pro parvis ecclesiis non permittitur nisi in ecclesiis parochialibus (S. Rit. Congr., 16 *mart.* 1876. — *Decr. auth.*, n. 3390).

9. An et quatenus Regulares in suis ecclesiis et oratoriis admittere possint ad celebrandum Regulares alterius Ordinis aut saeculares?

Resp. 1° *In ecclesiis,* affirmative: admittere possunt. Imo Leo x, C. *Dum inter* (1516), § 4, non tantum permittit, sed praecipit ut admittant. « Tam Praelati quam praesbyteri saeculares... missas in ecclesiis eorum (Regularium) devotionis causa celebrare volentes, celebrare possint; ipsique Fratres tales celebrare volentes libenter recipere debeant ».

Sed deinde magis definitae sunt conditiones quibus Regulares alienos sacerdotes ad celebrandum in suis ecclesiis admitterent.

a) Trident., in decreto *de observandis etc.* (*sess.* xxii), inter alia Episcopo commendat, ut « singuli in suis dioecesibus interdicant ne cui vago et ignoto sacerdoti missas celebrare liceat ». Et certo Regulares prohibitioni huiusmodi subiacent, cum propter rei ipsius naturam, tum propter clausulas derogatorias decreti.

b) S. Congr. Episc. et Regul., interrogata « An Superiores regulares conventuum admittere possint in propriis ecclesiis aliquem sacerdotem extraneum absque praevia licentia Superioris ecclesiastici », d. 14 *mart.* 1879 respondit: « Detur decretum S. Inquisitionis ». Illud decretum a. 1649 praescribit: « Ne Superiores regulares admittant ad celebrandum in eorum ecclesiis, eorum vel alterius Religionis caeteros vagos seu peregrinos, nisi examinatis diligenter litteris obedientiae seu assignationis eorum Superiorum et testimonialibus promotionis ad sacerdotium; quo vero ad saeculares, nisi visis litteris testimonialibus, subscriptis a Vicario generali seu foraneo Episcopi loci » (apud Piat, p. 240, q. 16)[a].

Resp. 2° *Quoad oratoria privata Regularium,* quoniam ea haberi nequeunt nisi ex privilegio Apostolico, ex verbis privilegii etiam habendum est quibusnam liceat in eis celebrare. Porro in privilegio Gregorii xiii Societati concesso, dicitur modo generali et sine restrictione: « In oratoriis et capellis in do-

---

9. (a) Hic duo a Regularibus vagis aut peregrinis exiguntur: litterae obedientiae et litterae ordinationis sacerdotalis. Sed si in litteris obedientiae continetur testimonium de promotione ad sacerdotium, hae sufficere videntur. — Piat, p. 239, q. 16, alias responsiones profert: sed ultimo huic responso 1879 standum est; eo magis quod non fuit datum nisi re diu discussa (cf. A. S. S., t. xi, p. 602).

mibus, collegiis et aliis locis ubi aliqui Societatis degunt (auctoritate Provincialis) erectis, missae et alia divina officia, alterius licentia minime requisita, celebrari possint ». — In privilegio autem Carthusianorum circa oratoria in grangiis erecta, et in altero Praedicatoribus a Benedicto xiv concesso, circa oratoria in domibus, possessionibus et membris, explicite dicitur missam inibi per quoslibet sacerdotes etiam extraneos celebrari posse (vide supra, n. 5) [b]. Igitur, sub conditionibus dictis pro ecclesiis, etiam in oratoriis admittere licet ad celebrandum sacerdotes tum regulares, tum saeculares.

10. De asservatione SS. Eucharistiae in ecclesiis et oratoriis Regularium. — Regulares SS. Eucharistiam in suis ecclesiis servare possunt: eae enim sunt ipsis quasi ecclesiae parochiales: ita Schmalzgr., l. iii, tit. 44, n. 18; Piat, p. 241, q. 1. Habetur praxis communis et consuetudo immemorabilis omnium Ordinum regularium nunquam ab Ecclesia reprobata. Insuper hoc ius Regularibus expressis privilegiis conceditur. Societas Iesu obtinuit a Paulo iii, Const. *Licet debitum* (1549), ubipermittitur omnibus fidelibus SS. Eucharistiae sacramentum a Patribus Societatis Iesu accipere, « quod in suis ecclesiis decenter tenere Socios praefatos volumus ».

In interioribus autem oratoriis sive domorum sive grangiarum non possunt SS. Sacramentum ex Iure communi servare: nam ex Iure in solis ecclesiis parochialibus asservari potest [a]. (Piat, p. 241, q. 1). Porro nullum refertur privilegium

---

(b) Vide etiam, c. xvi, n. 6, *nota* b, epistolam circularem a. 1653, 3°: « In ecclesiis autem et capellis dictorum membrorum, in quibus missae publicae celebrantur, adhuc celebrari possunt per sacerdotes saeculares ».

10. (a) Ita Schalmzgr., l. iii, tit. 44, n. 20. Et Bened. xiv, Const. *Quamvis iusto* (30 *april.* 1749), § 28: « Iuxta canonicam disciplinam SS. Eucharistia in ecclesiis, quae parochiales non sunt, retineri non potest absque praesidio Apostolici indulti vel immemorabilis consuetudinis, quae huiusmodi indulti praesumptionem inducit ». — Hoc ius est semper vigens. Nam interrogata S. Rit. Congr.: « Potestne Episcopus iure proprio concedere facultatem asservandi SS. Sacramentum 1° in ecclesiis seu capellis publicis, quae tamen titulo parochiali non gaudent, etsi utilitatibus paroeciae inserviant; 2° in capellis piarum communitatum publicis;... 3° in capellis seu oratoriis interioribus piarum communitatum, quando non habent capellam seu oratorium publicum? » — d. 8 *mart.* 1879 respondit: « Implorandum est indultum a S. Sede ». (*Decr. auth.*, n. 3484). — Inde etiam habetur, quod privilegium Regularium asservandi SS. Eucharistiam in suis ecclesiis non debet extendi ad simplices Congregationes religiosas.

generale Regularibus concessum, nisi pro eorum ecclesiis. Confirmatur haec sententia responso S. Congr. Conc., 3 *sept.* 1707, quae privilegium tale pro quodam oratorio non concessit, nisi cum difficultate et propter specialissimas circumstantias (Ferraris, v. *Eucharistia,* a. I, n. 47). — De privilegio Societatis, dicetur infra, n. 20.

Notandum. S. Poenitentiaria, *declaratione* 18 *april.* 1867, § 4, religiosis dispersis Italiae indulsit « ut in iisdem domibus (privatis), dummodo in eis quatuor saltem degant sacerdotes regulares, erigi possit, servatis de iure servandis, privatum oratorium a ministro Provinciali vel ab alia idonea persona ab eo deputanda visitandum prius et approbandum, ita ut in eo missa a sacerdotibus regularibus celebrari, SS. Eucharistia asservari, et a religiosis atque oblatis dumtaxat s. communio sumi et praecepto de audiendo sacro satisfieri possit ». Hoc privilegium fuit extensum a. 1901 ad Nostros dispersos in Gallia (vide infra, n. 19, *nota*).

11. Ministratio S. Eucharistiae Fidelibus a Regularibus in suis ecclesiis. — Antiquissimo iure Regulares S. Eucharistiam saecularibus in suis ecclesiis ministrare non poterant. Disciplinae tunc vigentis vestigium videre est in *Pontificali Romano* (tit. *Ordo ad synodum*), ubi Episcopus sic congregatos admonet: « Nullus alterius parochianum nisi itinerantem, et tunc de Rectoris sui licentia, ad communionem recipiat ».

Sed privilegium communionem saecularibus ministrandi Mendicantibus concesserunt varii Pontifices: Iulius II Minimis, C. *Dudum* (1506) § 39, Paulus III Barnabitis, C. *Dudum felicis* (1535) § 7, et idem Pontifex Societati, C. *Licet debitum* (1549) (vide infra, n. 19), et alii aliis. Ex his Constitutionibus Regulares communionem saecularibus ministrare possunt omnibus diebus, excepto die Paschatis, et casu communionis in viatico [a].

Inde Pius V, C. *Etsi mendicantium* (1567) recensens aliquas molestias quas Regulares patiebantur, quarto loco hanc ponit: « Quidam etiam in aliquibus partibus nituntur asserere seu

---

11. (a) Quod spectat ad horas quibus S. Communionem fidelibus ministrare fas est: responsum fuit eam distribuendam non esse, nisi quo tempore missa sive ex rubricis sive ex indulto speciali celebrare licet. Ita S. R. C., 7 *sept.* 1816, et rursus 11 *iun.* 1904 (A. S. S., t. XXXVII, p. 109).

facere ne quisquam infra annum possit sacram Eucharistiam in ecclesiis mendicantium recipere ». Contra hanc molestiam pronuntiat: « Ipsi Christifideles sacramentum Eucharistiae, Resurrectionis dominicae festivitate dumtaxat excepta, sumere, eisque illud Fratres huiusmodi administrare valeant, nec ad illud faciendum (?) per locorum Ordinarios aut ecclesiarum rectores seu alios quoscumque (illorum licentia minime requisita) cogi vel compelli possint aut debeant, etiam decernimus ac declaramus ».

De exceptione diei Paschatis cum aliquae falsae interpretationes ortae fuerint, ad eas eliminandas duae declarationes factae sunt: prima, Regulares omnibus aliis diebus, praeter ipsum diem Paschatis [b], posse in suis ecclesiis communionem ministrare, etiam intra tempus paschale; secunda, S. Eucharistiam recipientes intra tempus paschale in ecclesiis Regularium, minime satisfacere praecepto communionis Paschalis. Prima pluribus S. C. C. decisionibus sancita invenitur [c]. Altera fuit declarata a Sixto v, Const. *Circumspecta* (1586) : « Decernimus et declaramus non posse dici satisfecisse Canoni, qui a dominica Palmarum per totam octavam Paschatis extra propriam parochiam sine parochi sui licentia communicavit ». Benedictus xiv, C. *Magno cum animi* (1751), totam quaestionem sic refert (n. 21) : « Praedecessor noster Paulus P. iv FF. Minoribus privilegium concessit ut sacram communionem omnibus Fidelibus in eorum ecclesiis distribuere possint, excepta die Paschatis Resurrectionis, atque hoc privilegium a sanctae memoriae altero praedecessore nostro Pio Papa v, per communicationem, ut dicitur, ad omnes Regulares extensum fuit. Verum... cum exortum dubium fuisset,... resolutum fuit die Paschatis nemini distribui posse, ne illis quidem qui intra sanctam hebdomadam paschali praecepto in propria parochiali ecclesia satisfecissent; posse quidem regulares aliis paschalis temporis diebus fideles in eorum ecclesiis S. Eucharistia reficere, hac tamen conditione, ut communione refecti scirent

---

(b) Romae excipitur etiam dies in Coena Domini.

(c) S. C. C., 31 *ian.* 1682: « An Patres Societatis Iesu aliique Regulares possint ministrare SS. Eucharistiae sacramentum personis saecularibus a dominica Palmarum usque et per totam dominicam in Albis (sic) ? Resp. Affirmative, excepto die Paschatis; ita tamen ut saeculares in aliis diebus sumentes Eucharistiam a Regularibus intra duas hebdomadas Palmarum et Paschatis non satisfaciant praecepto » (apud Piat, p. 244. — Bened. xiv, *de Synodo*, l. ix, c. 16, n. 3).

non ideo se a praecepto illo exemptos esse, ut paschalem in propria parochiali ecclesia communionem recipere deberent » [d].

12. Ministratio S. Eucharistiae Fidelibus in quibuslibet oratoriis. — An autem Regulares non tantum in ecclesiis oratoriisque suis publicis, sed etiam in aliis suis oratoriis, in quibus missam celebrant, saecularibus, quos missae audiendae ex privilegio admittunt, communionem distribuere possint: res usque nunc incerta remanserat [a]. Nonnulli Ordines specialia

---

(d) Videtur quidem S. CONGR. CONC., decreto 9 *iul.* 1644, et INNOCENT. X Const. *Exponi nobis*, 7 *febr.* 1645, qua praecedens decretum confirmavit, aliquid amplius concessisse Regularibus: nam in decreto dicitur tantum Episcopum *posse prohibere* Regularibus ne die Paschatis communionem saecularibus in suis ecclesiis distribuant. En verba Decreti: « S. Congr. Conc. post maturam discussionem censuit, Archiepiscopum Burdigalensem non posse prohibere Regularibus habentibus privilegia apostolica, ut a dominica Palmarum usque ad dominicam in Albis inclusive non valeant ministrare personis saecularibus sacramentum communionis; *posse tamen iisdem prohibere* ut personis saecularibus die Paschatis non administrent dictum Eucharistiae sacramentum, etiamsi dictae personae saeculares satisfecissent praecepto Ecclesiae hac de re edito ». Sed dicendum est hoc decretum et Constit. Innocentii X fuisse correcta subsequentibus declarationibus et Constitutionibus, maxime citata Benedicti XIV Const. *Magno cum animo*. Nunc communi praxi id observatur tamquam iure praescriptum; ita ut Regulares die Paschatis communionem Fidelibus non distribuant, nequidem vagis et peregrinis, quamvis hi, secundum probabilem sententiam, non teneantur communionem paschalem in ecclesia parochiali loci recipere.

Dicit PRÜMMER (q. 223) post Berardi, quod si alicubi vigeat consuetudo, qua Regulares sacram communionem in suis ecclesiis die Paschatis distribuant, talis consuetudo non debeat uti violatio legis damnari. Nam lex illa in favorem parochorum lata est, et non videtur dubium quod parochi, Episcopo non contradicente, de iure suo cedere possint, concedendo Regularibus licentiam distribuendi s. communionem die Paschatis. Consuetudo autem vigere nequit absque tacito saltem parochorum et Episcopi consensu. Haec consuetudo esset omnino conformis praecitato decreto.

12. (a) Ita de hac re loquitur BENEDICTUS XIV in citata Constitutione, n. 23: « Extra paschalem vero communionem, non defuit qui ex verbis *Trident., sess.* XXII, c. 6, deduceret, quod certe et clare inde consequatur, ut in privatis oratoriis, quando in ipsis celebrandi missam facultas est, distribui Eucharistia possit iis qui Missae praesentes adsunt, neque ad hoc praestandum ullo particulari indulto opus sit.... Verum aliam

privilegia habebant. Nunc autem ex recentissima *declaratione* S. Rit. Congr., 8 *maii* 1907, communionem Christifidelibus, in omnibus oratoriis, in quibus missa permittitur, distribuere licet[b].

13. Varia de ministratione S. Eucharistiae.

1. Regularibus prohibetur sub poena excommunicationis Papae reservatae, ne Viaticum et Extremam Unctionem, excepto necessitatis casu, saecularibus administrent. Ita habetur ex Clementina *Religiosi*, 1, *De privilegiis*, et haec excommunicatio renovata fuit in Const. *Apostolicae Sedis* (serie 2, n. 14).

2. *Familiaribus* suis Regulares communionem paschalem in suis ecclesiis, etiam die Paschatis, necnon Viaticum et Extremam Unctionem ministrare possunt. Vide c. XIX, n. 10.

3. An *vagis et peregrinis* Regulares communionem paschalem in suis ecclesiis non parochialibus ministrare valeant? — Non quaeritur an die Paschatis id facere queant (nam est specialis prohibitio ne illo die Regulares saecularibus Eucharistiam in suis ecclesiis distribuant); sed an aliis diebus temporis paschalis liceat? Communiter affirmatur, tum quia hi aut non habent parochiam (vagi), aut in ea non versantur (peregrini), tum quia parochi consensum (si est necesse) dare

---

esse (opinionem) subiunximus, quae Episcopi licentiam requirit, ut qui domesticum oratorium domi habet, dum missae in eodem interest, communicare possit. Huiusmodi opinio tum bono rerum ordini, tum Romanae etiam consuetudini sive praxi cohaerens nobis visa est;... neque etiam in praesens voluntas nobis aut ratio est cur ab hoc systemate recedamus.... Cum animadvertissemus eiusmodi circumstantias dari posse, in quibus.... Episcopi prudentia opportunum factu existimet S. Eucharistiam, etiam illi qui missae interfuerit, minime distribui.... ordinavimus ut in hoc debita proprii Superioris praecepto obedientia praestari deberet ». Ita Bened. XIV.

(b) Declaratio S. R. C. his verbis est concepta: « Sanctissimus Dominus noster Pius P. X, d. 8 *maii* 1907, statuere ac declarare dignatus est, ut in indultis oratorii privati intelligatur inclusa facultas S. Communionem distribuendi his omnibus Christifidelibus qui sacrificio missae adsistunt, salvis iuribus parochialibus. Contrariis non obstantibus quibuscumque » (A. S. S., t. XL, p. 589). — Iura parochialia, de quibus fit mentio, communionem paschalem et in viatico administratam respiciunt, iuxta superius dicta. — Quamvis declaratio id tantum dicat, S. Communionem distribui posse iis qui missae adsistunt, vix dubium esse potest mentem Summi Pontificis esse ut in oratoriis, in quibus asservatur S. Eucharistia, omnibus etiam missae non assistentibus distribui valeat.

censentur. Ita S. Lig., l. vi, n. 240. Lugo, *de Euch.*, d. xviii, s. 2, n. 50, Sanchez, Castro-Palao, et alii. Suarez contrariam sententiam tenet (*de Religione*, tr. x, l. ix, c. 3, n. 8, sq.): docet eos teneri communionem accipere in ecclesia parochiali loci ubi tunc versantur, nisi, addit, parochus licentiam communicandi apud Regulares dare censeatur: quod ex consuetudine in loco vigenti saepe supponi potest (n. 10). Sententia his reducta terminis vera videtur: nam in his rebus multum consuetudini tribuitur. Si igitur in uno loco consuetudo certa esset, vagos et peregrinos communionem paschalem in parochia accipere, huic consuetudini standum esset; secus praecepto satisfacerent in ecclesiis Regularium quibuscumque. — Cf. Piat, p. 245, q. 6, qui alias sententias refert.

4. An *infirmis*, devotionis causa communicare volentibus, Regulares sanctam communionem deferre possunt? — Primo Eucharistia, nisi ex peculiaribus loci circumstantiis aliter sit ab auctoritate competenti provisum, semper publice et honorifice est deferenda: ita in decreto Innocentii xi, *circa communionem quotidianam* (1679) [a]; et tunc omnes facile concedunt esse iuris parochialis S. Eucharistiam ita publice et honorifice deferre (Piat, p. 249, q. 10). Si autem in aliquo loco communio infirmis secreto ferri consuevit, etiam Regulares non videntur posse sic deferre absque licentia Episcopi vel parochi. Ratio est, quia Regulares sacramenta Fidelibus, non proprio iure, sed ex privilegio ministrant (non sunt enim eorum pastores); porro privilegia circa communionem Regularibus concessa solam conferunt facultatem eam saecularibus in suis aut aliis ecclesiis distribuendi (et nunc post declarationem S. R. C., 8 *maii* 1907, in quibuscumque privatis oratoriis et forsan ubicumque celebraverint), non autem eam deferendi ad domos infirmorum [b]. Si tamen aliqui Regulares specialia pri-

---

13. (a) Versus finem decreti: « Eucharistiam nullo modo deferendam esse in crumena aut secreto ad existentes domi vel cubantes in lecto, praeterquam ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca praedicta (ecclesias aut oratoria) accedere non valeant; et ad eos, si ab ecclesia, deferatur publice et cum pompa, iuxta formam Ritualis Romani; si vero ab oratorio privilegiato, cum forma decenti » (Apud Ferraris, v. *Eucharistia*, art. 1, n. 41).

(b) Ideo si religiosus extra conventum aegrotat, eius Superior non videtur posse proprio iure S. Eucharistiam illi deferre, nec publice nec secreto, nisi licentiam ab Episcopo aut parocho obtineat; quamvis tunc ratio in contrarium afferri possit, quod scilicet Praelatus regularis sit proprius pastor religiosi. Attamen cum e conventu egreditur eam non

vilegia habent, iis uti possunt. Privilegium huiusmodi fuit Societati concessum a Leone xiii, Br. *Plura inter* (1826), sed pro missionariis (concessio enim invenitur inter privilegia 2ae seriei, n. 16) (c).

14. Expositio et Benedictio SS. Sacramenti (a). — Praenotandum est duplicem distingui expositionem SS. Sacramenti, privatam et publicam. Privata fit, quin SS. Sacramentum e tabernaculo extrahatur, nec sacra hostia visibilis exponatur; sed reserato tabernaculo, sacra pyxis velo obtecta, in aperto ostiolo collocatur, et ita venerationi Fidelium producitur. Ita ex diversis SS. Congregationum decretis (vide *Decreta authentica S. C. Rit.*, n. 800, d. 31 *maii* 1642), et ex Benedicto xiv, *Institut.* xxx, necnon Const. *Cum ut recte,* § 13. — S. Rit. Congr., d. 30 *nov.* 1895, declaravit post privatam expositionem dari posse benedictionem populo cum sacra pyxide. Publica expositio fit, quando sacra hostia in ostensorio collocata palam Fidelium adorationi proponitur. Priusquam SS. Sacramentum recondatur, semper datur benedictio.

Porro ex multis decretis habetur, in ecclesiis Regularium licitam quidem esse, sicut in ecclesiis parochialibus, privatam SS. Sacramenti expositionem, absque licentia Episcopi; ad publicam autem, licentiam requiri. (Cf. dicta c. xvi, n. 21). Nequit autem Episcopus ponere conditionem ut Regulares parochi consensum obtineant (b) (vide Piat, t. ii, p. 26, q. 3).

Nota. Ex decretis allatis certum est Regulares non posse in

---

iam defert in proprio territorio: et ideo licentia Episcopi loci aut privilegio apostolico indigere videtur. Ita Vermeersch, t. i, n. 508. Prümmer contra (q. 225, 3°) censet licitum esse Superiori aut eius delegato viaticum deferre religioso decumbenti extra conventum.

(c) Privilegium est his verbis conceptum. « Deferendi SS. Eucharistiae sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro eisdem infirmis, in loco tamen decenti, si ab haereticis aut infidelibus sit periculum sacrilegii ». Dubium esse potest an ultima conditio ad utrumque membrum referatur (sc. deferre et retinere), aut ad ultimum tantum. Ad utrumque videtur referendum: nam ratio est eadem, sc. profanationis periculum, propter quod utrumque permittitur; si non adesset periculum, nec permitteretur deferri secreto.

14. (a) Expositio intelligitur non tantum quae tota die aut per plures horas perduret; sed ea etiam quae brevi tempore fit priusquam detur benedictio.

(b) Ita S. Congr. Rit., 21 *nov.* 1711 et 4 *sept.* 1751, apud Gardellini, nn. 3843 et 4222. Sed haec duo decreta non inveniuntur in nova editione *Decr. auth.*

suis ecclesiis *populo* SS. Sacramentum publice exponere. Sed quaeri posset an iisdem decretis prohibeatur Regularibus in suis oratoriis privatis et unice pro se ipsis SS. Sacramentum in ostensorio palam exponere: non apparet enim cur tunc requireretur licentia Episcopi. — Pro solutione, notandum est ad solemnem SS. Sacramenti expositionem et benedictionem (sc. quae fit cum ostensorio et sacra hostia in eo palam producta) requiri causam publicam: hanc requirunt Bened. xiv et S. Congr. Rituum in praecitatis aliisque decretis. Causa publica est, v. g., dies festus, dominica, et talis haberi potest quaecumque causa propter quam Episcopus solemnem benedictionem permittit in aliis ecclesiis; privata causa habetur si fit (ut in Italia solet, et indicat Benedictus xiv, *Institut.* xxx, n. 16) v. g., ad petendam sanitatem alicuius privatae personae, aut pro aliqua eius necessitate aut desiderio.

Hoc posito, certum est Regularibus non licere SS. Sacramentum exponere et dare solemnem benedictionem ex causa privata. An autem licentia Episcopi indigeant ad hanc solemnem expositionem et benedictionem, si eam habeant ex causa publica in privatis oratoriis, aut in ecclesiis populo excluso et pro se solis, non liquet. Certe verba Benedicti xiv et decretorum non favent; nihilominus ea ad solam expositionem coram populo in ecclesia spectare videntur. Bouix et Cavalieri censent id Regularibus esse licitum; eamdem sententiam tenent Lehmkuhl (t. ii, n. 133), Bucceroni (*Theol. mor., de Privileg.*, t. i, n. 273), Ball.-Palm. (t. iv, p. 166), Vermeersch, t. i, n. 510, Ferrari, p. 224. Wernz (t. iii, n. 553, *nota* 235) ait hanc sententiam sua probabilitate non carere. Contrariam tenet Prümmer, q. 186.

15. De ecclesiis et oratoriis Congregationum et Institutorum votorum simplicium. — Congregationes et Instituta votorum simplicium, nisi specialia privilegia habeant, privilegiis Regularium non gaudent, et ideo iure communi reguntur. Proinde ex Tridentino, decreto *de observandis, etc.*, ecclesias ex licentia Episcopi habere possunt. Sed ius vigens multo magis explicite fuit declaratum Constitutione Leonis xiii *Conditae* (1900), decreto generali S. Congr. Rituum *super oratoriis semipublicis*, 23 *ian.* 1899, et decreto d. 8 *mart.* 1879 eiusdem Congregationis [a]. — Ex his documentis habentur normae sequentes.

---

15. (a) 1° In Const. *Conditae*, P. 2ª, quae est de Institutis a S. Sede ap-

1. Alumni Congregationum et Institutorum votorum simplicium ad erigendam ecclesiam aut oratorium quodcumque indigent licentia Episcopi.

2. Episcopus permittere potest ut in quocumque oratorio missae etiam plures quotidie celebrentur.

3. In quocumque oratorio in commodum communitatis erecto omnes, qui missae intersunt, praecepto audiendi missam satisfaciunt et S. Communionem recipere possunt.

4. In his oratoriis (quae semipublica dicuntur), SS. Sacramentum asservari nequit, nisi ex indulto apostolico.

5. Ad erigendum secundum oratorium, praeter principale communitatis, exigitur facultas S. Sedis (b).

---

probatis, art. 3° habetur : « Episcoporum sunt iura, in dioecesi cuiusque sua, permittere vel prohibere novas domos sodalitatum condi, item nova ab illis templa excitari, oratoria seu publica seu semipublica aperiri, sacrum fieri in domesticis sacellis, sacramentum augustum proponi palam venerationi fidelium ». Nullo modo dicitur eorum esse iura, permittere SS. Sacramentum asservari in his templis aut oratoriis; nec censendum est illud ius implicite contineri in iure permittendi expositionem SS. Sacramenti : nam ius istud sic intelligi potest et debet quod, postquam religiosi harum Congregationum indultum asservandi Smum obtinuerint, tunc Episcopi est permittere expositionem.

2° Decretum *de Oratoriis semipublicis*. Vide quae de eo dicta sunt n. 6, *nota* a. In fine decreti dicitur : S. Sanctitas « confirmare dignata est decretum 8 *mart.* 1879 ». Additur deinde clausula. « Contrariis non obstantibus quibuscumque »…. (A. S. S., t. XXXI, p. 412).

3° In *decreto* 8 *mart.* 1879 sic confirmato respondetur nonnullis quaesitis. Declaratur primo, in omnibus capellis seu oratoriis piarum communitatum, iuris esse ordinarii Episcopi permittere plures missas qualibet die celebrari; secundo, ad erectionem aliarum capellarum praeter principalem, necessariam esse facultatem S. Sedis ; tertio, necessarium etiam esse indultum S. Sedis ad asservandum SS. Sacramentum in his capellis. En duo ultima quaesita cum responsis : « 2° Potestne Episcopus alia oratoria praeter capellam seu principale oratorium erigere in piis communitatibus, sive ob numerum sacerdotum ibi degentium, ut ab omnibus missa dici possit, sive in gratiam infirmorum qui nequeunt adire capellam seu oratorium principale? — Resp. Si necessaria sit erectio alterius oratorii…, pro eius erectione facultas erit a S. Sede obtinenda. 3° Potestne Episcopus iure proprio concedere facultatem asservandi SS. Sacramentum…. in capellis piarum communitatum publicis, (aut etiam) in capellis seu oratoriis interioribus piarum communitatum, quando non habent capellam seu oratorium publicum? Resp. Implorandum est indultum a S. Sede » (A. S. S., t. XXI, p. 507).

(b) Revera ex Const. *Conditae*, aliud dicendum videretur : in ea enim affirmatur Episcopi iura esse, permittere in domibus Sodalitatum « templa

6. Quoad SS. Sacramenti expositionem (idem de praedicatione dicendum), eis id tantum licet quod Episcopus permiserit.

SECTIO II.

16. Privilegia Societatis circa praedicationem.

1. Societas amplissimum accepit privilegium pro omnibus suis alumnis ubique, etiam in plateis, praedicandi. Ita Paulus III, Const. *Cum inter* (1545)[a]. Hoc privilegium fuit confirmatum a Gregorio XIII, Const. *Vigore privilegii* (1584), sed cum conditione quod soli clerici prima tonsura initiati praedicare valeant[b].

Quamvis in his privilegiis nulla fiat mentio licentiae ab Episcopo petendae, attamen nullum dubium esse potest, Societatem quoad licentiam ab Episcopo obtinendam aut benedictionem petendam, item quoad examen circa doctrinam su-

---

excitari, oratoria publica vel semipublica aperiri, sacrum fieri in sacellis domesticis ». At cum erectio secundi oratorii reservetur S. Sedi in decreto a. 1879, quod fuit a S. Pontifice confirmatum in decreto 23 *ian.* 1899, videtur huic explicitae declarationi morem esse gerendum. Verum quidem est Constitutionem *Conditae*, utpote d. 8 *dec.* 1900, esse dicto decreto posteriorem. Sed parum probabile est tam brevi temporis intervallo novum ius institui, quin revocatio prioris vel minimo verbo indicetur. Solutio esse videtur: quoties unicum est oratorium, etiamsi privatum et domesticum habeatur, Episcopi esse permittere in eo celebrationem missae; non autem permittere erectionem secundi oratorii.

16. (a) « Cuilibet vestrum, qui ad hoc idoneus repertus et per vestrae Societatis Praepositum pro tempore existentem deputatus fuerit, in quibusvis ecclesiis et locis ac plateis communibus vel publicis, aut alias ubique locorum, clero et populo verbum Dei praedicandi, proponendi et interpretandi, ac eos viam veritatis edocendi, et ad bene beateque vivendum.... admonendi,... plenam et liberam facultatem auctoritate Apostolica per praesentes ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum concedimus ».

(b) « Declaramus et decernimus vestrum unumquemque, etiam ad sacros ordines non promotum, praedicationis munus, in vim privilegii huiusmodi (sc. a Paulo III concessi), exercere potuisse et posse; vobis insuper concedentes, ut etiam clerici vestri prima tantum tonsura insigniti, prout hucusque fecerunt, valeant deinceps ipsum Dei verbum ubique populo praedicare; districtius inhibentes universis et singulis locorum Ordinariis et quibusvis aliis..., ne quemquam vestrum, quovis praetextu praemissorum occasione, impedire vel molestare audeant quoquo modo. Non obstantibus.... caeterisque contrariis quibuscumque ».

beundum, si Episcopus illud exigit, subiacere statutis posterioribus Gregorii xv et Clementis x (supra, n. 1): nam horum Pontificum Constitutiones amplissimas habent clausulas privilegiorum omnium Religionum derogativas; et in Constit. *Superna*, etiam expresse nominatur Societas Iesu.

Pius vii, Const. *Sollicitudo* (1814), et Leo xii, Br. *Plura inter* (1826), hoc privilegium renovant; sed consensum et approbationem Ordinarii expresse requirunt: quod nihilominus intelligi debet, secundum leges a Gregorio xv et Clemente x statutas (Comp. Priv., n. 448).

2. Approbatio praedicatorum ad Provincialem spectat, qui eos praemisso examine domestico constituit (*Regul. Prov.*, n. 26).

17. Privilegia circa erectionem ecclesiarum. — Societas privilegium habet ecclesias ubique accipiendi aut erigendi. Concessit Paulus iii, C. *Licet debitum* (1549) [a] et confirmavit Gregorius xiii, Const. *Salvatoris Domini* (1576) [b].

Verum, post Constit. *Romanos Pontifices,* 1881 (ut dictum est c. xiii, n. 8), haec privilegia ita debent intelligi, ut in locis, ubi Societas licentiam a S. Sede et Ordinario loci obtinuerit habendi sedem, ibi possit ecclesias erigere; non autem ita, ut possit easdem erigere in aliis locis ubi sedem non habet, nisi cum facultate Episcopi et sine beneficio exemptionis.

18. Privilegia Societatis circa oratoria. Cf. Comp. Priv., n. 436 et sqq.

1. Societas a Paulo iii, Const. *Licet debitum* (1549), facultatem accepit oratoria habendi ubicumque aliqui ex NN. de-

---

17. (a) « Si contingat Socios ipsos ut, adiuvante aliquo principe,... aliquam domum, *ecclesiam,* aut collegium Societatis aedificent et construant, seu id per alicuius similis personae testamentum mandari vel quovis modo eis offerri: domum, *ecclesias* seu collegia huiusmodi.... construi et aedificari posse; ipsasque domos, *ecclesias,* collegia, cellas, *oratoria,* ubilibet per dictos Socios pro tempore constructa vel eis donata, eo ipso quod aedificata vel donata fuerint, Apostolica auctoritate erecta, approbata et confirmata.... decernimus ».

(b) Postquam praecedentia privilegia confirmavit, subiungit: « Eisdem praesbyteris et Societati, ut quaecumque domos, collegia, *ecclesias,* et alia aedificia erigere, ac per eos ubivis locorum erecta inhabitare, ac quaecumque loca, domos, *ecclesias, oratoria* et alia cuiuscumque structurae aedificia, sibi quomodolibet relicta vel oblata, recipere, acceptare, emere, possidere et retinere.... libere et licite possint ac valeant ».

gunt aut pro tempore morantur, ibique in altari portatili missas et alia officia celebrandi [a].

Primum privilegium probabilius non fuit a Tridentino revocatum, ut dictum est supra, n. 4; saltem post Concilium a Gregorio XIII certo renovatum fuit, Const. *Decet Romanum Pontificem* (1575), cum clausula « alterius licentia minime requisita » (supra, n. 4). Illud agnoscit Benedictus XIV, Const. *Quemadmodum* (infra citanda), ubi Eucharistiam servare permittit in oratoriis et cappellis domesticis, « in quibus, de more et iuxta Societatis privilegia et indulta alias concessa, sacrosanctum missae sacrificium celebratur ». Praeterea istud privilegium habemus etiam per communicationem. Nam illud Ordini Praedicatorum concessit Bened. XIV, Br. *Exponi nobis,* 1755 [b] (Comp.Privil., n. 437) et Congregationi Doctrinae Christianae Benedictus XIII, Br. *Illius vices,* 1725 [c] (Comp. Privil., n. 236).

2. Haec oratoria erigi possunt etiam in locis qui non sint Societatis, si Nostri in eis degunt vel pro tempore morantur (ita ex privilegio Gregorii XIII), v. g., in seminariis curae Societatis commissis, et etiam in locis ubi Nostri feriantur tempore vacationum autumnalium.

3. Erigi possunt etiam in grangiis et locis ruralibus. Iam de hoc dictum est n. 5. Sed notandum est, in Brevi *Exponi*

---

18. (a) « Licet Praepositis et de eorum facultate universis Fratribus et sociis Societatis, in locis in quibus degunt et eos pro tempore morari contigerit, habere oratoria, et in eis ac quocumque alio honesto ac congruenti loco, in altari portatili.... missas et alia divina officia celebrare, ac ecclesiastica sacramenta recipere et aliis ministrare ».

(b) Concedit ut « in domibus, possessionibus et membris liceat, sine quacumque Ordinariorum visitatione et subiectione, tum cappellas publicas tum oratoria privata erigere, in quibus quilibet sacerdotes etiam extranei possint celebrare, atque Christifideles praecepto audiendi missam satisfacere.

(c) « In eorumdem Clericorum saecularium domibus et collegiis unum vel plura oratoria privata seu interiores cappellas, tam ad eorum quam domesticorum, convictorum, scholarium, aliarumve personarum, etiam ad congregationes et conferentias spirituales convenientium, usum, erigendi inibique SS. Missae sacrificium etiam in festis solemnibus celebrandi, ac Poenitentiae et Eucharistiae sacramenta eisdem Clericis, domesticis, convictoribus, scholaribus, aliisque personis praefatis administrandi, excepto tamen quoad scholares et ad congregationes et conferentias huiusmodi convenientes, communione paschali ».

nobis CLEMENTIS XII (1737) dato Carthusianis, privilegium Societatis modo speciali agnosci (d).

4. Privilegium non restringitur ad unicum oratorium per singulas domos; sed plura erigere fas est. Nam restrictio ad unicum oratorium non invenitur in duobus praecitatis privilegiis, imo potius contrarium habetur; praeterea explicite in

---

(d) In hoc Brevi CLEMENS XII, § 1, refert privilegium Carthusianis ab Urbano V collatum a. 1363, scilicet « retinendi in suis domibus et grangiis altaria portatilia, atque inibi missam celebrandi », necnon beneficium exemptionis eisdem a Bonifacio IX concessum; § 2 ait: « Harum concessionum exemplo GREGORIUS XIII, Constit. *Decet R. P.*, Regularibus clericis Societatis Iesu hoc tribuit, ut in oratoriis et cappellis, quae ipsius Societatis Provinciales per se in domibus, collegiis et aliis locis, alterius licentia minime requisita, erexerint.... etc.; § 3 refert decretum, post C. Trid., eisdem Carthusianis a S. C. C. d. 24 *sept.* 1622 datum, et a Gregorio XV approbatum, quo antiquum privilegium renovabatur, sed cum clausula pro erectione, « posteaquam locorum Ordinarii eiusmodi cappellas semel visitaverint »; § 4 meminit Ordinem Carthusianorum privilegiorum communicatione a Gregorio XV donatum fuisse: « vigore cuius communicationis et extensionis privilegiorum, Ordo Carthusiensis semper potitus et fruitus est, ut eodem privilegio *quo potiuntur ac fruuntur tam praefati clerici regulares Societatis Iesu, quam caeteri Regulares, nimirum erigendi in suis grangiis oratoria sine Ordinariorum locorum licentia ac visitatione,* sed sola dumtaxat approbatione a suis Visitatoribus, qui in dicto Ordine Provincialium vices gerunt, facta »; § 5, refert petitionem Procuratoris generalis Carthusiensium, qui « considerans esse valde aequum ut, quemadmodum clerici regulares Societatis Iesu aliaeque Religiones privilegium erigendi oratoria, ad exemplum privilegiorum Ordini Carthusiensi concessorum obtinuerunt, et *reipsa retinent in suis grangiis oratoria et cappellas minime subiectas visitationi Ordinariorum locorum,* ita Ordinem Carthusiensem iisdem privilegiis potiri et frui posse summopere desideret », humiliter postulavit ut S. P. provideret. Propterea Pontifex, § 6, non tantum renovat et de novo indulget privilegium per decretum S. C. C. a. 1622 concessum, « sed etiam, illud ampliando et extendendo, indulget quod ad huiusmodi effectum satis sit et sufficiat quod dicta oratoria et cappellae visitata fuerint et approbata a Patribus Visitatoribus eiusdem Ordinis » (Cf. COMP. PRIV., n. 437).

Decretum autem S. C. Conc., 24 *sept.* 1622, est tenoris sequentis: « Ut deinceps in cappellis seu oratoriis existentibus in domibus ac membris seu grangiis monasteriorum Carthusianorum, postea tamen quam locorum Ordinarii eiusmodi cappellas semel visitaverint,... sacrosanctum missae sacrificium tam per Regulares sive eiusdem sive alterius Religionis, quam per saeculares praesbyteros tuto celebrari valeat, missamque inibi audientes diebus festivis praecepto Ecclesiae hac de re edito satisfacere intelligantur, absque tamen ullo iurium parochialium ecclesiarum praeiudicio ».

privilegio Benedicti XIII ad Congregationem Doctrinae dicitur « unum vel plura oratoria ».

5. In his oratoriis sive missa, sive alia divina officia celebrare licet: ita ex duplici privilegio PAULI III et GREGORII XIII.

6. In his cuilibet sacerdoti, etiam extraneo, fit facultas missam celebrandi, ut declarant privilegia tum BENEDICTI XIV tum CLEMENTIS XII.

7. Omnes qui in his oratoriis missam audiunt, praecepto Ecclesiae de missa audienda satisfaciunt: ita ex duobus iisdem privilegiis (vide etiam n. 7).

8. In eis tandem, sacramenta Eucharistiae et Poenitentiae administrari possunt quibusvis personis: habetur ex privilegio Pauli III (vide n. 8) et BENEDICTI XIII.

19. Privilegium asservandi SS. Eucharistiam (COMP. PRIV., n. 195). — 1° Societas habet privilegium asservandi SS. Eucharistiam in suis ecclesiis. Concessit PAULUS III, Const. *Licet debitum* (1549), ut dictum est n. 10.

2° Eodem privilegio gaudet pro omnibus domorum oratoriis, ubi habetur facultas celebrandi. Concessit BENEDICTUS XIV, Const. *Quemadmodum* (1749) [a]. — In *Compend. Privil.*, nn. 195-196, facultas permittendi ut SS. Sacramentum in aliquo oratorio asservetur, committitur Provinciali. — Ex verbis privilegii videtur Sanctissimum posse asservari simul in pluribus oratoriis eiusdem domus: dicitur enim, Sanctissimum asservari posse « in omnibus oratoriis in quibus SS. Missae sacrificium celebratur, aliaque pietatis et regularis Instituti sui officia peraguntur ». At fatendum est privilegium sic intellectum videri exorbitans, et forsan restringendum est ex ultimis verbis concessionis, quae accipienda essent tamquam restrictiva praecedentium. Sic SS. Sacramentum posset asservari, praeter ecclesiam, in solo oratorio domestico in quod Nostri conveniunt ad pietatis et regularis nostri Instituti officia peragenda; et tunc solum SS. Sacramentum in pluribus oratoriis domesticis eiusdem domus asservari posset, quando in eadem domo plures essent communitates diversae, quae singulae suum orato-

---

19. (a) « Ut in cappellis sive sacellis, sive oratoriis domesticis uniuscuiusque domus, collegii, tirocinii seminariique, in quibus de more et iuxta dictae Societatis privilegia SS. Missae sacrificium celebratur aliaque pietatis et regularis instituti sui officia peraguntur, SS. Eucharistiae sacramentum asservandi facultatem perpetuo valituram tenore praesentium Apostolica auctoritate concedimus ».

rium domesticum haberent, in quod ad pietatis officia convenirent.

3° Num SS. Sacramentum asservari potest in oratoriis grangiarum et possessionum ruralium? — Eae non nominantur in privilegio Benedicti XIV, sed solum domus, collegia, tirocinia, seminaria, scilicet domus in quibus viget regularis observantia, seu domus proprie religiosae, legitime cum beneplacito Apostolico erectae. Insuper in privilegiis, quibus permittitur celebratio missae in domibus ruralibus, nulla fit mentio facultatis asservandi inibi SS. Sacramentum. Attamen quamdiu communitas degit in domo rurali, v. g., ad ferias autumnales, et in ea disciplina regularis observatur, tunc non improbabiliter ibi asservari potest SS. Sacramentum, iuxta hoc principium quod Regularibus eorum ecclesia seu oratorium est quasi ecclesia parochialis (b).

Nota. Privilegium a S. Poenitentiaria religiosis Italiae dispersis sub quibusdam conditionibus concessum (*Declaratio* d. 18 *apr.* 1867, art. 4) asservandi SS. Sacramentum in domibus in quibus habitant (vide supra, n. 10), ad Nostros in Gallia dispersos fuit extensum. Imo cum in singulis coetibus paucis simul vivere liceat, in audientia SSmi, d. 30 *sept.* 1901, facultas concessa est ut SS. Sacramentum etiam asservaretur in iis domibus ubi resident Superiores plurium coetuum, etiamsi in istis non degant habitualiter quatuor e Nostris.

20. Privilegia circa administrationem Eucharistiae (Comp. Priv., n. 197 et sqq.). — Societas privilegium habet ministrandi S. Eucharistiam omnibus Christifidelibus, excepto die Paschatis Resurrectionis D. N. I. C., et nisi necessitas urgeat, mortis articulo. Largitus est Paulus III, C. *Licet debitum* (1549). Facultas ibi concessa videtur interpretari posse de facultate distribuendi Eucharistiam in quocumque oratorio. De caetero, post factam declarationem diei 8 *maii* 1907 (de qua supra, n. 12)

(b) Nihilominus attendendum est ad responsum S. C. C. anni 1707 (supra, n. 10, memoratum); scilicet Patres Oratorii recursum faciebant ad S. Congr. ut indultum obtinerent, quo ipsis liceret SS. Sacramentum asservare in oratorio alicuius grangiae seu domus extra civitatem existentis, in qua aliqui Patres vel propter infirmitatem vel recreationis causa morari solebant. Indultum aegerrime obtinuerunt, ad septennium tantum, et in favorem infirmorum (Vide Ferraris, v. *Eucharistia*, art I, n. 47).

iam nulla superest difficultas pro distributione communionis in quolibet oratorio.

Solum remanet quaestio, an si extra quodcumque oratorium Nostri ex privilegio missam in altari portatili celebrent, possint ibi S. Communionem distribuere. Videtur respondendum affirmative. Nam Leo XII, Brevi *Plura inter* (1826), facultatem concedit distribuendi communionem « peracto sacrificio, seu ante illius celebrationem, aut alias », quin ullam restrictionem quoad locum apponat. Insuper in privilegio Gregorii XIII, Br. *Usum altaris* (1579), per quod usus altaris portatilis tempore missionum permittitur, explicite conceditur celebrantibus facultas distribuendi S. Communionem: « Itidemque possint ibi praesbyteriipsi SS. Eucharistiae sacramentum ministrare fidelibus ad illud sumendum debite praeparatis ».

Leo XII, Br. *Plura inter,* vicennalem facultatem concessit « deferendi SS. Eucharistiae sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro iisdem infirmis, in loco tamen decenti, *si ab haereticis aut infidelibus sit periculum sacrilegii* ». Verum haec facultas a P. Generali non communicatur nisi in iis dumtaxat locis, ubi similis a S. Congr. de Prop. Fide tribui solet: ita Comp. Privil., n. 204 (vide supra, n. 13, 4°).

21. Gratiae nostris ecclesiis concessae.

1. *Altare privilegiatum* (Comp. Privil., n. 35). In omnibus ecclesiis domorum nostrarum habere possumus altare privilegiatum per Superiorem designandum. Indulsit Benedictus XIV, Const. *Quemadmodum praesbyteri* (1749). Ex verbis concessionis: *a)* Erigi potest in ecclesia « uniuscuiusque domus, collegii, tirocinii seminariique » (unde forsan erigi non posset in ecclesia separata, scilicet non coniuncta cum aliqua domo regulari Societatis). *b)* Ponitur ut conditio, quod in ecclesia « nullum aliud altare privilegiatum adsit ». *c)* Rectoris domus est altare designare, et « aliud alteri, quoties ita opportunum iudicaverit, subrogare ». *d)* Altare est privilegiatum pro quovis sacerdote saeculari aut regulari cuiusvis Ordinis aut Congregationis. *e)* In Comp. Privil., n. 36, commendatur Superioribus ut utantur hoc privilegio, designando in ecclesia altare cui illud privilegium adnectatur, et hoc aliquo signo sensibili manifestetur, inscripto in ipso altari aut in tabella ipsi appensa: « Altare privilegiatum ».

In concessione Benedicti XIV de solis *ecclesiis* mentio fit,

non de sacellis domesticis. Sed, die 15 *aprilis* 1907, facultas pro « ecclesiis et sacellis publicis » concessa, extensa fuit « ad domesticas privatas cappellas,... dummodo nullum aliud exstet inibi altare privilegiatum ». Vox *inibi* debet intelligi *in domo*. Nam haec ratio in petitione afferebatur, quod plures sunt domus quae ecclesia aut sacello publico careant: ideo conceditur ut *inibi*, sc. in istis domibus, unum altare privilegiatum erigatur in sacello domestico privato.

2. *Indulgentiae* non paucae, tam plenariae quam partiales, fuerunt ecclesiis nostris concessae, sive a Nostris sive ab extraneis lucrandae: quae recensentur in Summario Indulgentiarum, parte 2ª (*Instit.*, vol. I, pag. 444).

Hae indulgentiae lucrari possunt etiam in ecclesiis quae non sint propriae Societatis, sed tantum eius curae creditae, « dummodo penes illas Patres Societatis Iesu resideant, ministeria propria inibi obeant, concessio usus sit legitima, usus constans et plenus, ac ecclesiae sint publicae ». Ita Pius IX *per S. Congr. Indulg.*, d. 18 *aug.* 1868 (Bull. Soc., p. 421).

Leo XIII, per rescriptum S. Congr. Indulg., 20 *sept.* 1884, has Indulgentias ad oratoria seu sacella domestica extendit. Concessit ut « omnes Societatis religiosi, residentes in domibus quae adnexam non habent ecclesiam, indulgentias ecclesiis vel domibus Societatis concessas lucrari valeant in domesticis domorum oratoriis seu sacellis, in quibus asservatur SS. Eucharistiae sacramentum (Summ. Indulg., l. c., pag. 444, n. 3). — Idem Pontifex Leo XIII, per aliud rescriptum eiusdem Congregat., 17 *dec.* 1902, concessit ut eae indulgentiae in dictis oratoriis et sacellis a Nostris lucrari possint, etiamsi domus nostrae coniunctam habeant ecclesiam.

22. Privilegia Societatis circa usum altaris portatilis[a] (Comp. Priv., n. 29 et sqq.).

1° Ante Tridentinum Regulares privilegio altaris portatilis gaudebant. Fuit concessum Minoribus a Clemente IV, Const. *Virtute conspicuos* (1265), et deinde renovatum a Sixto IV, in Mari magno Praedicatorum et Minorum, sc. in Const. *Regimini militantis* (1474), § 4, his verbis: « Concedimus iisdem Fratribus, ut non solum in oratoriis et locis in quibus degunt,

22. (a) Circa privilegium altaris portatilis, vide Piat, t. II, p. 225, q. 1, resp. 1°, et qq. 2, 3, 4.

sed etiam in quovis alio loco congruenti et honesto, possint super altari portatili missam et alia divina officia libere et licite celebrare ». Imo hoc privilegium invenitur vindicatum FF. Minoribus et Praedicatoribus in cap. *In his*, 30. *De privilegiis*, v. 38. Idem privilegium fuit concessum Societati a PAULO III. C. *Licet debitum* 1549 : « Liceat in eis (oratoriis) ac quocumque alio honesto ac congruenti loco, in altari portatili, cum debitis reverentia et honore... missas et alia divina officia celebrare, ac ecclesiastica sacramenta recipere et aliis ministrare ».

2° Sed privilegium illud fuit revocatum a decreto TRIDENTINI *de observandis et vitandis in celebratione missae:* « Neve Ordinarii patiantur privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc sacrificium a Saecularibus aut Regularibus quibuscumque peragi ». In fine autem decreti commendatur Episcopis ut omnia quae in eo continentur observari curent, « non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus ac consuetudinibus quibuscumque ». Cf. PIAT. t. II, p. 226, q. 2. Quamvis revocatio privilegii a Concilio satis clara esset, cum aliqui contradicerent, CLEMENS XI. decreto *Nonnulli* 1703, revocatum fuisse privilegium declaravit, et hanc sententiam confirmavit BENEDICTUS XIV. Const. *Magno cum animi* 1751, § 29(b).

(b) En verba Decreti CLEMENTIS : « Quo vero ad altare portatile, iterum inhaerendo declarationibus supradictis, (SSmus) censuit licentias seu privilegia concessa nonnullis Regularibus in cap. *In his, de Privilegiis*, ac per aliquos summos Pontifices aliis Regularibus communicata, utendi dicto altari portatili in eoque celebrandi absque Ordinariorum licentia in locis in quibus degunt, omnino revocata esse per idem C. Tridentinum, atque idcirco eosdem Regulares prohibendos ne illis utantur, ac mandandum, prout praesentis tenore mandat Episcopis aliisque Ordinariis locorum, ut contra quoscumque contravenientes, quamvis Regulares, procedant etiam tamquam Sedis Apostolicae Delegati ad poenas praescriptas per idem sacrum Concilium, usque ad censuras latae sententiae » (Decretum invenitur ad calcem Constitutionis *Benedicti* XIV). — BENED. XIV autem, dicta Const., n. 29, relatis verbis Tridentini, subiungit : « Hinc necessario consequitur S. Conc. Trident. tam praecedentibus altaris viatici privilegiis derogasse quam facultati missam in privatorum domibus sine Episcopi licentia celebrandi :... nullum vero amplius esse privilegium vel exemptionem quae obstet quaeque impediat quominus abusus tollantur ». Deinde, §§ sequentibus, refutat sententiam contrariam, et § 33 confirmat decretum *Clementis* XI.

3° Sed idem privilegium rursus post Tridentinum fuit nonnullis Ordinibus indultum. Illud Societati reddidit Gregorius XIII, Const. *Usum altaris* (1579): « Usum altaris viatici, Societati vestrae a f. r. Paulo P. III concessum, deinde a Conc. Tridentino universe sublatum, vobis eatenus restituimus, ut *inter missiones*, quae a Superioribus fiunt, praesbyteri vestri, servata alias forma dictae concessionis, missae sacrificium licite valeant celebrare super huiusmodi altari ubique gentium, etiam in castris militum, modo loca, etsi communia et profana, tuta et honesta sint, et Generalis aut per eum Provinciales Praepositi eo tum utendum fore iudicaverint; itidemque possint ibi praesbyteri ipsi SS. Eucharistiae sacramentum ministrare Fidelibus ad illud sumendum debite praeparatis ». Porro sive Clemens XI, sive Benedictus XIV nihil addiderunt revocationi C. Tridentini, et ideo privilegia post ipsum concessa non fuerunt ab eis revocata. Imo Bened. XIV, §§ 31 et 32, agnoscit valorem privilegiorum post Concilium largitorum. Ibi enim refert privilegium ab eodem Gregorio XIII FF. Praedicatoribus a. 1580 donatum: illius valorem non negat, nec ipsum revocat, sed tantum quibus limitibus coarctetur notat. Piat etiam (p. 229, q. 4) de privilegio Gregorii ait: « Communiter affirmatur illud adhuc vigere: nullibi enim reperitur illius revocatio ».

Notandum est tamen privilegium concedi nonnisi inter missiones. Quod autem additur: « servata alias forma dictae concessionis », nullum gravamen affert: nam in privilegio Pauli III, Const. *Licet debitum* (1549), tantum dicebatur S. Sacrificium « in honesto ac congruenti loco, cum debitis reverentia et honore » esse celebrandum. Minime requiritur approbatio Ordinarii loci; sed requiritur licentia Generalis aut Provincialis.

4° Simile privilegium Clemens XIV (1773) largitus est Congregationi SS. Redemptoris, nimirum ut eorum missionarii, tempore missionis, in domibus privatis, ubi habitant, altare ad celebrandum erigere possint, unum nempe altare pro qualibet domo: certiorato de privilegio Ordinario loci (Comp. Privil., n. 27). Huic privilegio Societas per communicationem participat.

Gregor. XIII, a. 1580, concessit FF. Praedicatoribus pro regno Poloniae ut, in locis « in quibus vel ecclesiae desunt, vel tanta est haereticorum potentia et impietas ut impune opprimant », in domibus privatorum celebrare possint, in locis tamen ad hoc congruentibus et honestis (Benedictus XIV refert indultum concessionis, Const. *Magno cum animi*, § 32).

Simile privilegium fuit communicatum deinde Ordini SS. Trinitatis pro omnibus locis infidelium. Societas haec privilegia per communicationem participat (vide Comp. Privil., n. 29).

5° Leo xii concessit Praeposito Generali Societatis, Br. *Plura inter* (1826), ut licentiam dare possit « celebrandi in altari portatili, sine ministro, sub diu et sub terra, in loco tamen decenti, etiam si altare sit fractum vel sine reliquiis Sanctorum, et praesentibus haereticis, schismaticis, infidelibus et excommunicatis, dummodo minister non sit haereticus aut excommunicatus, et aliter celebrari non possit ». De usu horum privilegiorum vide Comp. Priv., nn. 28, 30, 32.

6° *In favorem infirmorum,* privilegium altaris portatilis fuit Canonicis regularibus SS. Salvatoris a Pio iv concessum, C. *Exponi,* 18 *maii* 1565, verum deinde ex parte revocatum. Sed simile privilegium invenitur indultum Piis Operariis a Benedicto xiii, 9 *dec.* 1729, iis tamen conditionibus: 1°, ut non ipsi infirmi, sed alii sacerdotes in eorum cubiculis celebrent; 2° ut hoc non fiat nisi propter morbum diuturniorem (Comp. Priv., n. 33). — Praep. Generalis huius privilegii usum Nostris concedendum sibi reservavit (ibid., n. 34).

7° *In favorem navigantium,* Societati facultas ad decennium, d. 28 *iun.* 1898, concessa est « qua, durante navigatione, sacrosanctum missae sacrificium intra navim celebrare valeant, omissa in actu celebrationis assistentia alterius sacerdotis, si ea haberi nequeat, dummodo nullum prorsus sit periculum calicis effusionis, et locus, ubi missa celebratur, nihil indecens aut indecorum prae se ferat (Ex rescripto S. Congr. Negotiis extraordinariis praepositae) (c). Hoc privilegium fuit

---

(c) Die 1 *mart.* 1902, nomine et auctoritate Smi, editum fuit a S. Congr. de Prop. Fide *Decretum generale,* « ad removendos abusus circa celebrationem missae durante maritimo itinere ». Qui indultum celebrandi super naves obtinuerint, tria cavere debent: 1° « ne sit periculum effusionis sanguinis »; 2° « ut alter sacerdos, si adfuerit, rite celebranti adsistat »; 3° « ne locus ubi celebratur, quidquam indecens aut indecorum prae se ferat: quod certe eveniret, si augustissimum altaris mysterium in cellulis celebraretur pro privatis viatorum usibus destinatis ». Quoad tertium, d. 15 *ian.* (aut 3 *febr.*) 1903, data fuit sequens declaratio: « Quod per hoc decretum cautum est, tantum respicit abusus illos qui orirentur, si in privatis cellulis viatorum usibus vitae destinatis indecenter offerretur augustissimum sacrificium missae; non autem absolute celebratio in cellulis prohibita est, quando adiuncta omnia removeant irreverentiae pericula » (A. S. S., t. xxxv, pp. 48 et 612).

innovatum ad decennium, d. 29 *oct.* 1906, cum clausula « contrariis quibuscumque minime obfuturis ».

23. De facultate celebrandi in privatis saecularium oratoriis. — Clemens xi, decr. *Nonnulli* (1708), et Benedictus xiv, Const. *Magno cum animi* (1751) §§ 29 et 33, revocatis privilegiis contrariis, decreverunt neminem etiam regularem in privatis saecularium oratoriis posse celebrare, nisi stando conditionibus indulti. Sed postea Pius vi variis Congregationibus et Pius vii Congregationi SS. Redemptoris concesserunt, ut in oratoriis privatis domorum, absque indultarii assistentia et sine praeiudicio illius privilegii, celebrare possint in missionibus, novenis, triduis aliaque continua praedicatione, item in itineribus ex quacumque causa, pro quovis temporis spatio, etiam ad solatium susceptis.

Societas igitur hoc privilegio per communicationem gaudet (Comp. Priv., n. 439).

24. Privilegia circa horam Missae (Comp. Priv., n. 409 et sqq.). — 1. Ex iure communi Missae celebrari non debent nisi ab aurora ad meridiem [a].

2. Privilegia, quibus Regulares gaudebant, revocata fuerunt decreto Tridentini *de Observandis etc., sess.* xxii, ubi Ordinariis commendatur ut curent, « ne sacerdotes aliis quam debitis horis celebrent ». Et decretum clausulas habet quibus contraria privilegia revocantur. Non pauci auctores nihilominus censent privilegia Regularium circa horam missae non fuisse hoc decreto revocata (Piat, p. 233, q. '8). Sed in contrarium promitur declaratio S. Congr. Conc.: « Ante diem et horis indebitis celebrare non licet, etiam vigore privilegiorum ante Conc. Trid. concessorum » (Piat, ibid.); et Bened. xiv (*Instit.* lxviii, n. 11) refert epistolam sibi, tunc Bononiae Archiepiscopo, a S. Congr. Conc. iussu Clementis xii scriptam, « ut edicto et poenis propositis caveret, ne sacerdotes tam saeculares quam regulares, aliis quam debitis horis celebrent, iuxta Ecclesiae praeceptum eiusque rubricas ». Dicendum est ergo antiqua privilegia esse per Tridentinum revocata.

---

24. (a) Ita ex *Rubricis generalibus missalis*, xv, 1: « Missa privata, saltem post matutinum et laudes, quacumque hora, ab aurora usque ad meridiem dici potest ». Bened. xiv, *Instit.* xiii, n. 3, refert decretum Clementis xi: « Mandamus ne missarum sacrificia ante auroram celebrentur, et usque ad meridiem solum protrahantur ».

3. Sed plura sunt posteriora privilegia sive Societati directe concessa, sive per communicationem ipsi extensa, vi quorum licet sacerdotibus Societatis vel ante auroram vel post meridiem celebrare: *a)* ex Br. *Plura inter* (1826), « hora ante auroram horave post meridiem »; *b)* ex indulto Gregorii xvi (1838), « duabus horis post mediam noctem », in missionibus aut ratione itineris suscipiendi a missionariis; *c)* ex privilegio Congregationi Puritatis a Pio vi concesso (1783), duabus horis ante auroram et post meridiem, semper et ubique [b]; *d)* ex privilegio Redemptoristis largito, etiam tribus horis post meridiem [c].

CAPUT XIX.

DE POENITENTIA ALIISQUE SACRAMENTIS. DE FUNERIBUS. DE MISSIONIBUS

Sectio I. — 1. De confessione saecularium. Principia generalia. — 2. Notiones historicae de privilegio Regularium circa confessiones saecularium. — 3. De approbatione a Tridentino statuta. — 4. Constitutio *Superna* Clementis X. Examen Regularium ab Episcopo. — 5. Variae quaestiones circa approbationem et examen. — 6. Facultas Regularium circa casus Episcopo reservatos. — 7. Quomodo Regulares in administratione sacramenti Poenitentiae Episcopis subiiciantur et ab eis corrigi possint. — 8. De Extrema Unctione. — 9. De sacramentis Baptismi et Matrimonii. — 10. Familiare: eorum exemptio et privilegia. — 11. Quinam sint familiares? — 12. Scholares convictores. — 13. Hospites. — 14. De iure funerandi et tumulandi circa ipsos Regulares. — 15. Item circa novitios, familiares, convictores, hospites. — 16. Item circa saeculares. Iura parochi et Regularium. Quarta funeralis. — 17. Missiones Regularium in partibus infidelium seu acatholicorum. Earum regimen. — 18. Exemptio Regularium in missionibus. In quibus Regulares a Vicario Apostolico dependeant? — 19. De iis quae ad solum Vicarium Apostolicum spectant. — 20. De bonis temporalibus in missionibus.

Sectio II. — 21. Privilegia Societatis circa confessiones. — 22. Statuta circa missiones.

1. De confessione saecularium. Principia generalia [a].

1. Certissimum est ad absolvendum poenitentem requiri in confessario potestatem iurisdictionis in ipsum, quae a pote-

---

(b) Cardinalis Praefectus Congr. EE. et RR., a. 1834, testatus est hoc privilegium esse authenticum (Comp. Priv., n. 409).

(c) Ad utendum his privilegiis licentia Superioris localis est necessaria (Comp. Priv., n. 410).

1. (a) Piat, t. II, pp. 171-205.

state ordinis est diversa; et ideo nullam esse absolutionem datam a sacerdote qui iurisdictione in poenitentem careat. Hoc declaratur a Trident., *sess.* xiv, cap. 7 (b).

Iurisdictio est fori externi aut interni. Iurisdictio fori externi triplicem potestatem, legislativam, iudiciariam et coercitivam comprehendit; iurisdictio fori interni vel in sacramento poenitentiae per absolutionem a peccatis se exercet, vel extra sacramentum per dispensationes atque absolutionem a censuris et poenis. Hic de sola iurisdictione fori interni agitur.

2. Potestas iurisdictionis duplex est, ordinaria aut delegata. Ordinaria ea est quae alicui officio est ipso Iure adnexa; delegata, ea quae ab illo, qui ordinariam habet, alii committitur.

3. Iurisdictio Papae est ordinaria in totam Ecclesiam et singulos fideles, iurisdictio Episcopi in totam dioecesim, parochi in parochiam. Praelati Regulares, ex concessione summorum Pontificum, quae in ius commune transiit, iurisdictionem ordinariam in suos subditos habent. Ea gaudent Generalis, Provinciales et Superiores locales.

4. Regulares in saeculares iurisdictionem delegatam tantum habent (nisi sint eorum Episcopi aut parochi). Delegationem autem per se habere possunt vel a Papa, vel ab Episcopo, vel etiam a parocho (quamvis a tempore, quo Tridentinum approbationem Episcopi ad saeculares absolvendos instituit, iam ius parochi delegandi iurisdictionem nullius usus factum est).

2. Notiones historicae de privilegiis Regularium circa confessiones saecularium.

1. Ante Bonifacium viii (1294-1303), Mendicantes, scilicet Praedicatores et Minores, videntur iurisdictionem habuisse immediate a Papa, etiam quoad confessionem saecularium. Ita concludendum est ex prooemio Constitutionis Benedicti xi, de qua statim dicetur.

2. Bonifacius viii (c. *Super cathedram*, 2, *De sepulturis*, l. iii *Extrav. comm.*) ad sedandas discordias inter Praedicatores

(b) « Persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere quam sacerdos in eum profert in quem ordinariam aut subdelegatam non habet iurisdictionem ».

Minoresque ex una parte, et Praelatos Rectoresque ecclesiarum parochialium ex altera, novam disciplinam induxit: statuit ut Superiores regulares peterent ab Ordinariis facultatem deputandi ad confessiones audiendas subditos suos quos idoneos iudicaverint, et personas sic electas Ordinariis praesentarent, « ut de eorum licentia, gratia et beneplacito, in civitatibus et dioecesibus eorum, huiusmodi personae sic electae confessiones confiteri sibi volentium audiant, imponant poenitentias salutares et beneficium absolutionis impendant »; quod si Episcopus aliquem ex praesentatis reiiceret, Superior alium substitueret. — Deinde addebat: « Si vero iidem Praelati praefatis Fratribus ad confessiones, ut praemittitur, audiendas electis huiusmodi exhibere licentiam recusaverint, Nos ex nunc ipsis, ut confessiones sibi confiteri volentium libere liciteque audire valeant et eisdem poenitentias imponere salutares atque eisdem beneficium absolutionis impertiri, gratiose concedimus de plenitudine Apostolicae potestatis ».

Sed Benedictus xi, Bonifacii immediatus successor (1303-1304), revocans hanc Bonifacii Constitutionem, his duobus Ordinibus S. Dominici et S. Francisci facultatem restituit confessiones audiendi, nulla ab Ordinariis petita licentia. Ita c. *Inter cunctas*, 1, *de Privilegiis,* l. v, intra *Extrav. comm.* — In eo Pontifex primum dicit Constitutionem Bonifacii, quae ad concordiam procurandam edita fuerat, contra discordias auxisse [a]. Igitur eam revocat et plenam libertatem restituit his verbis: « Electi igitur ab eisdem Fratribus ad audiendas confessiones et poenitentias iniungendas, libere auctoritate Apostolica absque licentia Dioecesanorum et aliorum Praelatorum inferiorum (exemptorum et non exemptorum) quibus subsunt, qui ad confitendum accedant, audiant eis peccata sua confiteri volentes » [b] — Et postea: « Nec confessi ipsis Fratribus, peccata illa de quibus confessi sunt eis et absoluti poenitentes, de illis sacerdotibus propriis teneantur (sicut etiam non tenentur) iterum confiteri, non obstante Constitutione generalis Concilii [c], quae sano intellectu (ne sequatur absurdum...) intelligenda est de illis qui peccata sua confiteri aliis neglexerint ».

---

2. (a) Sat dure ait: « Nec mirum: quia plerumque pariunt novitates discordiam, praesertim dum ab eo, quod diu aequum visum est, per novam Constitutionem receditur, nec quare recedatur utilitas evidens vel alia causa subest ».

(b) Constructio phrasis et sensus est: Fratres electi libere audiant confessiones eorum qui, volentes eis peccata confiteri, ad confitendum accedant.

(c) Conc. Lateran. sub Innocentio iii: « Omnis utriusque sexus Fidelis,

Verum Clemens v (1305-1314), immediatus Benedicti xi successor, cassavit Constitutionem Benedicti, et Bonifacii Constitutionem in vigorem quoad omnia restituit (c. *Dudum*, 2, *De sepulturis, in Clementinis,* iii, 7), etiam quoad dispositionem qua, Episcopis licentiam Fratribus praesentatis indebite negantibus, eis licentiam confessiones in eorum dioecesibus libere audiendi Pontifex apostolica auctoritate conferebat(d).

3. Sed deinde nova concessa sunt diversis Ordinibus privilegia, quibus confessiones absque Ordinariorum licentia audire poterant; et haec privilegia per communicationem omnibus mendicantibus facta sunt communia.

Sic Sixtus iv Eremitis S. Francisci de Paula, Const. *Sedes Apostolica* (1474), concessit facultatem « confessiones audiendi et ab omnibus casibus, excommunicationibus, etc., Archiepiscopo tam a Iure quam ab eo reservatis, absolvendi ». Quod privilegium confirmavit et amplificavit Iulius ii, Const. *Dudum ad sacrum* (1506), concedens ipsis ut « confessiones quarumcumque personarum, tam religiosarum quam ecclesiasticarum et saecularium ubilibet audire, et illis auditis... absolvere ac poenitentiam salutarem illis iniungere valeant ». (Nulla fit mentio iurisdictionis aut cuiuslibet licentiae ab Episcopo obtinendae). — Similem facultatem Sixtus iv dedit Minoribus et Praedicatoribus, Const. *Regimini* (1474), § 10. — Rursus Iulius ii Olivetanis idem privilegium largitur Const. *Etsi* (1507), § 32, et explicite excludit pro confitentibus necessitatem licentiae Episcopi aut parochi habendae ad confitendum Regularibus: « Eiusdem Congregationis Praelatis, sive monachis a suis Superioribus ad audiendum huiusmodi personarum (sc. earum quae ad ipsos pro confessione accedant) confessiones deputatis, quod personas ipsas accedentes audirent, ac personae ipsae eis, absque alia suorum Superiorum licentia, confiteri, necnon dictis Praelatis sive monachis confessiones huiusmodi audientibus dictos confitentes absolvere... libere possint » concedimus.

4. Sed Leo x, Const. *Dum intra* (1516), qua moderavit privilegia mendicantium et aliorum Regularium, § 6 statuit, ut

---

postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur *proprio sacerdoti* » (c. 2, *De poenit. et remiss.* v, 38).

(d) Notabilia sunt verba quibus Pontifex, in fine Constitutionis, Episcopos et parochos hortatur ut benevolos sese religiosis praebeant eorumque opera utantur.

« Superiores eorumdem Fratrum, Fratres quos ad audiendas confessiones subditorum eorumdem Praelatorum (sc. Episcoporum diocesanorum) tempore elegerint, eisdem Praelatis personaliter exhibere ac praesentare, si eos sibi exhiberi et praesentari petierint,... alioquin eorum vicariis, omnino teneantur; possintque illi per eosdem Episcopos et Praelatos super sufficienti litteratura et aliqua saltem huiusmodi sacramenti peritia dumtaxat examinari; talibusque praesentatis et admissis vel indebite recusatis confitentes, Constitutioni quae incipit *Omnis utriusque sexus,* quoad confessionem dumtaxat, satisfecisse censeantur ». Deinde § 7: « Ipsique Fratres etiam forensium confessiones audire valeant, laicos tamen et clericos saeculares a sententiis ab homine latis nullatenus absolvere possint » (e).

5° Successores Leonis x eius legem non servaverunt. Paulus iii, Const. *Cum inter* (1545), Societatis Iesu alumnis facultatem confessiones audiendi, nulla petita licentia, indulsit: « Necnon illis ex vobis, qui praesbyteri fuerint, quorumcumque utriusque sexus Christifidelium ad vos undequaque accedentium confessiones audiendi, et confessionibus auditis ipsos absolvendi,... Christifidelibus ipsis Eucharistiae et alia ecclesiastica sacramenta sine alicuius praeiudicio ministrandi, *Dioecesanorum locorum*, *Rectorum parochialium et aliarum ecclesiarum et quorumvis aliorum licentia minime requisita*,... plenam et liberam facultatem auctoritate apostolica concedimus ». Eamdem facultatem confirmavit Const. *Licet debitum* (1549): « Universis Christifidelibus ut cuilibet de Societate praedicta confiteri possint, Rectoris sui licentia minime requisita, cui non teneantur eadem peccata, de quibus confessi et absoluti fuerint, rursus confiteri (concedimus et indulgemus) ».

3. De approbatione a Tridentino statuta. — Sed Tridentinum, celebri suo decreto *sess.* xxiii, c. 15 *de Reform.*, statuit: « Nullum, etiam Regularem, posse confessiones saecularium etiam sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium aut ab Episcopis per examen,

(e) Hic igitur, distinctione facta inter subditos Episcopi dioecesani et extraneos (forenses), Fratres subditos Dioecesani in confessione audire et absolvere nequeunt, priusquam Episcopo praesentati ab eo admissi aut indebite recusati fuerint; extraneos autem sine ulla praesentatione Episcopo dioecesano audire et absolvere possunt.

si id illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur, et approbationem, quae gratis detur, obtineat, privilegiis et consuetudine quacumque etiam immemorabili minime obstantibus ».

1. Ergo ab eo tempore Regularibus, ut confessiones saecularium, extra mortis periculum, valide audiant, necessaria est, nisi sint parochi, approbatio Ordinarii. Rursus Urbanus VIII, ad removenda dubia quae adhuc remanebant Const. *Cum sicut accepimus* (14 *sept.* 1628), revocavit omnia et singula indulta Regularibus cuiusvis Ordinis concessa, audiendi confessiones saecularium absque Ordinarii approbatione [a].

2. Declaratum fuit deinde pluries Ordinarium, cuius approbatio requiritur, esse Ordinarium loci in quo confessiones audiuntur.

Ita Innocentius XII, Const. *Cum sicut* (1700) [b]. Iam Innocen-

---

3. (a) Primum exponit aliquos esse Regulares, qui tali privilegio adhuc se gaudere praetendant, « indeque fiat ut saluberrima S. C. Tridentini dispositio de hac re edita funditus convellatur ». Quapropter, addit, « omnia et singula indulta huiusmodi, audiendi confessiones saecularium absque Ordinarii examine et approbatione, quibusvis collegiis, capitulis, Religionibus, Societatibus, etiam Societati Iesu, Congregationibus et Ordinibus.... quomodolibet concessa, apostolica auctoritate revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, annullamus ».

(b) Refert invaluisse sententiam iam per plures Pauli V, Urbani VIII et Clementis X Constitutiones necnon per decreta S. Conc. Trident. et Congr. EE. et RR. damnatam, quod scilicet confessarium libere eligentes in virtute Bullae Cruciatae, possunt eligere confessarios alibi quidem approbatos, non autem in dioecesi in qua audiantur confessiones. Hanc sententiam rursus damnat, declarando: « Bullam Cruciatae sanctae nihil novi iuris induxisse, nullumque privilegium continere quoad approbationem confessariorum contra formam eiusdem Conc. Trid. et praedictarum Const. Apost.; adeo ut confessarii, tam saeculares quam Regulares, quicumque illi sint, in vim dictae Bullae Cruciatae a poenitentibus ad audiendas illorum sacramentales confessiones electi, nullatenus confessiones huiusmodi audire valeant sine approbatione Ordinarii et Episcopi dioecesani loci, in quo ipsi poenitentes degunt et confessarios eligunt vel ad excipiendas confessiones requirunt; nec ad hoc suffragari approbationem semel vel pluries ab aliis Ordinariis aliorum locorum et dioecesum obtentam, etiamsi poenitentes illorum Ordinariorum, qui confessarios electos approbassent, subditi forent; confessiones autem aliter et contra (hanc) formam deinceps faciendas et excipiendas respective, praeterquam in casu necessitatis in articulo mortis, nullas fore, irritas et invalidas, et confessarios ipso iure suspensos esse et etiam rigide puniendos ab ipsis Ordinariis locorum ».

TIUS X, in causa Angelipolitana, Const. *Cum sicut* (1648), n. 9, responderat: « Regulares, etiam Societatis Iesu, in una dioecesi ab Episcopo approbatos ad confessiones saecularium personarum audiendas, nequaquam posse in alia dioecesi huiusmodi confessiones audire sine approbatione Episcopi dioecesani ».

INNOCENTIUS XIII (a. 1723), C. *Apostolici ministerii*, hanc Innocentii XII Constitutionem confirmavit, addendo minime sufficere confessariis « quod approbati alias fuerint ab Episcopo qui aliquando loci, in quo confessiones audiendae sunt, Ordinarius fuerit, sed tamen non amplius existat vel quia ab humanis excesserit aut Episcopatui renuntiaverit vel quia ad aliam Ecclesiam auctoritate apostolica translatus reperiatur, sed necessariam omnino esse illius, qui actualiter et pro tempore ordinariam iurisdictionem in ea dioecesi exerceat, approbationem; hanc tamen sufficere tacitam, eamque tamdiu durare quamdiu praecedens licentia sive approbatio expresse revocata non fuerit: in quo casu nova de integro approbatio impetranda erit, sicut etiam quando prior approbatio tempore praefinito elapso expiraverit ».

BENEDICTUS XIV, Const. *Apostolica indulta* (1744), relatis (nn. 2 et 3) utriusque Innocentii Constitutionibus, eas confirmat, magisque explicat, ita ut nullius indulti praetextu liceat confessionem facere apud confessarium ab Episcopo loci non approbatum.

3. Ex Tridentino, l. c., Episcopus ius habet vocandi ad examen (c). De hoc iure plura statuit Clemens X, ut mox dicetur, n. 4.

4. Ad obtinendam approbationem necessarium est, si Epis-

(c) S. PIUS V, Const. *Etsi mendicantium* (1567), ab examine absolverat graduatos lectoresque regulares, et Monialium Regularibus subiectarum confessarios. Sed ipse, Const. *Romani Pontificis* (6 *aug.* 1571), hanc concessionem revocavit: « Sancimus, decernimus et declaramus decretum C. Tridentini, de approbatione Regularium audiendis confessionibus saecularium praepositorum ab Episcopis facienda, observari debere in omnibus Regularibus quorumvis Ordinum, etiam mendicantium, etiam sub regulari disciplina viventibus, etiamsi sint lectores aut in theologia graduati vel promoti, vel a suis magistris Generalibus vel Provincialibus ministris saecularium confessionibus expositi. Volumus tamen eos, qui semel ab Episcopo in civitate et dioecesibus suis praevio examine approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterum non examinari; ab Episcopo autem successore, pro maiori conscientiae suae quiete, examinari de novo poterunt ».

copus id exigat, ut Regularis approbandus personaliter sese coram eo praesentet, nec sufficit ut eius Superior approbationem petat. Ita fuerat iam constitutum a Bonifacio VIII, deinde a Clemente V, necnon a Leone X (d). Plures postea S. CONGR. CONC. edidit de eadem re declarationes : v. g., quaesito « An Regulares teneantur pro obtinenda facultate audiendi confessiones sive saecularium sive monialium se personaliter coram Episcopo praesentare, sive potius sufficiat a Superioribus de sufficientia et idoneitate testimonium transmitti ? » Respondit: « Affirmative ad 1am partem, Negative ad 2am » (7 *iun.* 1755, ad 13). Simili quaestioni iam antea responderat: « Teneri se praesentare pro arbitrio Episcopi » (11 *iul.* 1665, ad 15). PIAT, p. 184, q. 10.

De caetero haec obligatio, ad approbationem obtinendam personaliter se sistendi coram Episcopo si id requirat, ex iure examinandi, quod ipsi competit, fit manifesta.

5. Ex communi sententia, Regularis semel indefinite approbatus in aliqua dioecesi, si ad aliam domum extra dioecesim translatus deinde de novo in priorem dioecesim transfertur, non indiget nova approbatione (PIAT, II, p. 184, q. 11; FERRARIS, v. *Approbatio,* art. I, n. 91). Dicitur: si in priorem dioecesim de novo transfertur: nam si tantum per eam transit quin sedem ibi ponat, an sufficiat prior approbatio ut confessiones audire ipsi liceat, pendet a modo quo approbatio fuit concessa. Si enim Episcopus approbationem ei ita contulerit aut habitualiter conferat Regularibus qui in domo suae dioecesis domicilium habent, ut approbationem limitet ad tempus quo membra sunt communitatis, tunc quando cessant inibi domicilium habere, cessat etiam approbatio, et proinde quando transeunt deinde per dioecesim, ea amplius non gaudent.

(d) BONIFACIUS VIII, c. *Super cathedram,* 2, *De sepulturis,* l. III, *Extr. comm.,* et CLEMENS V, c. *Dudum,* 2, *De sepult.,* III, 7, *intra Clementinas :* « Ac deinde praefati Magistri, Priores, Provinciales et Ministri Ordinum praedictorum eligere studeant personas sufficienter idoneas, vita probatas, discretas, modestas atque peritas ad tam salubre ministerium et officium exsequendum, *quas* sic ab ipsis electas *repraesentent vel faciant praesentari Praelatis,* ut de eorum licentia, gratia et beneplacito, in civitatibus et dioecesibus eorumdem, huiusmodi personae sic electae confessiones confiteri sibi volentium audiant, imponant poenitentias salutares et beneficium absolutionis in posterum impendant ». — LEO X, Const. *Dum intra* (1516) § 6, citatur in textu, num. praec.

Secus esset, si Episcopus Regularem sibi praesentatum indefinite approbavisset.

4. Constitutio « Superna » Clementis X.

Clemens X, Const. *Superna* (1670), plura strictius determinavit circa iura Episcopi et facultates Regularium:

1. « Religiosos, ab Episcopo ad confessiones saecularium in sua dioecesi audiendas approbatos, non posse in alia dioecesi eas absque Episcopi dioecesani approbatione audire, quamvis poenitentes subditi sint eius Episcopi a quo ipsi religiosi iam fuerant approbati » [a].

2. Specialem approbationem requiri pro Confessione monialium.

3. « Semel simpliciter approbatos posse quovis anni tempore etiam paschali, et quorumcumque etiam infirmorum confessiones audire, absque ulla parochorum vel ipsius Episcopi licentia [b]. De qua tamen confessione teneri dictos Regulares eorumdem infirmorum parochum illico certiorem reddere. Et hoc posse illis ab Episcopo sub poena suspensionis a facultate audiendi confessiones praecipi. Sufficere tamen ut certioratio huiusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam ».

4. Per confessionem Regulari tempore paschali factam poe-

---

4. (a) Gregorius XIII, Const. *Decet Romanum* (1575), speciali privilegio Societati concesserat ut confessarii « ab aliquo Ordinario semel approbati, *quandocumque sive mari sive terra iter fecerint*, quorumcumque Fidelium, praesertim aegrotorum et eorum qui in vinculis detinentur, confessiones audire valeant ». Hoc privilegium Const. *Superna* sublatum esse, necnon aliorum Pontificum declarationibus, specialiter Benedicti XIV, Const. *Apostoli indulta* (1744), certum est. — Vide n. 3, *nota b*, eamdem sententiam ab Innocentio declaratam.

(b) Pluries S. C. C. declaravit Episcopos non posse prohibere Regularibus ne tempore paschali confessiones audiant: ita d. 9 *iul.* 1644 (quod decretum ab Innocentio X, d. 7 *febr.* 1645, fuit approbatum); rursus, d. 22 *sept.* 1668 (apud Piat, t. II, p. 189). — Decretum d. 9 *iul.* 1644 est responsio Archiepiscopo Burdigalensi: « (S. Congregatio) censuit Archiepiscopum non posse prohibere Regularibus habentibus privilegia apostolica (scil. audiendi confessiones saecularium), ut a dominica Palmarum usque ad dominicam in Albis inclusive administrare non valeant personis saecularibus sacramentum confessionis ». In decreto a. 1668, S. Congr. declaravit Episcopum non posse hanc clausulam restrictivam apponere in litteris patentibus approbationis.

nitentes satisfacere praecepto confessionis annuae per cap. *Omnis utriusque* impositum [c].

5. Circa ius Episcopis a Tridentino factum, confessarios examinandi priusquam eos approbet, statuit: *a)* « Illos religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Episcopis generaliter quoque et indistincte, absque aliqua limitatione temporis certorumque locorum aut generis personarum, in dioecesi propria admittendos » [d]. — *b)* « Quoad

---

(c) Idem iam declaraverat Leo x (supra, n. 2, 4°).

(d) Nihilominus Benedictus xiv (*de Synodo*, l. ix, c. 16, n. 7), nulla facta distinctione inter eos qui simpliciter idonei et alios qui minus idonei reperiuntur, ait: « Hanc porro approbationem seu licentiam posse ab Episcopis concedi Regularibus ad certum tempus et limitari ad certum dumtaxat genus personarum, diserte declararunt Clemens x, in sua Const. x *(Superna)* § 4, Urbanus viii, in suis Apostolicis litteris ad Card. Sandoval (1639), Innocentius xiii, in sua Const. edita d. 13 *maii* 1723 et confirmata a Bened. xiii, 23 *sept.* 1724; atque opposita doctrina, quam Regularium plerique venditabant, proscripta est ab Alexandro vii, qui d. 30 *ian.* 1659 hanc propositionem « Non possunt Episcopi limitare seu restringere approbationes quas Regularibus concedunt ad confessiones audiendas, neque ulla ex parte revocare » declaravit falsam, temerariam, scandalosam et erroneam ». — In *Institutione* autem 86, n. 9, eamdem doctrinam propugnat, dicens: « Non desunt sententiae editae a S. C. C., quae statuunt ab Episcopo facultatem excipiendi confessiones saecularium aut penitus denegandam Regularibus aut sine ulla limitatione concedendam. Attamen Clemens x aditum Episcopis reservavit, ut limitatas eiusmodi facultates Regularibus impertirent, praecipiens ut magis idoneis absque limitatione, contra vero minus idoneis circumscripta facultas tribuatur; Illos autem (inquit) religiosos, etc.... — Sed argumento vere mirando concludit: « Quamobrem, cum haec doctrinae virtutisque praestantia dignosci nequeat, nisi examen circa quaestiones theologiae moralis instituatur, quod ita facile non est, ideo facultas tantum limitata tum saecularibus tum regularibus praesbyteris dari consuevit, ita ut magis idoneis ad annum, caeteris autem ad minus temporis spatium protrahatur ». Citat C. de Lugo (*de Poenit.*, disp. 39, s. 1, n. 59). Sed C. de Lugo, (qui de caetero scripsit ante C. *Superna:* mortuus est enim a. 1660), l. c. ait: « Non deberet damnari approbationem cum eiusmodi limitationibus ab Episcopis datam, tamquam iniustam, etiam respectu Regularium; *possunt* enim de facto intervenire omnes vel aliqua ex rationibus adductis, vel aliae similiter, quibus prudenter moveatur Episcopus ad non approbandum absolute et universaliter, sed cum aliqua limitatione ». Revera mirum est argumentum. Ex eo quod non possit argui iniustitiae Episcopus qui dat approbationem limitatam alicui Regulari, quia ad hoc habere potest rationes quae ignorantur (et nihil aliud dicit Card. de Lugo), deducit Benedictus xiv quod Episcopus possit omnibus Regula-

caeteros vero, qui non adeo idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui ipsos cum limitata facultate probare et admittere » [e]. — *c)* « Regulares praevio

---

ribus, quin ullam rationem ad id habeat, limitatam tantum facultatem concedere. Citat etiam ibi locum Constitutionis Innocentii XIII, quem in opere *de Synodo* attulerat; est eiusmodi: « Declaramus sacerdotes tam saeculares quam regulares, qui ab Episcopis obtinuerint licentiam audiendi confessiones limitatam, vel quoad locum vel quoad genus personarum vel quoad tempus, non posse Poenitentiae sacramentum administrare extra tempus vel locum vel genus personarum ab ipsis Episcopis praescriptum ». — Sed quid hoc ad quaestionem!

Ergo dicendum est sententiam Bened. XIV adversari omnino Constitutioni *Superna*, et nulla posteriori auctoritate firmari. De caetero eamdem quaestionem breviter tractans in Const. *Apostolicum ministerium*, § 9, ibi communem doctrinam tradit: « Caeterum confessarii munus Regularibus deferri potest sine temporis determinatione vel cum limitatione: quod luculenter constat tum ex Brevi a S. Pontifice Urbano VIII ad Cardinalem de Sandoval a. 1639 dato, tum ex Const. Clementis X, *Superna*. Porro huiusmodi facultates ad praestitutum tempus collatas, post elapsum temporis intervallum, ius competit Ordinario vel abrogandi vel eas renovando sacerdotem ad novum examen compellendi. Facultates vero nulla cum temporis limitatione delatae nonnisi cum ipso officio desinunt, nec suspendi propterea possunt sine nova causa quae confessiones directe respiciat, quemadmodum patet ex Constit. *Cum sicut* Innocentii X ».

Nihilominus sciendum est Romae Regulares ad annum tantum etiam post examen, quod semper exigitur, approbari. Sed hoc est aliquod statutum particulare Romae; quod sane Romanus Pontifex condere potest derogando Constitutioni *Superna;* nec desunt peculiares rationes cur ita fiat.

(e) Quaeritur quamnam limitationem Episcopus ponere valeat approbationi? — Cum CLEMENS X simpliciter dicat Episcopum minus idoneos cum limitata facultate approbare posse, sequitur ei licere quamcumque opportunam limitationem aliunde non prohibitam apponere, scilicet quoad tempus, quoad loca, quoad personas. Triplicem hanc limitationem apponi posse, habetur ex ipsa Clementis Constitutione, quae eam indicat: dicit enim, simpliciter idoneos approbari debere « absque aliqua limitatione temporis certorumque locorum aut generis personarum », non autem ita idoneos cum limitata facultate arbitrio Episcopi. Unde limitatio super tria enuntiata, tempus, locum et personas cadere potest. Prohibetur tamen Episcopo ne interdicat Regularibus confessiones tempore paschali ut dictum est; nec ei fas est interdicere, saltem simpliciter idoneis, ne audiant aegrotantium confessiones, ut etiam in Constitutione dicitur; an valeret id interdicere minus idoneis, PIAT negat (t. II, p. 190, q. 20) et refert sententiam S. CONGR. EE. ET RR., 13 *sept.* 1641, et aliam S. C. C., 14 *dec.* 1658.

examine simpliciter et absque ulla temporis praefixione approbatos (f) non posse ab ipsomet Episcopo, qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi, seu licentias illis concessas revocari, nisi nova interveniente causa quae ipsas confessiones concernat ». — *d)* Examinatos autem ab antecessoribus Episcopi vel ab eius vicario posse rursus ad examen ab Episcopo revocari (g).

6. Quoad revocationem licentiae datae haec statuit:

a) Licentias simpliciter concessas revocare, seu Regulares a confessionibus suspendere, Episcopus non potest nisi propter causam quae ipsas Confessiones concernat; inter quas numerari debet scandalum datum aut vita inhonesta (h). — *b)* Causam revocationis facultatis aut suspensionis Episcopus Regularibus « non tenetur significare, nec est necesse ut in Actis constet ». — *c)* « Attamen facultatem confessiones audiendi omnibus simul unius conventus Regularibus confessoribus adimi ab Episcopo, inconsulta Sede Apostolica, nullatenus potest » (i).

(f) Ex hac restrictione « simpliciter et absque ulla temporis praefixione approbatos » concludere licet, Regulares *ad tempus* tantum approbatos posse ab eodem Episcopo ad examen de novo revocari, saltem post tempus expletum, priusquam approbatio renovetur. Caeterum idipsum explicitis verbis declarat Bened. XIV, Const. *Apostolicum ministerium* (1753) § 9: « Porro huiusmodi facultates ad praestitutum tempus collatas, post elapsum temporis intervallum, ius competit Ordinario vel abrogandi vel, eas renovando, sacerdotem ad novum examen compellendi ».

(g) Vicarii capitulares, ex diversis responsis S. C. C. videntur posse revocare ad examen Regulares qui sine praevio examine a praecedenti Episcopo approbati fuerint, non autem eos qui post examen simpliciter aut etiam ad beneplacitum approbati sint. Prima pars asserti ex duobus responsis S. C. C., 3 *febr.* 1680 et 5 *febr.* 1688 constat (apud Piat, p. 196, nota 9); secunda ex duobus etiam responsis eiusdem Congr., 5 *sept.* 1603 et 28 *iul.* 1604, necnon ex epistola quadam S. Congr. EE. et RR., d. 19 *iun.* 1806 (apud Piat, p. 197, *notis* 4 et 7, et apud Bizzarri, p. 451). Sunt tamen qui secundae parti asserti contradicunt, et censent Vicarios capitulares revocare posse ad examen, saltem ex iustis causis, eos qui ad beneplacitum fuerint approbati (Piat, l. c. — Cf. Ferraris, v. *Approbatio,* art. 1, nn. 54 et 55). Imo sunt qui censeant approbationem ad beneplacitum datam cessare morte concedentis (vide Piat, p. 199, qu. 32).

(h) Idem responsum iam dederat Innocentius X, Const. *Cum sicut* (1648) (dub. 2^{am} 2^{ae} seriei).

(i) Innocentius X, Const. *Cum sicut* (1648), responderat ad dubium de hac re (1^{um} dub. 2^{ae} seriei): « Episcopos Indiarum posse quidem omnibus simul unius monasterii vel collegii confessariis adimere facultatem

7. Ex nullis privilegiis, nec per concessam facultatem absolvendi a casibus S. Sedi reservatis. Regulares quicumque, etiam Societatis Iesu, facultatem habere absolvendi in casibus ab Episcopo sibi reservatis (de hoc fusius infra, n. 6).

8. « Posse Regularem confessorem in ea dioecesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia dioecesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa ubi idem confessor est approbatus, absolvere; nisi eosdem poenitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam dioecesim pro absolutione obtinenda migrasse ». — Haec autem facultas, ex vera notione reservationis et moderna ratione iurisdictionis quoad forum poenitentiae, facta est communis omnibus confessariis.

9. Constitutio providet quid, in casu dubii super privilegiis, faciendum sit (vide c. XV, n. 7).

5. Variae quaestiones circa approbationem.

1. *Circa quid versari possit examen?*

Tridentinum uno verbo dicit: Episcopos de idoneitate « per examen, si id illis videbitur necessarium », posse iudicare. Nihil amplius de examine determinat Clemens X. Deficientibus aliis documentis, ait Piat, p. 187, q. 15, standum est Constitutioni Leonis X, *Dum intra* (1516), in qua statuitur: « Possint illi (sc. Regulares) per Episcopos et Praelatos super sufficienti litteratura et aliqua saltem huiusmodi sacramenti peritia dumtaxat examinari ». Sed deinde q. 17, quaerens quisnam generaliter idoneus censendus sit, aliam sententiam tenet. Et revera ad faciendam distinctionem, quam supponit Clemens X, inter eos qui *idonei generaliter* reperti fuerint et alios *qui non adeo idonei*, certe non sufficit examen a Leone X descriptum. Dicendum ergo: Episcopum posse illud examen instituere unde appareat aliquem generaliter esse idoneum. Limites definire difficile esset.

---

audiendi confessiones personarum saecularium, etiam inconsulta S. Congr. EE. et RR., cum decretum ab ea editum d. 10 *nov.* 1615, ex intentionis defectu et convenientia morali, non extendatur ad regiones illas tam longe ab Urbe dissitas. Verum ab hac generali suspensione, quae vix sine scandalo et animarum pernicie contingere potest, abstinendum esse Episcopis, nisi gravissima subsistente causa, super quo S. Congr. illorum conscientias graviter voluit esse oneratas ». — Haec decisio fueritne correcta per subsequentem Clementis X declarationem, an contra, subsistentibus iisdem causis, exceptio facta ab Innocentio pro locis tam dissitis adhuc perduret, dubium videtur.

An examen non tantum super doctrina, sed etiam super moribus et vitae honestate institui possit? Dubium est, inquit Piat (ibidem). Qui dicunt hoc ius competere Episcopis, arguunt ex Const. *Superna,* § 6, ubi dicitur confessarios Regulares posse a confessione suspendi, « si cum scandalo aut alias inhoneste vivant vel aliquod delictum committant (quod suspensionem requirat), cum praecipua ministri sacramenti Poenitentiae qualitas sit vitae integritas ac morum honestas ». Si autem, aiunt, Episcopis licet datam approbationem revocare propter has rationes, propter easdem possunt denegare. Respondetur primo: si ipsis nota est inhonestas vitae et morum alicuius Regularis ipsis praesentati, certe approbationem recusare valent, imo debent; sed merito videtur ipsis denegandum ius inquirendi super vita, ubi nulla praecesserit infamia. Secundo, in eadem Constitutione relative ad praedicatores, examen quoad doctrinam tantum permittitur; item Regulares ad ordines promovendi ex suis privilegiis super doctrina tantum examinari possunt: non aliter igitur videtur dicendum de confessariis.

2. An Episcopus possit simul examen et approbationem Regulari denegare, ea ratione quod non indigeat novis confessariis in dioecesi? — Resp.: Negative. Ratio est, quia Regulares privilegium habent a S. Sede audiendi saecularium confessiones, et conditio apposita a Tridentino est Ordinarii loci approbatio: non debet haec conditio in privilegii annullationem vergere. Ita Suarez, Vasquez, Laymann, Palao, Lugo, citati a Schmalzgr., lib. v, tit. 38, *de Poenit. et remiss.*, n. 33.

3. An approbatio Episcopi sit simul collatio iurisdictionis? Resp. 1°. Certum est Episcopum, quando approbat Regulares ad confessiones, eis iurisdictionem simul conferre posse [a]. Hoc indubium est ex noto responso S. Congr. EE. et

---

5. (a) Imo ita fit communiter: Episcopi enim approbando dant *facultates* necessarias ad audiendas confessiones, et ideo iurisdictionem. Ita Bened. xiv rem declarat in Const. *Apostolicum ministerium* (1753), § 8: « Duos omnino actus complectitur approbatio, quorum primus ad intellectum, alter spectat ad voluntatem. Proprium enim est intellectus, debita ac necessaria scientia in examinato deprehensa, illum confessionis muneri obeundo aptum existimare. At nonnisi voluntatis est facultatem confessionum audiendarum liberam plenamque facere, sententiamque de eo proferre qui Approbatori subiicitur. Primum itaque ab examinatore praes-

RR., d. 2 *martii* 1866. Quaerebatur 1° « An religiosus non approbatus iuxta leges proprii Ordinis a suo Superiore vel ipso invito, cum sola facultate Ordinarii valide excipiat confessiones saecularium ? 2° An Superiores regulares iurisdictionem habentes possint suos subditos suspendere ab audiendis confessionibus saecularium etiam ex informata conscientia ? » — Responsum fuit: « Ad 1, affirmative; ad 2, affirmative, ita tamen ut religiosus suspensus illicite, non tamen invalide confessiones audiat » [b] (cf. BIZZARRI, edit. 2ª, pag. 775).

Resp. 2°. Utrum Regulares pro saecularium confessione iurisdictionem habitualiter a S. Sede mediantibus suis Superioribus, an contra *solummodo* ab Episcopis accipiant, controvertitur [c].

Communior sententia apud Regulares est, eos iurisdictionem a suis Superioribus accipere [d] et ideo approbationem Episcopi censent esse meram conditionem sine qua non. Eam sententiam tenet PIGNATELLI, t. IV, Consult. 163: « Confessarii regulares non recipiunt iurisdictionem ab Episcopo sed a Summo Pontifice, et approbatio requiritur solum tamquam conditio ut iurisdictio exerceri possit ». Item FAGNANUS in c. *Omnis utriusque*, l. V, titul. *De poenit. et remiss.*, n. 79, ubi testatur rem fuisse a S. Congr. Conc. resolutam: « Iam S. Congr. Conc. declaravit Regulares intra dioecesim Episcopi approbantis posse etiam absolvere poenitentem alterius dioecesis, cum habeant iurisdictionem a Papa ex Clementina *Dudum*, *De privilegiis* ». Haec sententia multum probabilis haberi potest ex terminis quibus SS. Pontifices utuntur in suis Constitutionibus, etiam post Trid., concedendo Regularibus facultatem audiendi confessiones saecularium. V. g., PIUS VII, Const. *Sollicitudo* (1814): « *Concedimus* etiam et declaramus, quod, *consentientibus* et *approbantibus* Ordinariis locorum,... confessiones audire.... valeant ». Ergo concessio a S. Sede

---

tatur : cuius fidei et integritati innititur atque acquiescit qui confessiones audiendi facultatem.... impertitur; alterum immediate peragitur ab ipsomet Superiore, cuius est praedictam facultatem concedere ».

(b) Responsio ad 2um est vera, non solum quia in casu religiosus suspensus a Superiore suo, iurisdictionem ab Episcopo acceptam retineret; sed etiam quia suspensus non denuntiatus iurisdictionem servat.

(c) Vide PIAT, p. 170, q. 1: varias sententias exponit et in notis Auctores, qui eas tenent, indicat.

(d) Eam tenent Suarez, Lugo, Vasquez, Schmalzgr. Pelizzarius (apud PIAT, p. 172, *nota* 3), Prümmer, q. 228.

emanat, consensus et approbatio Ordinarii ceu mera conditio apponitur. — Nihilominus Bizzarri, p. 312, hanc sententiam non amplectitur, eamque, quasi esset paucorum, proponit.

Notandum est, si Regularis absolvit ex sola iurisdictione ab Episcopo accepta, eum tunc non posse uti facultatibus et privilegiis Ordini suo concessis, quae nonnisi a suis Superioribus cum iurisdictione accipit.

4. Approbatio Episcopi etiam necessaria est ad absolutionem peccatorum venialium et mortalium iam confessorum. De hoc fuit olim controversia (e). Sed Innocentius xi, in decreto de Communione quotidiana (1676), eam diremit: « Non permittant (Episcopi) ut venialium confessio fiat simplici sacerdoti non approbato ab Ordinario. Si parochi et confessarii etiam regulares aut quicumque alii sacerdotes, etiam Societatis Iesu, secus egerint, sciant Deo optimo maximo rationem reddituros esse, neque defuturam Episcoporum et Ordinariorum iustam et rigorosam animadversionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Iesu, facultate ipsis Episcopis et Ordinariis per hoc decretum per Sedem Apostolicam specialiter attributa » (apud Ferraris, v. *Eucharistia*, art. 1, n. 41). Idem Ferraris (v. *Approbatio,* art. 1, n. 7), ait non tantum illicitam sed nullam esse absolutionem, quia datur eis supra quos sacerdos non approbatus nullam habet iusdictionem. Villada (*De confessariis nostris,* n. 2) censet quaestionem quoad validitatem remanere dubiam.

5. Quando alicui saeculari conceditur, sive per Bullam Iubilaei aut Cruciatae, sive per quodcumque indultum aut privilegium, facultas eligendi confessarium, semper intelligitur ex approbatis ab Ordinario loci (cf. Ferraris, v. *Approbatio,* art. 1, nn. 76, 82, 83). In Instructionibus S. Poenitentiariae ad Regulares dispersos Italiae, 18 *apr.* 1867, § 12, eis conceditur ut « quemcumque sive regularem, sive saecularem, *ex approbatis tamen* ab Ordinario loci, confessarium sibi eligere possint.

6. Facultas Regularium circa casus Episcopo reservatos. — 1. Certum est ex antiquo Iure Regulares olim non

(e) Vide Piat, p. 174, q. 3, 3°, Plures AA. censebant Tridentinum necessitatem approbationis Episcopi dioecesani noluisse statuere nisi pro peccatis necessario in confessione declarandis, pro aliis vero in ipsa Ordinis praesbyteratus collatione dari facultatem absolvendi. Hanc sententiam saltem ut probabilem habuerunt Suarez, Lugo, Vasquez, Salmanticenses.

potuisse absolvere a casibus Episcopo reservatis. Ita Bonifacius VIII (C. *Super cathedram*, 2, *De sepult.*, in *Extr. comm.*), cuius Constitutio relata fuit et approbata a Clemente V, in c. *Dudum*, 2, *De sepult.* III, 7, inter *Clementinas* [a].

2. Certum etiam est mendicantes deinde per privilegium accepisse facultatem absolvendi saltem a casibus Iure Episcopis reservatis; imo aliquas Religiones (et ideo per communicationem alias) etiam accepisse facultatem absolvendi a casibus quos Episcopi sibi reservant. Hoc privilegium Sixtus IV expresse concessit Eremitis S. Francisci de Paula (Const. *Sedes Apostolica*, 1474): eis indulget facultatem « confessiones audiendi, et ab omnibus casibus ac excommunicationibus, suspensionibus et interdicti, ac super omni irregularitate, Archiepiscopo tam a Iure quam ab eo reservatis, absolvendi et dispensandi » (n. 7). Alii Regulares obtinuerunt « facultatem absolvendi a quibuscumque peccatis etiam Sedi Apostolicae reservatis, exceptis contentis in Bulla Coenae » [b]. Habet Societas ex Const. *Cum inter* (1545) Pauli III.

3. Tridentinum nihil statuit quo haec privilegia revocet. In *sess.* XIV, c. 7, traditur doctrina de reservatione, et dicitur tum Summum Pontificem, tum Episcopos posse sibi casus reservare; sed nihil, neque hic neque alibi, de reservatorum absolutione legitur. Attamen Clemens VIII (loco in *nota* c citato) contrarium tenet; et S. Congr. EE. et RR., d. 17 *nov.* 1628, idem declarasset (vide Piat, p. 201, nota 5): at Bizzarri hoc decretum non refert.

4. Verum Clemens X, Const. *Superna* (1670), et variae Congregationes Romanae decretis a SS. Pontif. approbatis certe

---

6. (a) Pontifex statuit primum quomodo Regulares debeant petere ab Episcopis Dioecesanis facultatem audiendi saecularium confessiones, et dicit, si Episcopi iniuste recusaverint, se illis hanc facultatem concedere (vide supra, n. 2, 2°); deinde subiungit: « Per huiusmodi autem concessionem, nequaquam intendimus personis seu Fratribus ipsis ad id taliter deputatis potestatem in hoc impendere ampliorem quam in eo curatis vel parochialibus sacerdotibus est a Iure concessa, nisi eis forsan ecclesiarum Praelati uberiorem in hac parte gratiam specialem ducerent faciendam ». Porro certe Ius non dat parochialibus sacerdotibus et curatis facultatem absolvendi a casibus quos Episcopi sibi reservant, nec a casibus quos ipsum Ius Episcopis reservat: ergo nec Regularis hanc facultatem habent ex hoc Iuris capite.

(b) In hac formula comprehenduntur saltem omnia peccata Iure reservata, exceptis casibus in bulla *Coenae*. Ergo facultas datur absolvendi ab aliis casibus Iure reservatis (quos enumerat S. Lig., *de Privilegiis*, n. 46).

revocaverunt omnia privilegia circa absolutionem casuum Episcopis reservatorum. Utrum autem haec reservatio intelligenda sit de solis casibus quos Episcopi sibi reservant, an etiam de casibus ipsis a Iure reservatis, controvertitur: nam haec duo videntur confundi, etiam in Const. *Superna* (c).

(c) In Const. *Superna*, § 6, haec declarantur: « Ex facultatibus per Mare magnum aliave privilegia Regularibus cuiuscumque Ordinis, Instituti aut Societatis, etiam Iesu, concessis, factam eis non esse potestatem absolvendi *in casibus ab Episcopo sibi reservatis*; et per confirmationes dictorum privilegiorum, quas Regulares a Sede Apostolica post sacrum Conc. Trid. obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia prius ab eodem Concilio aut deinde Apostolicis etiam decretis sublata atque extincta, si quae habebant, absolvendi *a casibus Episcopo reservatis* ». Et § 7: « Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicae reservatis, non ideo *a casibus Episcopo reservatis* posse absolvere ».

Praeterea habentur sequentia decreta: 1. Decretum Clementis VIII, 9 *ian.* 1601 (apud Bizzarri, pag. 17): « S. Congr. EE. et RR., de S. D. N. Clementis VIII speciali mandato, sacerdotibus omnibus tam saecularibus quam regularibus per universam Italiam extra Urbem degentibus, ad confessiones audiendas probatis, quorumvis Ordinum etiam mendicantium, et Congregationum etiam Societatis Iesu,... iubet et praecipit, ne quis eorum sub praetextu privilegiorum sub quibusvis tenoribus,... ab ullis casibus... S. Sedi reservatis, nec etiam *a casibus quos Ordinarii locorum hactenus reservarunt vel in posterum sibi reservabunt*, nullo casu.... nisi in mortis articulo,... absolutionis beneficium de caetero impendere audeat vel praesumat.... Sanctitas enim sua, quatenus opus sit, facultates et concessiones ipsas in hac parte uti cassas et irritas haberi de caetero voluit et vult, non obstantibus quibuscumque ». Anno sequenti, 26 *nov.* 1602, prodierunt variae declarationes huius decreti: confirmata fuit autem derogatio omnibus privilegiis a decreto statuta, et rursus repetitur prohiberi absolutionem ab omnibus casibus *quos Ordinarii locorum sibi reservarunt vel in posterum reservabunt* (notandum est hoc decretum ad solam Italiam, Urbe excepta, spectare).

2. Decretum S. Congr. EE. et RR., d. 7 *ian.* 1617, a Paulo V approbatum: « Ut nulli ex sacerdotibus praedictis (scilicet, cuiusvis Ordinis aut Instituti etiam necessario exprimendi) quibuscumque privilegiis, indultis et facultatibus suffulti, ab excommunicationibus vel *a casibus eisdem Ordinariis* vel Sedi Apostolicae reservatis, praeter quam in mortis articulo, absolvere audeant vel praesumant » (apud Piat, p. 201).

3. Decretum eiusdem Congr., 17 *nov.* 1628 ab Urbano VIII approbatum: « Regulares cuiusvis Ordinis.... etiam necessario exprimendi, nec intra nec extra Italiam, in vim privilegiorum aut confirmationum eiusmodi, quas obtinuerunt vel deinceps forte obtinebunt, posse quemquam absolvere.... a *casibus.... Ordinario loci reservatis* » *(ibid.)*.

4. S. Congr. S. Officii, decreto 30 *ian.* 1659 ab Alexandro VII approbato,

5. S. Lig. (*de Privilegiis,* n. 100, et l. VII, *de Censuris,* n. 99), probabilius censet Regulares ex suis privilegiis posse absolvere a casibus Iure Episcopis reservatis. Rationem promit: quia in decreto Clementis VIII, d. 9 *ian.* 1601 dato, de solis casibus quos Episcopi sibi reservant mentio fit et revocantur privilegia ab eis absolvendi; caetera autem decreta, ait, sunt tantum confirmativa huius decreti: unde etiamsi prohibeant Regularibus absolvere a casibus Episcopis reservatis, intelligi debet a casibus quos Episcopi sibi reservant. Comp. Priv., n. 5, hanc sententiàm S. Lig. citat et sequitur. Eam tenent Lehmkuhl, t. II, n. 936; Ball.-Palm., *de Poenit.*, n. 774; Bucceroni, *Theol. moral.*, t. II, n. 797 et *Comment. in Const. Apost. Sedis*, n. 76; Ferrari, n. 91; Vermeersch, t. I, n. 516, 4°; Genicot, n. 346; Prümmer, q. 233, qui dicit esse sententiam nunc communem, ponit tamen hanc restrictionem: nisi Episcopus rursus ea sibi reservet. Piat, p. 200, q. 33, potius in sententiam negantem inclinat propter verba decretorum.

7. Quomodo Regulares in administratione sacramenti Poenitentiae Episcopis subiiciantur et ab eis corrigi possint.

1° Tridentinum, praeter necessariam approbationem Episcopi loci ad audiendas confessiones saecularium (*sess.* XXIII, c. 15 *de Reform.*), statuit (*sess.* XXV, c. 11 *de Regularibus*) ut in parochiis Regularium, ii qui curam animarum exercent, « in iis quae ad dictam curam animarum et sacramentorum administrationem pertinent, *iurisdictioni, visitationi et correctioni Episcopi* » subiaceant.

2° Gregorius XV, Constit. *Inscrutabili,* 1622, Tridentino ad-

---

sequentem propositionem condemnavit: « Regulares habent potestatem absolvendi a *peccatis Episcopo reservatis,* etiamsi ab Episcopo auctoritas ista ipsis indulta non fuerit ». — Et idem Alexander VII, d. 7 *sept.* 1665, hanc similem propositionem (12am) etiam condemnavit: « Mendicantes possunt absolvere *a casibus Episcopis reservatis,* non obtenta ad id Episcoporum facultate » *(ibid.)*. — Sed dici potest has duas propositiones esse falsas, quia utrumque casum complectuntur, et affirmant Regulares absolvere posse a casibus tum a Iure tum ab Episcopis ipsis sibi reservatis.

5. S. Congr. Conc., 16 *nov.* 1720, dubio: « An confessarii Regulares possint saeculares, extra mortis periculum, absolvere *a casibus Ordinario reservatis?* » respondit: « Negative » *(ibid.)*. — Sed hic etiam dici potest, quoniam Regulares nonnisi ex privilegio speciali et mendicantibus tantum concesso habent ut absolvere possint a casibus Episcopo a Iure reservatis, merito responsum fuisse negative: scilicet Regulares hanc facultatem a Iure non habent; aliqui tantum habent, vi privilegii specialis.

dens, statuit quod « Regulares quomodolibet exempti, sive curam animarum personarum saecularium exercentes, sive alia ecclesiastica sacramenta aut unum ex illis ministrent,... in his quae eiusmodi curam vel administrationem concernunt, omnimodae iurisdictioni, visitationi et correctioni Dioecesani Episcopi, tamquam Sedis Apostolicae Delegati, plene in omnibus subiiciantur » (§ 4) ; et § 6 subiungit : « Ita ut Episcopi in suprascriptis casibus, in praenominatas personas in praemissis omnibus et singulis aut circa eas quoquomodo delinquentes, quoties et quando opus fuerit,... per censuras aliasque poenas uti eiusdem Sedis Apostolicae Delegati, procedere omnemque iurisdictionem exercere libere et licite valeant ».

Deinde autem, in *Declarationibus* huius Constitutionis a S. Congr. Conc. datis, et ab eodem Gregorio XV atque ab Urbano VIII approbatis, expresse pronuntiatum fuit Regulares in administratione sacramentorum saecularibus, tunc tantum subiacere Episcopis, *quando in ea delinquunt* [a].

3° Quapropter Innocentius X, in causa Angelipolitana, Const. *Cum sicut* (1648), *ad dubium* 10^um^ *primae seriei* respondit : « Iisdem Regularibus, qui confessiones personarum saecularium audiunt sine approbatione Episcopi loci, vel..., posse Episcopum, in vim Constitutionis *Inscrutabili,* tamquam Sedis Apostolicae Delegatum, administrationem sacramenti Poenitentiae et munus praedicationis interdicere, eosque Iuris remediis coercere et punire ». Et *ad dubium* 4 *secundae seriei*, profert in casu inobedientiae in confessionibus audiendis, Episcopum « posse procedere, non quidem in vim C. Tridentini, sed in vim Constitutionis Gregorii XV *Inscrutabili* ».

---

7. (a) « S. Congregatio censuit Constitutionem s. m. Gregorii XV, de exemptorum privilegiis, nequaquam subiicere Regulares exemptos, quibus cura animarum personarum saecularium non incumbit, Episcoporum iurisdictioni in his quae sacramentorum administrationem concernunt, nisi cum in sacramentis personis saecularibus administrandis iidem Regulares delinquunt. Ac propterea, ad dubium 1^um^ respondit : Episcopis non licere in vim eiusdem Constitutionis visitare altaria ecclesiarum Regularium quibus non incumbit animarum cura personarum saecularium, nec loca in quibus in iisdem ecclesiis asservatur SS. Eucharistiae sacramentum, vel ubi confessiones personarum saecularium audiuntur » (apud Vermeersch, t. II, p. 676). — Simili modo Benedictus XIV, Const. *Firmandis* (1744), § 7, declaravit : « In ipsis ecclesiis parochialibus Regularium non subiacere visitationi Episcopi omnes sedes confessionales, sed tantum « confessionale in quo parochus ad audiendas confessiones residere solet ».

4° Quoad personas quae sunt de familia, de quarum animis curam habent, Regulares in hac cura exercenda non subiacent iurisdictioni Episcopi. Ita Synodus Tridentina, l. c., quae eas positive excludit. « In monasteriis... quibus imminet cura animarum personarum saecularium, *praeter eas quae sunt de illorum monasteriorum seu locorum familia*, personae tam regulares quam saeculares huiusmodi curam exercentes subsint immediate, in iis quae ad dictam curam et sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi et correctioni Episcopi ». Eodem modo eas excludit Gregorius xv, § 2[(b)]. Inde est ut, etiamsi in administratione sacramentorum circa eas delinquant, non subsint iurisdictioni et correctioni Episcoporum (excepto casu denuntiationis faciendae), sicut non subiacent si delinquunt in administratione sacramentorum suis religiosis.

Ergo, brevi hae normae dari possunt: Regulares exempti, quoad sacramenti Poenitentiae administrationem Episcopis subiiciuntur: 1° quoad approbationem obtinendam, ut dictum est, et in omnibus quae fuerunt de hac approbatione, de examine atque de approbationis revocatione sancita; 2° quoad ipsam sacramenti administrationem, si curam animarum personarum saecularium non exercent, tantummodo quando in ea delinquunt; 3° si curam animarum (praeter familiares) exercent, in omnibus quae ad dictam curam et sacramentorum administrationem pertinent; 4° in iis in quibus ab Episcopis dependent, possunt ab eis per censuras aliasque poenas coerceri.

8. De Extrema Unctione. — Extremam Unctionem, sicut Viaticum, regulares nequeunt saecularibus ministrare, nisi in casu necessitatis (vide c. xviii, n. 13) aut nisi saeculares sint eorum familiares (infra, n. 10). Pius ix, Const. *Apostolicae Sedis* (1869) excommunicationi R. P. reservatae subiacere declarat « religiosos praesumentes clericis aut laicis, extra casum necessitatis, sacramentum Extremae Unctionis aut Eucharistiae per viaticum ministrare absque parochi licentia ». Ex-

(b) « Ut in monasteriis seu domibus virorum seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum saecularium, *praeter eas quae sunt de illorum monasteriorum seu locorum familia*, personae tam regulares quam saeculares eiusmodi curam exercentes, subsint immediate in his quae ad dictam curam et sacramentorum administrationem pertinent iurisdictioni, visitationi et correctioni Episcopi in cuius dioecesi sita sunt ».

communicatio illa transcribitur ex Clementina *Religiosi,* 1, *De privilegiis,* v, 7. Eodem sensu, sed cum explicatione magis praecisa Leo x, Const. *Dum intra* (1516), § 7, statuerat: « Eucharistiae vero et Extremae Unctionis aliaque ecclesiastica sacramenta (non agitur de Poenitentia, de qua § 6 dictum erat) illis quorum, etiam infirmorum et decedentium, confessiones audierint, docentibus proprium sacerdotem sibi dare denegasse, dare nequeant, nisi denegatio sine legitima causa facta, vicinorum testimonio probata, aut requisitio coram notario publico facta doceretur (Exceptio hic facta non iam invenitur in Constitutione Pii ix). Eorumdem vero Fratrum obsequio insistentibus sacramenta huiusmodi nullatenus ministrare valeant, nisi illorum durante obsequio ».

Notandum est quod si Regularis aegrotet extra conventum, Viaticum et Extrema Unctio ei dari debent non a suis confratribus sed a parocho loci. S. Congr. Conc., 21 *apr.* 1609, iussit puniri ceu notorie et extra claustra delinquentem Regularem quemdam, qui alteri Regulari sui conventus in domo paterna aegrotanti sacramentum Extremae Unctionis administraverat. (Apud Pignatelli, t. iv, cons. 199, n. 5). Sententiam contrariam tamen tenet Prümmer, q. 225, 3° (vide supra, c. xviii, n. 13, *nota* b).

9. De sacramentis Baptismi et Matrimonii. — 1° Regulares, nisi sint parochi aut a parochis delegati, non possunt licite *baptismum* ministrare. Ratio est quia, ut ait *Rituale Romanum,* « legitimus baptismi minister est parochus vel alius sacerdos a parocho vel ab Ordinario loci delegatus ». Ita ex antiquis Canonibus (Ferraris, v. *Baptismus,* a. iv, n. 1).

Cum delegatione parochi vel Ordinarii et licentia sui Superioris Regularis baptismum conferre potest.

In locis missionum, ubi non sunt parochi, facultas baptizandi missionariis dari consuevit. Quae sint leges seu consuetudines suae missionis quisque scire debet (Ferraris, l. c. n. 14). — Leo xii, Br. *Plura inter* (1826), intra privilegia vicennalia, alumnis Societatis concedit facultatem « administrandi omnia sacramenta etiam parochialia, Ordine et Confirmatione exceptis, et quoad sacramenta parochialia, in dioecesibus ubi non erunt Episcopi vel Ordinarii aut eorum vicarii, vel in parochiis ubi non erunt parochi, vel, ubi erunt, de eorum licentia » (n. 17).

2° Regulares *patrini* esse nequeunt. Ita *Rituale Romanum:* « Ad hoc (munus patrini vel matrinae) admitti non de-

bent monachi vel sanctimoniales, neque alii cuiusvis Ordinis Regulares a saeculo separati ». Multi fuerunt canones id munus religiosis prohibentes (Ferraris, l. c., art. vii, n. 41). Attamen S. R. C., d. 15 *febr.* 1887, respondit potius adhibendas esse moniales in defectu aliorum, quam baptismum aut confirmationem sine patrino conferre. — Quod de monialibus responsum fuit, quia de his tantum S. Congr. interrogabatur, id etiam de religiosis intelligi debet.

3° Regulares, nisi sint parochi aut a parocho legitimo vel ab Episcopo loci deputati, *matrimonia* neque licite neque valide benedicere valent. Ita ex decreto *Ne temere* (2 *aug.* 1907) « Ea tantum matrimonia valida sunt, quae contrahuntur coram parocho, vel loci Ordinario, vel sacerdote ab alterutro delegato, et duobus testibus » (n. 3). Excipitur casus imminens mortis, aut si in aliqua regione parochus aut sacerdos legitime deputatus haberi non posset, et haec rerum conditio a mense iam perseveraret: tunc enim quivis sacerdos matrimonio valide et licite assistit (ib., nn. 7 et 8). — Cum delegatione parochi et licentia Superiorum suorum, nihil prohibet quin Regulares matrimonia benedicant [a].

Qui audet benedicere matrimonium sine licentia parochi, iuxta Tridentinum, suspensionem ipso iure incurrit (*sess.* xxiv, c. 1 *de Reformatione matrimonii*). An haec poena subsistat post decretum *Ne temere,* qui (n. 10) poenam ferendae tantum sententiae statuit contra *parochos* illegitime benedicentes matrimonia, saltem dubium est. Censent non subsistere Vermeersch, Ferreres, C. Gennari, Besson, in commentariis super decretum *Ne temere*. Contra, Boudinhon remanere existimat.

10. De familiaribus: eorum exemptio et privilegia [a]. — Familiares Regularium sunt exempti a iurisdictione Episcoporum et parochorum: constituuntur sub cura et regimine Regularium quibus inserviunt. Unde sequitur primo, quod eis Regulares omnia ecclesiastica sacramenta ministrare possint.

---

9. (a) « Quod si quis parochus vel alius sacerdos, *sive regularis*, sive saecularis sit,... alterius parochiae sponsos, sine illorum parochi licentia matrimonio coniungere aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario, eius parochi, qui matrimonio interesse debebat seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur ».

10. (a) Cf. Comp. Privil. nn. 235 et ss.

Concessit Coelestinus v Congregationi Caelestinorum, Const. *Etsi cunctos* (1294) [b], Gregorius xi FF. Praedicatoribus, Const. *Virtute conspicuos* [c], Iulius ii FF. Minimis, Const. *Dudum* (1506) [d], Paulus iii Societati Iesu, Constitut. *Licet debitum* (1549) [e], Leo x omnibus Regularibus, C. *Dum intra* (1516) [f], et post Trident., Gregor. xiii Somaschis, Constitutione quadam quam publicavit ac confirmavit Sixtus v, Const. *Aequum reputavimus* (1585) [g].

Conc. Trident., nedum privilegia anteriora circa familiares revocaverit, ea confirmavit, sed magis presse definiendo quinam nomine familiarium nunc veniant et dictis privilegiis gaudeant. *Sess.* xxiv, *cap.* 11 *de Reformatione,* statuit privilegia et exemptiones, quae variis titulis conceduntur, non impedire quin oblati monasteriis iisque inservientes « ipsis Ordinariis, tamquam Apostolicae Sedis delegatis, plene in omnibus subiecti

---

(b) « Illis vero qui vestris immorantur obsequiis, aliisque omnibus Christifidelibus propter hoc ad vos devote recurrentibus, ex permissione apostolica et indulgentia speciali, quas vobis huiusmodi privilegii auctoritate concedimus, cuncta libere ministrare possitis ecclesiastica sacramenta, et ipsorum corpora, cum decedunt, in vestris coemeteriis libere et absque Dioecesanorum aut aliorum Ordinariorum contradictione et aliorum quorumlibet sepelire » (§ 22).

(c) « Iis vero qui in vestris morantur obsequiis cuncta libere possitis ministrare ecclesiastica sacramenta, et ipsos, cum decedunt, in vestris oratoriis sepelire » (§ 10).

(d) « De caetero famuli domorum Ordinis Minimorum.... omnibus et singulis privilegiis Ordini Minimorum quomodolibet concessis gaudere libere et licite valeant » (§ 15).

(e) « Iis vero, qui in ipsorum Praepositorum et Sociorum morantur obsequiis, cuncta libere ministrare possint ecclesiastica sacramenta, et ipsos, cum decedunt, in eorum coemeteriis sepelire ».

(f) Leo x, Const. *Dum intra* (1516), data pro omnibus Regularibus: « Eucharistiae vero et Extremae Unctionis aliaque ecclesiastica sacramenta illis, quorum etiam infirmorum ac decedentium confessiones audierint,... dare nequeant, nisi.... — Eorumdem vero Fratrum obsequio insistentibus sacramenta huiusmodi nullatenus ministrare valeant, nisi illorum durante obsequio » (§ 7). Ergo, durante obsequio, ea ministrare valent.

(g) « Gregorius xiii, omnes et singulas dictae Congregationis.... personas, *necnon familiares et ministros,...* ab omni iurisdictione, dominio, potestate, superioritate, subiectatione, visitatione, correctione quorumcumque Ordinariorum apostolica auctoritate in perpetuum exemit et liberavit.... Decernimus quod absolutio, exemptio,... indulta et dispensatio Gregorii... suum sortiantur effectum » (§§ 1 et 6).

exsistant, exceptis tamen iis qui praedictis locis actu serviunt et intra eorum septa ac domos resident subque eorum obedientia vivunt ». Et *sess.* XXV, *cap.* 11 *de Regul.*, ubi ait eos, qui in monasteriis et domibus religiosis curam habent personarum saecularium, in iis quae ad dictam curam pertinent subesse iurisdictioni Episcoporum, excipit casum quo haec cura circa familiares exercetur: « In monasteriis seu domibus virorum seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum saecularium, *praeter eas* quae sunt de illorum monasteriorum seu locorum familia, personae.... ».

Haec privilegia abunde sufficiunt ut, tamquam immediatae eorum consequentiae, habeantur ea quae sequuntur:

1. Regulares ad audiendas confessiones familiarium suorum non indigent approbatione Episcopi loci.

2. Familiares non subiacent reservationi casuum dioeceseos, nec censuris generalibus Episcopi loci, utpote eius iurisdictioni non subditi.

3. Regulares suis familiaribus possunt ministrare communionem paschalem, etiam ipso die Paschatis.

4. Item Eucharistiam per modum Viatici et Extremam Unctionem.

5. Eos possunt sepelire in propriis ecclesiis aut coemeteriis.

6. Possunt dispensare cum illis super cibis vetitis et ieiuniis, sc. in iis omnibus in quibus Episcopi possunt: quia sunt eorum Ordinarii, et familiares gaudent iisdem privilegiis ac ipsi religiosi (COMP. PRIV., n. 176).

Fuerunt nihilominus speciales declarationes propter dubia proposita. CLEMENS X, Const. *Superna* (1670), § 4: « Caeterum in monasteriis ac etiam collegiis, ubi iuxta regularia instituta vivitur, posse tam Praelatos regulares, quam confessores Regularium eorum monasteriorum seu collegiorum, audire confessiones illorum saecularium qui inibi sunt vere de familia et continui commensales, non autem illorum qui tantum ipsis deserviunt ». — S. CONGR. CONC., 25 *ian.* 1738: « Religiosos posse tantum laicis degentibus intra septa monasterii eique actu inservientibus ministrare sacramenta Eucharistiae etiam tempore Paschatis, ac Extremae Unctionis, necnon sepulturam dare in propria ecclesia ». Eadem declaratio iam facta fuerat a. 1587 (apud PALLOTINI, v. *Sacram. Eucharistiae,* I, 14) (h).

(h) Quaeri potest an, si famulo sacramentum Baptismi esset administrandum, illud Regulares administrare possint? — Videtur affirmandum,

11. Quinam sint familiares a iurisdictione Episcopi exempti et sub cura Regularium plene positi? — TRIDENTINUM, *sess.* XXIV, c. 11 *de Reform.* (vide num. praec.) eos his tribus notis definit: 1ª qui actu serviant in monasteriis Regularium, 2ª intra septa ac domos eorum habitent, 3ª sub eorum obedientia vivant. — Quae omnia simul concurrere intelligantur ait GREGORIUS XIII, Const. *Circumspecta* (1580). — CLEMENS X exemptos eos habet, « qui inibi (sc. in monasteriis) sunt vere de familia et continui commensales, non autem tantum qui ipsis (Regularibus) deserviunt » (a).

12. Scholares convictores. — An hi scholares convictores eadem exemptione et privilegiis gaudeant ac familiares, quales eos describit Tridentinum?

1. Non est negandum quod proprie non veniunt sub nomine familiarium, quales eos describunt TRIDENTINUM, *sess.* XXIV, c. 11, et varia decreta. TRIDENT., l. c., familiares vocat eos qui monasteriis *serviunt*. Item decretum 25 *ian.* 1738 ait haec privilegia competere tantum laicis monasterio actu inservientibus.

2. Sed ex alia parte TRID., *sess.* XXV, c. 11 *de Regul.*, veluti exemptas habet personas quae sunt *de familia* monasteriorum; et CLEMENS X, saeculares qui in monasteriis sunt *vere de familia et continui commensales* (supra, n. 10). Porro scholares convictores assimilantur filiisfamilias et plus videntur esse de familia quam famuli. Etiam animadverti potest quod

---

siquidem iste famulus est exemptus a iurisdictione Episcopi, et Regulares famulis omnia ecclesiastica sacramenta administrare possunt. — Obiiciuntur tamen verba Ritualis « Adultorum baptismus, ubi commode fieri potest, ad Episcopum deferatur, ut, si illi placuerit, ab eo solemnius conferatur ». — Similis quaestio moveri potest de sacramento Matrimonii familiari ministrando.

11. (a) Notetur haec conditio: quod intra septa monasterii habitare debent. Unde famuli qui sunt in grangiis et locis ruralibus Regularium non sunt familiares: haec loca enim non sunt regularia, sed profana. — Inde responsio INNOCENTII X, in causa Angelipolitana (Const. *Cum sicut*, 1648, ad dub. 17): « Utrum Regulares, etiam PP. Iesuitae, in suis *praediis*, officinis *aliisque domibus saecularibus*, sitis intra limites parochialium ad se non pertinentium, possint administrare sacramentum Baptismatis solemnis, Matrimonii, Extremae Unctionis et Eucharistiae in festo Paschatis famulis, mercenariis, rusticis, sive aliis id genus hominibus saecularibus, absque Ordinarii vel parochi licentia? — Resp.: Non posse ». Nec fit ulla distinctio inter famulos et alios, quando in praediis et domibus saecularibus morantur.

si Concilium, in *sess.* XXIV, hanc notam pro familiaritate ponit quod personae actu serviant, ratio est quia in hoc loco de famulis loquebatur monasteriorum, et voluit distinguere famulos qui erant vere familiares, — quibus exemptio aliaque privilegia competunt, — ab aliis famulis, et inter eorum notas posuit ut actu serviant. Praeterea argumentum non infirmum desumi potest ex verbis LEONIS XIII, C. *Romanos Pontifices* (n. 20). Postquam scholas elementares iurisdictioni Ordinarii subiacere declaravit, subiungit: « Alia profecto causa est caeterarum scholarum et collegiorum in quibus religiosi viri, secundum Ordinis sui praescripta, iuventuti catholicae instituendae operam dare solent. In hisce enim, et ratio postulat et Nos volumus firma atque integra privilegia manere quae illis ab Apostolica Sede collata sunt, prout aperte est declaratum, a. 1874, a S. Congr. de Prop. Fide ».

3. Quodcumque de hac controversia proferatur iudicium, varia existunt privilegia directe concessa pro convictoribus. PAULUS V Somaschis « concessit, ut omnibus et quibuscumque personis degentibus et commorantibus.... in seminariis, academiis et convictorum collegiis sub cura, regimine et administratione dictae Congregationis exsistentibus, Extremae Unctionis, necnon etiam tempore Paschatis Resurrectionis dominicae festivitatis SS. Eucharistiae sacramenta.... ministrare possint » (refertur ab URBANO VIII in Const. *Alias felicis,* 22 *dec.* 1632, apud PIAT, p. 247, *nota* 3).

BENEDICTUS XIII Congregationi Doctrinae christianae, Const. *Illius vices* (1725), § 4, indulsit facultatem oratoria erigendi in suis domibus et collegiis, ibique « Poenitentiae et Eucharistiae sacramenta clericis domesticis, *convictoribus, scholaribus* administrandi, excepto tamen quoad scholares (solos scholares excipit, non domesticos nec convictores) communione paschali »; deinde dat Superioribus facultatem deputandi sacerdotes eiusdem Congregationis ad audiendum eorumdem confessionem (COMP. PRIVIL., n. 236).

Quoad ultimum hoc privilegium, notandum est *a)* nullam fieri mentionem approbationis Episcopi prius obtinendae pro confessione non tantum convictorum, sed etiam quorumcumque scholarium; *b)* nihil dici de Extrema Unctione, nec explicite de Viatico. Sed in privilegio Pauli V conceditur facultas ministrandi Extremam Unctionem, et de Viatico, quamvis explicite non nominetur, dubitari nequit: eadem enim est ratio ac pro Extrema Unctione.

Ergo concludi potest: probabile est convictores venire nomine familiarium, et eis proinde competere privilegia omnia familiaribus concessa [a]; praeterea certum videtur convictoribus nostris per communicationem competere privilegia a Paulo v et Bened. XIII concessa [b]. Addi potest, in multis sal-

12. (a) Ita censent Pichler, Pellizarius, Schmalzgrueber, Card. Tarquini (apud VERMEERSCH, t. I, n. 518). PRÜMMER. qq. 224 et 229, hanc sententiam probabilem habet. PIAT, t. II, p. 246, q. 7, quaestione prius restricta ad convictores Regularium proprie dictorum, qui habitent domos sub Regularium dominio constitutas (non domos alienas in quibus Regulares educandis iuvenibus vacant), alterutram sententiam refert, neutram ut probabiliorem amplectitur; attamen, p. 178, agnoscit verbis Leonis XIII, in Constitutione *Romanos Pontifices,* mentionem fieri privilegii quod habent aliqui Regulares, qui iuventuti educandae ex suo Instituto dant operam.... SUAREZ, tr. X, l. IX, c. 4, n. 16, innixus privilegio Benedictinorum, censet Societatem probabiliter posse alumnis aegrotantibus Extremam Unctionem ministrare, et ita fuit intellectum, ait, in *Comp. Privil.*, v. Extrema Unctio. LUGO, *Resp. Mor.*, l. IV, d. 33, n. 7, censet, propter idem privilegium, posse alumnis (datis conditionibus quae ex Piat supra explicatae sunt) administrari Extremam Unctionem. « De Viatico autem, addit, dubitarem et consulerem ut facultas ab Ordinario aut parocho peteretur, quia in dicto privilegio de sola Extrema Unctione fit mentio ». Idem repetit n. 9, et modo magis affirmativo, de Viatico et Communione paschali : « Non video tamen qua facultate possit illis Viaticum vel Communio paschalis dari sine licentia parochi vel Ordinarii, cum illi nec sint famuli nec hospites, pro quibus solis eiusmodi privilegia concessa fuisse vidimus ». Inter modernos, sententiae, quae alumnos ceu familiares habet, patrocinantur, ut probabili et tutae in praxi, LEHMKUHL, t. II, n. 396, NOLDIN, *de sacram.*, n. 354, FERRERES, t. II, n. 564, GENICOT, t. II, n. 338, GURY-BALLERINI, t. II, n. 564, GURY-BULOT, t. II, 547. Invocant tum verba Clementis X, tum privilegia variis familiis religiosis concessa et ab aliis per communicationem participata.

(b) Haec sententia non infirmatur decisione S. CONGR. EE. ET RR. contra Barnabitas 21 *iul.* 1848 lata. Episcopus ipsis concesserat ut in collegio, quod in sua dioecesi dirigebant, adolescentibus ibi studiorum causa degentibus sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae, Extremae Unctionis ministrare et exsequias facere valerent. Parochus reclamavit et decretum Episcopi reformatum fuit. — Haec sententia nihil ad casum generalem facit: circumstantiae enim erant omnino speciales. Nam inter alia parochus haec opponebat: in casu agi de collegio quod prius a praesbyteris saecularibus dirigebatur et parochi iurisdictioni ab immemorabili subiectum erat; clericis regularibus S. Pauli solam procurationem eius collegii esse commissam, et proinde collegium non esse proprie domum religiosam; tandem a 14 annis, scilicet a tempore quo primum eis commissum fuerat, parochum in collegium iurisdictionem pacifice exercuisse (Vide causam apud BIZZARRI, p. 616).

tem locis consuetudinem vigere, qua Regulares in suos scholares convictores plenam iurisdictionem exerceant. — Quoad sepulturam convictorum, vide infra, n. 15.

13. De hospitibus. — An Regularibus liceat libere sacramenta suis hospitibus administrare cum iisdem privilegiis quae fuerunt pro familiaribus indulta?

Ex concessione a S. Pio V Theatinis facta, Const. *Ad immarcescibilem* (1567), respondendum esset affirmative [a]. Verum haec Constitutio, quoad hanc partem saltem, censeri debet revocata a Gregorio XIII (vide c. XV, n. 12). Insuper multae sunt decisiones contrariae. Praeter duplicem sententiam S. Congr. Conc., a. 1587 et 1738 (supra, n. 10 fin.), aliae etiam eiusdem Congregationis citari possunt; v. g., d. 27 *sept.* 1670: « S. Congr. censuit non licere Fratribus absque licentia Episcopi vel parochi administrare sacramenta advenis qui in eorum conventibus infirmantur, et si decedant, non posse sepeliri in eorum ecclesiis » (apud Ferraris, v. *Eucharistia*, art. I, n. 19). Rursus d. 17 *febr.* 1649: « An Regulares possint laicis ratione hospitii et simili habitantibus in eorum conventibus, si ibidem infirmentur, ministrare SS. Eucharistiae sacramentum pro Viatico, necnon sacramentum Extremae Unctionis? — Resp. non posse, sed tantum illis qui sint continui commensales et de familia conventuum ». Tandem, d. 5 *febr.* 1650 respondit « Fratribus conventus N. non licuisse forensi, qui ad Terram Sanctam se transtulerat et in eodem conventu commorabatur, administrare SS. Eucharistiae sacramentum, et Extremae Unctionis, nec illius cadaver in eorum ecclesia sepelire absque licentia parochi, cui solvenda est quarta funeralis ». Haec duo decreta S. Congregatio EE. et RR. tamquam regulam proposuit in causa 14 *dec.* 1674 (apud Bizzarri, p. 302). Eadem S. Congr. Conc. interrogata, a. 1717: « An Patres S. Augustini licite potuerint, irrequisito parocho, sacramenta administrare » hospiti, qui in eorum conventu, solutis alimentis,

---

13. (a) « Eucharistiae, etiam pro Viatico, constitutis in articulo mortis, ac Extremae Unctionis, caeteris clericis et Fratribus Congregationis huiusmodi, ac etiam mercenariis, famulis, operariis et servis eorumdem, ac quibusvis hospitibus et extraneis, quos in locis vel habitationibus Congregationis tunc reperiri contigerit,... etiam Dioecesani locorum et sacerdotum curatorum.... aut aliorum quorumcumque licentia minime petita nec obtenta, Poenitentiae (et alia) sacramenta ecclesiastica ministrare possint » (§ 17).

vitam habitu indutus saeculari ducebat et morbo correptus ultima sacramenta a dictis Patribus accepit? » — Resp. « Negative » (27 *nov.* 1717 — apud PIAT, p. 249, q. 9) (b).

14. De iure funerandi et tumulandi (a).

Praenotandum. Aliud est funus, aliud tumulatio seu sepultura. Funus proprie dicitur de caeremoniis exsequialibus, quae fiunt in ecclesia circa cadaver. Tumulatio seu sepultura, ut vox ipsa praefert, dicitur de associatione ab ecclesia ad sepulchrum et de precibus quae ibi fiunt priusquam corpus tumulo seu sepulchro committatur. Ab his duobus etiam distingui debet associatio cadaveris, quando levatur a domo in qua iacebat et defertur ad ecclesiam ubi funus peragi debet.

De ipsorum Regularium funere et sepultura. — 1° Regulares, ex Iure, in ecclesia seu coemeterio monasterii sepeliri debent. Ita Bonifacius VIII, c. *Religiosi,* 5, *De sepulturis,* III, 12, in 6° (b).

2° Si religiosus extra monasterium moriatur et ad illud portari possit, ius cadaver levandi et usque ad monasterium associandi ad Regulares pertinet (c), associatio fit sub cruce conventuali (d), parochus loci non est advocandus nec illi debetur quarta funeralis (e). Attamen associatio tunc fieri debet sine pompa nec processione (f).

(b) In COMP. PRIVIL., n. 202, citata Const. S. Pii V, *Ad immarcescibilem* (quae datur quasi non fuisset a Greg. XIII revocata), additur : « In hospitibus, cum in factis particularibus sint in contrarium plures decisiones S. Congr. et contraria fere ubique consuetudo, eo (sc. privilegio Viaticum ministrandi) Nostri, praeterquam in subito casu cum necessitas premit et tempus non suppetit adeundae parochiae, in praxi non utantur ».

14. (a) De hac quaestione consulendus est PIAT, t. II, p. 306 sq., qui eam accurate tractat, et multa SS. Congregationum decreta congerit.

(b) « Religiosi, nisi a propriis monasteriis adeo forsitan sint remoti quod ad ea, cum moriuntur, commode portari non possint, nequeunt (cum velle et nolle non habeant) sibi eligere sepulturam, sed sunt apud sua monasteria tumulandi ».

(c) S. C. C., 2 *iul.* 1620: « Regulares extra claustra decedentes posse ad eorum ecclesias deferri, etiam parochis inconsultis ». Hoc decretum citatur in alio decreto eiusdem Congr., d. 21 *aug.* 1869 (A. S. S., t. V, p. 124).

(d) S. CONGR. EE. ET RR. d. 17 *sept.* 1880 ad 4.

(e) S. C. C., d. 21 *aug.* 1869, ubi citatur antiquum decretum 22 *maii* 1625: « Parochum, qui infirmo Regulari Viaticum et Extremam Unctionem ministravit, non posse exigere paroecialia emolumenta ».

(f) S. C. C., 2 *iul.* 1620, ad 11.

3° Si religiosus moriatur extra monasterium et ad illud deferri nequeat, tunc funeralia in ecclesia parochiali loci facienda sunt, nisi ibi sit monasterium eiusdem Ordinis, aut nisi religiosus sibi sepulturam in alia ecclesia elegerit, ut ex c. *Religiosi* habetur (vide PIAT, p. 308, q. 1, 4°).

4° Funus, seu caeremoniae exsequiales a Regularibus in suis ecclesiis peraguntur, ut patet.

5° Nunc, cum sepultura seu tumulatio in ecclesiis seu coemeteriis adiacentibus plerumque a legibus civilibus prohibeatur, necessarium est cadavera ad coemeteria publica deferre. Ipsi Regulares ius habent deferendi et associandi cadaver, sub cruce conventuali, parocho non advocato, modo fiat recto tramite et sine pompa(g); nec ut funerandi iure gaudeant, necessarium est proprium ac distinctum sepulchrum habeant in communi coemeterio(h).

6° Religiosi dispersi. — S. CONGR. EE. ET RR., 26 *febr.* 1864, respondit: « Religiosos dispersos, quoad funera, subesse parocho loci, prout caeteri parochiani » (A. S. S., t. I, p. 168). Ita fuit responsum, quamvis Regulares ecclesiam in loco haberent Provincialis custodiae commissam.

15. De funere novitiorum, famulorum, convictorum et hospitum.

1. **Novitii.** — Si in monasterio moriuntur, in coemeterio monasterii ab ipsis Regularibus tumulantur, nec parochus ius ullum habet. Ratio est quia novitii privilegiis Ordinis gaudent (c. IV, n. 18). — Excipitur, si aliam sepulturam elegerint: quod ante vota ipsis denegari nequit.

(g) S. C. C., 24 *ian.* 1846. Quaer. 1: « An, expleto officio super Regularis cadavere, parochus vocari et interesse debeat? — Quaer. 2: An funeris processio ordinanda sit sub cruce metropolitana seu parochialis ecclesiae? — Resp. ad 1 et 2: Negative in omnibus, dummodo cadaver deferatur absque solemni pompa, recto tramite, ad coemeterium a familia regulari proprii conventus tantum. — Quaer. 3: An sine parochi interventu possint Regulares ordinare processionem, cum stola et cruce conventuali usque ad sepulcrum, an potius in transitu per paroeciam, debeant utrumque signum deponere, ea in coemeterio resumpturi? — Resp. ad 1 p., Affirmative, cum conditionibus uti in praecedentibus, et cum stola et cruce conventuali tantum; ad 2 p. Negative » (ad intelligentiam secundi quaesiti notandum est, quod ecclesia metropolitana in casu erat simul parochialis).

(h) S. C. C., 14 *aug.* 1875.

Si extra monasterium moriuntur, controvertitur; sed ipsis etiam videtur convenire quidquid de Regularibus professis dictum est: valet enim eadem ratio, nempe privilegiis Regularium gaudent. PIAT, p. 308, q. 2, utramque sententiam refert quin se pronuntiet. S. LIG., *de Privilegiis,* n. 91, ait novitios in monasterio esse sepeliendos, etiam si alia in domo morabantur, ex licentia sui Praelati.

II. **Famuli.** — Si sint vere de familia, ipsi his Regularium privilegiis gaudent quorum sunt capaces, et sunt exempti. Ergo eadem de ipsis dicenda sunt ac de novitiis. Cf. decretum S. C. C., 1738 (supra, n. 10), ubi explicite dicitur famulis, qui sint vere de familia, Regulares posse « dare sepulturam in propriis ecclesiis ». Ita etiam S. LIG., *de Privil.*, n. 91.

Si non sint vere de familia, privilegiis Ordinis non gaudent: ergo nisi aliam sepulturam elegerint, a paroecia loci sepeliri debent. Ita pluries de caetero declaravit S. Congr. Conc. (apud PIAT, p. 309, q. 3).

III. **Convictores.** — De ipsis maior est controversia. Plures enim negant eos vere esse de familia (supra, n. 12), et consequenter dicunt ius funerandi tunc ad parochiam pertinere, nisi Regulares speciale habeant privilegium. — Alii e contra dicunt eos esse vere de familia, et quemadmodum quoad Confessionem, Communionem paschalem, Viaticum et Extremam Unctionem exempti sunt a parocho loci et ab Ordinario, ita etiam quoad sepulturam [a] (vide PIAT, q. 4).

De caetero, si convictores sint puberes et elegerint sepeliri in ecclesia Regularium, aut si sint impuberes et antequam moriantur eorum parentes idem elegerint, nulla controversia est. Imo plures sentiunt, donec filiifamilias remanent sub cura parentum, etiamsi iam puberes sint, parentes pro eis sepulturam eligere posse, etiam post mortem. Attamen, quando electio post mortem fit aut in omni casu pro puberibus, haec sententia non est certa [b] (vide PIAT, p. 316, nota 7).

---

15. (a) Parum valet contra hanc sententiam argumentum ex decreto S. CONGR. EE. ET RR., d. 21 *iul.* 1848, in causa PP. Barnabitarum seminarii Parmensis desumptum, propter omnino speciales causae circumstantias (supra, n. 12, *nota* b).

(b) Nam, 1° si fit post mortem, iam pueri non sunt sub cura parentum : deficit ergo fundamentum ut parentes pro ipsis eligant. Sed responderi

IV. **Hospites.** — Hi, etiamsi apud Regulares moriantur, a paroecia loci sepeliri debent, nec Regulares ius ullum habent ad eorum sepulturam. Ita pluries S. CONGR. CONC. et S. CONGR. EE. ET RR. (apud PIAT, p. 312, q. 11); et sequitur ex dictis supra, n. 13: scilicet hospites privilegiis Regularium, apud quos morantur, non gaudent.

16. De funere saecularium a Regularibus. — Regulares duplex privilegium habent circa funus saecularium. 1° Quilibet, sive masculus sive femina, dummodo sit pubes, sepulturam eligere potest, etiam in ecclesiis et coemeteriis Regularium. Ita BONIFACIUS VIII, c. *Super cathedram,* 2, *De sepulturis,* in *Extrav. comm.,* et CLEMENS V, c. *Dudum,* 2, *De sepulturis,* in *Clementinis,* III, 7 [a]. Impuberes sepulturam eligere nequeunt, quia sunt sub potestate paterna; neque Regulares, ut dictum est n. 14, quia sunt sub potestate Praelati (vide PIAT, p. 316, q. 2).

2° Regulares tamen non obligantur defunctos sepelire in suis ecclesiis nec eorum exsequias celebrare, etiamsi defuncti sepulturam in ipsorum ecclesiis elegerint. Concessit IULIUS II Minimis, Const. *Virtute conspicuos* (1506), § 23[b].

Haec duo privilegia facta sunt communia omnibus Regularibus per privilegiorum communicationem, et de caetero directe concessa sunt pluribus familiis religiosis. Cf. COMP. PRIVIL., nn. 500 et 501.

3° Quando aliquis elegit sepulturam apud Regulares, ad parochum loci pertinet corpus defuncti ex loco, ubi iacet, le-

---

potest, adhuc corpora remanere sub cura parentum. — 2° Si sunt puberes, ipsi sepulturam eligere possunt, ut dicitur n. 16: ergo parentes iam non habent ius eligendi. Responderi potest, ipsis hoc ius remanere, si filii puberes eo usi non fuerint.

16. (a) « Huiusmodi quoque statuto et ordinationibus nostris adiicimus, ut Fratres dictorum Ordinum in ecclesiis aut locis suis ubilibet constitutis liberam, ut sequitur, habeant sepulturam : videlicet quod omnes ad eam recipere valeant, qui sepeliri elegerint in locis et ecclesiis memoratis ». Deinde statuit ut in casu solvatur parocho quarta funeralis.

(b) « Districtius inhibentes, ut nulli religiosi vel saeculares, vobis invitis, aliquorum corpora defunctorum in vestris coemeteriis sepelire, aut in ecclesiis vestris missarum solemnia, vel pro animabus eorum, qui ad loca vestra tumulanda feruntur, ibidem exsequias celebrare, siue vestro assensu et voluntate praesumant ».

vare et deferre usque ad ianuam ecclesiae Regularium, ibique ultimum vale, quod in benedictione consistit, dicere [c].

Regulares autem non possunt accedere ad associandum cadaver a domo ad ecclesiam suam in qua est tumulandum, nisi sint vocati (S. R. C., 7 *maii* 1763); et etiamsi vocati fuerint, semper, uti dictum est, parochi est levare corpus illudque associare usque ad ecclesiam Regularium, stolam deferendo. Ad haeredes defuncti pertinet determinare quinam ad funus vocandi sint: ita saepe variae Congreg. (Piat, p. 320, q. 6).

4° Renuentibus autem parochis cadavera ad ecclesias Regularium associare, possunt Regulares ipsi cadavera levare, ad ecclesiam suam ducere, ac sepelire absque parochi licentia (S. R. C., 20 *nov.* 1677). Idem facere possunt, quando ipsi sunt vocati et ad parochiam accedunt, ut inde cum parocho ad domum defuncti pergant: tunc scilicet, si parochus praemonitus et, post accessum Regularium ad ecclesiam parochialem, etiam per solum quadrantem expectatus, non compareat, Regularibus cadaver levare et sine parocho deferre licitum est. (Ita S. Congr. EE. et RR., 9 *aug.* 1748 (apud Bizzarri, p. 411).

5° Regulares tamen cogi non possunt ad associandum cadavera in propriis ecclesiis sepelienda, sed sufficit ut illa ad portas suae ecclesiae excipiant (S. R. C., 21 *iun.* 1675).

6° In hac associatione, unica tantum crux est deferenda, nimirum ecclesiae tumulantis; nisi interveniat Capitulum ecclesiae cathedralis: nam tunc omnes sub cruce Capituli incedere debent [d]. Parochi autem est determinare per quam

---

(c) S. Rit. C., 12 *nov.* 1831, in *Sabinen. (Decr. auth.*, n. 2685): « Saepissime a S. R. C. declaratum fuit ad parochum defuncti spectare in funeribus stolam deferre, aqua benedicta cadavera aspergere antequam e domo efferantur, et antiphonam praecinere: Exultabunt Domino ». Ita etiam decretum generale S. R. C. 23 *apr.* 1895 (vide *notam* d). Cf. etiam Constit. Clementis x, relatam infra, *nota* f.

(d) Ita post multa alia decreta, *decretum generale S. R. C.*, 23 *apr.* 1895: « Cadavera defunctorum associanda esse cum unica tantum cruce, quae debet esse illius ecclesiae ad quam corpus defuncti defertur, dummodo non interveniat Capitulum ecclesiae cathedralis, sub qua omnes incedere debent funus associantes. Ius et onus inesse semper.... parocho induendi stolam et officia omnia persolvendi super cadavere defuncti ad suam pertinentis ecclesiam, usquedum e loco obitus ingressus fuerit ecclesiam tumulantem.... Eumdem parochum primas habere super omnem clerum.... Si defunctus in alia parochiali ecclesia sit tumulandus, illius uni ecclesiae Rectori, stola pariter induto, ius et onus competere reliqua officia

viam deferendum sit cadaver. Ita pluries SS. CC. (apud PIAT, p. 322, 6°).

7° Cadaver associaturi prius in ecclesiam parochialem, aut in alium locum, si ita ferat consuetudo, convenire debent, ut inde ad domum defuncti procedant (S. R. C. 9 *apr.* 1661) (e).

8° Cadavera recta e domo defuncti ad ecclesiam tumulantem deferri debent; parochus defuncti ius non habet ut deferatur in ecclesiam parochialem, nec Capitulum, si invitatum fuerit, ut deferatur ad ecclesiam cathedralem. S. CONGR. EE. ET RR., 21 *dec.* 1615 et 5 *aug.* 1709; S. C. C., 3 *dec.* 1701 et SIXTUS IV, Const. *Regimini* (apud PIAT, p. 325, q. 8).

9° Parochus cadaver associans ius non habet ingrediendi ecclesias Regularium, sed tenetur dimittere cadaver ad ianuam ecclesiae Regularium, postquam ibi ultimum vale et benedictionem ei dederit.

10° Regulares in sua ecclesia omnia officia super cadavere peragunt, etiamsi Capitulum fuerit invitatum et funeri praesens assistat (Decr. generale, 23 *apr.* 1895, et CLEMENS X, Const. *Nuper pro parte,* 1672, data pro Societate Iesu) (f).

11° Olim tumulatio fiebat in ipsa ecclesia aut in coemeterio adiacente (et haec erat forte praecipua ratio, cur sepultura apud Regulares eligebatur); nunc in plerisque regionibus publica coemeteria constituta sunt, ad quae ex praescripto legis civilis cadavera sunt deferenda. Quare S. CONGR. EE. ET RR., d. 29 *iul.* 1904, resolvit electionem ecclesiae pro cadaveris absolutione importare electionem sepulturae in ea aut ab ea

---

ibidem peragendi super cadavere, aliisque omnibus praecedere, ne defuncti quidem parocho excepto, qui, cadavere ad ecclesiae limen delato, recedat » (*Decr. auth.*, n. 3854).

(e) « Attenta dispositione Rubricarum Ritualis Romani, qua cavetur ut, constituto tempore quo corpus ad ecclesiam deferendum est, convocetur clerus et alii qui funeri interesse debent, ut in parochialem vel in aliam ecclesiam, iuxta loci consuetudinem, ordine conveniant.... » (*Decr. auth.*, S. R. C., n. 1191). — De dictis nn. 3, 4, 5, 6 et 7, cf. PIAT, p. 320, q. 6, qui multa decreta indicat.

(f) In hac Constit. CLEMENS X refert et confirmat decretum S. C. EE. et RR. tenoris sequentis: « Parochis, in associatione sive occasione associationis cadaverum, non licere ingredi ecclesias Regularium, sed teneri dimittere eadem cadevera ad ianuam ecclesiarum, ibique solum posse benedicere et dare ultimum vale; officia vero et alia munia, quae in huiusmodi ministeriis adhiberi solent, ab ipsis Regularibus peragi debere, non autem a parochis ». Bulla Clementis X fuit confirmata a Clemente XI, a. 1716 (confer BULLAR. SOC., p. 197 et 202).

faciendae; ideoque, ubi eligitur ab aliquo ut ipsius cadaver in ecclesiam Regularium ad absolutionem deferatur, hos Regulares ius habere cadaver privative associandi ad coemeterium commune, quo tumulandum est, ibique ultimas preces recitandi. Iam antea S. Congr. Conc. et S. Congr. EE. et RR. saepius responderant, per has leges civiles ac per communium coemeteriorum erectionem nihil derogatum fuisse iuri Regularium et aliorum (g): scilicet eorum esse, quorum ad ecclesiam corpora defunctorum pro absolutione deferuntur, ea deinde ab ecclesia sua ad coemeterium commune associare; parochum autem ius non habere ut advocetur, nec ut quidquam percipiat ex emolumentis pro ista associatione datis. Haec associatio, ex variis decretis, recto tramite et sine pompa facienda est (h).

Non obstantibus decretis, quibus singula, quae ad funera spectant, fuerunt minutatim lege generali definita, nihilominus multum attendendum est ad consuetudinem, ut ex pluribus decisionibus habetur (i) (de hac quaestione vide PIAT, p. 306, q. 1 et 2).

(g) Cf. ACTA S. SEDIS, t. IX, p. 20 et sqq., ubi plures resolutiones congestae inveniuntur.

(h) S. CONGR. EE. ET RR., 17 *sept.* 1880 (A. S. S., t. XXV, p. 499) quatuor dubiis respondit, ut sequitur:

1. An et cui ius competat comitandi cadavera ab ecclesiis Regularium, quo collata fuere ad explenda funebria, ad commune coemeterium ubi sepeliri debent? R. Affirmative, favore Regularium. — 2. An parochi ius habeant percipiendi emolumenta, quae ab haeredibus dantur sacerdoti ista comitanti cadavera ad coemeterium? R. Negative. — 3. An religiosi, in associatione cadaverum de quibus agitur, arcessere debeant parochum pro comitandis defunctis ad coemeterium commune? R. Negative. — 4. An Regulares incedere possint cum stola et cruce conventuali usque ad sepulchrum? R. Affirmative, sine pompa et recto tramite ». — Rursus in decreto particulari, 5 *maii* 1905, definivit quomodo intelligi debeant clausulae *recto tramite*, et *sine pompa*. 1° « Quamvis comitatio a Regularibus *sine pompa* fieri debeat, huic praescriptioni non officit si aliqui defuncti socii eius cadaver ad coemeterium comitent. 2° Si parentes defuncti aut auctoritates civiles aliam viam eligunt praeter *rectum tramitem*, iam associationem usque ad coemeterium ad Regulares non spectare » (A. S. S., t. XXXVIII, p. 204).

Insuper S. C. C., d. 14 *iul.* 1875, posito dubio: « An Regulares proprium ac distinctum sepulchrum habere debeant in communi coemeterio ut funerandi iure gaudeant? » Respondit: « Negative, et emolumenta funerum spectare ad Regulares, dempta quarta pro parocho » (A. S. S., t. IX, p. 27).

(i) Ita S. Congr. EE. et RR. in resolutione 10 *martii* 1893. Postquam

12° Parocho solvi debet quarta funeralis: ita in Clementina *Dudum*, 2, *de Sepulturis*, III, 7) (j).

Quarta funeralis est portio canonica quae defuncti parocho debetur ex his quae Regularibus obveniunt, eo quod in eorum ecclesia aliquis sepulturam elegit et sepelitur. Ea constat ex canonica parte tum taxae dioecesanae pro sepultura, tum oblationum et candelarum. Dicitur *quarta*, quia communiter quarta pars debetur. Sed tum quoad quotam partem quae solvenda est, tum quoad ea ex quibus debetur, multum ad consuetudines locales tribuitur: aliquando non quarta, sed tertia aut etiam dimidia parte constat (vide PIAT, p. 326, q. 11). Communiter ex iis tantum solvitur quae occasione funeris, sive pro taxa, sive pro candelis et intortitiis circa feretrum et in altaribus accensis erogantur, necnon ex oblationibus fidelium intra missam exsequialem (de hac quaestione videri potest FERRARIS, v. *Quarta funeralis*, et recentiora decreta).

13° Facta in Hispania lege qua iubetur cadavera recte transferenda esse a domo defuncti ad coemeterium commune quin ad ecclesiam prius deferantur, S. CONGR. EE. ET RR. decretum generale edere debuit ad determinanda iura parochi et Regularium, quando defunctus elegit ecclesiam Regularium ut ibi exsequiae celebrarentur: decretum datum est 1 *aug.* 1902, et invenitur in A. S. S., t. XXXV, p. 288.

17. De missionibus Regularium in partibus infidelium seu acatholicorum(a). Earum regimen. — In his locis, ubi

---

in disceptatione relatum fuisset decretum 17 *sept.* 1880 (nota praecedente), propter contrariam consuetudinem quae invocabatur, resolvit: in casu associationem non ad Regulares sed ad parochum pertinuisse, et ideo ipsi deberi omnia emolumenta percepta pro associatione cadaveris ab ecclesia ad coemeterium, et praeterea quartam funeralem pro funere in ecclesia Regularium legitime peracto (A. S. S., t. XXV, p. 503).

(j) « Auctoritate Apostolica constituimus et ordinamus, ut dictorum Ordinum Fratres de obventionibus omnibus.... quartam partem, quam auctoritate apostolica taxamus et etiam limitamus, parochialibus sacerdotibus et ecclesiarum Rectoribus seu curatis largiri integre teneantur ».

17. (a) Fontes sunt: 1° Varia decreta S. Congr. de Prop. Fide (*Collectanea de Prop. Fide*, nn. 417-425). 2° Constitutio *Romanos Pontifices* Leonis XIII, 1881 (S. Congr. de Prop. Fide, litteris 7 *dec.* 1901 ad omnes locorum Ordinarios a se dependentes missis, huius Constitutionis observationem commendavit). 3° Decreta Conc. Westmonasteriensis II circa bona temporalia missionum: horum enim observatio in dicta Leonis XIII Constit.

hierarchia ecclesiastica non est constituta, regimen missionis committitur alicui Vicario aut Praefecto Apostolico. Praeterea, in missionibus Ordini religioso commissis, Societati Iesu saltem, constituitur Superior regularis. Auctoritas utriusque, Vicarii apostolici scilicet et Superioris regularis, determinatur decreto S. Congr. de Prop. Fide, 23 *febr.* 1880 (b), modo sequenti:

1° « Missionarii S. I. immediate gubernentur ab aliquo Superiore regulari, secundum Instituti leges, a Praeposito Generali constituto et ab eodem revocabili. In iis quae mere ad vitam religiosam pertinent, unice pendeant ab hoc Superiore; in iis vero quae totaliter sunt ministerii apostolici, totaliter regantur a Vicario Apostolico ». — In decreto 18 *iun.* 1886 additur: « Missionarii quatenus sunt religiosi subduntur Superioribus regularibus *vi voti*, iuxta Constitutiones Societatis; in casibus autem a Iure nominatim expressis, et generatim in iis quae spectant ad regimen animarum et sacramentorum administrationem, subsunt Vicario Apostolico *obedientia canonica* ».

2° « Huius Superioris auctoritas prorsus nulla est, quoad ea quae respiciunt Vicariatus Apostolici regimen et administrationem ».

3° Iste Superior regularis a Praeposito Generali constituendus est, « audita prius sententia Vicarii Apostolici et Provincialis, ad cuius provinciam pertinet missio;... uti reliqui Societatis Superiores, post triennium est mutandus ».

4° « Habet omnes facultates in missione, quas Provincialis in provincia sua quoad religiosam vitam exercere solet.... In exercenda (tamen) sua auctoritate, Provincialem uti Superiorem immediatum habet ».

5° « Relate ad destinationem missionariorum subest Vicario Apostolico.... Vicarius tamen Apostolicus, quando des-

---

praecipitur (in *Collectanea de Prop. Fide,* p. 160, inveniuntur). 4° Conferri potest Instructio de Bonis temporalibus Societatis in missionibus exteris, 25 *dec.* 1895.

(b) S. Congr. de Prop. Fide, decreto 12 *aug.* 1851, a. 3, statuerat: « Si in Vicariatu Apostolico, cuius cura religiosa Societati committitur, existant alii presbyteri ipsius Societatis, electus etiam habeatur veluti primarius Superior regularis presbyterorum Societatis, adeoque iuxta Instituti regulas eosdem moderetur et regat ». Sed haec dispositio mutata fuit decreto 23 *febr.* 1880. — Utrumque decretum solam Societatem respicit.

tinationes sunt faciendae (Superiorem regularem), in consilium adsciscit, eiusque iudicio defert, in quantum fieri potest: quamvis penes Vicarium Apostolicum remaneat ipsa nominatio et collatio iurisdictionis ». — Paulo aliter in posteriori decreto a. 1886: « Destinatio personarum, *quas Superior regularis praesentat*, et collatio iurisdictionis ad Vicarium Apostolicum pertinent ».

6° « Harum personarum remotio et translatio pertinent ad Vicarium Apostolicum et ad Superiorem regularem, iuxta normas statutas a Benedicto XIV, Bulla *Firmandis*, § 11 [c] »: ita in decreto a. 1886.

18. Exemptio Regularium in missionibus. In quibus a Vicario Apostolico dependeant. — Religiosi in missionibus, etiamsi extra claustra vivant, remanent exempti. Ita iam declaraverat CLEMENS VIII, Const. *Religiosorum* (1601), in favorem Minorum; ita rursus LEO XIII, Const. *Romanos Pontifices* (1881) [a].

Sed quoad ea omnia, quae spectant ad curam animarum et sacramentorum administrationem, a Vicariis Apostolicis dependent, iuxta regulas a GREGORIO XV datas Const. *Inscrutabili* (1622): scilicet ipsius « iurisdictioni, visitationi et correctioni, tamquam Sedis Apostolicae delegati, plene in omnibus subiiciuntur ». Ita in duobus praecitatis decretis.

S. CONGR. DE PROP. FIDE, in Instructione 30 *sept.* 1848 (COLLECTANEA, n. 417) refert tamquam semper vigentes regulas a Clemente IX Constit. *Speculatores* (1669) traditas:

1. Missionarii, etiam missi a Congr. de Prop. Fide aut a Summo Pontifice, debent praesentare Vicariis Apostolicis litteras suas patentes. Quodsi non faciant, Vicarii uti Sedis Apostolicae delegati possunt eis interdicere usum ministerii.

(c) In illa Constitutione, haec quoad parochos regulares statuuntur: « Parochos tam ab Episcopo quam a Superiore regulari, aequo iure, non requisito alterius consensu, ab animarum cura removeri posse; nec unum, alteri causas iudicii sui aperire multoque minus probare et verificare debere » (citantur verba in dicto decreto a. 1886).

18. (a) Postquam plures summorum Pontificum decisiones retulit, concludit: « Quamobrem.... declarare non dubitamus: Regulares, qui in residentiis missionum commorantur, exemptos esse ab Ordinarii iurisdictione, non secus ac Regulares intra claustra viventes, praeterquam in casibus a iure nominatim expressis, et generatim in iis quae concernunt curam animarum et sacramentorum administrationem » (n. 10).

2. Tenentur etiam ab ipsis petere usum suarum facultatum; quem tamen Vicarii non debent sine gravi ratione denegare.

3. Curam animarum non tantum *ex caritate* sed *ex iustitia* exercent, ubi deficit clerus saecularis. Vicarii Apostolici ad hoc eos constringere possunt.

4. Exercentes curam animarum, quoad eam et quoad functiones parochiales, subiecti sunt visitationi et correctioni Vicariorum.

5. Requisiti a Vicariis, rationem eis reddere debent super executione piorum legatorum, si fuerint ad ea exsequenda deputati.

Insuper religiosi, etiam in missionibus, domos, ecclesias, collegia, scholas erigere nequeunt, nisi obtenta prius duplici licentia expressa Vicarii Apostolici et S. Sedis (Const. *Romanos Pontifices,* § 21 « Quum res »).

19. De iis quae in missionibus ad solum Vicarium Apostolicum spectant.

1. A solo Vicario pendent seminaria, cleri saecularis disciplina, monialium cura, ecclesiarum sacellorumque erectio ac conservatio, piorum Institutorum regimen, atque omnia parochialia officia. Ita ad verbum decreto 23 *febr.* 1880. In decreto 18 *ian.* 1886 enumerantur etiam catechumenatus, hospitalia, scholae populares, et his similia. Et ideo, « destinatio personarum, quas Superior regularis (ad haec instituta regenda) praesentat, et collatio iurisdictionis pertinet ad Vicarium Apostolicum » [a].

2. Scholae populares a Vicariis quidem dependent; caeterae vero scholae et collegia Regularium remanent a Vicariis independentia: quoad ea Regulares servant sua privilegia. Ita Leo XIII, dicta Constit. [b], et rursus S. Congr. de Prop. Fide, decreto 18 *ian.* 1886 [c].

---

19. (a) « Tum ad ministeria missionariorum curam animarum spectantia, tum ad curanda pia Instituta quae sunt in Vicarii Apostolici potestate, ut seminaria, catechumenatus, hospitalia, scholae populares, et his similia, destinatio personarum, etc. ».

(b) Cf. c. XVI, n. 31.

(c) « Quoad collegia et collegiorum scholas atque convictus, in quibus religiosi viri, secundum Ordinis sui praescripta, iuventuti instituendae operam dare solent, et recta ratio postulat et sua Sanctitas vult firma et integra privilegia Regularibus concessa manere; adeoque tum regimen eorum Institutorum, tum personarum in iis destinatio ad Superiores regulares spectat, iuxta Societatis Constitutiones ».

3. Facta divisione missionis alicui familiae Religiosae commissae, ea ius non habet ut pars separata ipsi committatur. Ita pronuntiat Leo XIII, C. *Romanos Pontifices,* n. 16. — E contra, missio alicui familiae religiosae commissa non potest ipsi auferri ea sola ratione quod ad ipsam non pertineat, sed ad Vicariatum. Ita profert Conc. Westmonast. II a Leone XIII laudatum (d).

20. De bonis temporalibus in missionibus. — Primo accurate distinguere oportet bona quae ad Vicariatum (seu missionem) et bona quae ad familiam religiosam pertinent. Qua distinctione facta, tres regulae generales dari possunt:

1ª « Missionarii regulares bonorum temporalium, ad ipsos qua Regulares spectantium, rationem Episcopis reddere non tenentur ».

2ª « Eorum bonorum, quae missioni vel Regularibus intuitu missionis tributa fuerunt, Episcopi ius habent ab iisdem missionariis Regularibus, aeque ac a parochis cleri saecularis, rationem exigendi ».

3ª Administratio bonorum, quae sunt familiae religiosae propria, uti « administratio reddituum collegiorum et convictuum, item retributionum, quae singulis cum dispensatione Apostolica ex stipendiis missarum et iuribus stolae vel ex industria personali proveniunt, ad Superiores Regulares pertinet ». Nihilominus « proventus isti non extra missionem, sed in operibus missionis impendendi sunt. Ad hunc finem Superior regularis singulis trienniis S. Congregationi rationem de iis reddere tenetur » (a).

Ad determinandum autem quaenam ex bonis, quae dantur missionario, sint missionis (seu Vicariatus) propria, et quae-

---

(d) « Non vero licebit Episcopo missionem legitime alicui Ordini religioso concreditam, dicto titulo (scilicet quod eius proprietatem non Ordo, sed Vicariatus habet), ipsi auferre ».

20. (a) Duas primas regulas, decreto S. Congr. de Prop. Fide (d. 21 *april.* 1869) stabilitas, Leo XIII citat in Const. *Romanos Pontifices,* n. 23. Postea addit: « Ea confirmantes quae a S. Congr. de Prop. Fide rescripta et mandata sunt, statuimus religiosos sodales redditis Episcopo rationibus docere debere de pecunia intuitu missionis sibi allata, et quantum de ea et quos in usus impenderint, aeque ac missionarios saeculares ». — Tertia autem regula enuntiatur in responso S. Congr. de Prop. Fide, 18 *ian.* 1886, ad 5.

nam ad familiam religiosam spectent, sequentes regulae ex Concilio Westmonast. secundo excipi possunt, quas Leo XIII, in dicta Const., servari decernit: « Iubet ratio, inquit n. 26, itemque Nos constituimus, hac in re religiosos ad leges Westmonasteriensis Synodi sese affatim accommodare oportere ».

Regula 1ª est: Servari debet voluntas libera donatoris(b). Et ideo, ante omnia « adlaborandum est ut omnimodo determinetur intentio et animus largitorum » (reg. 2ª Conc. Westm.). Prius, in reg. 1ª, adnotatum fuerat, aliquando hanc intentionem esse manifestam ex ipso donationis scopo: « Bona quae a Fidelibus in religionis propagationem et decorem, cleri sustentationem, pauperum sublevationem, aliosque pios usus erogantur, Deo et Ecclesiae donata censentur ». Haec ergo ad Vicariatum pertinent, et Regulares ea ad finem, pro quo data sunt, expendere debent. — Dicitur servandam esse *liberam* donatoris voluntatem. Nam, ut advertit Pontifex in sua Const., n. 26, Episcopus vel Vicarius Apostolicus potest praestituere ut, in aliquibus temporibus aut causis, Fideles stipem ad determinatum finem erogent, et tunc Fideles non remanent liberi illam ad alios fines erogare. Extra hunc casum omnino servanda est largitorum voluntas.

Si autem haec voluntas dubia remanet, applicandae sunt sequentes regulae(c).

Regula 2ª. Quoties ex eleemosynis fidelium, ex integro aut ex parte, erigitur aut providetur ecclesia, schola aut quodvis aliud aedificium usibus religionis destinatum, illud habendum est veluti in perpetuum illi loco addictum(d).

Similiter iudicandum est, quando aedificium eiusmodi non

(b) Quae regula in C. *Romanos Pontifices* statuitur istis verbis: « Receptum est hac in re spectari primum oportere quid largitor voluerit » (n. 26).

(c) De his regulis pronuntiat Leo XIII, l. c.: « Visi sunt prudenter et opportune egisse Patres Concilii Prov. Westmon. II, cum, partim interpretantes piam et aequam donantium voluntatem, partim ea, quae Episcopis inest, utentes potestate imperandi pecuniae collationes, decernendique quo tempore et qua de caussa conferri oporteat, statuerunt quid censendum sit intuitu missionis collatum. Iubet igitur ratio, etc. ».

(d) Bene notandum est hanc legem statui solummodo quando dubia remanet intentio fidelium: tunc eleemosynae illae praesumuntur non familiae religiosae sed missioni collatae, ideoque aedificium ex his eleemosynis erectum aut provisum ad Vicariatum pertinet, non ad familiam religiosam. Sed si ecclesia, v. g., aut schola construeretur ex eleemosynis familiae religiosae certo datis, ipsa dominium eius retineret.

ab eleemosynis fidelium, sed ab aliquo benefactore providetur; nisi certissime constet donatorem non loci eiusque Fidelium commodum respexisse, sed Ordini religioso donum voluisse conferre (Conc. Westm., reg. 4 et 5).

Regula 3ª. Si vero aliqua missio fundetur, sive exclusive sive longe maiore ex parte, sumptibus alicuius religiosae familiae, quae iustis ex causis in perpetuum deinde discedat, pactio clara fiat inter Episcopum et Superiores Ordinis, quid hoc in casu sit agendum (e) (C. Westm., reg. 7).

Regula 4ª. « Hodie pene solae oblationes quae in ecclesia sub missis ad altare fiunt, et quae pro administratione sacramentorum, pro benedicendis nuptiis aut mulieribus post partum, pro exsequiis et sepulturis, aut aliis specialibus functionibus specialiter offeruntur, ad parochum spectant; consuetudine reliquas ferme omnes ecclesiis ipsis aut aliis certis finibus applicante » (Const. *Romanos Pontifices*, § 26). — Attamen Conc. Westm., reg. 15, notat circa iura stolae non vigere ubique unam eamdemque praxim, ideoque consuetudines locales, iuxta praescriptum C. Lateran. anni 1215, esse servandas; ordinario, ait, sacerdotibus adiudicantur, quamvis diversis modis, pro diversitate locorum, distribuantur.

Honoraria missarum ad sacerdotis peculium pertinent; similiter, ubi viget usus, temporibus solemnibus Paschae et Nativitatis Domini, singulis sacerdotibus munuscula dandi, haec ad ipsos de iure pertinent (C. Westm., reg. 14). Quae Conc. Westmon. ait pertinere ad peculium sacerdotis, si iste sacerdos est religiosus, ea suo Ordini acquirit, ut patet.

Regula 5ª. Pecuniae quae a fidelibus contribuuntur pro sedium locatione in ecclesia, eae etiam quae colliguntur ad offertorium missae vel occasione concionis extraordinariae, item collectae quae per domos fiunt, vel statutis temporibus aut quotannis a ditioribus solvuntur, omnes pecuniae huiusmodi habendae sunt pro bonis ecclesiae, non pro muneribus

---

(e) Ut pactio in ipsa missionis fundatione fiat, optandum est. — Quod dicitur hic de missionis fundatione, dici debet de quovis opere pio a familia religiosa ex suis sumptibus fundato, v. g., de collegio, scholis, hospitali: cuinam competat dominium in ipsa aedificia a principio clare determinandum est. Ratio est eadem: « ne iura ex una parte laedantur, neve scandalum ex altera oriatur ».

sacerdoti collatis (C. Westm., reg. 9 et 10). — Ex his tamen pecuniis, pro ecclesia vel missione datis, debetur sacerdoti honesta sustentatio (ibid., reg. 10 et 12).

Simili lege, ex pensionibus capellanorum militarium, detracta honesta missionarii sustentatione, quod superest Vicario Apostolico tradendum est (Decr. S. Congr. de Prop. Fide, 18 *ian.* 1886, 5[um]).

Regula 6[a]. Communiter, id est nisi contrarium pateat, censendum est ea quae ecclesiasticis usibus sunt apta et donantur viro missionario, esse missioni data; ea vero quae personalem habent usum, ipsi data reputantur; et etiam res sacrae, si expresse veluti grati animi vel affectus pignus a congregatione (f) sacerdoti cuivis donentur (C. Westm., reg. 13).

Regula 7[a]. Quoad supellectilem sive sacram sive profanam, si eam sive ex proprio peculio, sive ex familiarum sibi bene affectarum donis, sive tandem ex ea parte proventuum ecclesiae quae sibi pro sua honesta sustentatione competit, sacerdos sibi comparaverit, habenda erit ut ipsius propria. Notandum tamen quod missionarius aedificia et supellectilem, sibi initio sui officii tradita, integra servare, imo potius meliorare debet: ergo quod expendit in hunc finem ex pecuniis missionis, non pertinet ad honestam sustentationem.

Supellex vero, quae ex proventibus ecclesiae vel ex donis aut collectis Fidelium aut ex aere ab Episcopo concesso fuerit conquisita, omnino missioni addicta dicenda est (C. Westm., reg. 11 et 12) (g).

Praeterea permittitur Vicario Apostolico statuere *cathedraticum* quod sibi solvatur, antea tamen a S. Congr. approbandum (decr. 18 *ian.* 1886, 5[um]). — Quid sit cathedraticum et ex quibus bonis solvendum, vide apud Ferraris, v. *Cathedraticum*.

(f) *A Congregatione:* intellige a populo alicuius ecclesiae, secundum vim huius vocis in Anglia.

(g) Notari potest, ex his regulis, 1[am], 2[am] et 3[am] spectare ad immobilia; 4[am], 5[am], 6[am] ad diversos proventus; 7[am] ad mobilia seu supellectilem.

SECTIO II.

21. Privilegia Societatis circa confessiones saecularium et aliorum Regularium.

1. In sectione prima dictum est de triplici privilegio Societati indulto: 1° de facultate a Paulo III facta audiendi confessiones omnium Fidelium sine cuiuslibet licentia; 2° de simili facultate facta a Gregorio XIII in itinere sive terrestri sive marino; 3° de facultate absolvendi a casibus ab Episcopis sibi reservatis; — et simul declaratum est revocata fuisse haec privilegia.

2. Sed remanet *privilegium a Benedicto XIV* concessum, quando NN. Exercitia spiritualia tradunt aut diem praeparationis ad mortem, vel missionem praedicant, absolvendi poenitentes a quibuscumque eorum peccatis, exceptis solum in Bulla *Coenae* contentis[a]. — Haec facultas conceditur non tantum sacerdotibus nostris haec Exercitia tradentibus, sed extenditur « ad sacerdotes iisdem a Superioribus adiunctos socios[b] et confessiones tempore aut occasione horum exercitiorum excipientes ». Quoad poenitentes, extenditur ad omnes qui dictis Exercitiis, aut missioni, aut praeparationi ad mortem assistunt, sive sint saeculares, sive Regulares, sive moniales cuiusvis Ordinis et Instituti (COMP. PRIVIL., nn. 7 et 9). - Idem Compend. ait, n. 10: « Quod ad casus pertinet episco-

---

21. (a) Hunc favorem largitus est BENED. XIV duplici Const. *Quantum recessus*, et *Dedimus sane* (29 *mart.* et 16 *maii* 1753). In prima, privilegium concedebatur tantum facientibus Exercitia aut diem praeparationis ad mortem in nostris domibus, aut in ecclesiis locorum ubi NN. habitant. In secunda, fuit extensum ad facientes Exercitia aut diem praeparationis ad mortem ubicumque a NN. tradantur. Facultas autem his terminis exprimitur: conceditur facultas « absolvendi quoscumque, tam saeculares quam cuiusvis Ordinis et Instituti Regulares, spiritualia Exercitia peragentes per quodcumque dierum spatium, semel aut pluries in anno, vel per unum etiam diem semel in mense exercitium praeparationis ad mortem, eorum confessionibus diligenter auditis, a quibuscumque ipsorum peccatis, excessibus ac delictis, quantumcumque gravibus et enormibus, et cuicumque, etiam Sedi Apostolicae, non tamen per litteras in die Coenae Domini legi solitas, reservatis, in foro conscientiae tantum ».

(b) In *declaratione*, n. 10, P. Generalis dictam facultatem concedit omnibus ex Nostris quos ipsi poenitentes Exercitia aut praeparationem ad mortem peragentes elegerint. Oportet tamen ut confessarii sint approbati ab Ordinario, et quoad moniales, ut sint specialiter pro ipsis approbati.

pales proprie tales et ad casus reservatos in Ordinibus religiosis facultas haec revocata non est, eaque Nostri uti possunt » (c). — Notandum est, absolutionem tunc datam valere tantum in foro conscientiae, ut n. 10 Compendii adnotatur.

3. Facultas absolvendi Regulares cuiuscumque Ordinis a quibuscumque eorum peccatis, indulta fuit Societati modo generali a Paulo III, Br. *Cum inter* (1545), ubi alumnis Societatis conceditur facultas « quorumcumque utriusque sexus Christifidelium ad eos undecumque accedentium confessiones audiendi » (cf. textum c. XX, n. 1). Cum Regulares non excludantur, facultas eos etiam comprehendit (Comp. Privil., n. 11). Haec concessio tamen limitata fuit deinde quoad moniales per Const. *Inscrutabili* (1622) Gregorii XV, et declarationes super eam datas, specialiter per responsionem ad 9 (apud Wermeersch, t. II, p. 676): pro monialibus semper nunc requiritur specialis approbatio Episcopi.

Eadem facultas concessa fuit deinde a Benedicto XIV, *tempore aut occasione* Exercitiorum vel diei praeparationis ad

(c) Haec declaratio difficultatem habet. Nam in concessione non dicitur *explicite* Nostros posse in casu absolvere a peccatis quae Episcopi aut Superiores regulares sibi reservaverint; sed hoc concluditur ex eo quod hi casus non sint excepti, et concessio fiat absolvendi « a *quibuscumque* peccatis.... *cuicumque, etiam* Sedi Apostolicae reservatis, exceptis contentis in Bulla *Coenae* (nunc specialiter reservatis in Const. *Apostolicae Sedis*). Unde sunt qui censeant (propter ea, quae n. 6 dicta sunt) casus, quos Episcopi sibi reservant, nunquam comprehendi in concessionibus, nisi id expressis verbis declaretur, et ideo non fuisse necesse, ut eos Benedictus nominatim exciperet: ad eos excludendos, satis fuisse ut de his mentionem expressam non faceret. Ita Piat, t. I, p. 435, q. 5, et p. 585, q. 6, qui ait, in his verbis generalibus concessionum non comprehendi facultatem absolvendi a casibus quos Episcopi sibi reservant, et citat Const. *Christifidelium* (1752) eiusdem Pontificis. In ea, n. 3, Pontifex refert se non audivisse absque animi amaritudine, privilegium, quod aliquibus sodalibus concesserat, ut absolverentur a quibuscumque suis peccatis, *etiam* Sedi Apostolicae reservatis (sine ulla exceptione), hanc interpretationem accipere, ut possent absolvi a casibus Episcopis respective reservatis, et declarat nunquam eam fuisse nec esse ipsius mentem, sed ad absolutionem horum peccatorum semper requiri licentiam Episcopi. Notetur tamen duas Constitutiones, quibus Benedictus XIV dictum privilegium Societati concessit, esse anni 1753, et ideo posteriores Const. *Christifidelium* (1752): si Pontifex voluisset excludere a facultate concessa casus quos Episcopi sibi reservant, videtur quod, ad tollendum omne dubium, id explicite dixisset. Ergo argumentum a P. Piat allatum potius contra ipsum facit, aut saltem non est peremptorium.

mortem, quando a NN. ipsis de eorumdem Superiorum licentia traduntur.

Sed notari debet hanc facultatem Nostris datam, quoscumque Regulares absolvendi, limitari posse contrariis privilegiis aliis Religionibus datis, quorum vi eorum alumni non valeant absolvi nisi a confessariis ab ipsorum Superioribus deputatis [d]. In conflictu autem horum privilegiorum difficile erit scire quodnam praevaleat. Verum practice hoc dubium tollitur: nam facultas audiendi et absolvendi Regulares Nostris a P. Generali non communicatur, nisi illi facultatem habuerint confitendi extra suum Ordinem (Comp. Priv., n. 12). In facultatibus a S. Poenitentiaria dari solitis et vulgo *pagella* dictis, n. 8 facultas tribuitur: « absolvendi religiosos cuiuscumque Ordinis, dummodo apud te legitimam habuerint licentiam peragendi sacramentalem confessionem,... etiam a casibus et censuris in sua Religione reservatis ».

4. Privilegia circa censuras et casus R. P. reservatos, vide c. XX, n. 1.

Quoad *funera,* Societas nullum privilegium speciale habet. Sed adest in eius favorem decretum S. Congr. EE. et RR. confirmatum a Clemente X (1672) et a Clemente XI (1716), duplici Constitutione, utraque verbis *Nuper pro parte* incipiente, ubi iura parochi et Regularium declarantur. Quibusnam sit concedenda sepultura in nostris ecclesiis, dicitur in Congr. I, d. 121.

22. Statuta circa missiones. — Plura fuerunt specialiter statuta circa iura et dependentiam Nostrorum a Vicario Apostolico in missionibus. Tria sunt decreta S. Congr. de Prop. Fide pro missionibus Societatis, d. 12 *aug.* 1851, 23 *febr.* 1880 et 18 *ian.* 1886 data. Sed de his satis dictum est, n. 17 et seq.

(d) Cf. Comp. Privil., n. 128, ubi privilegia huiusmodi diversis Ordinibus largita enumerantur; et n. 126, ubi declaratur Nostros non posse ratione cuiusvis indulti extra Ordinem confessionem instituere, nisi cum licentia Superioris.

CAPUT XX.

VARIAE FACULTATES REGULARIBUS CONCESSAE CIRCA MINISTERIA

Sectio I. — 1. Facultas absolvendi saeculares a censuris; — 2. ab irregularitatibus; — 3. a poenis ecclesiasticis. — 4. Facultas commutandi vota et dispensandi ab eis; — 5. dispensandi a iuramentis; — 6. item in voto castitatis ad petendum debitum; — 7. dispensandi ad petendum debitum coniuges qui hoc ius ob incestum amiserint. — 8. Facultates circa matrimonium missionariis regularibus concessae. — 9. Benedictiones Regularibus permissae.

Sectio II. — 10. Speciales Societatis Iesu facultates circa absolutionem a censuris R. P. reservatis. — 11. Facultates circa dispensationem ab irregularitatibus; — 12. circa dispensationem a poenis; — 13. circa commutationem et dispensationem votorum; — 14. circa benedictiones. — 15. Facultas conferendi indulgentiam plenariam moribundis. — 16. Facultas dispensandi circa esum carnis, ovorum et lacticiniorum. — 17. Sodalitates B. M. V.: notiones historicae. — 18. De erectione, aggregatione, regimine sodalitatum. De receptione sodalium. — 19. Sodalitates Bonae mortis.

1. Facultas absolvendi saeculares a censuris.

1. Agitur de censuris vel a Iure latis, vel per sententiam generalem ad modum legis; non de censuris per sententiam particularem pronuntiatis: hae enim semper reservantur ei qui eas tulit aut eius Superiori, et ab eis Regulares absolvere nequeunt. Ita Leo x, Const. *Dum intra* (1516), quae est declarativa privilegiorum Regularium: « Ipsi Fratres etiam forensium confessiones audire valeant: laicos tamen et clericos saeculares a sententiis ab homine latis nullatenus absolvere valeant » (n. 7).

2. Si censurae non sunt reservatae, omnis confessarius in foro conscientiae ab eis absolvere potest, imo debet, priusquam a peccatis absolvat, ut in formula absolutionis exprimitur.

3. Si censurae sunt reservatae S. Sedi, quamvis olim Regulares, maxime mendicantes, ex suis privilegiis facultatem ab eis absolvendi haberent, exceptis contentis in Bulla *Coenae* (cf. c. xix, n. 6): iam post C. *Apostolicae Sedis* Pii ix, ab eis non possunt absolvere, nisi speciales et expressas facultates post dictam Const. obtinuerint, uti in fine Bullae clare dicitur, revocatis privilegiis quibuscumque contrariis. Nihilominus

declaratum fuit per S. Poenitentiariam (5 *dec.* 1873) non revocatas fuisse facultates ad tempus certum concessae (vide c. XXI, n. 10, et infra, n. 10).

4. Si censurae sunt reservatae Episcopo : primo si ipse Episcopus eas tulerit, Regulares nequeunt ab his absolvere ; secundo si sint ipsi a Iure reservatae (et nunc non sunt nisi eae quae in C. *Apostolicae Sedis* enumerantur), controvertitur, ut dictum fuit capite praecedenti de casibus reservatis. Sed probabile est Regulares posse ab his absolvere : nam haec facultas olim certe eis concessa fuit nec videtur revocata. SIXTUS IV, C. *Sedes Apostolica* (1474), § 7, eam concessit Eremitis S. Francisci de Paula [a] et hoc privilegium confirmavit IULIUS II, C. *Dudum* (1506), n. 34. PAULUS III Societati indulsit, C. *Cum inter* (1545), ubi dat facultatem Christifidelium confessiones audiendi et ipsos « ab omnibus et singulis eorum peccatis quantumcumque gravibus et enormibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis, et a *quibusvis* ex ipsis casibus resultantibus sententiis, *censuris* et poenis ecclesiasticis, exceptis contentis in Bulla quae in die Coenae Domini solita est legi, absolvendi ». Illa Pauli III facultate contineri facultatem absolvendi a censuris Iure Episcopo reservatis, patet ex eo quod 1° ea non excipitur expresse ; 2° datur facultas absolvendi a *quibusvis* censuris ; 3° solum excipiuntur contentae in bulla *Coenae ;* 4° quemadmodum hae censurae Iuris communis a S. Pontifice stabiliuntur, ita proprie eius est facultatem ab eis absolvendi dare : unde quando concedit facultatem absolvendi ab omnibus censuris, exceptis contentis in Bulla *Coenae,* haec licentia etiam ad censuras Episcopo Iure reservatas se extendit : quamvis non extendatur ad censuras ab Episcopo sibi reservatas, propter dicta c. XIX, n. 6 et n. 21, *nota* c.

Porro haec facultas 1° non videtur revocata decretis quibus interdictum fuit Regularibus absolvere a casibus Episcopis

---

1. (a) « Confessiones audiendi et ab omnibus casibus, *excommunicationibus, suspensionibus* et *interdictis*, ac super quacumque irregularitate, eidem Archiepiscopo tam a Iure quam ab eo reservatis, absolvendi et dispensandi et a praemissis, toties quoties opus foret et esset, absolvendi et dispensandi, votaque quaecumque permutandi et relaxandi, ac poenitentiam salutarem iniungendi ». — Facultatem absolvendi a peccatis et censuris ab Episcopo sibi reservatis revocavit LEO X, ut dictum fuit supra, n. 1 : non autem facultatem absolvendi a peccatis et censuris a Iure Episcopo reservatis.

reservatis, quia hic agebatur probabiliter de solis casibus ab Episcopis ipsis sibi reservatis (ut dictum est c. XIX, n. 6). Ideo S. Lig., l. VII, n. 99, probabilius censet Regulares posse ab his absolvere [b]. — 2° Eadem facultas non est revocata in Constitutione *Apostolicae Sedis:* nam in ea revocantur solum privilegia absolvendi a censuris Sedi Apostolicae reservatis. Imo ex hac clausula potius confirmatur: nam si Pontifex voluisset tollere hoc privilegium, expresse dixisset revocari privilegia absolvendi a censuris tum S. Sedi tum Episcopis reservatis.

2. Facultas absolvendi saeculares ab irregularitatibus. — Regulares mendicantes, et alii cum eis communicationem privilegiorum habentes, facultatem habent dispensandi in irregularitatibus occultis ex delicto, imo, ut videtur, etiam ex defectu, si sint occultae et meri iuris ecclesiastici.

Privilegium illud multiplici concessione continetur.

1° Concessione facta a SIXTO IV Minimis, 1474 (vide textum n. 1, *nota* a) et a IULIO II confirmata, ubi eis datur facultas absolvendi et dispensandi super quacumque irregularitate Archiepiscopo reservata. Porro post Trid., ex c. *Liceat* (sess. XXIV, c. 6, *de Reform.*) licet « Episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare ». Ergo, ex hoc privilegio Sixti IV, Regulares mendicantes habent eamdem facultatem dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, cum exceptione duplici in c. *Liceat* expressa [a].

2° Concessione a PAULO III Societati facta, absolvendi poenitentes a quibuscumque peccatis, et « *quibusvis* ex ipsis casi-

---

(b) Insuper S. Doctor annotat revocationes supradictas non afficere nisi Italiam, non autem alias regiones nec Romam. « Nam extra Italiam et in Urbe, ait, bene possunt Regulares absolvere ab omnibus censuris quae a Iure sunt Episcopis reservatae »: de hoc non habet dubium, sed tantum pro Italia propter decreta Clementis VIII, Pauli V et Urbani VIII. Verum haec sententia non videtur sufficienter vera: decretum Urbani VIII etenim intra et extra Italiam obligat (vide c. XIX, n. 6, *nota* c).

2. (a) Ita S. LIG., *de Privil.*, n. 104 (et rursus l. VII, nn. 355 et 396): « Regulares valent ex privilegio Sixti IV, confirmato a Iulio II, dispensare cum suis subditis in omnibus irregularitatibus occultis, in quibus possunt Ordinarii cum suis dioecesanis ex Cap. *Liceat.* — *Et idem possunt cum saecularibus* ». — S. Doctor, quamvis admittat Regulares posse dispensare *cum suis* in irregularitatibus occultis ex defectu (l. VII, n. 400), attamen facultatem ad saeculares dispensandos non extendit, quia ipsi Episcopi hoc privilegium non habent.

bus resultantibus sententiis, censuris et *poenis ecclesiasticis* » (vide textum n. 1). Porro irregularitates ex delicto, etiamsi primario sint impedimentum ad recipiendum aut exercendum ordinem, attamen habent secundario rationem poenae ecclesiasticae: ergo veniunt sub formula « *quibusvis* poenis ecclesiasticis » (b).

Hic non datur facultas absolvendi ab irregularitatibus ex defectu: hae etenim non habent rationem poenae; nec facultas absolvendi in foro externo ab irregularitatibus ex delicto: nam agitur de facultate connexa cum confessione et absolutione poenitentium. Et ideo quamvis facultas non restringatur expresse ad irregularitates occultas, id tamen intelligi debet: nam irregularitates publicae aut notoriae publicum impedimentum afferunt, quod tolli nequit dispensatione in foro poenitentiae data.

3° Concessione Leonis xii, Br. *Plura inter* (1826), qui in prima serie indulget « eos qui in irregularitatem occultam tam ad suscipiendos quam exercendos ordines incurrerint, in foro conscientiae tantum ab hoc impedimento absolvere ».

Notandum est 1° hanc facultatem, non esse restringendam ad dispensandos Nostros, sed esse generalem: quod eruitur tum ex ipsis verbis, tum ex loco in quo ponitur, nempe inter alias facultates quae etiam saeculares respiciunt, tum etiam ex alia facultate quae infra datur Nostros ab irregularitate dispensandi: eadem facultas non bis datur; ergo in primo loco de saecularibus agitur. 2° Agitur expresse de irregularitate occulta, et in foro conscientiae absolvenda. 3° Facultas non restringitur ad irregularitatem ex delicto; ergo videtur comprehendere etiam irregularitates occultas ex defectu, dummodo irregularitas non sit ex ipsa natura defectus, sed tantum ex iure positivo ecclesiastico, v. g., ex defectu animi, si remanet occultus (vide infra, n. 11). 4° In duplici privilegio Societati dato non excipitur homicidium voluntarium; unde quaeri potest an, si illud remansit occultum, privilegium ad hanc etiam ir-

---

(b) Suarez, tr. x, l. ix, c. 2, nn. 43 et 48, admittit quidem irregularitatem ex delicto habere etiam rationem poenae, sed negat in facultatibus concessis facultatem dispensandi ab irregularitate comprehendi in facultate absolvendi a poenis. Quod confirmat ex ipso verbo *absolvere* quo utitur Paulus iii: dat enim facultatem *absolvendi* a poenis: irregularitas autem non absolutione, sed dispensatione tollitur. Idem censet Piat, t. ii, p. 328, *nota* 7. Probatio igitur ex hac Pauli iii concessione deducta remanet dubia; sed alia privilegia totam suam vim servant.

regularitatem sese extendat. Videtur dubium: nam facultas absolvendi ab homicidio voluntario occulto negatur Episcopis in c. *Liceat*. S. Lig. (l. vii, n. 396 circa finem) ait: « Quoad saeculares vero possunt confessarii regulares eos dispensare in omni irregularitate, in qua possunt Episcopi cum subditis suis ex privilegio Sixti iv et Iul. ii. Hinc bene possunt dispensare cum laicis in irregularitate contracta propter mutilationem vel ob homicidium casuale occultum, prout possunt Episcopi cum suis ». S. Doctor restringit ergo facultatem ad homicidium casuale. Insuper antea, negaverat Superiores regulares posse cum suis dispensare in casu homicidii voluntarii aut publici, non obstante privilegio omnino generali eis a Martino v concesso, eos absolvendi ab irregularitatibus, *quavis occasione et causa* contractae sint, et rationem afferebat: « Quia in generali concessione non computantur ea quae verisimiliter Superior non esset concessurus »; a fortiori ergo, ex hoc principio, Regulares nequeunt dispensare saeculares in irregularitate propter homicidium voluntarium quamvis occultum contracta (vide infra, n. 11).

3. Facultas absolvendi saeculares a poenis ecclesiasticis [a]. — Confessariis Regularibus concessa est facultas absolvendi saeculares a sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis.

1. Haec facultas certo habetur ex privilegiis concessis Monachis Olivetanis a Iulio ii, Const. *Etsi ad universos* (1507) [b], et a Paulo iii Societati Iesu, Const. *Cum inter* (1545) (supra, n. 1) [c]. Non autem videntur esse recentiora privilegia.

---

3. (a) De hac facultate AA. aut omnino tacent aut pauca habent. Nihil habet S. Lig. Piat de ea breviter loquitur, t. ii, p. 300, q. 3.

(b) Iulius ii, Const. *Etsi*, § 32, dictis monachis facultatem dat confessiones saecularium audiendi, « et dictos confitentes ab omnibus et singulis peccatis Sedi Apostolicae non reservatis, et a quibuscumque suspensionum, excommunicationum et interdicti sententiis, *aliisque ecclesiasticis* censuris et *poenis*, quas a Iure vel ab homine latas incurrisse quomodolibet constiterit, absolvere, et vota per eos pro tempore emissa, in omnibus et singulis casibus locorum Ordinariis etiam per synodales seu provinciales constitutiones reservatis, in alia pietatis opera commutare, et desuper cum eis voventibus dispensare, exceptis tamen censuris, poenis, votis et casibus super quibus esset Sedes praefata merito consulenda ».

(c) De hoc privilegio Pauli iii late disputat Suarez, tr. x, lib. ix, c. 2 integro.

2. Facultas hic data cum confessione connexa est: conceditur enim *confessariis* facultas absolvendi a peccatis et a poenis propter peccata incursis... Haec absolutio igitur datur in foro conscientiae tantum et non valet in foro externo: proinde, si poena est notoria, non potest sic absolutus se gerere externe tamquam absolutus (ne poenam et legem contemnere cum scandalo videatur). Absolutio igitur effectum non habebit nisi poena remanserit occulta.

3. Piat, p. 330, q. 3, ait, nomine sententiarum venire sententias tum a Iure, tum ab homine statuto generali, tum probabiliter etiam ab homine specialiter latas, dummodo parti laesae sit satisfactum et absit scandalum. Ita quoque sentit Suarez, tr. x, l. ix, c. 2, n. 22. In triplici casu oportet ut Superior absolutionem sibi non reservaverit, reservatione quae contra privilegium praevaleat.

Idem Piat, l. c., ait AA. triplici modo intelligere vocem *poenam:* alii eam habent ceu synonymam censurae, ita ut censurae et poenae in hac concessione idem exprimant sub diverso respectu; alii agnoscunt diversum sensum utriusque vocis, verum aiunt hic non agi de poenis perpetuis, sed tantum de poenis quarum duratio ab arbitrio iudicis dependeat: hoc dicunt, quia non possunt admittere privilegium dispensandi a poenis perpetuis (d); at haec limitatio, ut patet, est arbitraria; alii tandem nomine poenae, praeter censuras, intelligunt privationes, inhabilitates, infamationem iuris, etc., etiamsi sint perpetuae.

4. Propter silentium Auctorum, necnon difficultatem et du-

(d) Ita Suarez, l. c., c. 2, nn. 46 et 48, qui candide confitetur hanc limitationem nullibi indicari. Praecipuum eius argumentum est, aliquas poenas perpetuas esse, a quibus certe Regulares absolvere nequeunt: ut sunt degradatio, depositio; ergo poenae perpetuae excludi debent. Sed argumentum est debile: nam causa specialis assignari potest, cur a degradatione aliisque poenis similibus dispensare non liceat, nempe quia sunt externae. — Aliud argumentum dat idem Suarez, n. 48 fin. et n. 49, sc. poenas perpetuas, et etiam omnes poenas *definitive* per legem aut ab homine latas (scilicet, quae nullo modo relinquuntur arbitrio iudicis), non tolli per absolutionem sed per dispensationem; ergo tolli nequeunt vi privilegii Regularium: per ipsum enim non datur facultas dispensandi a poenis, sed tantum ab eis absolvendi. Responderi potest: poenas perpetuas in foro quidem externo tolli per dispensationem; sed in foro interno, dum manent occultae, potest dari absolutio ab obligatione eas subeundi.

bia circa materiam, videtur hac facultate esse valde prudenter utendum. Cf. infra, n. 12, et c. XXI, nn. 8 et 31.

4. Facultas dispensandi et commutandi vota saecularium.

1. Regulares fruuntur facultate commutandi vota saecularium aut ab illis dispensandi, aliquibus exceptis. Ita ex multis concessionibus variis Ordinibus factis, quas alii Ordines per communicationem Privilegiorum participant.

EUGENIUS IV monachis S. Benedicti Cassinensibus, C. *Etsi quaslibet* (1436?), §§ 11 et 12, indulsit ut possint « vota omnia permutare, ac in omnibus et singulis casibus, etiam Ordinariis, aut per synodales seu provinciales constitutiones reservatis, cum eis dispensare, praeter censuras, poenas, *vota*, et casus de quibus esset merito Sedes Apostolica consulenda ».

SIXTUS IV Congregationi Eremitarum S. Francisci de Paula, C. *Sedes Apostolica* (1474), § 7, facultatem fecit « confessiones audiendi.... absolvendi et dispensandi, votaque quaecumque permutandi et relaxandi ». Haec privilegia confirmata fuerunt a IULIO II, C. *Dudum ad sacrum* (1506), § 36.

IULIUS II monachis Olivetanis, C. *Etsi ad universos* (1507), § 32, dat facultatem confessiones audiendi, poenitentes absolvendi.... « et vota per eos pro tempore emissa, in omnibus et singulis casibus locorum Ordinariis etiam per synodales seu provinciales constitutiones reservatis, in alia pietatis opera commutare, et desuper cum eis voventibus dispensare », exceptis nonnullis (vide textum integrum, n. 3, *nota* b).

LEO X Eremitis Camaldulensibus idem privilegium de verbo ad verbum largitus est, C. *Etsi a summo* (1513), § 40.

PAULUS III, C. *Cum inter* (1545), Societati indulsit facultatem « vota quaecumque per eos (sc. poenitentes, quorum confessiones audiverint) pro tempore emissa, — ultramarinis, visitationis liminum BB. Petri et Pauli App. de Urbe, ac S. Iacobi in Compostella, necnon Religionis et Castitatis votis dumtaxat exceptis, — in alia pietatis opera commutandi ».

GREGORIUS XIII, C. *Decet Romanum* (1575), hanc facultatem ad vota iurata extendit: « Facultatem alias concessam commutandi vota, etiam ad iurata, dummodo commutatio huiusmodi in alterius praeiudicium non fiat, extendimus ».

LEO XII, Br. *Plura inter* (1826), duo privilegia Societati concessit: unum perpetuum, « vota simplicia commutare, nunquam vero vota castitatis, Religionis, trium peregrinationum,

eaque vota in quibus agitur de praeiudicio vel iure tertii »; alterum vicennale, « dispensandi et commutandi vota simplicia in alia pia opera; et dispensandi ex rationabili causa in votis simplicibus castitatis et Religionis ».

Ex his omnibus gratiis id habetur, Regulares qui communicant in privilegiis cum illis Ordinibus, quibus hae gratiae fuerunt indultae, habere saltem facultatem *commutandi* vota saecularium, exceptis recensitis.

II. Nunc tres aliae quaestiones sunt examinandae: 1ª Num ex dictis privilegiis Regulares facultatem non tantum vota commutandi, sed etiam super eis dispensandi habeant? 2ª An aliqua vota et quaenam excipiantur? 3ª Utrum poenitentium tantum vota et in confessione, an etiam eorumdem poenitentium aut aliorum extra confessionem commutare aut dispensare valeant?

1. An Regulares non solum facultatem commutandi, verum etiam simpliciter dispensandi habeant? (vide PIAT, t. II, p. 330, q. 4, 3°).

Auctores qui negant Regularibus facultatem simpliciter dispensandi, observant in omnibus privilegiis in quibus invenitur facultas dispensandi, eam coniungi cum facultate commutandi [a], hoc modo: « valeant commutare et desuper dispensare »; et dicunt haec duo non esse separanda, scilicet commutando dispensant a materia prioris voti ut aliam substituant; et hanc interpretationem firmant duplici validissimo argumento: primo, quod in facultatibus quae tempore iubilaei amplissimae confessariis conceduntur, circa vota sola facultas *commutandi dispensando* conceditur; secundo, quod non aliam facultatem habet ipse Poenitentiarius Maior, ex C. *Pastor Bonus,* BENEDICTI XIV: incredibile autem videtur ut Regulares facultatem maiorem habeant, nempe simpliciter dispensandi, et hanc perpetuam.

Nihilominus sententia est communis inter Regulares, ait PIAT (t. II, pag. 332, *resp.* 4°), eos habere facultatem simplici-

---

4. (a) Excipienda est facultas vicennalis Leonis XII. Sed in facultatibus temporariis.... non habere locum communicationem privilegiorum tenent S. LIG., *de Privil.,* n. 11, SCHMALZGR., l. V, tit. XXXV, n. 92, et alii. Ideo privilegium concessum Societati remaneret ipsi particulare. — Propterea, paulo ante in textu dictum fuit, Ordines, qui communicatione gaudent cum Societate, habere *saltem* facultatem commutandi vota saecularium, recensitis exceptis: quia dubium est an privilegium vicennale participent.

ter dispensandi. Eam tenet S. Lig., et communem habet (l. III, *de Voto*, n. 257): « Ex communi DD. sententia omnes confessarii regulares possunt dispensare vota quorumcumque fidelium intra et extra confessionem (nam minime requiritur, ait, ut qui facultatem habet, dispenset in confessione): et hoc ex diversis privilegiis Pontificiis ». — Item Ferraris, v. *Votum*, art. III, n. 77: « Confessarii regulares approbati Ordinum mendicantium, ac in eorum privilegiis communicantium, possunt dispensare in omnibus votis in quibus iure ordinario dispensare possunt Episcopi, id est in omnibus votis, exceptis quinque Papae reservatis. Communis, et expresse habetur ex pluribus privilegiis SS. PP. ». Eamdem sententiam admittit Prümmer, q. 242, nota 1; eamque tenet Comp. Privileg., nn. 178 et 179.

2. An aliqua vota et quaenam excipiantur?

Excipiuntur quinque supra dicta, scilicet tres notae peregrinationes, votum Religionis et votum castitatis perpetuae, et insuper vota quibus ius tertio acquiritur, ut, v. g., votum perseverandi in aliqua societate, quando ab ipsa fuit acceptatum, et generaliter tria vota Religionis in quocumque Instituto facta (vide Piat, p. 334, *nota* 1). Verum est in concessione Sixti IV nullam poni exceptionem; sed cum in reliquis concessionibus semper supradicta vota reserventur, videtur omnino adhibendum principium: in generali concessione non contineri ea quae Superior verisimiliter noluit concedere.

Nihilominus Superioribus nonnullarum Religionum indulta est facultas dispensandi in voto cuiuslibet Religionis determinatae, etiam strictioris, eos qui suam intrarent, ea tamen conditione ut, si ante professionem recesserint, prior obligatio reviviscat. Haec dispensatio est potius commutatio. Cf. Comp. Priv., n. 115. Hoc privilegium Societati directe donatum est a maiore Poenitentiario, ad id facultatem habente, et ideo non fuit revocatum ab Urbano VIII, neque a Clemente XII: ita Comp. Priv., n. 113. — De privilegio Societatis ex concessione vicennali Leonis XII, dicetur infra, n. 13.

3. An confessarii vota extra confessionem commutare et dispensare possint? — De hoc S. Lig., ut supra dictum est, nullum dubium habet: quia in privilegiis non habetur conditio intra confessionem dispensandi. Concordat Piat, t. II, p. 333, q. 4, *resp.* 5°, qui plures AA. citat. — Verumtamen in omnibus concessionibus (excepta duplici concessione Leo-

nis XII) facultas vota dispensandi *Confessariis* conceditur, et in connexione cum confessione: unde videtur dicendum, quamvis facultate uti liceat extra confessionem, eam solis confessariis erga suos poenitentes donari. Quod de caetero in plerisque concessionibus explicite exprimitur his verbis: « et vota *per eos* emissa », sc. per poenitentes quos audiverint in confessione. Nihilominus S. LIG., l. c., dicit sine restrictione: « Omnes confessarii (regulares) possunt *dispensare* vota *quorumcumque* fidelium, *intra* et *extra* confessionem ». PIAT, p. 339, q. 9, ait esse sententiam communem, quamvis documenta ipsi non videantur omnino probantia. — Sed privilegia Leonis XII sunt absoluta, nec ad confessarios restringuntur.

5. Facultas dispensandi saeculares a iuramentis. — Iuramenta fieri possunt vel absolute ad confirmandam veritatem, vel homini ad confirmandam promissionem, vel Deo aut Sanctis ad confirmandum propositum aut votum. Quaestio esse non potest de iuramentis factis in confirmationem veritatis, ut patet; nec de iuramentis alteri factis ad confirmandam promissionem et ab eo acceptatis: quia hoc esset contra ius tertii. Ergo facultas de solis iuramentis, quae Deo aut Sanctis ad proposita aut vota firmanda facta fuerint, intelligi debet.

Porro notandum est, facultatem dispensandi in iuramentis non contineri in facultate dispensandi in votis. Id expresse declaravit S. CONGR. DE PROP. FIDE, 19 *maii* 1845: « Facultatem dispensandi a votis facultatem dispensandi a iureiurando per se non includere » (COLL. DE PROP. FIDE, n. 2087). Et ideo eadem Congr., d. 3 *maii* 1828, in casu Vicarii Apostolici, qui innixus facultate vota dispensandi et commutandi, vota iuramento firmata dispensaverat aut commutaverat, « censuit esse supplicandum SSmo pro sanatione, quatenus opus sit » (COLLECT., n. 1183; — dicitur « quatenus opus sit » quia, quamvis facultas dispensandi a iuramentis *per se* non contineatur in facultate dispensandi a votis, attamen contineri potest ex intentione concedentis. An autem de facto talis fuerit intentio Pontificis, cum facultatem in votis dispensandi concessit, ignoratur).

GREG. XIII, C. *Decet Romanum Pontificem* (1575), facultatem « *commutandi* vota etiam iurata, dummodo commutatio huiusmodi in alterius praeiudicium non fiat », Societati concessit. Ordines, qui communicationem privilegiorum cum Societate habent, istud participant. — De hoc privilegio tria notanda sunt: 1° Non datur facultas dispensandi, sed tantum com-

mutandi. 2° Facultas commutandi vota iurata censenda est continere facultatem commutandi proposita iurata, seu simplicia iuramenta. 3° Cum non aliud privilegium exhibeatur circa iuramenta, concludendum est ex declaratione S. C. de Pr. Fide supra allata Regulares non habere facultatem *dispensandi* in iuramentis, quidquid AA. dixerint in contrarium ante istam declarationem, sed tantum ea commutandi.

6. Facultas dispensandi in voto castitatis emisso ante matrimonium, ad petendum debitum. — Regulares hanc facultatem habent, quia possunt dispensare in omnibus votis in quibus Episcopi potestate ordinaria dispensant. Ita Iulius II et Leo X (vide supra, n. 1), atque haec est sententia communis DD., quam tenet S. Lig., l. VI, n. 987.

Notandum est hoc privilegium non inniti solo oraculo vivae vocis S. Pii V, in favorem Fratrum Minorum (quod cum caeteris oraculis vivae vocis ab Urbano VIII forte revocatum est, ut sentit Piat, t. II, p. 344, q. 16); sed etiam privilegio Episcoporum. Porro in hoc casu Episcopi, saltem ex consuetudine (quae est modus approbatus privilegium acquirendi) dispensare possunt, ut testatur S. Lig., l. VI, n. 987, qui exinde concludit Regulares posse et ipsos in hoc casu dispensare. — Imo docet ibidem S. Doctor, Episcopos et Regulares posse dispensare etiamsi votum esset emissum post matrimonium, tum quia tale votum non est iam votum perfectae castitatis, tum quia certo Episcopi etiam in hoc casu ex consuetudine dispensare possunt [a].

De usu huius privilegii in Societate, dicetur infra, n. 13.

7. Facultas dispensandi ad petendum debitum coniuges qui ob incestum illud ius amiserint. — Regulares hoc ius habent ex concessione facta ab Eugenio IV Benedictinis S. Iustinae, C. *Regularem* (1436), § 16, adiecta declaratione Iulii II. Equidem in Bulla Eugenii IV conceditur facultas qua possint poenitentibus « absolutionis beneficium impendere ab

---

6. (a) Ideo non valeret restrictio apposita in Comp. Privil., n. 180, scilicet quod si votum post matrimonium fuit emissum, tunc non licet dispensare, quando fuit factum ex communi coniugum consensu (quia tunc, ait, cum non adsit obligatio reddendi debitum, iam votum castitatis fit perfectum): non valeret restrictio, quia, etiamsi hoc votum sit tunc perfectae castitatis, nihilominus Episcopi, ait Lig., certo ex eo dispensare possunt, et ideo etiam Regulares.

omnibus peccatis, et *dispensare super omnes casus*, praeter ea peccata et eos casus de quibus ipsis confessoribus ad eorum Ordinarios videbitur recurrendum, aut de quibus esset Sedes Apostolica merito consulenda ». Iulius II autem hanc facultatem sic declaravit: « Vos et pro tempore existentes dictorum monasteriorum Abbates, Priores, Praesidentes, et Monachi praedicti, coniunctos huiusmodi, qui post contractum matrimonium consanguineas uxorum suarum cognoverunt, vel uxores quae a consanguineis virorum suorum se carnaliter cognosci permiserunt, a talibus excessibus absolvere,... necnon cum eis et eorum quolibet, ut non obstante affinitate superveniente debitum coniugale reddere et exigere valeant, dispensare libere et licite valeatis, ac possint et valeant, perpetuo declaramus » (apud Piat, p. 344, *nota* b).

Verum est hanc declarationem esse oraculum vivae vocis. Sed primo, cum sit mera declaratio, non autem proprie concessio, sub revocationem oraculorum vivae vocis ab Urbano VIII factam non cadit (1635). Insuper, cum hoc oraculum fuerit authenticatum a Maiore Poenitentiario, ideo, secundum declarationem in Constitutione Urbani contentam, non comprehenditur in revocatione oraculorum.

Comp. Privil., n. 182, dicit eamdem facultatem impertitam fuisse Augustinianis, in Mari magno illis a Sixto IV concesso [a], ubi illis concedit, ut poenitentes, relaxatis eorum peccatis et poenis, *habilitare* possint atque in pristinum redintegrare. Iulius II etiam pro eis similem vivae vocis declarationem fecit [b].

Societas Iesu hoc privilegium insuper habet per Breve *Plura inter* (2ª serie, n. IV), ubi modo generali conceditur facultas « restituendi ius petendi debitum amissum ».

8. Facultates circa matrimonium. — Ex variis privilegiis

---

7. (a) Hoc Mare magnum non invenitur in Bullario Romano, quamvis de eo mentionem faciat Iulius II, C. *Etsi ad benemeritum* (1508), § 2, ubi omnia privilegia Augustinianis in eo largita confirmat, eisque communicationem privilegiorum cum mendicantibus concedit.

(b) Comp. Priv. ait hanc declarationem, utpote per maiorem Poenitentiarium authenticatam, non fuisse revocatam a Clemente XII. — Sed hoc per errorem dictum videtur, nam privilegium reddendi incestuosis ius petendi debitum non invenitur inter oracula vivae vocis a Clemente XII revocata. Ergo, si revocatum fuisset tale privilegium, non a Clemente XII sed ab Urbano VIII fuisset revocatum. Sed, ut dictum est, nec fuit ab Urbano VIII revocatum.

tum aliis missionariis tum Societati indultis, nostri missionarii, in locis missionum, nonnullis facultatibus gaudent circa matrimonium eiusque impedimenta.

1. Eis conceditur, sub quibusdam conditionibus, facultas solemnizandi matrimonia (cf. Comp. Priv., nn. 384, 385).

2. Facultas solvendi primum matrimonium cum infideli contractum (cf. Comp. Priv., nn. 386, 387).

3. Facultas dispensandi cum infidelibus plures uxores habentibus ut, post conversionem et baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti (cf. Comp. Priv., nn. 388, 389).

4. Facultas dispensandi in variis impedimentis matrimonii, specialiter in impedimentis cognationis in gradibus lege divina non prohibitis, sub conditione quod Sedes Apostolica consuli, aut Ordinarii facile adiri non possint (cf. Comp. Priv., n. 390). — Leo xii concessione vicennali dedit facultatem dispensandi *a)* in impedimentis consanguinitatis et affinitatis in 4°, 3° aut 2° gradu mixto cum 3° aut 4°, in 2° solo autem tantum quoad iam contracta matrimonia; *b)* super impedimento honestatis publicae ex sponsalibus iustis proveniente; *c)* super impedimento cognationis spiritualis, praeterquam inter levantem et levatum; *d)* super impedimento criminis, neutro tamen coniugum machinante (vide Comp. Priv., nn. 390 et 391).

5. Facultas dispensandi in proclamationibus matrimonii (Comp. Priv., nn. 392, 393).

9. Benedictiones variae Regularibus permissae. — Benedictiones aliae permittuntur omnibus sacerdotibus, aliae reservantur Episcopis coeterisque specialem facultatem habentibus. Ita ex *Rituali Romano.*

1. Praecipuae benedictiones, quae in Rituali cuicumque sacerdoti permittuntur, sunt benedictio aquae sanctae, candelarum, domorum, locorum, frugum et vinearum, novorum fructuum.

2. S. Congr. Rit., d. 13 *iun.* 1893, respondit « simplicem sacerdotem sive saecularem sive regularem posse, si invitatus fuerit, benedicere privato ritu campos, animalia, et similia » (*Decr. Auth.,* n. 3801, 6°). Sed, d. 7 *mart.* 1903, quaesito « An benedictio domorum in sabbato sancto sit de iuribus parochialibus? » respondit: « Affirmative » (A. S. S., t. xxxv, p. 623).

3. Benedictio mulieris post partum etiam fieri potest a quocumque sacerdote: « S. R. C. decernit benedictionem mulieris post partum fieri debere a parocho, si expetitus fuerit; posse

autem fieri a quocumque sacerdote, si expetitus ipse pariter fuerit, in quacumque ecclesia vel oratorio publico, certiore facto Superiore ecclesiae » 21 *nov.* 1893 (*Acta auth.*, n. 3813). Hoc decretum S. Congregatio Conc., d. 17 *ian.* 1896, iussit communicari, ad respondendum alicui quaesito.

4. Reservantur Benedictiones cuiuslibet supellectilis sacrae, novae crucis, imaginum I. C. D. N., beatae Mariae Virginis et aliorum Sanctorum, primarii lapidis ecclesiae ecclesiarum et oratoriorum publicorum, non aliorum oratoriorum, pro quibus benedictio loci adhibetur.

5. Superiores Regularium privilegium generale habent benedicendi pro suis ecclesiis, *paramenta sacra necnon corporalia et omnia vasa sacra, ubi non intervenit sacra unctio,* id est exceptis calicibus et patenis. Plures sunt concessiones huius privilegii diversis Ordinibus religiosis factae, quas caeteri per communicationem participant [a]. Adest insuper responsio S. R. C., 16 *maii* 1744 (*Decreta authent.*, n. 2377). Quaerebatur « An Regularium Rectores possint explere omnes benedictiones in quibus S. Chrisma non requiritur? — Resp. « Posse pro suis ecclesiis, supposito S. Sedis privilegio ». Notetur restrictio: pro suis ecclesiis. Et rursus interrogata an Regulares habentes facultatem *generalem* benedicendi sacra supellectilia, possint ea benedicere pro exteris ecclesiis: eadem S. R. C., 31 *aug.* 1867, respondit: « Negative » (*Decr. auth.*, n. 3157, dub. 11).

---

9. (a) Hunc favorem Iulius II Minimis concessit, C. *Dudum ad sacrum* (1506), § 19: « Quod Generalis, necnon Provinciales et eorum Vicarii eiusdem Ordinis Minimorum, corporalia et alia ornamenta ecclesiastica suorum locorum ac domorum, praeter calices et patenas, benedicere valerent, concessimus, statuimus et ordinavimus ». — Item Eremitis S. Augustini, C. *Etsi ad benemerendum* (1508), § 3: « Dedimus tibi potestatem sacrandi benedicendique corporalia, vestes et ea quae sacris usibus necessaria sunt ». — Leo X idem privilegium domorum Praepositis et Rectoribus Ordinis Minorum concessit, C. *Religionis honestas;* et Greg. XIII Praelatis Ordinis S. Trinitatis, C. *Exposcit pastoralis* (1575), in qua indulget Vicariis generalibus, Provincialibus et Ministris dicti Ordinis casulas, tunicas, albas, zonas, mappas, corporalia et alia quaecumque ornamenta et vasa ecclesiastica, illis tamen exceptis quibus S. Chrisma applicandum est, benedicere. — Leo XII Societati, *C. Plura inter* (1826), privilegio vicennali (VIII) facultatem concessit « benedicendi paramenta et alia utensilia ad sacrificium missae necessaria, ubi non intervenit sacra unctio ». Quamvis haec facultas sit generalis in suis terminis, debet nihilominus restringi secundum declarationem d. 31 *aug.* 1867, ut notat Comp. Priv., n. 60: nimirum ea non valet nisi pro servitio propriarum ecclesiarum.

6. Ex hac facultate, COMP. PRIV., n. 60, concludit *cruces et imagines* pro nostris ecclesiis et domibus posse a Nostris benedici [b]. — An etiam cruces et imagines ad usum privatorum (non autem ea quae in locis publicis exponuntur) sine speciali privilegio benedici possint, non est quaestio specialis pro Regularibus, sed est quaestio generalis: num reservetur talis benedictio? Porro in Rituali reservatur.

7. Facultas benedicendi *calices, patenas, altaria*, sc. ea in quibus intervenit unctio cum S. Chrismate, quamvis de iure reservata sit Episcopo, conceditur tamen Regularibus in locis missionum remotis ubi Episcopus non adest. Concessa est ab Adriano VI Fratribus Minoribus missionariis, C. *Exponi nobis,* quoad calices et patenas, et a Leone X iisdem quoad altaria. Ita PIAT, t. II, p. 358, q. 14, 4° et q. 16, 4°). Concessit Societati PAULUS III, C. *Licet debitum* (1549), et LEO XII, Br. *Plura inter* concessione vicennali, 2ª serie, n. 13 [c] (vide COMP. PRIV., n. 62).

(b) COMP. PRIV. citat decretum S. C. Rit., 12 *iul.* 1704, quod non multum est ad rem. Sed est aliqua eiusdem Congr. declaratio, 17 *maii* 1760, quae quamvis particularis sit, tamen tamquam regula sumi potest. Aliquis Episcopus quaerebat, num « in indulto pro benedictione sacrae suppellectilis in qua sacra unctio non adhibetur » comprehenderetur facultas benedicendi « imagines D. N. I. C., B. Mariae Virginis aliorumque Sanctorum, tabernaculum in quod asservatur S. Sacramentum, pyxidem, et generaliter omne aliud in qua sacra unctio non adhibetur ». Et insistebat, petendo utrum haec facultas in indulto concesso contineretur, an contra nova facultas esset necessaria. S. Congr. respondit: « Per viam novae declarationis, S. C. indulsit facultatem ». Ergo non conceditur praecise nova facultas, sed simpliciter nova fit declaratio: quamvis responsio non sit omnino clara, sensus videtur esse: Etsi indultum *per se* non extendatur ad haec omnia benedicenda, attamen declaratur ad haec ex mente Concedentis extendi (*Decr. Auth.*, n. 2457). — Nota, in altero decreto (20 *iun.* 1899) statui id quod hic per transennam dicitur: benedicendum esse sacrum tabernaculum, priusquam in eo sacra Eucharistia recondatur (*Decr. auth.*, n. 4035 ad 4).

(c) Paulus III concessit pro locis missionum remotissimis: « calices, altaria, coemeteria, si Episcopus, qui ea faciat, catholicus ibi non adsit, benedicere, et profanatas ecclesias reconciliare possint ». — Leo XII dat facultatem « consecrandi calices, patenas et altaria portatilia cum oleis ab Episcopis benedictis, ubi non erunt Episcopi vel distent duas dietas vel Sedes vacet ». — Concessio Leonis XII quoad altaria est restricta ad altaria portatilia; sed haec restrictio non invenitur in concessionibus Pauli III et Leonis X. — Notandum est autem nomine altaris portatilis venire non tantum altaria viatica, sed omnia altaria quae non sunt fixa et ex integro lapidea (WERNZ, t. III, n. 462).

8. Facultas benedicendi *ecclesias, oratoria et coemeteria.* Eam Minimis concessit Iulius II, C. *Dudum ad sacrum* (1506), n. 22. « Quod ipsius Ordinis Minimorum Generalis, et Vigiles ac Provinciales eorumque vicesgerentes, omnes et singulas eiusdem Ordinis Minimorum ecclesias, coemeteria, capitula et oratoria ubicumque solemni benedictione benedicere; ac etiam illas seu illa pollutas seu polluta, quotiens opus foret, aqua tamen prius per aliquem catholicum Antistitem, ut moris est, benedicta reconciliare. Idem privilegium Leo X concessit Generali, Provincialibus, Custodibus et Guardianis FF. Minorum de Observantia, Br. *Religionis honestas,* 1514 (Piat, t. II, p. 351, q. 7). — Cf. Comp. Priv., n. 58; et vide, n. 59, restrictionem appositam in communicatione quae fit Nostris huius facultatis.

9. Regulares facultatem habent ut suas ecclesias aut oratoria consecrari faciant non tantum ab Episcopo loci, sed a quocumque alio Episcopo, si Episcopus loci requisitus recusaverit aut neglexerit; similique privilegio gaudent circa primum lapidem. Concessit Iulius II Minimis, Const. *Dudum* (1506), n. 21; Leo X omnibus Regularibus, Const. *Dum intra* (1516); Paulus III Societati Iesu, Const. *Licet debitum* (1549) [d]. Plures censent hoc privilegium revocatum fuisse decreto Tridentini (*sess.* VI, c. 5 *de Ref.*) quo praescribitur: « Nulli Episcopo liceat, cuiusvis privilegii praetextu, pontificalia in alterius dioecesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia... Si secus fecerit, sit ab usu pontificalium... ipso iure suspensus ». Patet, si expressa licentia Ordinarii loci ad usum pontificalium (quae utique in Ecclesiae consecratione adhiberi debent) requiritur, evanescere privilegium [e]. Alii tamen

(d) Iulius II: « Ut eorum ecclesias et oratoria consecrari facere possint, non tantum ab Episcopis locorum, sed ipsis prius requisitis ac recusantibus vel negligentibus, per quemcumque alium catholicum Episcopum, gratiam et communionem dictae Sedis habentem ». — Leo X: « Nec ab alieno Episcopo consecrationem ecclesiae vel altaris, aut coemeterii benedictionem petere, seu in ecclesiis per eos pro tempore aedificandis primum lapidem per alienum Episcopum poni facere possint, nisi ubi Ordinarius bis aut ter cum debitis reverentia et instantia requisitus sine legitima causa id recusaverit ». — Paulus III: « Ecclesias cum coemeteriis benedici aut consecrari facere ac primum lapidem poni per quoscumque Episcopos, si Dioecesani ultra quatuor menses id facere distulerint, posse decernimus ».

(e) Nihilominus Leo XII, Br. *Plura inter,* 1ª serie, concedit: « Ecclesiae possint a quolibet Episcopo vel Archiepiscopo benedici et consecrari de sententia Ordinarii loci ».

censent datam Regularibus facultatem adhuc subsistere: quia facultas data, vocandi alienum Episcopum, non est privilegium, sed remedium iuris pro supplenda negligentia Episcoporum (vide PIAT, p. 350, q. 5). — COMP. PRIV., n. 187, privilegium refert tamquam semper vigens; ita etiam SCHMALZGR., t. III, tit. 40, n. 14.

10. Facultas *reconciliandi ecclesias pollutas, etiam consecratas* (f), cum aqua prius ab Episcopo benedicta, si tamen aqua huiusmodi haberi possit. Eam concessit Minimis IULIUS II (supra, n. 9); Societati Iesu PAULUS III, C. *Licet debitum* (1549) his verbis: « ac profanatas ecclesias reconciliare possint »; sed concessio est pro locis missionum remotissimis. Verum LEO XII, Br. *Plura inter*, 1826 (2ª serie, n. 8) simpliciter facultatem dat « reconciliandi ecclesias pollutas aqua ab Episcopo benedicta, et in casu necessitatis etiam aqua ab Episcopo non benedicta ».

SECTIO II.

10. Facultas absolvendi a censuris Papae reservatis. — Dictum fuit, n. 1, revocata fuisse Const. *Apostolicae Sedis* omnia privilegia absolvendi a censuris S. Sedi reservatis, sed S. POENITENTIARIAM, *dec.* 1873, declarasse hac revocatione non comprehendi facultates ad tempus determinatum concessas. Porro Societas, ex Br. *Plura inter*, 1826, duas circa casus reservatos habebat facultates: unam perpetuam, absolvendi a casibus Sedi Apostolicae reservatis, exceptis contentis in Bulla Coenae: et haec igitur revocata est; aliam vicennalem, nimirum « absolvendi in omnibus casibus Sedi Apostolicae reservatis, etiam in Bulla Coenae contentis »: et ea igitur permanet. Facultates vicennales usquemodo fuerunt renovatae: ultima vice, d. 26 *ian.* 1906, ut constat ex litteris A. R. P. Martin die sequenti datis. S. CONGR. S. OFFICII, 4 *apr.* 1871, declaravit in gratiis huiusmodi, loco clausulae *casibus in Bulla Coenae contentis*, deinceps ponendum esse *casibus speciali modo Summo Pontifici reservatis.* Ideo ab his possumus absolvere.

(f) RITUALE ROMANUM, in tit. de reconciliatione Ecclesiae, hanc facit distinctionem: Si ecclesia non fuit consecrata, a simplici sacerdote ex concessione Episcopi reconciliari potest; si fuit consecrata, simplex sacerdos eam reconciliare nequit, nisi ex indulto Pontificali.

Nihilominus tres sunt casus a quibus NN. absolvere nullatenus possunt: videlicet, absolutio complicis in peccato turpi, falsa sollicitationis accusatio, invasio in pontificiam ditionem. Cf. Comp. Priv., n. 3 (a).

Porro casus summo Pontifici simpliciter reservati conceduntur a P. Generali Superioribus omnibus et iis quibus Superiores communicaverint; sed casus speciali modo S. Pontifici reservati non conceduntur nisi Provincialibus aliisque Provincialium potestate utentibus, qui tamen possunt eosdem inferioribus communicare (Comp. Priv., n. 4). Notatur ibidem hanc absolutionem a censuris reservatis non valere nisi pro foro interno, ut statuitur in Const. *Superna*, n. 7, et poenitentes de hoc esse monendos.

11. De facultate dispensandi in irregularitatibus. — Quamvis dictum sit, n. 2, facultatem dispensandi in irregularitatibus Societati concessam sese probabiliter extendere ad irregularitates ex defectu iuris mere ecclesiastici, si sint occultae, et quamvis iuxta S. Lig. homicidium casuale et mutilatio, si sint occulta, a facultate facta non excludantur: attamen Comp. Priv., n. 174, non intelligit hanc facultatem nisi de irregularitatibus ex delicto occulto contractis, non ex defectu occulto, et excludit, cum homicidio voluntario, mutilationem et bigamiam. Ratio est, quia hi casus communiter excipiuntur, et ideo in concessione generali non censentur communicari.

Sed idem Compendium, eodem loco, refert privilegium Patribus Passionistis concessum, vi cuius, dum missiones aut Exercitia publica tradunt, possunt dispensare pro foro conscientiae et in actu sacramentalis confessionis ab omnibus irregularitatibus occultis, etiam specialem, expressam et individualem mentionem exigentibus; eamque cum Nostris communicat. Ergo tempore sacrarum Missionum et Exercitiorum publicorum, nulla est irregularitas occulta a quibus Nostri in foro conscientiae dispensare non valeant: dummodo tamen facultatem a Superioribus suis acceperint (*ibid.*, n. 175).

N. B. Facultas dispensandi saeculares ab irregularitatibus

---

10. (a) Duo primi casus fuerunt revocati a Pio IX, vivae vocis oraculo, d. 3 *iul.* 1875; tertius casus fuit denuntiatus per decretum generale S. Congr. EE. et RR., d. 3 *iul.* 1860, secundum litteras Pii IX *Cum Catholica Ecclesia*, eiusdem anni 1860.

non communicatur singulis, sed solum Superioribus et confessariis quibus ipsi commiserint (Comp. Privil., n. 175).

12. De facultate dispensandi saeculares a poenis, nihil habet Comp. Privil. — N. 172, facultatem dispensandi a poenis agnoscit quidem, sed solummodo erga Nostros exercendam; eam autem non ex privilegio Pauli III (vide n. 3), verum ex Const. S. Pii V, *Dum ad Congreg.* (1571) eruit. — Ergo quoad saeculares hoc privilegio uti non possumus, nisi, ut dicitur in Praefatione eiusdem Compendii, n. 2, usus sit necessarius et tempus recurrendi ad Praep. Generalem desit: tunc enim recursus fieri poterit ad Provincialem, aut etiam, si casus hanc moram non patitur, ad Superiorem localem, monito postea Generali, et uti liceret privilegiis de quibus supra, n. 6, dictum est.

13. De facultatibus commutandi vota et circa ea dispensandi.

1. Societas habet a Leone XII (Br. *Plura inter*) duplicem facultatem: 1° facultatem perpetuam vota simplicia *commutandi,* exceptis votis castitatis, Religionis, trium peregrinationum, iisque in quibus agitur de praeiudicio vel iure tertii; 2° facultatem vicennalem « *dispensandi et commutandi* vota simplicia in alia opera, et *dispensandi* ex rationabili causa in votis simplicibus castitatis et Religionis ». In hac facultate vicennali rursus duplex alia diversa continetur, ut patet, et utraque a facultate perpetua prius concessa diversa esse debet. His positis, ut primum membrum facultatis vicennalis sit diversum a secundo, necesse est sumere verba *dispensandi* et *commutandi* per modum unius, ita ut sensus sit: commutandi dispensando; secus secunda facultas in prima contineretur. Insuper ut haec prima pars facultatis vicennalis diversa sit a facultate perpetua supra concessa, oportet ut nullam limitationem habeat. Ergo hic habetur facultas commutandi omnia vota simplicia, etiam quinque Papae reservata (non autem votum in quo dispensatio violaret ius tertii): quae commutatio continet dispensationem aliquam prioris voti (propterea dicitur dispensandi et commutandi). Secunda pars est facultas simpliciter dispensandi a duobus votis Religionis et castitatis, absque commutatione. — Concludendum est non concedi facultatem simpliciter dispensandi in tribus peregrinationibus, sed tantum eas in alia opera commutandi [a].

---

13. (a) Ratio forsan est, quae haec vota, cum possint per actum com-

Facultas commutandi vota, exceptis quinque reservatis, « communicatur omnibus confessariis nostris » (Comp. Priv., n. 110); vicennalis facultas commutandi *omnia* vota in alia pia opera « communicatur Superioribus et aliis confessariis quibus ipsi commiserint »; sed facultas *dispensandi* simpliciter in votis castitatis (perpetuae et perfectae) et Religionis non communicatur nisi « Provincialibus caeterisque Superioribus Provincialium potestate utentibus, aliisque quibus ipsi commiserint » (Comp. Priv., n. 179).

2. Facultas dispensandi a voto castitatis in ordine ad petendum debitum in Compendio (n. 181) non conceditur nisi Provincialibus et iis quibus ipsi commiserint, et sub conditione quod moneant poenitentem, ut si coniugi supervivat, votum servet, et insuper sub restrictione quod votum non fuerit emissum ex communi consensu post contractum matrimonium.

Sed cum ex vicennali facultate, Provinciales ii que, quibus ipsi commiserint, possint dispensare ex rationabili causa a voto simplici castitatis, iidem ex hoc privilegio, si adest haec rationabilis causa, dispensare possunt quin imponant obligationem servandi votum, mortua comparte, et stante causa possunt dispensare, etiamsi votum emissum fuerit ex mutuo consensu post contractum matrimonium.

14. De variis facultatibus Societati concessis quoad benedictiones. Vide supra, n. 9, et iis, quae ibi dicta sunt, adde sequentia:

1. Omnes Sacerdotes Societatis *aquam S. Ignatii benedicere* possunt. Comp. Priv., nn. 68 et 69.

2. Societas habet privilegium vicennale Leonis XII « benedicendi coronas, rosaria, cruces, crucifixos, parvas statuas, *medaglie* », eisque indulgentias apostolicas applicandi. — De privilegio et modo communicationis, vide Comp. Priv., nn. 66 et 67 [a].

---

pleri, in alterum actum commutari valent; vota autem castitatis et Religionis, cum statum perpetuum inducant et non per aliquem actum implantur, difficile et non sine periculo in aliquod aequivalens mutarentur.

14. (a) S. Congr. Indulg., d. 14 *iun.* 1901, instructionem dedit super hac facultate. In ea dicitur: « Ad eam (facultatem) licite exercendam requiritur consensus Ordinarii loci in quo quis ea uti velit, firmo re-

3. Societas perpetuum habet privilegium « benedicendo coronas, non solum indulgentias apostolicas, sed etiam alias a diva Birgitta nuncupatas dictis obiectis applicandi », ex gratia Leonis XIII, 17 *nov.* 1883 (COMP. PRIVIL., *ibid.*).

4. Concessa fuit P. Generali, cum potestate eam Nostris quibuscumque voluerit communicandi, facultas applicandi coronis indulgentias cruciferorum.

5. « Missionarii Societatis in fine vel decursu sacrarum missionum, quae ab ipsis peraguntur, benedicere et erigere valent secus vias cruces erigi solitas ». Ita ex Privilegio Pii IX, 14 *mart.* 1864: COMP. PRIV., n. 70; et n. 71, omnibus missionariis communicatur.

6. Iidem in fine missionis dare possunt benedictionem papalem; atque eam facultatem delegare digniori de clero praesenti. Haec benedictio datur cum Crucifixo. Concessit PIUS IX, 19 *ian.* et 4 *maii* 1851: COMP. PRIV., n. 72; et n. 73, omnibus missionariis communicatur. — Indulto d. 22 *iunii* 1904, haec benedictio cum adnexa plenaria indulgentia dari potest, etiamsi exercitia per triduum tantum duraverint; et declaratione S. CONGR. INDULG., 5 *febr.* 1905, imperteri potest a digniori de clero sive saeculari sive regulari, et etiam post Exercitia a Nostris tradita quibuslibet clericis vel Regularibus in unum ed ea accipienda Congregatis.

15. Indulgentia plenaria moribundis conferenda.

1. Hanc indulgentiam in articulo mortis omnes Nostri applicare possunt, imaginem proprii Crucifixi votorum moribundo porrigendo ut eam osculetur et tangat, nomen Iesu invocando ore aut corde, si ore non potuerit. — Requiruntur confessio et communio, vel, si haec non fuerint possibilia, saltem contritio. — Concessit LEO XIII Societati Br. *Expositum nobis*, 12 *ian.* 1886 (COMP. PRIV., n. 354). *Nota:* hanc indulgentiam applicare possunt quicumque religiosi Societatis Iesu (ita ex presse COMP., l. c.), ergo etiam scholasticus et coadiutor temporalis.

2. Ex facultate vicennali Leonis XII, « Fidelibus quibuscumque in articulo mortis, saltem contritis, si confiteri non possunt », indulgentiam plenariam cum formula Ritualis im-

---

manente quoad Regulares exemptos decreto huius Congr. d. 8 *ian.* 1888 ». In eo autem decreto dicitur Regulares exemptos, qui hac facultate utuntur in ipsis suis conventibus, sola Superioris sui licentia indigere, etiamsi in concessione adsit clausula « de licentia Ordinarii ».

pertire possumus [a]. *Nota* in concessione non requiri communionem, sed confessionem, si fieri potest. — Ex eodem privilegio, indulgentiam plenariam concedere possumus *primo conversis ab haeresi.* — Hae duae facultates communicantur Praep. Provincialibus; qui eam subditis sacerdotibus communicare possunt (COMP. PRIV., n. 353).

16. Facultas dispensandi super esu carnium. — Nostri facultatem vicennalem a Leone XII habent « dispensandi, quando expedire videbitur, super esu carnium, ovorum, et lacticiniorum, tempore ieiuniorum et praesertim quadragesimae » (2ª serie, n. 14). Notandum est hanc dispensandi facultatem non restringi ad confessarios. In COMP. PRIV., n. 177, communicatur Superioribus et iis quibus commiserint. — Non habetur autem facultas a ieiunio dispensandi.

17. Sodalitates Beatae Mariae Virginis [a].

Historica. Prima sodalitas B. M. V. in Collegio Romano ortum habuit, circa annum 1564. Anno 1584, GREGORIUS XIII, Const. *Omnipotens Dei,* eam in ecclesia Collegii Romani, sub titulo Annuntiatae, pro externis scholaribus huius collegii aliisque Christifidelibus, sub auctoritate Generalis Societatis, canonice erexit et instituit, indulgentiis donavit, concessitque Praeposito Generali facultatem alias similes Congregationes in collegiis Societatis extra Urbem erigendi ac Congregationi primariae Annuntiatae Collegii Romani, cum communicatione indulgentiarum et gratiarum, aggregandi [b].

---

15. (a) Cf. declarationem S. C. INDULG., d. 5 *febr.* 1841. Quaesitum erat « Utrum sacerdos valide conferat indulgentiam plenariam in mortis articulo, omissa formula a S. Pontifice (Benedicto XIV) praescripta, ob libri deficientiam? — R., Negative, quia formula non est tantum directiva, sed praeceptiva »; et rursus, d. 18 *mart.* 1879, his verbis: « Formula Benedictina est praescribenda sub poena nullitatis pro omnibus indiscriminatim, facto verbo cum Sanctissimo ». Cf. BERINGER, *Les indulgences, Editio Gallica tertia,* t. I, p. 675.

17. (a) Cf. BULLARIUM SOCIETATIS et COMP. PRIVIL., v. *Sodalitas* B. M. V., n. 513 et sqq., necnon BERINGER, S. I. *de Congregationibus Marianis documenta et leges,* 1909.

(b) *Erectio* est actus auctoritatis Ecclesiasticae competentis, quo Confraternitati existentiam legalem confert, eamque inter associationes pias annumerat. Ad Episcopum spectat erigere Confraternitates in sua dioecesi; sed Summus Pontifex eamdem facultatem aliis concedere potest. — *Aggre-*

In eadem Const. Praeposito Generali conceditur facultas visitandi per se aut per alios Societatis praesbyteros omnes sodalitates, eis statuta condendi, aut ab aliis condita examinandi et approbandi, eademque iam edita pro temporum circumstantiis immutandi.

Sixtus v, Const. *Superna,* 1587, et alia Const. *Romanum* eiusdem anni, praecedentem facultatem (quae ad Congregationes in collegiis Societatis extra Urbem erectas erat restricta) extendit ad alias Congregationes quorumcumque aliorum Christifidelium, sub titulo Annuntiatae aut alio quovis titulo aut invocatione, in quibusvis Societatis ecclesiis, collegiis et domibus instituendas, tum in Urbe tum extra Urbem, per universum orbem, et ita ut in singulis locis et ecclesiis una aut plures sodalitates, pro personarum frequentia seu qualitate, a Praeposito Generali erigi et primariae Annuntiatae aggregari possint; insuper ut easdem Congregationes sub cura Societatis semper existentes Praepositus Generalis dissolvere valeat. Altera Constitutione concedit facultatem similes sodalitates erigendi etiam in seminariis et aliis locis sub Societatis gubernio existentibus, etiamsi non ipsius propriis.

Clemens viii, C. *Cum sicut* (1602), et Gregorius xv, C. *Alias pro parte* (1621), extenderunt praecedentes facultates ad residentias.

Benedictus xiv, Const. *Gloriosae* (1748), dicta *Bulla aurea,* magnificas laudes Congregationibus tribuit, eas indulgentiis et gratiis donat, statuit ut omnes Congregationes Primariae aggregatae aliquod B. M. V. mysterium seu festivitatem pro titulo necessario habeant, quamvis etiam secundarium patronum eligere et habere eis liceat, et tandem declarat earum erectionem et aggregationem in iis, quae privilegiis concessis contradicunt, non subiacere Constitutioni Clementis viii, *Quaecumque* (1604) (c).

---

gatio seu *affiliato* est actus quo Confraternitas, seu eius Moderator, ex concessa sibi a S. Sede facultate, alias similes Confraternitates sibi adiungit, eis gratias et indulgentias, quibus Confraternitas prima gaudet, communicando.... Aggregari nequit nisi Confraternitas legitime erecta (Beringer, *op. cit.,* p. 25) et quae nulli alii iam sit aggregata (*ibid.,* p. 26).

(c) « Non obstantibus una de indulgentiis non concedendis ad instar, et altera..., necnon praedicti Clementis praedecessoris super modo et forma Confraternitates erigendi et aggregandi edita, cui, ad praemissorum omnium et singulorum validitatis effectum, hac vice duntaxat specialiter et expresse,

Idem Pontifex, in alia Const. *Quemadmodum* (1749), concedit ut omnes de Societate, etiamsi non aggregati, possint omnes Congregationum indulgentias lucrari, praescripta opera exsequendo et propriam domus ecclesiam visitando, quando visitatio sacelli Congregationis praescribitur.

Praeterea, litteris *Quo tibi* (1751), « facultatem tribuit Praep. Generali S. I. omnes utriusque sexus congregationes, confraternitates et sodalitates, in aedibus vel ecclesiis S. I. ubique canonice erectas vel erigendas, Primae-primariae Collegii Romani aggregandi ».

Tandem, Constitutione *Laudabile* (1758), de *dominio* Congregationis in aedes, vasa, paramenta, decernit sodalitatibus nullum dominium in ea competere, sed dominium omne esse penes Societatem; insuper omne regimen sodalitatum ad Praep. Generalem et ad directores per ipsum designatos, ad exclusionem sodalium, pertinere (d).

Restituta Societate, novae gratiae fuerunt concessae.

Leo xii, Const. *Cum multa* (1824), decrevit integre perstare ius et privilegium aggregandi Congregationi Annuntiationis B. M. V., Primae-primariae nuncupatae, uti olim fuerat indultum; et rescripto 7 *martii* 1825, concessit facultatem aggregandi caeteras etiam omnes Congregationes, quae a Societate non reguntur, si aggregationem postulent.

Clemens viii, Const. *Quaecumque* (1604), varia circa Confra-

---

ac latissime et plenissime.... derogamus » (versus finem Constit.). Idem privilegium iam concesserat Gregorius xv, in praedicta Constitutione *Alias pro parte*, his verbis: « Decernentes praedictas Gregorii (xiii) et Sixti (v) praedecessorum, necnon praesentes litteras sub Constitutione r. m. Clementis P. viii, super modo et forma Confraternitates erigendi et aggregandi edita, minime comprehendi ».

(d) « Perpetuo statuimus, decernimus et mandamus, ut Congregationes erectae aut erigendae in collegiis et domibus regularibus eiusdem Societatis ita dictis collegiis et domibus, in quibus erectae existunt, unitae et incorporatae sint, ut earumdem Congregationum congregati seu confratres nullum ius, nullumque dominium, nullamque actionem supra aedes, vasa, mobilia, ornamenta et supellectilia quaecumque.... habeant nec habere possint, minusque claves armariorum.... penes se habere vel retinere queant; minusque dictis congregatis pro tempore existentibus licitum sit decreta, statuta, regulas condere;... sed ea facultas spectet.... ad Praepos. Generalem, qui, iuxta facultates attributas, statuta, decreta, regulas et constitutiones huiusmodi ad sui libitum variare et mutare valeat, nullo requisito et obtento consensu dictorum congregatorum ».

ternitates statuerat, quae S. Congr. Indulgentiarum, decreto 8 *ian.* 1861, nomine S. Pontificis Pii IX, cum aliquibus variationibus innovavit [e]. Sed eadem Congr., decreto 29 *aug.* 1864, declaravit Congregationes B. M. V. non comprehendi decreto 8 *ian.* 1861.

Tandem Leo XIII, rescripto 23 *iun.* 1885, etiam facultatem *erigendi* Congregationes externas, de Ordinarii consensu, Praep. Generali concessit, et confirmavit exemptionem a Constitutione Clementina omnium Congregationum, sive in ecclesiis, collegiis et domibus Societatis, sive alibi sint erectae et extra Societatis curam existant. Praeterea permisit ut Congregationum Praesides ex rationabili causa alium sibi sacerdotem substituere possint tum ad recipiendos fideles, tum ad alia Praesidum munia exercenda.

18. Ex his omnibus documentis habentur sequentes **normae circa erectionem, aggregationem ac regimen sodalitatum B. M. V. et sodalium receptionem:**

1. Praepositus Generalis potest erigere et Primae-primariae aggregare sodalitates B. M. V. pro quibuscumque Christifidelibus, et ubique, tum in locis Societatis et sub eius cura, tum in aliis locis et sub cura cuiuscumque sacerdotis a suo Episcopo deputati.

2. Congregationes externae (scilicet in locis quae non sunt Societatis) erigi et aggregari non possunt nisi de consensu Ordinarii [a], cuius est statuta approbare vel corrigere ac directorem nominare [b].

Ad erectionem et aggregationem Congregationum in locis

(e) Octo sunt praecipua capita in dicta Constitut. *Quaecumque* contenta: 1 Unica tantum confraternitas eiusdem generis institui et aggregari possit in singulis ecclesiis. 2 Institutio et aggregatio non fiat nisi de consensu Ordinarii et litteris testimonialibus eiusdem. 3 Confraternitatibus aggregatis communicentur omnes gratiae et indulgentiae aggregantis. 4 Statuta ab Episcopo loci approbentur et corrigi valeant. 5 Gratiae et indulgentiae communicatae, praevia Ordinarii approbatione tantum publicentur. 6 Confraternitas eleemosynas accipiat et eroget iuxta formam per Ordinarium praescribendam. 7 Erectio gratis fiat. 8 Omnia praedicta sub poena nullitatis institutionis et aggregationis observanda sunt.

18. (a) Ita non tantum in Constitut. Clementina declaratur, sed etiam in rescripto 23 *iun.* 1885, ubi conditio consensus Ordinarii in petitione exprimitur, et concessio fit *iuxta preces*.

(b) Vide Beringer, p. 29.

Societatis non requiritur consensus Ordinarii [c]. Hoc valet non tantum pro Congregationibus scholarium in collegiis, sed quorumvis Fidelium, dummodo in locis Societatis erigantur.

3. Plures Congregationes in eodem loco, imo in eadem ecclesia, pro diversis personarum conditionibus, institui possunt. — Omnes Congregationes pro titulo aliquod mysterium aut festivitatem B. M. V. habeant necesse est.

4. Congregationes in locis Societatis erectae subsunt in omnibus auctoritati Praepositi Generalis. Ipsius est earum statuta condere, et condita immutare, eisdem Moderatorem designare, eas per se aut per alium visitare, et, si adsit causa, dissolvere. Haec omnia per se vel per alios facere potest. Sodales autem nullum ius habent ad condenda statuta, nec ad regimen sive temporale sive spirituale sodalitatis [d].

5. Eaedem Congregationes in locis Societatis erectae nihil possident nec possidere valent: sed omnia quibus utuntur, capella, altare, mobilia sacra et profana, a Societate possidentur (Bened. xiv, C. *Laudabile*). Inde dona aut legata accipere nequeunt; verum (nisi contraria esset voluntas donatorum: sed tunc nec a Societate nec a sodalitate admittenda essent), haec Societati acquiruntur, cum obligatione quidem ea impendendi in commodum sodalitatis (vide Ciravegna, nn. 90 et 91).

6. Inde consequitur: 1° quod Congregationes Episcopi visitationi non subiacent; 2° quod sodales nullum ius habent ad bona sodalitatis, et ideo armariorum claves de iure non tenent; 3° quod in casu dissolutionis, nullum ius ad haec bona eis competit; sed ea vel donatoribus, si hoc ius sibi reservaverint, vel ad plenum Societatis dominium revertuntur. Ita in duabus causis iudicatum fuit a S. Congr. EE. et RR.; cuius

---

(c) Ita declaravit S. C. Indulg., d. 25 *aug.* 1897: « An ad erectionem confraternitatum, quae a religiosis Ordinibus in suis respectivis ecclesiis eriguntur, necessarius sit Ordinarii consensus? — Resp. Si agatur de Confraternitatibus proprie dictis, id est ad modum organici corporis et cum sacco constitutis, Affirmative; si de Confraternitatibus late acceptis, satis provisum est per consensum praestitum ab Ordinario, pro erectione conventus Ordinis in dioecesi » (A. S. S., t. xxx, p. 276).

(d) Quamvis ut plurimum in sodalitate sit aliqua constitutio organica, sc. praeses, assistentes aliique officiales ac consilium, haec constitutio non est essentialis, et sodalitas per Moderatorem regitur (Beringer, p. 33). Ita respondit S. Congr. Indulg., 22 *aug.* et 18 *nov.* 1842 (*Decr. auth.*, nn. 308 et 312).

sententiam approbavit Bened. XIV, Const. *Laudabile* (cf. Comp. Priv., n. 82).

7. Quamvis lege generali indulgentiae publicari non possint nisi recognitae ab Ordinario (ita ex decreto Tridentini, *sess.* XXI, c. 9 *de Reform.*), nihilominus, quoniam catalogus indulgentiarum Congregationum Marianarum fuit recognitus et approbatus a S. Congr. Indulg., d. 23 *iun.* 1885, alia recognitione non indiget (S. C. Indulg., 20 *mai* 1896 — A. S. S., t. XXVIII, p. 751) eumque in omni loco libere publicare fas est absque Episcopi licentia.

8. Notandum est solum legitimum directorem posse valide sodales in Congregationem recipere et numismata benedicere (e). Nihilominus, 1° qui ius habet nominandi Moderatorem, potest etiam aliis personis facultatem admittendi concedere, aut Moderatori ipsi permittere ut alium sibi substituat; 2° modo generali fuit concessum ut, ex legitima causa, v. g. ad solemniorem receptionem, Moderator sibi alium substituere valeat (Leo XIII, rescripto 23 *iun.* 1885, in *Bull. Soc.*).

9. An *inscriptio* in albo sit necessaria? — S. Congr. Indulg. interrogata modo generali de necessitate inscriptionis pro admissione in Confraternitatibus, respondit eam esse necessariam pro admissione in Confraternitatibus proprie dictis. Inde, ex dictis *nota* c, videretur non absolute requiri: ita Beringer, *de Congregationibus Marianis documenta et leges*, p. 17.

10. Absentes ordinarie recipi nequeunt: sic ex decreto S. Congreg. Indulg., 13 *april.* 1878. — Sed in specialibus circumstantiis exceptiones admitti possunt (Beringer, p. 32).

11. Quamquam in erectione cuiusque Congregationis ecclesia aut oratorium aliquod tamquam eiusdem sedes assignatur, haec sedes ex consensu Episcopi (aut Superioris regularis, si Congregatio in loco Societatis fuit erecta) alio transferri potest (Beringer, p. 33), non tamen in aliam dioecesim, nisi ex speciali indulto. Indultum huiusmodi fuit concessum ad septennium pro Congregationibus Galliae, d. 1 *apr.* 1908 (apud Beringer, p. 200).

(e) *Receptio* est actus auctoritativus verbis aut saltem signis expressus, quo aliquis in Congregationem, ab eo qui legitimam ad hoc auctoritatem habet, admittitur. Et ideo receptio per Moderatorem fit, non per praesidem (seu praefectum), nec consistit in consecratione ipsius recipiendi. Nec receptio solemnis est de validitate, sed videtur sufficere quilibet actus externus Moderatoris (Beringer, p. 30 sq.).

12. Congregatio non est soluta eo solo quod sodales per aliquod tempus non conveniant. Requiritur ad dissolutionem actus auctoritatis competentis qua fuit erecta, aut saltem positiva voluntas omnium sociorum (Beringer, p. 34).

19. Sodalitates Bonae Mortis [a]. — Sodalitas sub invocatione D. N. I. C. in cruce morientis ac B. V. M. perdolentis, vulgo dicta Bonae Mortis, a R. P. Vincentio Caraffa, circa annum 1648, in templo SS. Nominis Iesu domus professae Romanae instituta, ab Alexandro VII indulgentiis donata Brevi 21 *aug.* 1655, fuit deinde in Archiconfraternitate a Benedicto XIII erecta, Const. *Redemptoris nostri* (1729), cum facultate Praeposito Societatis facta erigendi et aggregandi Confraternitati Romanae alias sodalitates eiusdem tituli [b], pro fidelibus utriusque sexus, in quibusvis aliis Societatis ecclesiis extra Urbem. — Plena auctoritas simul dabatur Praeposito Generali has sodalitates visitandi, eis statuta condendi, aut ab aliis condita examinandi et approbandi.

Has facultates Pius VII confirmavit et denuo concessit, rescripto 6 *febr.* 1821. Quibus Leo XII, alio rescripto 22 *ian.* 1827, addidit facultatem erigendi et aggregandi sodalitates Bonae Mortis etiam in aliis ecclesiis, quae Societatis non sint, de consensu tamen Ordinarii loci.

Congregationes Bonae Mortis subiacent Constitutioni Clementinae *Quaecumque* (vide n. 17, *nota* e). Nihilominus Leo XIII, per rescriptum 16 *sept.* 1882, eas a lege distantiae exemit, ita ut plures Congregationes Bonae Mortis in eadem civitate (non autem in eadem ecclesia) erigi possint. — Alio rescripto 21 *mart.* 1885, formulam erectionis et aggregationis approbavit. Quoad receptionem, omnia quae pro receptione in Congregationibus B. M. V. sunt dicta, Congregationibus Bonae Mortis conveniunt; etiam facultas Moderatori facta alium sibi ad receptiones ex rationabili causa substituendi.

---

19. (a) Vide Comp. Priv., n. 509; Beringer, *Indulgences*, Edit. gall. 3ª, t. II, p. 406-411.

(b) Omnino necessarium est ut sint eiusdem tituli sine immutatione; hanc conditionem ponit Bened. XIII, in dicta Constitutione.

PARS V.

DE REGIMINE ORDINUM RELIGIOSORUM

CAPUT XXI.

DE SUPERIORUM POTESTATE ET OBLIGATIONIBUS

Sectio I. — 1. Notiones generales de potestate Superiorum. Potestas dominativa. — 2. Potestas Iurisdictionis. — 3. De diversa forma regiminis in diversis Ordinibus. — 4. De potestate dominativa Superioris religiosi. Ius praecipiendi. Ius inquirendi. De denuntiatione. Ratio conscientiae. Ius puniendi. — 5. De potestate iurisdictionis Superioris religiosi. Potestas legifera. — 6. De potestate dispensandi in regulis et constitutionibus Ordinis atque in legibus communibus Ecclesiae; — 7. in irregularitatibus; — 8. in poenis. — 9. Potestas iudiciaria in foro interno, seu quoad confessionem subditorum. — 10. Limitationes huius potestatis, quoad casus tum Romano Pontifici tum Episcopo reservatos. — 11. De Regularium confessariis ex disciplina vigente a Clemente VIII. — 12. Potestas iudiciaria in foro externo. — 13. Potestas coercitiva. — 14. Administratio bonorum temporalium. — 15. Bonorum alienatio: leges Ecclesiae circa alienationem. — 16. Quae bona alienari possint aut non possint sine beneplacito Apostolico? — 17. Quid nomine alienationis prohibitae veniat? — 18. De causis legitimis quae ad omnem alienationem requiruntur. — 19. Sanctiones et poenae contra indebite alienantes. — 20. Variae Superiorum Regularium obligationes: circa curam animarum suorum subditorum; circa professionem fidei; circa applicationem missae pro subditis; circa visitationem. — 21. Reliqua Superioris officia. — 22. De lectione Decretorum pro Regularibus editorum. — 23. De amissione officii — 24. De regimine externo Ordinum religiosorum

Sectio II. — 25. Forma regiminis in Societate. — 26. Societas plena potestate iurisdictionis gaudet. — 27. Potestas legifera, iudiciaria et coercitiva in Societate. Exemptio a forma iudiciaria in electione et correctione. — 28. Facultas absolvendi socios in foro poenitentiae. — 29. Disciplina vigens circa confessiones Nostrorum. — 30. Facultas dispensandi in genere; item in Constitutionibus Societatis et in legibus communibus Ecclesiae; — 31. in irregularitatibus; — 32. in poenis, privationibus et inhabilitatibus; — 33. in votis. — 34. De bonorum temporalium Societatis dominio et administratione. — 35. Nominatio Superiorum in Societate. — 36. Generali, Provinciali, Superiori locali demortuo quis succedat?

SECTIO I.

1. Notiones generales de potestate Superiorum[a]. — In Ordinibus religiosis duplex regimen distingui debet, internum et externum: internum, quod per ipsorum Ordinum Superiores

1. (a) Wernz, t. III, n. 683; Piat, t. I, p. 563 et sqq.; Prümmer, q. 175.

vel Capitula exercetur; externum, quo per Praelatos iurisdictionem in Ecclesia habentes reguntur.

Superiores aut Capitula duplici auctoritate subditos regere possunt, dominativa et iurisdictionis.

Potestas dominativa est ius capitis, in qualibet societate, dirigendi subditos ad proprium societatis finem. Oritur ex ipsa natura societatis: in qua necesse est aliqua insit auctoritas, quae eam regat et omnes socios ad finem communem ordinet; sive societas sit naturalis, ut familia vel civitas, sive sit libera voluntate contracta, ut societas commercialis, Ordo religiosus (vide c. x, n. 4). Potestas dominativa igitur etiam in Ordine religioso, quoad suam substantiam, originem ab Ecclesia non habet, sed exsurgit ab ipsa Ordinis natura, quatenus est quaedam societas. Nihilominus, quoniam Ordo religiosus absque Ecclesiae approbatione exsistere nequit (ut capite I dictum est), Ecclesia, approbando Ordinem, aliquas conditiones apponere potest circa huius potestatis subiectum, exercitium et extensionem. — In Ordine religioso, potestas dominativa ex alio titulo oritur, scilicet ex professione, quatenus profitens traditionem sui voto obedientiae firmatam Religioni fecit (Suarez, tr. VIII, l. II, c. 1, n. 2; et vide supra c. V, n. 1). — Novitii ipsi Superioribus subduntur, non quidem hoc secundo titulo, verum primo, eo ipso scilicet quod iam incipiunt esse pars societatis in qua novitiatum peragunt.

Qui in Ordine potestate dominativa donantur *Superiores* dicuntur; alii, qui aliquo modo res et personas regunt, quin tamen proprie praecipere possint, id est obligando in conscientia, *Officiales* vocantur. Qui, praeter potestatem dominativam, habent etiam potestatem ordinariam iurisdictionis fori externi *Praelati regulares* audiunt (Suarez, l. c., n. 6).

2. Potestas Iurisdictionis.

1. Iurisdictio est potestas regendi subditos, propria societatis perfectae sive civilis sive ecclesiasticae. Comprehendit triplicem potestatem, scilicet leges ferendi, quae in conscientia obligent, iudicia exercendi, subditos poenis coercendi.

2. Potestas iurisdictionis, quoniam est propria societatis perfectae, Ordini religioso non competit per se, sed tantum quatenus ei ab Ecclesia communicatur. Non est absolute ipsi necessaria: nam ad regimen internum sufficit potestas dominativa cum iurisdictione externa Praelatorum Ecclesiae (Suarez, l. c., nn. 2 et 6). Ecclesia autem Ordinibus, quos ab

Episcoporum iurisdictione eximit, iurisdictionem conferre solet. Et hoc est valde conveniens. Nam ad perfectum regimen aliqua iurisdictio necessaria est. Ordines autem ab Episcoporum iurisdictione exempti, nisi ipsi iurisdictione donarentur, a S. Sede immediate regi deberent: quod vix in rebus particularibus fieri posset. Ergo iurisdictio intrinseca est ipsis moraliter necessaria. — Aliis Institutis, si sint Congregationes sacerdotum, aliqua iurisdictio conferri solet, sed minus completa, pro ratione exemptionis ipsis concessae. Praeterea eaedem Congregationes aliquam iurisdictionem habere possunt, sibi ab Episcopis, quibus subiacent, collatam (Suarez, ib., n. 16). — Tandem Institutis fratrum et monialium iurisdictio ecclesiastica (quae solis clericis confertur) non competit. Quapropter partialis tantum eis exemptio conceditur, in his scilicet quae sola potestate dominativa regi possunt: in caeteris, quae iurisdictionem requirunt, potestati Episcoporum subiecta remanent[a].

3. Potestas iurisdictionis in Ordinibus religiosis est ergo ecclesiastica, ad potestatem clavium proinde pertinens. Est delegata, eo sensu quod eam non habent ex institutione divina, sed ab Ecclesia accipiunt. Eis tamen non competit Iure communi: nullus enim invenitur textus Iuris, quo Ordinibus regularibus, qua talibus, iurisdictio conferatur (Suarez, l. c., n. 15); sed singulis per privilegium speciale tribuitur. Nihilominus dici debet atque est vere *ordinaria*, eo sensu quod eam Superiores aut Capitula vi officii sui habent: quae est vera notio potestatis ordinariae. — Praeterea est fori tum interni tum externi, ut infra declarabitur.

4. Competit Generali, Provincialibus et Superioribus localibus, non aliis Officialibus: cuius limitationis ratio est sola Ecclesiae voluntas: haec autem voluntas ex communi DD. doctrina et praxi in Ordinibus vigente habetur. Competit etiam Capitulis seu Congregationibus generalibus, provincialibus et conventualibus, pro cuiusque Ordinis approbati constitutionibus. Imo in omnibus Ordinibus suprema iurisdictio (et etiam suprema potestas dominativa) in Capitulo generali residet. Ita est tum ex voluntate Ecclesiae, tum ex constitutionibus omnium Ordinum.

---

2. (a) Confer Constit. *Conditae*, 8 *dec.* 1900, cap. II, ubi delineatur potestas Episcopi in Instituta votorum simplicium a S. Sede recognita vel approbata.

5. Ex eo quod dictorum Superiorum et Capitulorum iurisdictio sit ordinaria, sequitur quod eam delegare possint, nisi in casibus particularibus id eis a S. Sede aut a propriis Instituti constitutionibus sit prohibitum.

6. Iurisdictio Praelatorum regularium dicitur et est *quasi-episcopalis* (Piat, t. I, p. 563, q. 4; Suarez, tr. VIII, l. II, c. 1, n. 6, et c. 2, n. 9): quia Praelati regulares fere possunt in subditos quidquid Episcopus potest in populum et clerum sibi subditum. Dicitur tamen « fere possunt »: primo, quia illam non habent iurisdictionem quae est potestati ordinis alligata: non possunt chrismare, ordinare subditos, nec consecrare ecclesias, aut vasa sacra (nisi ex speciali privilegio); secundo, quia haec potestas in variis Praelatis regularibus, tum ab ipsa Ecclesia, tum a singulorum Ordinum constitutionibus restringitur: ita ut aliquod iurisdictionis exercitium Generali reservetur, Provincialibus autem aut localibus Praelatis non communicetur; aliud Provincialibus tribuatur, non autem Praelatis localibus. Quaenam sit extensio iurisdictionis singulorum Praelatorum, infra declarabitur.

Haec quasi-episcopalis Praelatorum regularium iurisdictio a Iure communi agnoscitur, c. *Abbates*, 3, *de Privilegiis*, V, 7, *in Sexto*[b]. Ex quo capite AA. agnoscunt quasi-episcopalem iurisdictionem non tantum Abbatibus, sed omnibus Praelatis regularibus competere (Suarez, l. c., c. 2, n. 9). De caetero explicite conceditur a Pio V Praelatis Ordinis Praedicatorum, Const. *Romani Pontificis* (21 *iul.* 1571), § 3[c]; eamque alii Ordines per communicationem participant: « Quia sacrum oecumenicum Tridentinum Conc. concessit Episcopis ut absolvere possint in foro animae et conscientiae ab omnibus peccatis et dispensare in irregularitatibus, prout *sess.* XXIV, *cap.* 6,

(b) « Nec eis (scil. Abbatibus) licitum sit aliis quam monasteriorum suorum conversis et qui ad illa convolaverint, et in quas *ecclesiasticam et quasi-episcopalem iurisdictionem obtinent*, primam clericalem conferre tonsuram » (conversis, id est iis qui convertuntur a saeculo et vitam religiosam amplectuntur: hos Ius conversos vocat).

(c) Privilegium concessum hac Constitutione non comprehenditur in revocatione privilegiorum S. Pii V facta a Gregorio XIII, Const. *In tanta*, 1573 (vide c. XV, n. 12, 2°). Certe S. Lig., *de Privilegiis*, n. 96, et alibi, hoc privilegium refert tanquam semper vigens. Idem dicit Piat, I, p. 570, nota 6, et Prümmer, q. 239, qui tamen addit Constitutionem S. Pii V aliquas restrictiones postea subiisse.

habetur: ne Prior conventualis et superiores Praelati dicti Ordinis, tam in dicta provincia quam extra, ubilibet, in hac parte deterioris conditionis quam clerici aut saeculares exsistant[d], eisdem Priori conventuali et superioribus Praelatis, ut ipsi per se ipsos idem omnino possint in Fratres et Moniales dicti Ordinis sibi subditos, quod possunt Episcopi in clericos et laicos sibi subiectos, tam quoad absolvendi ac dispensandi huiusmodi quam alias quascumque facultates, eadem (sc. Apostolica) auctoritate ac tenore etiam perpetuo concedimus et indulgemus, ac etiam declaramus ».

Eadem facultas, quoad potestatem absolvendi et dispensandi, fuit in forma specifica confirmata et innovata a Benedicto xiii, in Constitut. *Pretiosus*, 1727, n. 21, (ut refert S. Lig. *de Privil.*, n. 96) his verbis: « Facultatem quoque datam a S. Pio v, in Const. *Romani Pontificis*, 21 *iul.* 1571, Praelatis Ordinis (Praedicatorum), absolvendi sibi subditos fratres et sorores et cum eis dispensandi, sicut absolvere et dispensare possunt Episcopi cum eorum clericis ex decreto Tridentini *sess.* xxiv, *cap.* 6, iisdem Praelatis confirmamus, innovamus, et, quatenus opus est, de novo concedimus »[e].

7. Ex hac Pii v concessione et declaratione haec tria habentur: 1° Praelatos regulares iisdem facultatibus gaudere quoad religiosos sibi subditos, quibus Episcopus quoad clericos et laicos, et ideo quasi-episcopalem iurisdictionem habere; 2° Praelatos regulares, quibus haec iurisdictio competit, esse etiam Priores conventuales (seu Superiores domorum) et Praelatos iis superiores, nimirum Provinciales, Generalem et si qui sint alii; 3° iurisdictionem ordinariam non tribui Officialibus nec quibuscumque Superioribus qui sint Prioribus conventualibus inferiores. — Ideo in Societate Iesu non competit Ministris, quamvis hi Superiores habeantur (Cf. c. x, n. 20).

8. Praelati regulares exempti non sunt de dioecesi, nec sunt nullius dioecesis, sed sunt in dioecesi[f].

(d) Aliis verbis: Ne Fratres et Moniales ab Episcopi iurisdictione exempti, et Priori conventuali aliisque Ordinis Superioribus subiecti, deterioris conditionis quam clerici aut saeculares existant.... Constructio phrasis est implicata, sed sensus non est dubius.

(e) De valore harum Constitutionum ac de earum revocatione, vide c. xv, n. 12, 2°. Praedictum privilegium non comprehenditur in revocatione.

(f) Illi dicuntur *de dioecesi* qui non sunt exempti, atque ab Ordinarii loci iurisdictione dependent. Praelati regulares, qui ab Episcopi iurisdictione

3. De diversa forma regiminis in diversis Ordinibus. — In quocumque Ordine potestas est vel collegialis, vel singularis, vel mixta. *Collegialis* ea est quae competit Capitulis seu Congregationibus; *singularis*, quae Superioribus competit: haec absoluta est, si non temperatur potestate Capituli vel Definitorum; si temperatur, est *mixta*. Definitores dicuntur consiliarii Superioris, qui in aliquibus rebus vocem non consultativam tantum habeant, sed definitivam.

In omni Ordine religioso, suprema auctoritas residet in Capitulo generali. Sic ex institutione et praxi Ecclesiae, in approbando Ordines religiosos (Piat, t. I, p. 617, q. 6).

In plerisque Ordinibus, potestas Praelatorum circa plurima est mixta, scilicet temperata auctoritate Capituli (generalis, provincialis aut conventualis prout agitur de Generali, de Provincialibus aut de Superioribus localibus), vel auctoritate Definitorum.

Proprium est Societatis Iesu ut Capitulum provinciale nulla gaudeat auctoritate, et non sit ullum Capitulum conventuale; ut Superiores locales et Provinciales, in limitibus a Constitutionibus vel a suis Superioribus praefixis, potestatem habeant absolutam, non vero Capituli aut Consiliariorum auctoritate temperatam; item ut Superiores omnes, praeter Generalem, non electione constituantur, sed a Generali aut Provinciali libere nominentur.

In omni Religione, tres ordines Praelatorum esse possunt: supremus, medii, et infimi seu locales aut conventuales. Superiores medii, qui Provinciales ut plurimum dicuntur, sunt illi qui sub se plures domos et plures Praelatos conventuales habent et ipsi subiiciuntur Generali. Non inveniuntur in antiquis monachorum Religionibus, sed proprie in Religionibus Mendicantium. — Alius ordo Praelatorum, praeter tres praedictos, fere non reperitur. Attamen in Ordine Franciscano habentur Commissarii inter Ministrum Generalem et Provinciales, ac Custodes intermedii inter Provinciales et Guardianos (Suarez, tr. VIII, l. II, c. 2, nn. 5 et 6). In singulis domibus

---

sunt exempti, attamen proprium populum et clerum non habent, in quem iurisdictionem exerceant, sed ea in solos subditos religiosos donantur, religiosique ab eis dependentes dicuntur esse *in dioecesi*, quamvis non sint de dioecesi. Praelati autem qui populum et clerum proprium habent, in quem, excluso Episcopo, iurisdictionem exerceant, dicuntur esse *nullius dioecesis*, ideoque *Praelati nullius* vocantur: eorum territorium est quasi a dioecesi avulsum.

unicus est Praelatus (Abbas, Rector, Guardianus, Prior, Praepositus). Alii Officiales, ex communi sententia, iurisdictionem ordinariam, scilicet vi officii, non habent. Sufficit enim in unaquaque domo unicus Praelatus (SUAREZ, l. c., n. 2).

Praelatus conventualis aliquando, praeter conventum vel domum propriam, alias regendas habet, sed quae conventui principali tamquam stationes aut residentiae dependentes adnexae sunt. Tunc Vicarios in singulis habet qui eis immediate praesint.

Omnes hi Praelati, Generalis, Provinciales et locales, spiritualem habent iurisdictionem ordinariam in subditos, tam in foro interno, quam in foro externo ecclesiastico seu religioso. Ita ex praxi et privilegiis Religionum (SUAREZ, l. c., n. 7). Est sententia communis Canonistarum, in cap. *Cum ab Ecclesiarum*, 3, et in cap. *Quanto*, 7, de *Officio iudicis ordinarii*, I, 31, et in cc. *Ea quae*, 8, et *In singulis*, 7, de *Stato monachorum*, III, 35. Insuper eorum iurisdictio est *immediata* in omnes religiosos sibi subditos: sententia est communis et certa. Ita ex praxi omnium Ordinum, quamvis textus Iuris afferri nequeat (SUAREZ, l. c., n. 16).

4. De Potestate dominativa Superioris religiosi. Inquisitio. Denuntiatio. Ratio conscientiae. — Potestas dominativa duplex munus comprehendit: primum, promovendi bonum communitatis; alterum, promovendi bonum spirituale singulorum subditorum. Primum munus Superiori competit quatenus est caput alicuius societatis; alterum, quatenus est Superior Instituti religiosi, scilicet Instituti cuius finis proprius est perfectio singulorum alumnorum. Ad utrumque munus ab Instituto deputatur. Ut vero utrumque exsequi possit, triplici potissimum iure donatur, scilicet praecipiendi, inquirendi, puniendi. Amplitudo tamen huius triplicis iuris coarctatur primo ipsis potestatis dominativae limitibus, et insuper in singulis Institutis, pro Superioribus diversi gradus, per proprias constitutiones determinatur (cf. c. X, n. 4).

Aliqua de hoc triplici iure, quatenus potestati dominativae in genere convenit, dicere lubet.

1. **Ius praecipiendi.** — Superior, vi potestatis dominativae, leges proprie dictas condere nequit: ad hoc enim requiritur potestas iurisdictionis; sed potest tum ordinationes generales facere ad urgendam regulae et constitutionum executionem, tum singulis, intra ambitum regulae, praecipere etiam in vir-

tute S. Obedientiae, omnia quae sive ad bonum commune, sive ad bonum privatum singulorum opportuna iudicat. Potest igitur subditos per diversa loca et domos Ordinis distribuere, eis officia et ministeria destinare. Ad hanc potestatem pertinet ius irritandi vota inferiorum (de quo dictum est c. x, n. 8).

2. **Ius inquirendi** [a]. — *Inquisitio* duplex esse potest, generalis aut specialis: *generalis*, qua scilicet inquiritur an regulae et constitutiones observentur, an culpae non committantur quae communitati nocere possint aut privatorum perfectioni adversentur; *specialis*, quae fit circa personam determinatam Inquisitio haec specialis institui nequit nisi praecesserit aut denuntiatio canonica aut infamia, sc. vox communis quod talis religiosus sit auctor talis delicti, vel saltem in genere sit reus delictorum. Ratio cur ad inquisitionem specialem praerequiratur infamia aut denuntiatio canonica, patet: iustitia et charitas requirunt ut de nemine suspicio admittatur nisi ex probabili saltem fundamento culpa noxius appareat (iuxta tritum adagium: Nemo malus, nisi probetur): fundamentum autem deest, nisi adsit denuntiatio aut infamia. — Ius inquirendi, sive inquisitione generali sive inquisitione particulari. sequitur ex obligatione Superioris promovendi bonum tam commune quam singulorum.

3. **Iuri inquisitionis correspondet denuntiatio** [b]. — Haec (omissa denuntiatione iudiciaria) duplex est, canonica et evangelica seu paterna.

Denuntiatio canonica fit Superiori, tamquam communitatis capiti, ut illius bono provideat. Eius finis est bonum commune: ideo fieri aut praecipi tunc solum potest, quando eam exigit bonum commune: secus charitas et iustitia petunt ut reus non diffametur etiam apud Superiorem. Facta denuntiatione canonica, Superior procedere potest ad inquisitionem specialem seu quasi-iudiciariam.

Denuntiatio evangelica seu paterna ea est, quae fit Superiori tamquam patri, ut bono spirituali rei provideat: respicit bonum denuntiati. Fieri potest aut debet ex charitate, quoties in bonum denuntiati cedit. Quamvis regulariter ei praemittenda

---

4. (a) Cf. c. XXIII, n. 8.

(b) Cf. c. XXIII, n. 7. — De denuntiatione vide LUGO, *de Iure et Iust.*, d. 37, et SUAREZ, tr. X, l. X, c. 8.

sit correctio fraterna, attamen facile haec in Ordinibus religiosis omitti potest, sive quia denuntiatio evangelica fit plerumque sine detrimento denuntiati, sive quia non raro magis prodest denuntiatio quam fraterna correctio, sive tandem quia in multis Institutis religiosi cedunt iuri naturali quod habent ut prius correctione fraterna moneantur.

Notandum est Superiori non licere ex denuntiatione paterna sibi facta transire ad publicam rei punitionem, neque ad inquisitionem quasi-iudiciariam; sed si bonum commune requirit ut inferior deveniat ad denuntiationem canonicam, Superior eius obligationem ipsi significare potest. Quodsi nihilominus inferior eam facere recuset, nequit Superior ultra procedere, donec aut infamia aut facta ab alio denuntiatio canonica det illi ius ultra procedendi, nimirum deveniendi ad inquisitionem specialem et rei punitionem.

4. Est praeterea alia species inquisitionis, qua a singulis ratio exigitur de propria ipsorum vita. **Ratio conscientiae** dicitur. Haec Superiori redditur ut pater est, et tota ad bonum spirituale subditi tendit. In multis Institutis praescribitur. Sed limitata fuit per Decretum *Quemadmodum* (1890). Ex hoc decreto S. Congregationis EE. et RR., in Institutis quibuscumque feminarum sive votorum simplicium sive solemnium, ac in Institutis virorum omnimode laicorum, iam non licet Superiori exigere rationem conscientiae aut subditos quomodolibet inducere ad eam reddendam, quamvis non sit prohibitum inferioribus sponte suam conscientiam Superioribus manifestare. Quidquid in constitutionibus Institutorum huiusmodi huic decreto contrarium invenitur, ex eis expungi debet: Superiores vero, qui contra Decreti praescriptiones agerent, denuntiandi sunt (c).

5. **Ius puniendi.** — Illud Superiori religioso inest vi potestatis dominativae, tum ad bonum privatum religiosi, tum ad vindicandam disciplinam regularem. Hoc ius saepe in constitutionibus seu regulis declaratur, et proinde Superiori competit ex quasi-contractu, nimirum quatenus fuit a candidato acceptatum in ipso suo ingressu. Verum etiamsi nil de hoc iure

---

(c) Praeterea hoc decretum (in quo de tribus agitur, scilicet de ratione conscientiae, de confessione et de S. Communione in praedictis Institutis) inseri debet eorumdem Institutorum constitutionibus et semel in anno publice legi. Ita § 8.

in constitutionibus seu regulis explicite habeatur, includitur in potestate dominativa (SUAREZ, tr. VIII, l. II, c. 9, n. 1). Superior tamen ex sola potestate dominativa nec ad poenas spirituales nec ad corporales graviores devenire potest: utrumque enim potestatem iurisdictionis requirit.

5. Potestas iurisdictionis comprehendit triplicem potestatem: leges ferendi, iudicia exercendi, et subditos poenis coercendi (WERNZ, nn. 690, 691 et 692).

Potestas legifera. — Communiter reservatur Capitulo generali, utpote qui in Ordine supremam auctoritatem exercet [a]. Quamvis Generalis donetur facultate ordinationes condendi, eius ordinationes non habentur uti leges proprie dictae, et communiter temporariae sunt; sed etiamsi perpetuas ordinationes facere valeat (ita est in Societate Iesu), hae ordinationes a legibus differunt, quia ad constitutiones ac regulas iam existentes urgendas, non ad novas creandas feruntur, atque ad meram administrationem pertinent. Minoris etiam sunt auctoritatis: revocari enim possunt ab eo qui eas tulit aut ab eius successore; dum lex, quae a Capitulo lata est, a solo Capitulo, non a Generali revocari potest. — Quoad amplitudinem huius potestatis legiferae, ad ea omnia se extendit quae cadunt sub voto obedientiae. Quamvis enim per subditi votum Superior in eum solam potestatem dominativam, non iurisdictionis acquirat: attamen posita in subdito obligatione voti, is iam circa materiam voti iurisdictione ecclesiastica regi potest (SUAREZ, tr. VIII, l. II, c. 8, n. 13).

Quemadmodum Generalis leges proprie dictas condere nequit, ita neque leges existentes *authentice interpretari* [b]: eius enim est leges authentice interpretari, cuius est eas condere: sed dubia circa eas exorta ad tranquillitatem conscientiae subditorum et pro praxi declarare valet. Hanc facultatem IULIUS II Ordini Praedicatorum concessit, Const. *Considerantes* (1509), sub hac conditione: « Quoad serenitatem illarum conscientiarum quae sibi subiectae sint dumtaxat » [c]; scilicet haec inter-

---

5. (a) Cf. PIAT, I, p. 567, qq. 2 et 3; SUAREZ, tr. VIII, l. II, c. 8, n. 4.

(b) WERNZ, n. 690. Contradicit Piat, I, p. 569, q. 8, qui ait interpretationem Constitutionum de iure pertinere ad Generalem: attendendas tamen esse constitutiones cuiusvis Ordinis. — Quid possit Praep. Generalis in Societate Iesu, vide infra, n. 26.

(c) Cf. COMP. PRIVIL., n. 286. — PRÜMMER, q. 212, dat textum integrum.

pretatio non fit nisi pro foro interno et pro subditis, ut adnotat Lugo, *Resp. moralia,* l. iv, dub. 4, n. 9.

6. De potestate dispensandi in genere. — (Piat, t. i, p. 570; Suarez, tr. viii, l. ii, c. 12). Potestati leges ferendi connexa est potestas dispensandi. Quae quidem in Praelato regulari duplex est: potestas dispensandi in constitutionibus ac regulis Ordinis et potestas dispensandi in legibus Ecclesiae.

1. Quaenam potestas dispensandi competat Praelatis diversi gradus, Generali, Provincialibus, Praelatis conventualibus? — Si agitur de dispensatione in constitutionibus, regulis, consuetudinibus Ordinis, haec potestas ab ipsis constitutionibus determinatur. Si de dispensatione in legibus Ecclesiae, tunc facultas dispensandi Praelatis competit vel ex Iure communi, vel ex specialibus indultis. Ius commune fere nihil determinat: ex eo tantum habetur aut deducitur potestatem dispensandi competere Praelatis regularibus, sine ulla distinctione inter diversos Praelatos. Potestas quae ex indultis et specialibus privilegiis venit, ex cuiusque indulti verbis aliisque circumstantiis mensurari debet, atque ex eis quaenam singulis Praelatis conveniat determinandum est. Sed in utroque casu, potestas Ordinibus concessa, dispensandi tam in legibus Ecclesiae quam in constitutionibus et regulis, ita eis tribuitur, ut possit vel per Capitulum vel per Praep. Generalem restringi. Ideo ex ipsius Ordinis statutis videndum est quaenam pars huius facultatis relinquatur Praelatis inferioribus, quaenam Provincialibus et Generali reservetur. Cf. Suarez, tr. viii, l. ii, c. 13.

2. *Quoad personas,* cum quibus Praelatus uti potest sua potestate dispensandi, eae sunt vel religiosi sibi subditi, vel novitii, vel familiares, vel ipse Praelatus. — Notandum est: quamvis Praelatus non possit per se dispensare nisi cum subditis, attamen potest ipsi committi a suprema auctoritate Religionis ut dispenset cum aliis eiusdem Religionis; hoc maxime locum habebit cum hospitibus in materia saepe occurrenti, v. g. in ieiunio, abstinentia, horis persolvendis. — De potestate dispensandi cum novitiis, dictum fuit cap. iv, n. 18; cum familiaribus, c. xix, n. 10. — Facultas autem dispensandi cum seipso videtur esse necessaria in Praelato supremo Religionis exemptae: non haberet enim ad quem recurrere, nisi ad S. Sedem. Videtur etiam esse necessaria Provincialibus in commu-

niter occurrentibus, quoties non constituitur aliquis qui cum eis dispenset. Igitur, nisi oppositum constet in aliquo Ordine, relinquitur ipsis potestas secum dispensandi. Talis potestas minus est necessaria Praelatis conventualibus, qui facilius ad suum Provincialem recurrere possunt; potest tamen haec facultas secum dispensandi ipsis relinqui. Ergo res ex statutis vel consuetudinibus uniuscuiusque Ordinis resolvenda est: ita SUAREZ, tr. VIII, l. II, c. 14. — In Societate, facultas dispensandi cum Superiore locali, absente Provinciali, eius confessario datur; facultas dispensandi cum Provinciali, eius confessario et socio (ORDIN. GENER., c. I, n. 22; REG. SOCII PROV., n. 2).

3. Ad dispensandum requiritur *iusta causa;* et ideo Praelatus sine causa proportionata dispensans in lege non propria, invalide dispensat: agit enim ultra potestatem sibi concessam. SUAREZ, l. c., c. 12, n. 42; WERNZ, t. I, n. 122; BENEDICTUS XIV, *de Synodo,* l. XIII, c. 5, n. 7 [a], et affertur TRIDENT., *sess.* XXV, c. 18 *de Reformat.* [b]. PIAT, t. II, p. 342, q. 14, temperat hanc sententiam, distinguendo utrum mala, an vero bona fide processerint partes, nempe Superior dispensans et subditi quibus dispensatio conceditur. Invalidam quidem habet dispensationem, si mala fide egerint; si bona, ait, controvertitur; sententia vero communior, addit, censet tunc validam esse dispensationem; et rationem dat: quia ad rectam Ecclesiae gubernationem pertinet ut valeant huiusmodi dispensationes: alias innumeris scrupulis aperiretur aditus. Contradicit tamen S. LIG., l. III, n. 251, quando certo causa abfuit.

Quae hucusque dicta sunt, valent sive agatur de dispensatione in regulis, sive de dispensatione in legibus Ecclesiae. Nunc de utraque singillatim.

I. **Potestas dispensandi in constitutionibus et regulis Ordinis.** — Ad potestatem dominativam pertinet, quatenus su-

---

6. (a) « Dispensationem nulla urgente causa ab inferiore concessam, non solum illicitam, sed invalidam omnes Doctores pronuntiant: quia non censetur Superior potestatem dispensandi super sua lege impertiri nisi ex causa rationabili; ac proinde qui hac non existente dispensationem elargitur, suae potestatis limites praetergreditur » (BENED. XIV, l. c.).

(b) « Quod si ingens iustaque ratio et maior quandoque utilitas postulaverit cum aliquibus dispensandum esse, id causa cognita ac summa maturitate.... erit praestandum, aliterque facta dispensatio subrepticia censeatur ».

prema auctoritas, quae in qualibet societate leges aut statuta condit, in his etiam dispensare potest. Nihilominus, ubi agitur de Ordine religioso ab Ecclesia approbato, cuius constitutiones sive a Sede Apostolica sive etiam ab Episcopo sancitae sunt, iam potestas in eis dispensandi non est integra, sed circumscribitur inter limites ab auctoritate, quae Constitutiones approbavit, determinatos. Convenit tamen omnino, imo moraliter necessarium est ut relinquatur Superioribus facultas dispensandi cum singulis personis in casibus particularibus quae frequenter occurrunt. PIAT, I. p. 571. q. 3; SUAREZ, l. c., c. 12, nn. 25 et sqq. (c).

II. **Potestas dispensandi in legibus communibus Ecclesiae.** Pertinet ad potestatem iurisdictionis, ac ideo non competit nisi Praelatis iurisdictione gaudentibus. Potest tamen concedi, et aliquando conceditur etiam Superioribus iurisdictione carentibus, v. g. Abbatissis, aliqua potestas *ministerialis* dispensandi in aliquibus legibus Ecclesiae (S. LIG., l. IV, n. 53: FERRARIS, v. *Abbatissa*, n. 67), quae ita explicatur ut, quando Superior iurisdictione destitutus iudicat locum esse dispensationi, dispensatio ab ipsa Ecclesia concedatur.

Quoad *extensionem*, haec facultas continetur intra limites ab Ecclesia determinatos. Porro Praelatis regularibus a Summis Pontificibus concessum est ut cum suis subditis dispensare possint in iis casibus, in quibus Episcopi cum fidelibus et clericis sibi subiectis dispensare valent (d). Restrictionem aliquam

---

(c) Sic S. CONGREGATIO EE. ET RR., in examine constitutionum cuiusdam Congregationis (d. 6 *sept.* 1897), animadvertebat: « Ad 15, in casibus vero particularibus et pro personis particularibus Superiorissa generalis, et imo necessitate cogente Superiorissa localis, private interpretando, possunt super constitutiones dispensare. Et in NORMIS a. 1901, denegatur quidem Superiorissae Generali facultas generaliter dispensandi a constitutionibus, sed ipsi conceditur facultas dispensandi cum personis particularibus per aliquod tempus: « Etiam facultas super constitutionibus generaliter dispensandi minime competit Matri Generali »; sed tantum dispensare potest « sorores particulares ad tempus ab observatione alicuius praescriptionis » (*art.* 266).

(d) Concessit IULIUS II Olivetanis, Const. *Etsi ad Universos* (1507), § 31: « Necnon quod Generalis et alii Abbates, Priores et Praelati dictae Congregationis pro tempore existentes, in omnibus casibus in quibus de iure communi Praelatis et monacis dictae Congregationis auctoritas sive licentia seu dispensatio Ordinariorum, si ab eis exempti non essent, foret necessaria, cum eis auctoritate praedicta (sc. apostolica) dispensare eisque

huic facultati ponit SUAREZ, l. c., n. 24, dicens hanc potestatem sese extendere ad dispensationes quas Episcopi subditis concedere possunt quando materia legis ad salutem animarum et regimen spirituale earum spectat, non autem ad alias quae ipsis committuntur in legibus quae pertinent ad externum ordinem ecclesiasticum.

Quando autem Episcopo liceat dispensare in legibus Ecclesiae, videre est apud S. LIG., l. I, n. 190, et apud FERRARIS, v. *Dispensatio*, nn. 25 et sqq.: breviter dici potest: quoties ius aut legitima consuetudo illis talem facultatem concedit. In specie dispensare possunt: 1° in votis non reservatis R. P. (e); 2° modo generali, ubicumque in Iure permittitur dispensatio, quin specificetur quis dispensare valeat (f); 3° cum particularibus in casibus qui frequenter eveniunt, ut in ieiuniis, usu ciborum, observatione festorum, recitatione breviarii, (lectione librorum prohibitorum, ait PRÜMMER, q. 239, p. 282). Dicitur « Cum particularibus »: nam cum tota communitate nec Episcopus nec Praelatus regularis dispensare possunt nisi in casu sequenti: 4° in casibus urgentibus, quando S. Sedes adiri nequit et est periculum in mora; 5° in casibus in quibus dubium est an dispensatione opus sit; 6° lege generali, ait SUAREZ, l. c., n. 20, quando dubium remanet an facultas dispensandi sit concessa, ac ea moraliter et prudenter iudicatur necessaria ad regimen animarum. — In his ergo casibus Praelati regulares cum suis subditis etiam dispensare valent (g).

---

licentiam et auctoritatem concedere valeant, indulgemus ». — Idem privilegium LEO X, Const. *Etsi a Summo* (1513), iisdem verbis Eremitis Camaldulensibus, et S. PIUS V, Const. *Romani Pontificis* (1571) verbis supra, relatis (n. 2) FF. Praedicatoribus largitus est (vide COMP. PRIVIL., n. 176). — Notentur verba « in omnibus casibus, in quibus de iure communi.... »: scilicet Praelati regulares possunt dispensare cum subditis in casibus, in quibus Episcopi id valent ex potestate ordinaria, non autem in iis in quibus ceu delegati Sedis Apostolicae agunt (SUAREZ, l. c., nn. 3 et 4).

(e) Praeterea, Superiores etiam iurisdictione non gaudentes vota suorum inferiorum, vi potestatis dominativae, irritare possunt vel directe vel indirecte (Vide c. X, n. 15).

(f) Ita communiter AA. Attamen haec restrictio adhiberi debet: nisi aut ex contextu aut ex subsecutiva declaratione appareat S. Sedem dispensationem sibi reservare.

(g) Ex communi sententia Superiores cum seipsis sicut cum subditis dispensare posse, supra dictum est: non debent enim esse deterioris conditionis ac ipsi subditi. PRÜMMER, q. 239; S. LIG., l. I, n. 183, et l. III, n. 256 (ad fin.).

Praeterea Praelati regulares habere possunt ex specialibus privilegiis facultatem dispensandi in aliis casibus, v. g., in irregularitatibus, vel quoad ordinationem extra tempora ac non servatis interstitiis, etc. De facultate dispensandi cum suis subditis in irregularitatibus et poenis, aliquid hic specialiter dicendum est.

7. De facultate dispensandi in irregularitatibus [a].

1. Haec facultas Praelatis vario modo competere potest: 1° ex generali concessione dispensandi in communibus Ecclesiae legibus, sicut possunt Episcopi: de qua num. praec. dictum est; 2° ex *Mari magno* Praedicatorum et Minorum, scilicet ex Const. Sixti IV *Regimini* (1474); 3° ex specialibus privilegiis.

1° *Ex generali concessione dispensandi* sicut ipsi Episcopi, dispensare valent « in irregularitatibus omnibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quae oritur ex homicidio voluntario [b] et aliis deductis ad forum contentiosum » [c]: ita enim statuitur pro Episcopis a Tridentino, *sess.* XXIV, c. 6 *de Reform.* Talem facultatem tamen Praelati regulares habent non vi solius Concilii Tridentini, — nam data fuit declaratio contraria a S. Congregatione Concilii (quam refert Suarez, l. c., c. 12, n. 8), — sed ex declaratione extensiva Tridentini facta a S. Pio V, Const. *Romani Pontificis* (supra, n. 2).

2° *Ex concessione* Sixti IV, possunt dispensare in omnibus irregularitatibus etiam ex delicto publico provenientibus, exceptis homicidio voluntario, bigamia et mutilatione membrorum, necnon in irregularitate ex defectu natalium quocumque. — Haec facultas in solos professos exercenda est. Valet autem non solum ad ordines exercendos seu recipiendos, sed etiam ut dispensati ad officia et administrationes quascumque Ordinis promoveri possint [d].

---

7. (a) Piat quaestionem accurate tractat, t. I, p. 574 et sqq., q. 6; item Prümmer, q. 240.

(b) Notandum est: 1° hic non excipi homicidium casuale, sed tantum voluntarium, nec mutilationem membrorum: unde, si haec sint occulta, a facultate dispensandi non excluduntur; 2° nomine homicidii voluntarii comprehendi procurationem abortus fetus animati; imo dispensatio irregularitatis ex abortu procurato provenientis, S. Sedi specialiter reservatur ex Constitutionibus Sixti V et Gregorii XIV (vide Ferraris, v. *Abortus;* Lehmkuhl, t. II, n. 1015; Prümmer, l. c).

(c) Haec facultas dispensandi non comprehenditur in revocationibus Const. *Apostolicae Sedis:* eae etenim censuras unice respiciunt.

(d) En verba privilegii Sixti IV: « Generali et Provincialibus Ministris

Duo circa hoc privilegium sunt notanda. *a)* Ex verbis concessionis, privilegium non restringitur ad irregularitates ex delicto: dicitur enim « cum his qui ex quacumque causa irregulares forent ». Nihilominus retineri debet esse quasdam irregularitates ex defectu a quibus dispensatio dari nequit: vel quia sunt de iure naturali, ut defectus animi adhuc perseverans, defectus corporis enormis, defectus famae; vel quia certum est Tridentinum revocasse antiqua privilegia, aut Ecclesiam in illis nunquam dispensare, ut v. g., pro ordinationibus infra statutam aetatem [e]. — *b)* Quoad defectum natalium, Sixtus v statuerat illegitimos in Ordinibus religiosis admissos fore inhabiles ad omnes gradus, honores et dignitates in Ordinibus suis (C. *Cum de omnibus,* 1587); sed Gregorius xiv, C. *Circumspecta* (1591), Constitutionem Sixti ad terminos iuris reduxit, ita scilicet ut privilegia concessa per Sixtum iv reviviscerent [f]; statuit ta-

---

dicti Ordinis (Minorum aut Praedicatorum) pro tempore existentibus, et illorum Vicariis, dispensandi cum dicti Ordinis (Minorum aut Praedicatorum) professoribus defectum natalium ex adulterio, sacrilegio, incestu et quovis alio nefario et illicito coitu provenientem patientibus, necnon cum his qui ex quavis causa (praeterquam homicidii voluntarii, bigamiae et mutilationis membrorum) irregulares forent, postquam Ordinem ipsum professi fuerint, ut defectu et irregularitate huiusmodi non obstante, irregulares ipsi ad quoscumque etiam sacros ordines promoveri, et in illis altaris ministerio ministrare, et tam ipsi irregulares quam defectum natalium patientes praedicti, ad quascumque administrationes et officia dicti Ordinis eligi, recipi et assumi, illaque gerere et exercere libere et licite valeant, concedimus ».

(e) Trident., *sess.* xxiii, c. 12: « Regulares quoque nec in minori aetate.... ordinentur, privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis ». Nec ullum fuit postea concessum privilegium in contrarium. — Remanet aliquod dubium quoad bigamiam (vide Piat, t. i, p. 579) et defectum lenitatis. Ratio dubitandi quoad istum est, quod includit homicidium aut mutilationem, etiamsi ex iusta causa. S. Lig., l. vii, n. 468, quamvis censeat probabilius Episcopum non posse a defectu lenitatis, etiamsi occultus remaneat, dispensare, agnoscit tamen privilegium Regularium. — Notari lubet has duas irregularitates, etsi numerentur inter irregularitates ex defectu, attamen propius accedere ad irregularitates ex delicto: oriuntur enim ex libero actu hominis; imo bigamia similitudinaria vere est ex delicto.

(f) Piat, t. i, p. 580, q. 6, ait per Gregorii xiv Constitutionem hoc privilegium non fuisse restitutum nisi his qui speciali concessione obtinuerint. Sed severius dictum videtur. Nam, ex verbis Gregorii xiv, § 4, privilegium restituitur iis « ad quos dicta dispensatio spectat iuxta tenorem privilegiorum et indultorum Apostolicorum eis concessorum »: hoc autem modo loquendi non excluduntur ii qui dictum privilegium solum per

men ut Generalis et Provinciales non dispensent nisi « cum generali, provinciali aut intermedio Capitulo, et non alias ». Sed eodem anno 1591, Gregorius Societati Iesu concessit, ut non obstante hac dispositione, illegitimos cuiusvis generis recipere posset et dispensare cum eis ad quaelibet officia, gradus et dignitates in Societate obtinendas, servando « formam et rationem omnimodam in illius Apostolicis diplomatis ac privilegiis quibusvis, necnon in Constitutionibus, decretis et regulis expressam » (vide c. II, nn. 13 et 20).

3° *Ex particularibus privilegiis.*

Varia sunt particularia privilegia diversis Ordinibus largita, quibus maior adhuc facultas conceditur. An in his privilegiis, utpote extraordinariis, valeat communicatio privilegiorum, controvertitur (g).

S. Pius V Theatinis concessit ut ingredientes Religionem « a quacumque quomodocumque contracta irregularitate, excepta sola irregularitate ex homicidio voluntario proveniente, dispensare valeant »; — et infra: « Super irregularitate (ex violatione censurae) ac etiam ex quocumque eorum defectu et impedimento, non tamen ex homicidio voluntario proveniente, ac alias quomodolibet contracta, dispensare » (Const. *Ad immarcescibilem*, 1567, § 16).

Idem S. Pius V Cassinensibus simile, imo amplius concessit privilegium, scilicet dispensandi ingressos Religionem, etiam novitios (sub conditione reincidentiae, si non perseveraverint) in omni irregularitate, « tam ante quam post illorum ingressum in Congregatione, ex quavis causa et ob quamvis excessum publicum vel occultum, atque etiam, — sed in foro conscientiae tantum — ob homicidium voluntarium seu membri mutilationem, dummodo haec duo commissa non fuerint post ingressum in Religionem » (Const. *Dum ad Congregationem*, 1571, §§ 1 et 2) (h). Ex Constitutione valet privilegium

---

communicationem privilegiorum habent: his enim « dicta dispensatio spectat iuxta tenorem privilegiorum eis concessorum », maxime si privilegia participant aequipariter, quasi ipsis fuissent immediate concessa.

(g) Piat, p. 576, negat, et suam sententiam confirmat responso S. Congr. Conc., 14 *apr.* 1685. Quaerebatur an Congregationi S. Mauri (quae communicationem privilegiorum habet), liceret, vi concessionum aliis Ordinibus facta, dispensare in homicidio; responsum fuit: « Negative ».

(h) En textum integrum privilegii S. Pii V: « Omnibus et singulis Abbatibus et Praelatis Congregationis huiusmodi quoscumque illius mona-

tam ad effectum suscipiendi aut exercendi ordines, quam accipiendi et gerendi quascumque praelaturas et officia Religionis. Dispensatio ab omnibus Praelatis concedi potest [i].

Paulus III Congregationi benedictinae Vallisoleti indulsit, ut Superiores locales, per se vel per confessarios quibus commiserint, dispensare valeant cum suis subditis, etiam novitiis, intra claustra sub obedientia viventibus, in omni irregularitate quavis occasione vel causa contracta (C. *Exponi nobis super,* 1545). Piat, t. I, p. 579, *nota* 2, negat dari communicationem in hoc privilegio; e contra Compendium Privilegiorum, n. 164, eam admittit.

Iuvat animadvertere S. Lig. (*de Privilegiis,* n. 105) largissime privilegia Regularium circa irregularitates interpretari: « Possunt praeterea Regulares dispensare cum subditis in quacumque irregularitate aut ob delictum aut ob defectum, ex privilegio Martini v. Itaque possunt dispensare cum subditis: 1° in irregularitatibus ob homicidium non solum occultum, sed etiam voluntarium notorium, ex privilegio Benedicti XIII, dummodo data opera patratum non fuerit et consummatum intra claustra; 2° quoad defectum animae...; 3° quoad defectum cor-

---

chos,... tam professos quam novitios, in ea tamen perseverantes, a quibusvis criminibus, reatibus, culpis, censuris et poenis, per eos tam ante quam post illorum in Congregationem ingressum seu professionem, ex quavis causa et ob quemvis excessum et delictum, publicum vel occultum, casu sea data opera, quomodolibet ab eis et singulis, etiamsi homicidium voluntarium seu membri mutilatio, non tamen post ingressum huiusmodi pro tempore subsecutum seu subsecuta fuerit, incursis..., quoad reatum homicidii tantum in foro conscientiae tantum, absolvendi et liberandi, ac in pristinum statum reintegrandi, omnemque inhabilitatis et infamiae maculam sive notam inde quomodolibet insurgentem ab eis prorsus abolendi; quodque, praemissis non obstantibus, non promoti ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines promoveri, atque monasteriis eiusdem Congregationis in Abbates, Priores et Praelatos praefici, necnon ad quascumque alias dictae Congregationis praelaturas eligi et assumi, necnon omnes et quascumque praelaturas, obedientias, administrationes et officia Ordinis.... retinere, recipere, gerere et exercere libere et licite possint et valeant.... misericorditer in Domino dispensandi licentiam et facultatem liberam Apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo concedimus et elargimur ». — Ex ipsis verbis, haec facultas non videtur concessa nisi pro irregularitatibus ex delicto.

(i) Cum hoc privilegium S. Pii v non inveniatur in Const. *Etsi mendicantium,* annumerari non debet inter privilegia huius Pontificis, quae Gregorius XIII ad terminos Iuris reduxit (Vide c. XV, n. 12, 2°).

poris; 4° quoad defectum natalium...; 5° in bigamia etiam vera, ex privilegio Martini v...; 6° in irregularitate etiam publica ob defectum lenitatis » [1].

II. *Ex his omnibus ea quae sequuntur concludere licet:*

1° Certo possunt Praelati Regulares suos subditos dispensare in irregularitatibus *ex delicto occulto* provenientibus, excepto homicidio voluntario et aliis ad forum contentiosum deductis.

2° Certo possunt dispensare in irregularitatibus *ex delicto publico* provenientibus, exceptis homicidio voluntario, bigamia et mutilatione membrorum.

3° Certo non possunt dispensare in defectu enormi corporis, aut in defectu animi adhuc perseverante, nec in aetate ad ordines requisita.

4° An, si ipsi non acceperint directe privilegia, possint ex communicatione specialium privilegiorum dispensare in homicidio voluntario occulto? An in mutilatione membrorum, bigamia et defectu lenitatis, si notoria sint? — Controvertitur.

5° Quid singuli Ordines possint ex privilegiis specialibus sibi concessis; item, quibusnam Praelatis particularia variorum Ordinum privilegia concedantur, ex ipsis privilegiis eruendum est.

De specialibus privilegiis Soc. Iesu, vide infra, n. 30.

Notandum est privilegium dispensandi in irregularitatibus occultis ex concessione S. Pii v tribui etiam Praelatis conventualibus; privilegium autem dispensandi in irregularitatibus ex delicto publico a Sixto IV indultum, Generali et Provincialibus solummodo competere.

8. Potestas dispensandi a poenis [a]. — Poenae sunt vel a Iure vel ab homine inflictae: si ab homine, vel per sententiam generalem vel per sententiam particularem edicuntur. Poenae inflictae ab homine, qui ius habeat poenas in Regulares pronuntiandi, non possunt auferri per dispensationem Praelati regularis, saltem si poena fuit per sententiam particularem

---

(1) De duplici concessione Martini v et Gregorii XIII a S. Doctore allato nihil dictum fuit, quia difficultates contra eas moventur: vide PIAT, t. I, p. 575 et 576. Sed privilegia circa irregularitates aliunde demonstrantur, et remanet sententia generalis S. Doctoris ea largissime interpretantis (vide dicta c. XV, n. 12).

8. (a) Vide PIAT, t. I, p. 573, q. 5, — et t. II, p. 627, q. 7.

edicta: secus illusoria esset facultas poenam irrogandi. — Si poenae sunt a Iure statutae, hae vel reservantur vel non. Si reservantur, Praelati regulares dispensare nequeunt, nisi specialem acceperint facultatem etiam in eis dispensandi. Si poenae non reservantur, controvertitur an generatim dispensare valeant vi facultatis dispensandi illis olim ante Trid. concessa; attamen si delictum est occultum, certum est eos posse dispensare a suspensione propter ipsum inflicta: nam haec facultas Episcopis a Tridentino concessa est (*sess.* XXIV, c. 6 *de Reform.*), et aliunde ex concessione Pii V Praelati regulares dispensare possunt cum suis subditis sicut Episcopus cum clericis et saecularibus sibi subiectis [b]. — An vi eiusdem privilegii Pii V liceat eis dispensare a poenis propter delictum notorium incursis et non expresse reservatis, pendet ab hac alia quaestione: quid in poenis eius generis valeant Episcopi? Porro controvertitur. S. Lig. l. I, n. 191, relata controversia, ipse censet omnino tenendam esse sententiam negantem. Vide Piat, t. I, p. 573, q. 5.

Verum aliqua sunt privilegia nonnullis Ordinibus explicite indulta, quibus ampla facultas dispensandi in poenis conceditur. Nihil quidem invenitur in Mari magno sive Minorum et Praedicatorum, sive Minimorum. Sed tria sunt privilegia particularia: unum Pauli III Societati Iesu indultum, C. *Licet debitum* (1549), alterum S. Pii V Benedictinis Cassinensibus, C. *Dum ad Congregationem* (1571); tertium a Gregorio XIV Clericis regularibus ministris infirmorum, C. *Illius qui*. — Utrum in his valeat communicatio privilegiorum, controvertitur. S. Lig. simpliciter affirmat, quin controversiam indicet [c].

(b) Ita Piat, l. c. Vide tamen dicenda, n. 9, de casibus R. P. reservatis, ubi dicitur Regulares multo probabilius, si non certe, non iam posse absolvere a censuris reservatis occultis. Sed haec restrictio, quae a C. *Apostolicae Sedis* allata fuit, respicit solas censuras, non alias poenas.

(c) S. Lig. est largissimus: « Possunt Regulares dispensare cum suis subditis in omnibus inhabilitatibus et poenis contractis ratione delicti, ut privationis officii, beneficii, vocis, loci, etc., etsi illae reservatae sint Pontifici, privilegiis Sixti IV, S. Pii V et Gregorii XIV » (*de Privileg.*, n. 105, circa finem).

Privilegium Sixti IV ad irregularitates spectat et fuit recitatum num. praec., *nota* d.

Privilegium Pauli III (Const. *Licet debitum*, 1549). Pr. Generalibus Societatis conceditur, « ut per se vel per alios ad id per eos pro tempore deputatos, omnes et singulos eiusdem Societatis socios et personas sub eorumdem obedientia, disciplina et correctione pro tempore degentes,

Notandum est Novitios, imo postulantes et etiam familiares comprehendi sub his privilegiis, specialiter sub privilegio Pauli III. Quod probatur primo, quia ipsi sub obedientia, disciplina et correctione Superiorum vivunt; secundo, ex clausula addita a Paulo III: « Volumus autem quod, postquam Societati et consortio huiusmodi aggregari volentes, absoluti, et cum eis dispensatum fuerit, nisi mox *Ordinem intrare,* et *peractis experientiis* secundum Constitutiones dictae Societatis vota emittere parati sint,... eo ipso in pristinas sententias.... relabantur et reincidant ». Porro ingressus in Ordinem qui praecedit experimenta, est ingressus ad probationem: ergo ii qui possunt absolvi ante hunc ingressum, sunt postulantes.

Ad rectum usum horum privilegiorum, *tria observanda sunt:*

1° An facultates his privilegiis concessae non fuerint postea ablatae per aliam Constitutionem. — Sic, ut dictum est, ablata fuit Regularibus facultas absolvendi a casibus et censuris R. P. reservatis (Pius IX, C. *Apostolicae Sedis*).

2° Annon, post has concessiones, latae fuerint novae poe-

---

ab omnibus et singulis eorum peccatis ante vel post ingressum in Societatem per eos commissis; necnon a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis et saecularibus sententiis, censuris et poenis, a Iure vel ab homine quomodolibet latis et promulgatis, et huiusmodi innodatos, aut in locis suppositis ecclesiastico interdicto divina officia celebrantes et suscipientes ordines sic ligatos et propterea irregularitatem incurrentes, absolvere ac cum eis, cum dispensatione eguerint, dispensare possint; nisi excessus adeo graves et enormes fuerint quod sint ad Sedem Apostolicam merito remittendi », et declarat hos excessus non esse alios nisi quos Sixtus IV in Mari magno notavit (vide infra n. 9, *nota* c).

Privilegium S. Pii V fuit recitatum supra, n. 7, *nota* h.

Privilegium Gregorii XIV. Conceditur Praep. Generali Clericorum regularium Ministrorum infirmorum, ut per se aut per alios ab ipso deputatos, « omnes et singulos Congregationis socios et personas sub eius obedientia, disciplina et correctione pro tempore degentes, ab omnibus et singulis eorum peccatis,... necnon a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis et saecularibus sententiis, *censuris et poenis,* a Iure vel ab homine, non tamen nominatim, quomodolibet latis et promulgatis,... item ex quocumque capite vel causa, praeterquam homicidii voluntarii, bigamiae ac membrorum mutilationis, irregularitatem incurrentes, in foro conscientiae tantum absolvere, necnon cum eis, si opus fuerit, etiam cum rehabilitatione et abstersione inhabilitatis et infamiae maculae dispensare » (sub poena reincidentiae, si ex Congregatione egrediantur).

nae, quas sibi RR. PP. reservaverint. Porro certe non paucae poenae privationisvocis activae et passivae aut inhabilitatis ad quaevis officia, atque suspensiones fuerunt a SS. Pontificibus in suis Constitutionibus circa Regulares irrogatae (vide c. XXIV, n. 6, ubi referuntur multae privationes R. P. reservatae).

3° Notandum est in nullo ex his privilegiis agi de poenis ab homine per sententiam particularem latis. Tridentinum Episcopis facultatem dedit in multis causis procedendi contra Regulares etiam exemptos, eosque poenis coercendi sive ex ordinaria sive ex delegata potestate (vide c. XVI, n. 15 et sqq.). Porro absurdum esset dicere Praelatos regulares, vi privilegiorum supradictorum, posse dispensare subditos ab his poenis contra eos per sententiam particularem latis. Confer COMP. PRIVIL., n. 172, ubi facultas a poenis dispensandi restringitur ad poenas latae sententiae.

9. Potestas Iudiciaria (Wernz, III, n. 691). — Solis Praelatis exemptis competit, qui potestate iurisdictionis gaudeant. Eam habent vi officii sui : igitur ordinaria est et delegari potest. Est autem fori tum interni tum externi.

Potestas Praelatorum in foro interno, seu quoad confessiones suorum subditorum.

1. Praelati Regulares possunt, per se vel per alios a se designatos, subditos a suis peccatis et censuris absolvere. Ad audiendum autem suorum confessiones non indigent approbatione Episcopi loci. Ita ex TRIDENTINO, *sess.* XXIII, c. 15, *de Reform.*, ubi necessitas approbationis ad solas confessiones saecularium statuitur.

2. Imo Regulares non possunt peccata sua confiteri nisi apud confessarios a suis Superioribus designatos [a]. — Videtur autem, ait PRÜMMER, q. 144, Superiores non posse approbare

---

9. (a) Concessit Minimis IULIUS II, Const. *Virtute Conspicuos* (1506) § 22 : « Inhibemus insuper universis Fratribus Ordinis, ne aliquis eorum, nisi necessitatis urgente periculo, aliis quam Praelatis suis peccata sua confiteri praesumat, vel aliis eiusdem Ordinis sacerdotibus, secundum regulam et ipsius Ordinis instituta ».

Concessit Societati Iesu PAULUS III, Const. *Licet debitum* (1549) : « Quilibet ex sociis Societatis peccata sua proprio Praeposito vel ab eo deputato seu deputatis, et alias secundum ordinationes Societatis praedictae designatis confiteri debet, nisi super hoc a dicto Praeposito alium confessarium eligendi facultatem habuerit ».

suos subditos ad audiendas confessiones etiam confratrum, nisi praevio examine feliciter peracto. Praecepit enim Clemens IX, C. *Debitum pastoralis,* ut « confessores non admittantur ad audiendas confessiones Fratrum, nisi approbati fuerint praevio rigoroso examine ac per vota secreta examinatorum ». Idem dicit Piat, t. I, p. 406, q. 10, qui tamen, ex Trident., *sess.* XXIII, c. 15 *de Reform.*, excipit : nisi approbandus sit notorie idoneus.

Praeter ordinarios confessarios, Praelatus *per se* alios extraordinarios delegare potest, etiam extraneos ; sed eius potestas quoad hoc inter aliquos limites per regulam circumscribi potest. Cf. Suarez, tr. VIII, l. II, c. 15, n. 10. — Ex praesenti autem disciplina, non videtur posse permittere ut subditi confessionem peragant nisi apud sacerdotem ad audiendas confessiones approbatum (vide infra, n. 29).

3. Superiores maiores facultatem casus reservandi habent. Sed haec facultas fuit multum restricta decreto *Sanctissimus* (1593) Clementis VIII. Ex hoc decreto Praelati regulares non possunt privata auctoritate sibi reservare nisi octo casus (casus Clementinos) in decreto enumeratos. Alios reservare nequeunt nisi ex matura discussione et consensu Capituli generalis pro toto Ordine, Capituli provincialis pro provincia [b].

4. Amplissima Regularibus concessa fuere privilegia absolvendi suos ab omnibus casibus et censuris quantumvis reservatis, sive a Iure sive ab homine, paucis exceptis [c] ; sed hae facultates fuerunt postea limitatae.

(b) In Societate Iesu, quoniam Congregationes provinciales nullam auctoritatem habent quoad regimen, ideo casus reservare nequeunt, et non habentur nisi casus a Congregatione generali reservati.

(c) Concessit Minimis Clemens IV, Const. *Virtute conspicuos* (1265) ; deinde Sixtus IV in Mari magno Praedicatorum et Minorum, C. *Regimini* (1474) : « Quia idem Clemens praedecessor, in dictis suis litteris, Generalibus et Provincialibus Ministris et eorum Vicariis ac Custodibus absolvendi Fratres eiusdem Ordinis, necnon Fratribus dicti Ordinis, quos ipsi Ministri, Vicarii et Custodes habuerint pro tempore in confessores absolvendi ipsos Ministros, Vicarios et Custodes ab excessibus et censuris, nisi talia perpetrassent propter quae essent merito ad Sedem Apostolicam destinandi, ac cum eis desuper dispensandi facultatem concessit : et propterea quod qui sint destinandi persaepe vocetur in dubium,... declaramus haereticos, relapsos, schismaticos, et qui litteras Apostolicas falsificassent, aut ad infideles prohibita detulissent, dumtaxat esse ad Apostolicam Sedem merito destinandos ; reliquis vero omnibus, etiam simoniae

10. Limites facultatis absolvendi subditos.

I. quoad casus R. P. reservatos.

1° In Const. *Apostolicae Sedis* declaratur Praelatos regulares suos subditos a casibus tum speciali modo tum simpliciter R. P. reservatis iam absolvere non posse[a]. S. Poenitentiaria interrogata: « An Praelati Regulares, post C. *Apostolicae Sedis*, iisdem privilegiis gaudeant quibus antea, id est possint necne suos subditos absolvere a casibus papalibus in dicta Constitutione simpliciter reservatis, respondit d. 5 *dec.*

---

pravitate qualitercumque irretitis, posse per illos, quibus inibi conceditur, absolutionis beneficium et dispensationis gratiam, iuxta casuum exigentiam, impertiri ». — Iulius II, Const. *Virtute conspicuos* (1506) § 8, similem facultatem Minimis concedit, etiam in casibus « pro quibus excommunicationis vel interdicti aut suspensionis incurrunt sententias a Iure vel ab homine generaliter promulgatas » (cum eadem exceptione Sixti IV). — Paulus III, Const. *Etsi debitum*, (1549) eamdem facultatem Societati concedit (supra, n. 8, *nota* c).

10. (a) Duplex est clausula revocatoria in Constitutione *Apostolicae Sedis :* prima, post excommunicationes primae seriei : « A quibus omnibus excommunicationibus hucusque recensitis absolutionem R. P. pro tempore speciali modo reservatam esse et censeri, et pro ea generalem concessionem absolvendi a casibus et censuris sive excommunicationibus R. P. reservatis nullo pacto sufficere declaramus, revocatis insuper earum respectu quibuscumque indultis concessis sub quavis forma et quibusvis personis etiam Regularibus cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti, etiam speciali mentione dignis et in quavis dignitate constitutis ». — Altera clausula, in fine Constitutionis adiuncta, sic se habet: « Decernimus in novis quibuscumque concessionibus ac privilegiis, quae ab Apost. Sede concedi cuivis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi unquam debere aut posse comprehendi facultatem absolvendi a casibus et censuris *quibuslibet* R. P. reservatis, nisi de eis formalis, explicita ac individua mentio facta fuerit. Quae vero privilegia aut facultates sive a Praedecessoribus nostris sive etiam a Nobis cuilibet Coetui, Ordini, Congregationi, Societati et Instituto etiam regulari, cuiusvis speciei atque etiam speciali mentione digno, a quovis unquam tempore hucusque concessae fuerint, ea omnia easque omnes nostra hac Constitutione revocatas, suppressas et abolitas esse volumus, prout reapse revocamus, supprimimus et abolemus, minime refragantibus aut obstantibus privilegiis quibuscumque,... quibus omnibus, quatenus opus est, derogare intendimus ac derogamus ». — Postea immediate sequitur: « Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam, *sess.* XXIV, c. 6 *de Reform.*, in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac nostra Const. servatis, his tantum exceptis quae eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus ».

1873: « Negative, salvis illis facultatibus quae promanant ex rescriptis particularibus ad tempus concessis ». (A. S. S., t. IX, p. 314) (b).

2° Adhuc forsan aliquis dubitare posset an Regularibus, vi privilegii S. Pii V, maneat facultas, expresse Episcopis relicta, absolvendi a censuris omnibus *occultis*, in vim capitis *Liceat* Tridentini *sess.* XXIV, c. 6, solis exceptis excommunicationibus primae seriei. Communiter negant Auctores (PIAT, p. 436, VERMEERSCH, t. I, n. 418, 3°, BALL.-PALM., t. IV, *de Regul.*, n. 281). Eruitur ex praedicta responsione S. Poenitentiariae: si Praelati Regulares adhuc possint absolvere a casibus occultis, ut Episcopi, S. Poenitentiaria non respondisset simpliciter « Negative », scilicet eos non posse absolvere a casibus R. P. simpliciter reservatis.

3° De excommunicatione simpliciter reservata in percutientes clericos suadente diabolo, retinetur in Const. dispositio Iuris antiqui, his verbis: « Exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus Iure vel privilegio permittitur ut Episcopus aut alius absolvat ». Ergo, quamvis excommunicatio remaneat, Praelati regulares suos subditos huius criminis reos absolvere possunt, ut ante dictam Constit. Iure vel privilegio poterant. Porro ex Iure Praelatis regularibus licet absolvere, si percussio non fuerit enormis et percussus non fuerit clericus saecularis (ita ex c. *Monachi*, 2, ex c. *Cum illorum*, 32, et ex c. *Canonica*, 50, *De sent. excomm.* V, 39). Excommunicatio propter percussionem enormem (sc. ex qua notabile vulnus aut magna sanguinis effusio consecuta est), salvo speciali privilegio, semper reservatur Papae. Si religiosus alium religiosum proprii aut alterius Ordinis percusserit percussione levi aut etiam gravi sed non enormi, a proprio Praelato, de consensu Praelati religiosi illius qui fuit percussus, absolvi potest (ex c. *Cum illorum*, 32). Si religiosus clericum saecularem leviter percusserit, ab Episcopo percussi de consensu proprii Praelati, si est exemptus, absolvi potest, aut viceversa a proprio Praelato de consensu Episcopi. Si autem percussio clerici sit gravis, quamvis non enormis, casus remanet reservatus Papae (WERNZ, t. II, n. 165, IV). — Sed maiora privilegia fuerunt variis Ordinibus concessa (quae refert PIAT, t. I,

(b) Iam antea, S. OFFICIUM, instructione 1 *febr.* 1871, declaraverat « nullum detrimentum allatum fuisse per Const. facultatibus cuiuscumque indolis, sive quinquennales sint sive extraordinariae, ante promulgationem Constitutionis concessis ».

pag. 583, nota 1). Ex his privilegiis Praelati regulares possunt suos absolvere, etiamsi percussus fuerit clericus saecularis et percussio fuerit enormis, « dum non fuerit ita enormis ut ad S. Sedem recurrendum foret ». Hoc privilegium agnoscit S. Lig., *de Privilegiis*, n. 97. Adfuit controversia an fuerit revocatum a Clemente VIII; sed S. Congr. Epp. et Reg. duplici decreto declaravit non fuisse revocatum. (Apud Piat, l. c.).

II. **Limitatio quoad casus Episcopis reservatos.** — Primo notari debet Regulares exemptos non subiacere reservationi casuum ab Episcopis factae nec eorum censuris generalibus. Quaestio igitur movetur tantum de casibus ac censuris Iure Episcopo reservatis, praeterea de censuris per sententiam particularem latis contra Regulares, in iis in quibus Episcopi possunt contra ipsos per censuras procedere.

1. Quoad casus et censuras ipso Iure Episcopis reservatas, Superiores regulares posse suos subditos ab eis absolvere, ex dictis c. XX, n. 1, facile concluditur. Ita Suarez, tr. VIII, l. II, c. 20, n. 8. Rationem dat, quia ipsi sunt Ordinarii suorum subditorum: ipsis igitur, non Episcopis reservatur absolutio horum casuum. Facultates, quas Regulares ante Const. *Apostolicae Sedis* habebant, nullo modo per eam fuerunt quoad hoc limitatae.

2. Quoad censuras per sententiam particularem latas, S. Lig. nullum dubium movet et censet Superiores regulares habere potestatem absolvendi ab eis subditos. Lib. I, *de Privilegiis*, n. 95, ait: « Omnes isti (scilicet Generales, Provinciales eorumque vicarii, Superiores locales et etiam eorum vicarii) absolvere possunt suos subditos ab omnibus casibus et censuris non reservatis Pontifici, licet fulminatae essent ab homine per specialem sententiam, ex privilegiis Pauli V (sic, sed debet legi Pauli III), Sixti IV et Eugenii IV ». Obiicit sibi decretum Urbani VIII (17 *nov.* 1628) et propositionem 12 ab Alexandro VII damnatam. Respondet decretum et propositionem de saecularibus agere, non de Regularibus, nec etiam de novitiis. Eamdem sententiam tenet Suarez, tr. VIII, l. II, c. 25, ex privilegiis Eugenii IV et Pauli III. Notat (n. 7) incommoda quae inde oriri possent, vitari per conditionem appositam in compendio Privilegiorum (in antiquo Compendio), ut prius absolvendus a contumacia recesserit, et non absolvatur nisi praemissa debita satisfactione.

Nihilominus Piat (t. I, p. 433, q. 5, et p. 585, q. 6) negat subsistere adhuc hanc facultatem, eamque censet fuisse revocatam.

Ad quod probandum, affert duo decreta S. Congr. EE. et RR., d. 7 *ian.* 1717 et d. 17 *nov.* 1728 [c], Const. *Superna* (1670) Clementis X, §§, 6, 7, 8, ac Const. *Pias Christifidelium* (1752) Benedicti XIV. — PRÜMMER, q. 153, ait certum esse Praelatos regulares non posse subditos absolvere a censuris per sententiam particularem latis, in casibus in quibus Episcopi possunt censuras in Regulares ferre.

Forsan distinctio fieri posset inter sententiam ab homine latam ante delictum per modum legis (si quis hoc fecerit, excommunicationem incurret) et sententiam post delictum latam ab Episcopo contra religiosum, in casibus in quibus sibi subiicitur. Esto in primo casu Praelati regulares absolvere possint subditum; sed quo modo in altero casu id eis liceret vix intelligitur.

Notandum venit cum S. LIG., l. c., privilegia circa subditos extendi etiam ad novitios, imo ad postulantes, quos Praelati regulares absolvere possunt sicut professos, sed sub conditione reincidentiae, si peracto novitiatu non statim ingrediantur (vide supra, n. 8, *nota* c).

11. De Regularium confessariis ex vigente disciplina [a]. Ex antiquis privilegiis Regulares sua peccata confiteri debebant suo Praelato aut alii confessario ab ipso deputato. Sed CLEMENS VIII, celebri suo decreto *Sanctissimus* (26 *maii* 1593), circa confessarios Regularium, sequentes normas adhuc vigentes statuit:

§ 1. « Sua Sanctitas.... decrevit ut nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutiones sibi reservet, exceptis iis quae sequuntur (casus Clementini).

§ 2. « Non liceat Superioribus Regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte ac proprio motu id ab iis petierint.

§ 3. « Superiores in singulis domibus deputent duos, tres aut plures confessarios, pro subditorum numero maiori vel minori,... qui a non reservatis eos absolvant, et quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit in quo eam debere committi ipse in primis confessarius iudicaverit.

(c) Haec duo decreta, cum duobus aliis d. 9 *ian.* 1601 et *nov.* 1602 editis, inveniuntur apud Card. *Petra*, tomo V (in Constit. XIX Sixti IV).

11. (a) Cf. PIAT, t. I, pp. 401-449.

§ 5. « Licebit tamen Superioribus determinare poenitentias graves quibusdam peccatis etiam non reservatis a confessariis imponendas, quae subditos ab huiusmodi perpetrandis cohibere possint ».

Decretum habet clausulas derogativas quorumcumque privilegiorum et consuetudinum.

Cum circa § 3 difficultates fuissent ortae, sequens prodiit declaratio URBANI VIII, 21 *sept.* 1624: « Sanctitas sua deinceps declaravit et declarat, ut si huiusmodi Regularium confessariis, casus alicuius reservati facultatem petentibus, Superior dare noluerit, possint nihilominus confessarii illa vice poenitentes regulares, etiam non obtenta a Superiore facultate, absolvere ».

Adsunt aliae decisiones:

S. CONGR. EE. ET RR., d. 16 *aug.* 1866, declaravit: « In parvis communitatibus Superiores omnino debeant deputare habitualiter unum confessarium ex religiosis proprii Ordinis, qui facultatem habeat absolvendi a casibus et censuris in Ordine reservatis ».

Praeterea data fuere a S. POENITENTIARIA, d. 14 *maii* 1902, quinque responsa magni momenti: 1° « Si Superior domus aliique confessarii tamdiu absint, saltem per unum diem, ut grave sit religioso poenitenti toto eo tempore carere absolutione sacramentali, is licite et valide absolvitur ab extraneo confessario idoneo, hoc est approbato ». 2° Facultas concedi solita a S. Poenitentiaria sub n. 8 *Pagellae,* « absolvendi religiosos cuiuscumque Ordinis, dummodo legitimam habuerint licentiam peragendi confessionem sacramentalem (apud confessarium quem adeunt), etiam a casibus et censuris in sua Religione reservatis », comprehendit omnes casus Religionis proprios etiam Provincialibus et Generali reservatos. 3° Confessarius regularis hac facultate *pagellae* pollens, ea uti potest erga religiosos sui Ordinis, dummodo ipse approbatus sit ad recipiendam confessionem religiosi proprii Ordinis. 4° Superior regularis, concedendo subdito facultatem confessionem peragendi apud aliquem confessarium, non potest ponere conditionem ut ab eo a reservatis in Ordine non absolvatur, si confessarius fruatur *pagella.* 5° Idem dicendum est de religioso itinerante, qui ad adeundum confessarium extraneum expressa Superioris facultate opus non habuit: si confessarius *pagellam* Poenitentiariae obtinuit, ab eo a reservatis in Ordine absolvi potest.

Quamvis hae declarationes non sint formaliter nisi respon-

sum particulare, attamen sunt declarationes quoad se omnino generales; et opinio est Romae contra ipsas non valere privilegia antecedentia.

12. Potestas iudiciaria in foro externo [a].

1. Praelati regulares, iurisdictione gaudentes, potestatem iudicialem fori externi in subditos habent tum in causis litigiosis, tum in criminalibus, ut in Iure statuitur. — Habent in causis litigiosis, v. g., in causis nullitatis professionis: Trident., *sess.* xxv, c. 19 *de Regularibus*, statuit ut religiosus actionem nullitatis professionis inducens, causas quas praetendit *coram Superiore suo* et Ordinario deducat. Quomodo hae causae tractandae sint, determinavit Bened. xiv, Const. *Si datam* (1748) (vide dicta c. v, n. 10). — Habent potestatem iudiciariam in causis criminalibus: ita ex c. *Qualiter*, 24, *De accusatione*, v, 1 [b]; item ex c. *Reprehensibilis*, 26, *De appellat.*, ii, 28. Ex quibus textibus constat Regularium causas criminales ab ipsorum Praelatis regularibus esse diiudicandas.

2. E contra. Regulares in suis causis generatim ab Episcopis non pendent: imo nequeunt querelas suas ad Episcopos deferre, et si detulerint, eas Episcopi admittere non debent, utpote qui nullam ad causas Regularium diiudicandas potestatem habeant. Leo x, Const. *Romani Pontificis*, punit excommunicatione latae sententiae Regulares sic appellantes et iudices ecclesiasticos eorum appellationem admittentes. S. Congr. Episc. et Reg., 10 *oct.* 1586, prohibuit ne « Ordinarii in cognitionibus causarum Fratrum mendicantium, tam civilium quam criminalium, minime sese ingerant » (Ferraris, v. *Appellatio*, art. 3, nn. 27 et 28).

3. Excipiuntur tamen casus, in quibus potestas iudiciaria in Regulares committitur Episcopis aut S. Officio. Tridenti-

---

12. (a) Piat, t. ii, p. 365 et sqq.; Wernz, n. 691.

(b) C. *Qualiter*: « Qualiter et quando debeat Praelatus procedere ad inquirendum et puniendum subditorum excessus.... », et statuto ordine quo procedi debeat, in fine capituli subiungit: « Hunc tamen ordinem circa regulares personas non credimus usquequaque servandum ». — C. *Reprehensibiles*: « Praesenti decreto statuimus ut nec Praelati, nisi canonica commonitione praemissa, suspensionis vel excommunicationis sententiam proferant in subditos ». Deinde, prohibito ne facile appellatio fiat, addit: « Praecipue vero hoc in religiosis volumus observari: ne religiosi, cum pro aliquo excessu fuerint corrigendi, contra regularem Praelati sui et Capituli disciplinam appellare praesumant ».

num statuit ut Regulares in pluribus ab Episcopis coerceri et puniri, ideoque iudicari valeant, sive potestate ordinaria sive potestate a S. Sede delegata utantur (vide c. XVI). Imo in omnes causas fidei et quae ad S. Officium pertinent, Regulares nullomodo sese intromittere possunt (cf. c. XI, n. 15).

4. In singulis Ordinibus suprema auctoritas iudiciaria in Capitulo aut Congregatione generali residet; a quo ipse Generalis iudicari potest. Potestas iudiciaria residet etiam in Generali. An et quibus conditionibus in aliis Praelatis aut Capitulis resideat, singulorum Ordinum constitutionibus determinatur.

13. Potestas coercitiva [a].

Praeter potestatem coercitivam quae eis vi potestatis dominativae competit (vide n. 4), Praelati regulares exempti, vi iurisdictionis, eadem potestate coercitiva gaudent erga subditos ac Episcopi erga dioecesanos, intra limites tamen constitutionum Ordinis. Habetur ex capitulis Iuris supra (n. 12) citatis, ubi aperte ius corrigendi et castigandi Praelatis regularibus agnoscitur (SUAREZ, tr. VIII, l. II, c. 9, n. 3).

In particulari gaudent facultatibus quae sequuntur:

1. Praelati regulares possunt subditos poenis spiritualibus punire, sc. excommunicatione, suspensione et interdicto personali. Aperte dicitur de suspensione et excommunicatione, in c. *Reprehensibilis,* 26, *De appellat.,* II, 28. Haec facultas etiam Praelatis conventualibus per se competit, scilicet nisi ex constitutionibus Ordinis ipsis denegetur. SUAREZ, l. c., n. 6.

Dictum fuit Praelatos posse interdictum personale pronuntiare. De interdicto locali, controvertitur: nam ipsi iurisdictionem personalem in subditos habent, non autem territorialem (PIAT, t. I, p. 589, q. 4, 4°).

Notandum est quod Praelati sententiam particularem excommunicationis aut suspensionis absque Capituli consensu pronuntiare possunt; non autem eam antecedenter per modum censurae reservatae ferre, quia hoc esset reservare sibi casum. Ita S. CONGR. EE. ET RR., a. 1617 (apud PIAT, t. I, p. 445, *nota* 6).

Notandum est praeterea: quando Praelatus utitur potestate iurisdictionis ad puniendum, agit ut iudex publica auctoritate utens, et ideo iuridice agere debet, servando formam iudicii saltem summarii; praecipue, reo declaranda sunt ea de quibus accusatur, et concedenda facultas sese defendendi.

---

13. (a) WERNZ, n. 692; — PIAT, t. I, p. 588 et sqq.

2. Praelati regulares possunt nihilominus subditos ex informata conscientia a confessionibus audiendis suspendere; ita tamen ut si isti, non obstante suspensione, confessiones saecularium cum facultate Ordinarii audierint, illicite quidem, non autem invalide poenitentes absolvant [b].

3. Possunt etiam privationem officiorum necnon vocis activae et passivae, et inhabilitatem ad praelaturas et officia Ordinis decernere (iuxta Ordinis constitutiones); non autem inhabilitatem ad praelaturas Ecclesiae, ut patet: haec potestas enim ad S. Pontificem privative spectat (Piat, t. I, p. 591, q. 9). Propter eamdem rationem irregularitates infligere nequeunt, multo minus degradationes decernere et exsequi, nec subditum in sacris constitutum ad statum laicalem transferre (Piat, t. I, p. 592, q. 12; Ferraris, v. *Transitus,* n. 9). Si vero subditus nondum esset in sacris constitutus, liceret illum ad statum conversorum reducere, nisi constitutiones Instituti obstent; aliqui tamen contradicunt, si subditus sit invitus, quia in admissione adfuit quasi contractus: receptus fuit ut clericus (Piat, ib.).

4. Ex legibus Ecclesiae possunt etiam poenas corporales infligere: nam Ecclesia, utpote Societas perfecta, hac potestate gaudet; porro concedendo Praelatis regularibus facultatem puniendi et castigandi subditos, non excipit poenas corporales, imo positive vult eas adhiberi, v. g., carcerem. In decreto Urbani VIII, *de Electis* (1624), habetur: « Nemo dicendus est incorrigibilis, nisi, praeter alia, etiam unius anni spatio in ieiunio et poenitentia probetur in carceribus: proinde Religio privatos habeat carceres in qualibet provincia » [c]. Coercitio

---

(b) Ita S. Congr. EE. et RR., 2 *iul.* 1627: « S. Congr. censuit Generalem posse suos subditos ex quacumque causa etiam ob occultum crimen, quomodolibet etiam extraiudicialiter, a confessionibus audiendis suspendere ». Rursus eadem S. Congregatio interrogata « An Superiores regulares iurisdictionem habentes possint suos subditos suspendere ab audiendis confessionibus saecularium, etiam ex informata conscientia », d. 2 *mart.* 1866, respondit: « Affirmative, ita tamen ut religiosus suspensus illicite, non tamen invalide confessiones excipiat ». — De suspensionibus ex informata conscientia exstat optima instructio S. Congr. de Prop. Fide, a 1884 (in A. S. S., t. XIX, p. 591).

(c) Petentibus PP. Capucinis, a. 1866, ut in eiiciendis subditis non amplius tenerentur ad illam partem decreti, quo carcer delinquenti imponi debet, quia nostris temporibus res per leges civiles non licet: S. Congr. respondit: recurrendum esse ad ipsam in singulis casibus. — Sed postea, in decreto *Auctis* (1892), iam non fit mentio incarcerationis delinquentis, ut incorrigibilis habeatur.

corporalis, ait SUAREZ, tr. VIII, l. II, c. 9, n. 3, « comprehendit quamcumque corporis castigationem, afflictionem, publicam reprehensionem, infamiam, incarcerationem, vel deputationem ad quodcumque vile vel laboriosum opus aut ministerium ». Ad eam etiam pertinet, ait, privatio usus aliquarum rerum alias liciti aut debiti. (Vide etiam apud eumdem quae dicit c. 10, nn. 9, et 10).

Nihilominus Praelati cavere debent ne poenas a vigenti Ecclesiae disciplina alienas infligant, aut etiam quas leges civiles prohibent, ut incarcerationem.

De *appellatione* contra correctionem seu sententiam condemnatoriam Praelati regularis, dictum est c. X, n. 16, et sermo recurret c. XXIII.

14. Administratio Bonorum temporalium [a].

1. Bona Ordinum religiosorum sunt bona ecclesiastica, et proinde secundum leges Ecclesiae administrari debent [b].

Haec bona, iuxta cuiusque Ordinis constitutiones, sunt in dominio singularum domorum, aut Provinciarum, aut totius Ordinis [c]. Ad Superiores regulares autem pertinet administratio bonorum temporalium: eam exercent per officiales ad hoc iuxta constitutiones deputatos [d].

---

14. (a) WERNZ, t. III, n. 693, II, et nn. 147-153. — SUAREZ, tr. VIII, l. II, cc. 26 et 27.

(b) Regulares, v. g., servare debent *Ambitiosae, de rebus ecclesiasticis non alienandis*, in *Extr. comm.*, III, 4.

(c) Minores Observantes et Reformati atque Capucini non habent dominium bonorum suorum: illud ad S. Sedem pertinet.

(d) TRIDENT., *sess.* XXV, c. 2 *de Regul.*, iubet ut omnia bona, quae alicui religioso obveniunt, *conventui incorporentur*, et subiungit: « Administratio autem bonorum monasteriorum seu conventuum ad solos officiales eorumdem ad nutum Superiorum amovibiles pertineat ».

In Const. *Conditae* LEONIS XIII (1900), cap. II, n. 9, statuitur: « Bonorum, quibus sodalitia singula potiuntur, administratio penes Moderatorem supremum maximamve Antistitam eorumque consilia esse debet. Singularum vero familiarum redditus a Praesidibus singulis administrari oportet pro Instituti cuiusvis legibus. De iis nullam Episcopus rationem potest exigere ». — IN NORMIS a. 1901, *art.* 283: « Bona, quibus Institutum gaudet, alia possidentur et administrantur a toto Instituto, alia a provinciis, alia a singulis domibus ». Et *art.* 263, de Superiorissa generali dicitur: « Administrationi bonorum temporalium accurate invigilet, quin tamen in officia et munera sive oeconomae generalis, sive moderatricum domorum directe se ingerat ».

2. Administratio bonorum temporalium comprehendit omnes actus qui ad acquisitionem, conservationem et meliorationem alienationemve ipsorum bonorum, necnon ad legitimam eorumdem fructuum et reddituum perceptionem, conservationem, augmentum et applicationem referuntur (WERNZ, t. III, n. 147).

Inde administratoris bonorum partes sunt:

1° Bonorum inventarium atque omnia documenta et instrumenta quibus acquisitio, dominium ac iura in haec bona continentur, etiam ad praescripta iuris civilis accurate exacta, caute et ordinate servare (id., n. 152).

2° Bonorum substantiam conservare et etiam meliorem efficere et augere. Ideo ipsius est domos restaurare, ubi indigeant, bona defendere, et forte prius dilapidata vindicare, a praescriptionibus servare immunia; praedia colere, locare, etc., ut fructus afferant; ex bonis fructus et redditus iusto tempore exigere et percipere (n. 153).

3° Pecuniam, quae datur ad fundationes, iuxta leges Ecclesiae investire, ita ut, servata substantia seu capitali, soli redditus expendantur. Ecclesia autem praecipit ut potius in bonis stabilibus frugiferis si fieri potest, investitio fiat, et nonnisi deficiente hoc modo, in censibus, obligationibus et etiam actionibus sive Status sive societatum particularium, dummodo hae tutae sint et a negotiatione alienae. Attamen hic ordo interverti potest, ubi securitas bonorum et legitima sufficientium fructuum perceptio id exigat (n. 153).

4° Quoniam Superior et a fortiori procurator non sunt proprietarii, sed meri administratores, fructus bonorum expendere debent secundum fines proprios Instituti, et servatis legibus tum generalibus Ecclesiae, tum particularibus Instituti: omnino eis illicitum est arbitrarias expensas facere (ibid.).

3. Duos abusus in bonorum administratione Ecclesia maxime providit, scilicet bonorum stabilium ac mobilium pretiosorum alienationem, et fructuum seu reddituum dilapidationem per donationes. De secundo iam dictum est c. XI, n. 14, sub rubrica *de largitione munerum;* de alienatione mox dicetur.

4. Praeterea CLEMENS VIII, in decreto *Nullus* (1599) [e] tribus articulis, 11, 12 et 13, aliquas speciales regulas dedit. Art. 11,

(e) Cap. XI, n. 18, dictum fuit hoc decretum probabilius non obligare extra Italiam; et n. 28, de eius valore obligatorio pro Societate fuit disputatum.

praescribitur ut Superiores omnes qui, ratione officiorum, peculiares habent redditus, eorum accepta et expensa fideliter notent, neque eos in alios usus quam ratione officii sui necessarios expendant [f]. Art. 12, prohibetur ne Superior per se administrationem et dispensationem rerum aut pecuniarum suae domus exerceat: sed haec cura tribus fratribus est demandanda, quorum unus curam habeat colligendi res, fructus, redditus; secundus eadem a primo collecta servet; tertius, de rebus et pecuniis collectis, communitati et singulis religiosis necessaria provideat, mandante tamen Priore. Additur: « officiorum huiusmodi confusione penitus interdicta ». Art. 13, iubetur ut tres supradicti Superiori coram duobus aut tribus Fratribus rationem reddant, et insuper coram Generali in visitatione conventus. Generalis ipse in quolibet Capitulo generali rationem reddere debet tum publicae tum privatae suae administrationis.

15. Bonorum alienatio [a]. — Alienatio bonorum ecclesiasticorum, et proinde bonorum monasteriorum et Institutorum religiosorum, multis Iuris antiqui capitibus fuit vetita, ita ut sit non tantum illicita, verum et invalida, quaecumque alienatio absque iusta causa. Ut autem praecaverentur indebitae alienationes, aliquae *solemnitates* introductae fuerunt, sine quibus pleraeque alienationes fieri non possent. Paulus II autem, celeberrima Extravagante *Ambitiosae*, praecedentes SS. PP. Constitutiones renovavit, poenas adiecit, et prohibuit ne deinceps alienationes, pro quibus solemnitates requirebantur, inconsulto Romano Pontifice fierent, alias essent invalidae [b].

(f) Sermo est de redditibus quos habent ratione officii, non de donationibus aut eleemosynis quas recipiunt sive ut Superiores communitatis, sive ut privatae personae: eae enim, ut dicit Tridentinum, monasterio statim incorporari debent; nec de iis Superior magis quam de aliis communitatis bonis disponere potest.

15. (a) Wernz, t. III, nn. 154 et seqq.; — Ferraris, vox *Alienatio*; — Schmalzgr., l. III, tit. 13.

(b) « Ambitiosae cupiditati illorum praecipue, qui divinis et humanis affectati, damnatione posthabita, immobilia et pretiosa mobilia Deo dicata, ex quibus ecclesiae, monasteria et pia loca reguntur illustranturque et eorum ministri sibi alimoniam vindicant, profanis usibus applicare, aut cum maximo illorum ac divini cultus detrimento, exquisitis mediis usurpare praesumunt, occurrere cupientes; — omnium rerum et bonorum ecclesiasticorum alienationem, omneque pactum, per quod ipsorum do-

Nihil autem novi determinavit circa alienationes quae sine solemnitatibus, et adeo sine beneplacito Apostolico fieri permittuntur.

Regulares teneri hac Pauli II Constitutione indubium est, siquidem eorum bona sunt ecclesiastica. Sed multi privilegium postea obtinuerunt, quo eis liceret bona sua absque speciali beneplacito Apostolico alienare. Privilegia huiusmodi concessit Iulius II Minimis, Const. *Virtute conspicuos* (1506), Gregorius XIII Societati Iesu, duabus Constit. *Apostolicae Sedis* (1576) et *Ex debito pastoralis* (1582) (cf. Comp. Priv., n. 22). — Sed Urbanus VIII, decreto S. Congr. Conc. 7 *sept.* 1624, omnia privilegia prius concessa revocavit, intra fines tamen Europae tantum [c]. Pius IX autem, C. *Apostolicae Sedis* (1869),

---

minium transfertur, concessionem, hypothecam, locationem et conductionem ultra triennium, necnon infeudationem vel contractum emphyteuticum, praeterquam in casibus a Iure permissis ac de rebus et bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis et cum ecclesiarum evidente utilitate, ac de fructibus et bonis quae servando servari non possunt pro instantis temporis exigentia, — hac perpetuo valitura Constitutione praesenti fieri prohibemus.... Si quis autem contra huius nostrae prohibitionis seriem, de bonis et rebus eisdem quidquam alienare praesumpserit: alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio et infeudatio huiusmodi nullius omnino sint roboris vel momenti, et tam qui alienat, quam is qui alienatas res et bona praedicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat ». Sequuntur aliae poenae.

(c) « S. Congr. Conc..., speciali SS. D. N. iussu, Generalibus, Provincialibus, Abbatibus generalibus, et quibuscumque aliis Superioribus regularibus cuiusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, Instituti, intra fines Europae existentibus, omnium rerum et bonorum immobilium ac pretiosorum mobilium alienationem, omneque pactum per quod ipsorum dominium transfertur, census perpetuos seu vitalitios, hypothecam, locationem et conductionem ultra triennium, cessionem in feudum seu in emphyteusim, praeterquam in casibus a Iure permissis, perpetuo prohibet atque interdicit absque illius Congregationis Conc. expressa licentia, in scriptis et gratis concedenda, sub poenis.... Alienationes vero, pacta, etc., contra huiusmodi prohibitionem faciendas, Sanctitatis suae auctoritate, ipso iure nullas atque irritas decrevit. Non obstantibus... ».

Et alio decreto, 21 *mart.* 1626, eadem Congreg. inter contractus vetitos recenset: « pecunias ad cambium vel mutuo accipere, cum solutione lucri cessantis et damni emergentis et cum obligatione seu hypotheca bonorum aut dato pignore » (Haec duo decreta inveniuntur apud Ferraris, v. *Alienatio*, art. 4, n. 30). — Sed in secundo decreto, omittit ultima verba *et cum obligatione...*, quae hic restituuntur ex Card. *Petra*, t. IV, in Const. VI Benedicti XII, n. 25.

intra excommunicationes nemini reservatas recensuit « alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis *Ambitiosae* » [d]. — Igitur iam Regulares non in Europa tantum, sed ubique, in alienationibus bonorum suorum subiacent praescriptionibus capitis *Ambitiosae* (cf. Comp. Privil., n. 22).

His notionibus historicis praeiactis, quatuor praecipue de bonorum religiosorum alienatione dicenda veniunt: 1. Quae bona sine beneplacito Apostolico alienari nequeant; quae e contra sine beneplacito alienare liceat? 2. Quae sit alienatio prohibita, seu quid sub nomine alienationis prohibitae intelligatur? 3. Quae causae ad alienationem requirantur? 4. Quae poenae contra indebite alienantes sint Iure statutae?

16. Quae bona absque beneplacito Apostolico alienare liceat aut non liceat?

I. Sine beneplacito Apostolico alienare non licet: 1° immobilia omnia, praeter aliqua exigui valoris (terrulae vocantur); 2° mobilia pretiosa, exceptis his quae « servando servari non possunt »; 3° quaecumque iura sive ad immobilia sive ad mobilia pretiosa [a].

II. E contra, sine beneplacito Apostolico alienari possunt:

(d) S. Officium, d. 22 *dec.* 1880, nonnullis dubiis super hac excommunicatione respondit. Quaerebatur 1° « An vi clausulae derogatoriae in nova Constitutione *(Apostolicae Sedis)*, revocata censeri debeant privilegia antiqua ab ipsa Apostolica Sede rite obtenta, alienandi scilicet absque beneplacito Apostolico? — Resp.: Quatenus privilegia, de quibus agitur generalia sint, Affirmative; quatenus sint specialia et personalia, Negative ». — Quaerebatur 2° « An derogatio haec extendi etiam debeat ad consuetudines legi de beneplacito Apostolico latae contrarias quamvis immemorabiles? — Resp. Affirmative ».

16. (a) Iurium alienationem prohiberi, habetur ex cap. *Hoc consultissimo*, 2, *De rebus ecclesiae non alienandis*, III, 9, in Sexto (quod est decretum Gregorii X, in Conc. Lugdunensi, 1272). « Hoc consultissimo prohibemus edicto universis et singulis Praelatis, ecclesias sibi commissas, bona immobilia, seu *iura ipsarum*, laicis submittere, subiacere seu supponere, absque Capituli sui consensu et Apost. Sedis licentia speciali; non concedendo bona ipsa *vel iura* ». — *In Clement.*, c. 1, *de rebus ecclesiae non alienandis* prohibetur religiosis concedere alicui, ad vitam eius seu aliud tempus, « *iura*, redditus et possessiones monasterii ».

1° aliqua immobilia exigui valoris, ex cap. *Terrulas*, 53, *caus.* XII, q. 2[(b)]; — 2° mobilia non pretiosa quaecumque; — 3° mobilia etiam quoad valorem pretiosa, sed quae diu servari non possunt: huiusmodi sunt omnes fructus et proventus camporum, v. g., frumentum, oleum, vinum, quae non sunt frugifera et usu consumuntur. — 4° Insuper, si est periculum in mora, ita ut S. Sedis licentia expectari nequeat, tunc ea praesumi potest ad alienanda quaecumque; sed postea recursus ad S. Sedem fieri debet, ut alienationem ex necessitate factam ratihabeat (SCHMALZGR., l. c., nn. 42, 62 et 112; WERNZ, l. c., nota 160). — 5° Non requiritur beneplacitum Apostolicum ad alienanda bona relicta monasterio incapaci ea possidendi. Ita declaravit S. CONGR. CONC., 14 *dec.* 1624, pro Theatinis: scilicet respondit, quia ipsi ex Instituto bona stabilia possidere non possunt, ideo eos « quoad bona immobilia non comprehendi in prohibitione nuper edita, de rebus Ecclesiae non alienandis ». Eadem ratio valet pro domibus professis Societatis, quibus stabilia bona habere non licet; e contra quia mobilia pretiosa ipsis non prohibentur, ideo si bona huiusmodi eis relinquantur, ea sine beneplacito Apostolico alienare nequeunt, ut de caetero resolvit S. Congr. Conc., 31 *iul.* 1627 (apud Card. PETRA, t. IV, in Const. VI Benedicti XII, nn. 19 et 20).

III. Praedictis aliquae observationes adiungendae sunt:

1. Nomine *immobilium* veniunt fundi, praedia, domus, et etiam in fundo rustico arbores fructiferae, et aliae quibus excisis fundus notabiliter deterior fieret (SCHMALZGR., l. c., n. 36).

2. Nomine *Mobilium pretiosorum* veniunt primo ea quae in thesauro ecclesiae continentur: vasa aurea et argentea ecclesiae, sive sacra, ut calices, pyxides, sive non sacra, candelabra, thuribula, vestes sacerdotales aut supellex magnae aestimationis; deinde bibliotheca sat ampla aut etiam singuli libri magni valoris, manuscripti praesertim, picturae, imagines sacrae: uno verbo quaecumque mobilia propter artem, raritatem, antiquitatem aut venerationem, speciale pretium habeant; praeterea in fundo rustico armenta boum, greges ovium integri, non autem horum fructus vel singulae pecudes (ibid., nn. 27, 31, 34, 35).

3. Iura ad immobilia aut ad mobilia pretiosa quae non debent sine beneplacito Apostolico alienari, sunt: ususfructus

(b) « Terrulas aut vineolas exiguas et ecclesiae minus utiles, aut longe positas et parvas, Episcopus sine consilio confratrum, si necessitas fuerit, distrahendi habeat facultatem ».

longi temporis: census, redditus, pensiones annuae [c]; servitutes activae: v. g., ius piscandi aut venandi, actiones, hypotheca activa; tituli, qui fundationem seu dotationem alicuius Instituti constituunt, ait WERNZ, l. c., n. 160, *nota* 142 [d]. — Reliquiae insignes etiam alienari nequeunt, ex decr. S. C. C., 1702: attamen verius eae non veniunt sub nomine mobilium pretiosorum, et ideo earum alienatio, quamvis vetita, non cadit sub poenis Extrav. *Ambitiosae*.

4. An *pecunia* alienari possit? — Distinctione opus est. *a)* Pecunia quae provenit ex venditione bonorum immobilium aut mobilium pretiosorum, ad emenda alia bona similis generis impendi debet: et ideo S. Congregatio illorum bonorum alienationem non permittit, nisi sub hac expressa conditione. Idem dicendum est de pecunia data ut talia bona emantur, aut ad fundationem constituendam: quae tunc debet investiri, emendo cum pecunia huiusmodi sive bona stabilia sive titulos: aliis verbis, summa capitalis tamquam quid immobile habetur. — *b)* Pecuniam autem quae venit ex redditibus, censibus, pensionibus, aut ex venditione fructuum, et etiam ex venditione mobilium non pretiosorum vel terrularum, a fortiori ex eleemosynis sine conditione erogatis, libere expendere fas est (SCHMALZGR., l. c., nn. 50 et 51) [e].

(c) Vide n. 17, *nota* g, prohibitionem BENEDICTI XIV.

(d) Quaesitum fuit a S. CONGR. CONC., 1° An ad *alienandos* titulos anonymos spectantes ad entia ecclesiastica, aut ad domos pias tutelae Ecclesiae submissas, necessarium sit beneplacitum Apostolicum, sicut ad alienanda bona immobilia et res pretiosas? — 2° An eadem facultas requiratur ad *permutandos* eosdem titulos in alios titulos aut valores, etiam in immobilia? — 3° An venditores et acquisitores sint subiecti poenis *Tridentini* sess. XXII, c. 11 *de Reform.*, Extravagantis *Ambitiosae* et Const. *Apostolicae Sedis*? — S. Congr., d. 17 *febr.* 1906, respondit: « Ad 1, Affirmative; — ad 2, Affirmative, excepto casu necessitatis; — ad 3, Affirmative quoad poenas Extr. *Ambitiosae* et Const. *Apostolicae Sedis* » (A. S. S., t. XXXIX, p. 156). — P. VERMEERSCH (*Supplem.* et *Monum. Periodic.* tomus alter, p. 89) responsum ad 2 impugnat, et concludit: Cum hae resolutiones sint formae particularis, non videtur inquietandus esse is qui ex principiis aliis formaverit sibi conscientiam et actionem suam direxerit. Notat insuper responsum intendere pecunias quae capitale constituunt: has solummodo inconsulta S. Sede alienare non licet.

(e) Attamen pro expensis extraordinariis attendere oportet ad epistolam Pii X ad Praep. Generalem Cisterciensium, 31 *maii* 1905. In ea dicitur (n. 3): « Regularis observantia non raro ob id collabi solet, quod Ecclesiae

5. *De terrulis.* Ad quod pretium attingere possit valor immobilium, quorum alienatio sine beneplacito Apostolico permittitur, Iure non definitur; ideoque relinquitur prudenti iudicio. Sed quod ad qualitatem spectat, debent esse praedia separata, difficilis administrationis, e quibus modicus fructus percipitur. — Non licet autem alienare partem exiguam fundi grandioris et utilis (nec etiam partem exiguam mobilium pretiosorum, v. g., bibliothecae, thesauri ecclesiae): ita ut, quod integrum alienare prohibetur, id per partes alienare liceat. — In Iure facultas alienandi exigua immobilia non cuicumque, sed soli Episcopo committitur (c. *Terrulas,* et cf. Bened. xiv, *Institut.* 69). Inde aliqui dicunt Regulares exemptos etiam non posse alienare terrulas nisi de consensu Episcopi: et haec est sententia Benedicti xiv, l. c.; sed plerique AA. censent requiri quidem licentiam Episcopi, pro iis bonis quae non sunt ab eo exempta, sc. pro omnibus bonis ecclesiasticis saecularibus et aliis religiosorum non exemptorum, non autem pro bonis Regularium exemptorum: saltem de obligatione non constare. Cf. Comp. Priv., n. 20, et vide infra, n. 34, 7°, privilegium Societatis.

6. *Quoad mobilia,* non est definitum cuius valoris esse debeat aliquod mobile, ut pretiosum censeatur. Saeculo xvii vergente S. C. C. existimavit esse pretiosa ea mobilia quae 25 aureos ex camera valerent (vide Ferraris, v. *Alienatio,* art. 3, n. 3), et 1 *maii* 1840, eadem S. Congregatio in causa Terracina, non recessit ab hac lege. At nunc, ait Wernz, l. c., *nota* 140, pretium pecuniae est saltem duplo aut triplo minus, et non pauci dicunt tuto haberi posse tamquam non pretiosum mobile cuius valor non superat 500 fr. (Cf. Comp. Priv., n. 21).

---

leges atque ipsa religiosorum Ordinum statuta super bonorum administratione non, uti par est, sancte custodiuntur. Quapropter ad maxima deprecanda mala omnibus et singulis Superioribus edicimus, ut quoties agatur de bonis emendis, alienandis, permutandis, de mutuo contrahendo quod decem millia libellarum attingat, de aedificio extruendo, demoliendo, restaurando, aut de alia expensa facienda extraordinaria et notabili, quae pertineat scilicet ad summam pecuniae dictam, ne quid tale faciant nisi et habita Capituli generalis aut Abbatis generalis venia, et ea fideliter servando quae Constitutionibus et Decretis Apostolicae Sedis praescripta sunt » (A. S. S., t. xl, p. 666). — Haec epistola non induit vim decreti generalis, ideoque non obligat nisi Ordinem ad quem est directa; attamen mentem Sanctae Sedis indicat, et praeterea, quae hic iubentur, proferuntur non quasi aliquid novum, sed ut « Ecclesiae leges et religiosorum Ordinum statuta, uti par est, sancte custodiantur ».

7. Tandem quaeritur utrum beneplacitum Apostolicum suppleat antiquis solemnitatibus Iuris (f), an contra, praeter beneplacitum etiam solemnitates requirantur? Per se beneplacitum Apostolicum sufficit, dummodo sit iusta causa alienationis (Wernz, n. 165); sed saepe beneplacitum non datur nisi pleraeque saltem solemnitates praecesserint. — De caetero sunt Ordines qui speciale privilegium habent, quo ab his solemnitatibus eximuntur, quia eae sunt eorum legibus contrariae. Sic Societas alienationes, sicut quoscumque alios contractus, sine tractatu capitulari peragere potest: ita ex variis SS. Pontificum privilegiis (Comp. Privil., n. 19).

17. Quid sub nomine alienationis prohibitae veniat? — Vox *alienatio* sumitur latissimo sensu: prohibetur non tantum alienatio qua transfertur dominium directum, sed etiam omnis contractus quo notabiliter minuitur dominium utile, aut concessio iuris quae viam pandat ad alienationem. Expendendae sunt singulae voces quibus hi contractus exprimuntur in Extrav. *Ambitiosae*. Sunt autem sequentes (vide supra, n. 15, *nota* b):

1. *Omne pactum per quod dominium transfertur,* ideo venditio, donatio, imo permutatio (a). De permutatione tamen in tit. *De rebus ecclesiae alienandis,* c. 8, circa finem, dicitur Episcopo: « Possessiones vero, quae ecclesiae tuae minus sunt utiles, pro aliis utilioribus, de fratrum tuorum et sanioris partis

---

(f) Solemnitates Iuris antiqui sunt: 1° tractatio causae in Capitulo; 2° consensus maioris partis Capituli; 3° subscriptio contractus a capitularibus; 4° consensus Superioris cui monasterium est subiectum (Episcopi, Abbatis maioris aut Praepositi generalis, Papae si monasterium est illi immediate subiectum) Schmalzg., l. III, tit. 13, sect. 4. — Ab his solemnitatibus Societatem exemit S. Pius V, Const. *Innumerabiles fructus* (1568).

In Normis a. 1901, pro alienatione aut oppignoratione immobilium aut mobilium pretiosorum requiritur consensus Concilii Moderatricis generalis, priusquam S. Congr. EE. et RR. approbet. Ad debita contrahenda et ad pacta ineunda, quamvis consensus S. Congregationis non requiratur, exigitur consensus Concilii (art. 271 et 272).

17. (a) Ita c. *Irrita,* 1, *De his quae fiunt a Praelato,* III, 10. « Irrita erit Episcoporum donatio, venditio vel commutatio rei ecclesiasticae ». Et cap. *Nulli,* 5, *De rebus ecclesiae non alienandis,* III, 13: « Nulli liceat alienare rem immobilem ecclesiae suae.... Alienationis autem verbum continet condictionem, donationem, venditionem, permutationem et emphyteusis perpetuum contractum ». Quid veniat nomine condictionis, disputatur: vide Schmalzgr., l. c., n. 10.

consilio et assensu, alienandi seu commutandi liberam concedimus facultatem ». Ferraris, v. *Alienatio,* a. iv, n. 3., censet posse fieri in rem evidenter meliorem ; sed Schmalzgr., l. c., n. 27, ait etiam pro ea requiri solemnitates Iuris [b].

2. *Concessio,* i. e. cessio cuiuscumque iuris, v. g., cessio crediti, litis motae vel actionis iam quaesitae (Wernz, l. c., n. 154).

3. *Locatio et conductio ultra triennium.* — Non autem prohibetur locatio ad novem annos, cum facultate rescindendi contractum tertio quoque anno (Ferraris, l. c., a. 3, n. 10) [c].

4. *Infeudatio et contractus emphyteuticus.* — Excipiuntur res et bona in emphyteusim ab antiquo dari solitae, dummodo contractus fiat cum evidenti ecclesiarum (seu conventuum) utilitate (vide Schmalzgr., l. c., n. 9) [d].

5. *Hypotheca.* — Quod de hypotheca speciali intelligi debet; nam hypotheca generalis super omnia bona ecclesiae aut conventus non prohibetur. Ita ex c. *Nulli,* 5, *De rebus ecclesiae alienandis* [e], et ex declaratione S. C. C. (apud Ferraris, l. c., a. iv, n. 36).

Quibus contractibus addi debent alii alias prohibiti, scilicet:

6. *Census perpetui aut vitalitii.* — Nominatim prohibentur in in decreto Urbani viii, 7 *sept.* 1624 (supra, n. 15, *nota* c).

7. In alio decreto, 21 *mart.* 1626, prohibetur *mutuam accipere pecuniam,* solvendo interesse, et hypothecam admittendo aut bona aliqua oppignorando [f]. — *Mutuo autem dare pecuniam*

(b) S. Congr. EE. et RR., d. 6 *febr.* 1852, Episcopo ab ea approbationem permutationis iam factae petenti respondit: « S. Congr. approbare non potuit contractum per se nullum; et Episcopus moneat contrahentes ut consulant conscientiae suae. Caeterum partes poterunt proponere novum contractum huic Congregationi » (apud Bizzarri, p. 656). — Ergo S. Congr. permutationem habet velut alienationem prohibitam.

(c) Olim pro locationibus speciales solemnitates requirebantur, quas videre est apud Bizzarri, p. 719, et in eiusdem Bizzari *Indice,* v. *Locatio,* necnon in motu proprio *Benedicti* xiv, 22 *nov.* 1742.

(d) Wernz (l. c., nota 143) ait hanc exceptionem iam non retineri : nam, teste experientia, huiusmodi contractus feudales seu emphyteutici ecclesiis et locis piis solent esse preiudiciales; ideo pro quovis contractu emphyteutico, ex disciplina nunc vigente, requiri beneplacitum Apostolicum.

(e) « Nulli liceat alienare rem immobilem ecclesiae,... neque *specialis* hypothecae titulo obligare ». Ergo prohibitio hypothecae ad specialem hypothecam restringitur.

(f) Quaestio est an mutuum accipere cum solutione interesse, tunc tantum prohibeatur, cum simul admittitur hypotheca aut bona aliqua oppignoran-

bonorum ecclesiasticorum, in forma alias legitima et secura, licet (WERNZ, n. 154).

8. Permittitur *venditio in antecessum* fructuum aut reddituum ad modicum tempus (*Clementina* 1, huius tituli); sed prohibetur ad vitam eius qui concedit aut ad longum tempus (BENED. XIV, C. *Universalis,* 1741) (g).

9. Controvertitur an nomine alienationis prohibitae veniat *repudiatio hereditatis, legati, aut donationis cuiuscumque.* Sed sententia verior est, quamvis haec repudiatio, si fiat sine causa, non sit exempta a peccato contra caritatem erga conventum, attamen eam non venire sub nomine alienationis, si donatio prius acceptata non fuerit, quia sola acceptatione ius ad rem acquiritur (Ita SCHMALZGR., l. c., n. 11, et WERNZ, l. c., n. 154).

10. Controvertitur etiam, an prohibeatur *alienatio inter duas ecclesias, duos conventus:* nam tali alienatione bona remanent ecclesiastica. D'ANNIBALE censet (*Comment.*, n. 168) verius esse eam non prohiberi; contra sentiunt SCHMALZGR., n. 22, FERRARIS, l. c., art. IV, nn. 13 et 14: WERNZ, n. 156 (cf. BUCCERONI, *Comment.* in C. Apostolicae Sedis, n. 83). Saltem prohibita religiosis censeri debet, ex responso S. C. C., 27 *febr.* 1666. Interrogata a procuratore FF. Praedicatorum « An alienationes, de quibus agitur in decreto de rebus Regularium non alienandis (decr. Urbani VIII, 7 *sept.* 1624), quatenus inter monasteria eiusdem Ordinis et quidem cum utriusque contrahentis monasterii

---

tur. Ex decreto Urbani ita esse videtur. Sed BIZZARRI, p. 432, refert epistolam S. Congr. EE. et RR. ad Superiores regulares, de debitis contrahendis, 27 *iun.* 1766, ex qua omnis mutuatio pecuniae cum solutione interesse prohibetur: « Prohibentur Regularibus omnes contractus alienationis, etiam hypothecae et census passivi, sine expresso beneplacito Apostolico; declarando expresse comprehensum sub eadem prohibitione pecunias ad cambium vel mutuo accipere, cum solutione lucri cessantis aut damni emergentis ». — Num autem hic rigor adhuc retineatur, cum iam admittitur interesse cuiuscumque pecuniae absque speciali titulo, merito in dubium poni potest. WERNZ, n. 154, ait: « Alienatio non est pecuniam mutuam accipere, si hypotheca speciali bona ecclesiastica non graventur ».

(g) « Prohibemus ne in posterum audeant... vendere ac distrahere suorum beneficiorum redditus et proventus vel ad vitam vel in longum tempus, recepta ab emptore, per unam vel plures solutiones, pecuniarum quantitate quam ipsi beneficiati per eiusdem temporis vel vitae spatium probabiliter consequi potuissent ». Deinde nullos declarat contractus contra hanc prohibitionem factos, et contrahentes poenis contra alienantes bona Ecclesiae latis subiacere declarat. Item iam fuerat prohibitum a TRIDENT., *sess.* XXV, c. 11 *de Reformat.*

utilitate fiant, ita prohibitae atque interdictae censeantur ut absque S. Congr. licentia perfici ne possint. — Respondit: « Ita esse prohibitas », et SSmus responsionem approbavit (apud Card. Petra, t. iv, in Const. vi, Benedicti xii, n. 36).

18. De causis, ob quas alienari possunt res ecclesiasticae. — Quatuor enumerantur: 1. urgens ecclesiae aut conventus necessitas; 2. eorumdem evidens utilitas; 3. pietas, sc. cultus divinus et pauperum necessitas; 4. rei alienandae incommoditas aut inutilitas.

Absque una ex his causis nulla alienatio fieri potest, sive cum beneplacito Apostolico, quando requiritur, sive absque beneplacito, quando non requiritur; ita ut alienationes sine legitima causa factae semper sint nullae et irritae. Ita ex Iure positivo [a], et etiam ex iure divino. Ratio est, quia Praelatus quicumque, etiam Papa, est merus bonorum ecclesiasticorum administrator, non autem dominus (Wernz, n. 157; Schmalzgr., l. c., nn. 120 et 70). Si causa fuerit existimata tantum, sed non vera, controvertitur an valeat alienatio. Si meritum causae dubium remanet, alienatio valida habetur (Schmalzgr., n. 71; Wernz, n. 163).

19. De sanctionibus et poenis contra alienantes. — 1. Alienantes absque beneplacito Apostolico, ubi requiritur, excommunicationi nemini reservatae subiacent: ita Extrav. *Ambitiosae*, et C. *Apostolicae Sedis*. — Est tamen differentia inter utramque Constit.: in Extrav. *Ambitiosae*, plectuntur tantum *alienare praesumentes;* in C. *Apostolicae Sedis*, etiam *alienantes*. S. C. C., 22 *dec.* 1880, confirmavit plecti excommunicatione omnes alienantes; — et insuper declaravit clausulis derogatoriis Constitutionis revocari privilegia generalia alienandi absque S. Sedis beneplacito, non autem specialia et personalia (A. S. S., t. xv, p. 539).

---

18. (a) Ita cap. *Dudum*, 1, *De rebus ecclesiae non alienandis*, iii, 9, in 6°, et Clementina *Monasterium*, 1, eiusdem tit., ubi dicitur: « Perpetuo prohibemus edicto, ne quis religiosus monasterio.... praesidens, iura, redditus aut possessiones eiusdem alicui, ad vitam eius seu aliud certum tempus, pecunia etiam inde recepta, quovis modo concedat, nisi necessitas aut utilitas monasterii hoc exposcat.... Si quis autem contra hoc fecerit, poenam suspensionis ab officio eo ipso incurrat, nec ex concessione ipsius recipienti ius aliquod acquiratur ».

Eadem excommunicatione etiam plectuntur *recipere praesumentes* bona, quorum alienatio prohibetur.

2. Ubi requiritur beneplacitum Apostolicum, alienationes absque ipso factae nullae et irritae sunt, et res alienatae restitui debent. Sic in Extr. *Ambitiosae,* et in decreto URBANI VIII a. 1624 [a].

Sunt qui putant has alienationes nullas et irritas esse in solo foro externo, non autem in foro interno, dummodo fuerit causa sufficiens alienandi: ita SCHMALZGR., n. 132. Sed WERNZ, l. c., n. 167, ait: « Ex verbis et fine legis, nulla est et irrita in foro quoque interno, ut patet etiam ex iteratis decisionibus S. Congr. EE. et RR. et S. C. C., v. g., 24 *nov.* 1821 [b].

Excipitur casus quo alienatio facta sit sine beneplacito Apostolico, aut potius ex praesumpto beneplacito, quia erat periculum in mora. Alienatio enim tunc est licita (WERNZ, *nota* 160).

Alienatio autem perperam facta revocari debet ab ipso Praelato qui alienavit, aut ab eius successore, aut ab eiusdem Superiore, aut ab aliis (SCHMALZGRUEBER, nn. 151 et 152). — Attamen, quando possessor est bonae fidei, videtur valere praescriptio 40 annorum (ibid., n. 159).

3. Etiam ubi non requiritur beneplacitum Apostolicum, alienationes absque causa legitima factae, nullae sunt et irritae ut supra, n. 18, dictum est.

4. *Aliae poenae* contra Regulares absque beneplacito alienantes statutae sunt ab URBANO VIII (1624). Sunt sequentes: privatio vocis activae et passivae, privatio omnium officiorum quae tunc obtinent, perpetua inhabilitas ad illa in posterum obtinenda. — Declaratur insuper has poenas incurri « ipso

---

19. (a) In Extrav.: « Si quis autem, contra huius nostrae prohibitionis seriem, de bonis et rebus eisdem quidquam alienare praesumpserit, alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio, et infeudatio huiusmodi nullius omnino sint roboris vel momenti.... Nihilominus alienatae res et bona huiusmodi ad ecclesias, monasteria et loca pia.... libere revertantur ». — Et in decreto Urbani VIII: « Alienationes vero, pacta, census, hypothecas, locationes, conductiones et concessiones quascumque contra huius modi prohibitionem faciendas, Sanctitatis suae auctoritate, ipso iure nullas atque irritas (S. Congr.) decernit ».

(b) De hac quaestione videri potest PENNACHI, Comment. in C. *Apostol. Sedis,* t. II, pp. 131 et 133, Decreta, quibus WERNZ alludit, refert p. 120, sed in alium finem sunt allata, et revera non probant alienationes nullas esse in foro interno.

facto absque alia declaratione [c], sublata etiam Generali et Protectori illas moderandi aut relaxandi facultate ». — Additur in decreto: « Poenis nihilominus Apostolicarum Constitutionum, et praesertim f. r. Pauli II, quae incipit *Ambitiosae*, in suo robore permansuris ». Sed hae aliae poenae, quae sunt censurae, sc. interdictum et suspensio pro pontificali seu abbatiali dignitate praefulgentibus, cum non renovatae fuerint a Pio IX, iam abolitae censendae sunt (WERNZ, n. 170).

Et haec de alienatione bonorum.

20. De obligationibus Superiorum regularium.

1. **Circa curam animarum suorum subditorum.** — Praelati regulares exempti curam habent animarum suorum subditorum (WERNZ, n. 693, III), et etiam familiarium qui sint vere de familia. Eo ipso enim quod Regulares sunt exempti, cura eorum animarum transfertur ab Episcopo et parocho ad Praelatos regulares. TRID., *sess.* XXV, c. 11 *de Regul.*, hanc Praelatorum regularium obligationem obiter indicat: « In monasteriis seu domibus virorum seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum saecularium, *praeter eas quae* sunt de illorum monasteriorum seu locorum familia.... ». Eam expresse memorat CLEMENS VIII, decr. *Nullus*, § 38 (infra, n. 21, *nota* b). Satis etiam eam significat LEO XIII, C. *Romanos Pontifices*, n. 7, ubi exemptionem Regularium affirmat (vide textum c. XVI, n. 1, *nota* c). Cf. SUAREZ, tr. VIII, l. II, c. 1, n. 6.

Consequenter Praelati regulares subditorum informationi in doctrina et vita christiana prospicere tenentur. Vide inter *Decreta quotannis a Regularibus legenda* duas Epistolas circulares *S. Congr. super disciplina regulari*, quibus urget hebdomadariam explicationem catechismi conversis et familiaribus tradendam. Quamvis hae litterae ad solos Superiores Italiae et insularum dirigantur, obligatio quae hic urgetur, de instructione Fratrum in veritatibus fidei, est generalis atque omnes ubicumque Superiores adstringit.

2. **Circa professionem fidei.** — Obligatio pro Superioribus faciendi publicam professionem fidei initio sui officii, adesse non videtur. Ratio dubitandi fuit praescriptum quoddam PII IV, in Const. *Iniunctum nobis* (1564) super forma iuramenti professionis fidei. (Constitutio invenitur ad calcem Concilii Tridentini).

CONC. TRIDENTINUM, *sess.* XXIV, c. 12 *de Reform.*, iniunxerat

(c) De hac quaestione, vide infra, c. XXIV, n. 2, *nota g*.

ut omnes qui providentur de beneficiis curam animarum habentibus, publicam orthodoxae fidei professionem facerent. Pius IV, Const. *Iniunctum nobis*, idem servari iussit « per quoscumque, quibus de monasteriis, conventibus, domibus et aliis quibuscumque locis Regularium quorumcumque Ordinum... providebitur ». Inde evenit ut multi censeant hac Constitutione obligationem omnibus inesse Superioribus regularibus, professionem fidei initio sui officii facere. Ita Piat, t. I, p. 594, q. 1, 4° et 6°; Wernz, n. 694, I; Prümmer, q. 169.

Sed non pauci dicunt Constitutionem restringendam esse ad Superiores qui de monasteriis providentur per S. Pontificem aut per Episcopos, non autem esse extendendam ad Praelatos regulares, qui a Capitulo regulari eliguntur aut a Superioribus maioribus nominantur. Ita Vermeersch, t. I, n. 441. Imo Pallotini (t. X, p. 370, v. *Professio fidei*, n. 22) ait S. Congr. Conc. (in dubio super caput XII sessionis XXIV *de Reform.*, posit. 100) declarasse: « Regulares autem obtinentes officia vel beneficia in Religione propria, non tenentur ex Constitutione Pii IV ad fidei professionem emittendam ». Vide Ferraris, v. *Fidei Professio*, n. 20 et seqq.: obligationem emittendi professionem agnoscit, verum addit iuxta multos AA., in iis Religionibus in quibus viget contraria consuetudo, Praelatos earum ad emittendam Fidei professionem non teneri.

3. **Circa Missae applicationem,** diebus dominicis et festis de praecepto, pro subditis.

Superiores regulares tenentur quidem pro subditis orare, imo SS. missae sacrificium pro eis offerre; ita ex praecepto divino quod memorat Trident., *sess.* XXIII, c. 1, *de Reform.*: « Cum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre.... »; sed non constat eos teneri lege positiva ecclesiastica missam celebrare pro subditis diebus dominicis et festis de praecepto. Etenim haec obligatio Pastorum animarum, paulatim introducta, magis expresse a Bened. XIV, Constit. *Cum semper* (19 *aug.* 1544), definita est. Porro Pontifex memorat quidem *parochos* regulares, cum decernit ut omnes quibus committitur cura animarum, etiam parochi regulares, *missam parochialem* applicare *pro populo* teneantur (§ 4); verum licet haec verba possint accommodari ad Praelatos regulares, qui missam iisdem diebus dominicis et festivis pro communitate religiosa applicent, Pontifex tamen hoc explicite non dicit. Wernz, t. III, n. 694, III, ait obligationem celebrandi pro sub-

ditis in Iure communi Superioribus regularibus non reperiri iniunctam. Consentit PRÜMMER, q. 178.

4. Circa visitationem domorum.

Superiores regulares exempti, qui iurisdictionem habent in inferiora monasteria, ea ex officio visitare debent. Ita TRIDENT., *sess.* XXV, cc. 1, 8, 20 *de Regularibus* [a]. In his capitulis non exprimitur quando aut quoties visitatio fieri debeat, et ideo PIAT ait rem in Iure non definiri (t. I, p. 696, q. 6): idem censent VERMEERSCH, I, 443, et PRÜMMER, q. 170, qui addunt, silente Iure communi, rem ex Ordinis constitutionibus esse determinandam; WERNZ, n. 694, IV, ait eam *statis temporibus* esse faciendam, quin determinet quaenam sint haec stata tempora. Sed si haec loca comparentur cum aliis, in quibus de visitatione Praelatorum agitur et ea quotannis facienda praescribitur [b], dubitari nequit ex mente Concilii visitationem domorum a Superioribus maioribus quotannis esse faciendam. Obligatio visitandi a pluribus Auctoribus uti gravis habetur: ita WERNZ, PIAT, PRÜMMER, l. c.

Visitatio canonica tum in spiritualibus, tum in temporali-

---

20. (a) TRID., sess. XXV, c. 1 *de Regul.*: « Omnis cura et diligentia a Superioribus adhibeatur, tam in Capitulis.... quam in eorum visitationibus, quae suis temporibus facere non praetermittant, ut.... » — C. 20: « Abbates, qui sunt Ordinum capita, ac caeteri praedictorum Ordinum Superiores Episcopis non subiecti, quibus est in alia inferiora monasteria prioratus vel legitima iurisdictio, eadem illa sibi subdita monasteria et prioratus, suo quisque loco atque ordine visitent.... Ipsa quoque monasteria, quae sunt Ordinum capita, iuxta S. Sedis Apostolicae et cuiusque Ordinis constitutiones visitentur ». — C. 8, decernitur ut monasteria independentia in Congregationem coadunentur, et visitentur a visitatoribus nominatis quoque triennio a Capitulis harum Congregationum. Hi visitatores « teneantur suae Congregationis monasteria frequenter visitare, et illorum reformationi incumbere et ea observare quae in sacris canonibus et in hoc Sacro Concilio sunt decreta ». — Visitatio autem non fuit aliquid novum a Tridentino inductum. Iam INNOCENTIUS III, in Conc. Lateran., eam praeceperat (c. 7, *De statu mon.* III, 35).

(b) TRID., *sess.* VII, c. 8 *de Reform.*: « Locorum Ordinarii ecclesias quascumque, quomodolibet exemptas, auctoritate Apostolica singulis annis visitare teneantur ». — *Sess.* XXI, c. 8 *de Reform.*: « Commendata monasteria etiam Abbatiae, prioratus in quibus non viget regularis observantia, necnon beneficia tam curata quam non curata, secularia et regularia, qualitercumque commendata, etiam exempta, ab Episcopis, etiam tamquam Sedis Apostolicae delegatis, annis singulis visitentur ».

bus facienda est. Visitatio in spiritualibus consistit in inquisitione de praesenti circa vitam et mores subditorum, ut disciplina regularis iuxta Ecclesiae leges Ordinisque statuta promoveatur, ac delinquentes coerceantur (c). Haec inquisitio ordinarie est paterna. Superior non potest procedere ad inquisitionem iudicialem, nisi praecesserit accusatio aut denuntiatio iudicialis aut infamia (vide dicenda cap. XXIII). — Visitatio in temporalibus facienda est iuxta ea quae supra, n. 14, dicta sunt de administratione bonorum temporalium.

21. Reliqua Superioris officia ad hoc reduci possunt: curare et urgere debet executionem omnium, quae sive Iure communi omnibus Regularibus aut omnibus sacerdotibus aut etiam fidelibus quibuscumque praescribuntur, sive iure particulari ex specialibus constitutionibus aut decretis Apostolicis pro Ordine datis atque ex proprio instituto statuuntur (a). Ista obligatio sane gravis est. Inde aliquae consequentiae:

1. Necessarium est ut Superiores ea omnia, quorum executioni invigilare debent, cognoscant, et propterea discant, ac memoria teneant: non solum quae in proprio instituto continentur, sed etiam leges generales Ecclesiae, v. g., quae a Summis Pontificibus statuta sunt de admissione candidatorum, de novitiatu, de renuntiatione bonorum, de prima et secunda professione, de disciplina regulari promovenda, de dimissione, de limitibus facultatum circa ministeria apostolica, sc. circa praedicationem, confessionem, communionem et reliqua sacramenta, de promotione ad ordines, de iuribus quae Episcopis competunt, etiam in Regulares exemptos. Haec

---

(c) Cf. TRID., *sess.* XXV, c. 1 *de Regularibus*, ubi indicatur quid Superiores in Capitulis et visitationibus promovere debeant.

21. (a) Vide TRIDENT., *sess.* XXV, cc. 1 et 22 *de Regular.* Confer etiam decret. *Sanctissimus* (1695) INNOCENTII XII, n. 11, et decretum 22 *aug.* 1814 de reformatione Regularium, ubi n. 11 habetur: « Caeterum quae per sacros canones, Apostolica decreta, et singulorum Ordinum regulas et constitutiones, praesertim de oratione mentali, de servitio chori, examine conscientiae, frequenti confessione sacramentali, silentio, capitulo et correctione culparum, lectione ad mensam habenda, lectione item Sacrae Scripturae, vel casuum conscientiae collatione, aut sermone super disciplina regulari et acquisitione virtutum, deque non suscipiendis muneribus quocumque praetextu extra suum Ordinem sine sui Superioris licentia, aliisque spiritualibus exercitiis, prudenter ac pie sancita sunt, ea omnia et singula accurate serventur » (apud VERMEERSCH, t. II, p. 484).

omnia et alia scire debent, et curare ut et ipsi observent et a suis subditis fideliter observentur.

2. Disciplinam regularem secundum Ordinis constitutiones promovere tenentur; et proinde inquirere inquisitione paterna an fideliter ab omnibus servetur, et punire delinquentes (Piat, t. I, p. 608, qq. 17 et 18; Wernz, n. 694, v). Si quae poenae autem sive Ecclesiae legibus, sive Ordinis statutis taxantur, has decernere ipsis incumbit (Wernz, n. 692) [b].

3. Quodsi disciplinam sua negligentia notabiliter collabi sinant, certe ipsi graviter peccant: cura enim ea promovendi ipsis specialiter ex officio incumbit (Piat, l. c.).

4. An autem Superior possit cogere religiosos suos subditos ad primitivam observantiam, a qua conventus iam discessit, dictum est c. VI, n. 12.

22. Specialis mentio hic facienda est **de annua lectione decretorum pro Regularibus.** De his decretis iam dictum est c. XI, n. 14 et seq. Sed ad Superiores specialiter spectat curare ut legantur et observentur, et hoc saepe sub gravibus poenis ipsis iniungitur.

De obligatione lectionis decretorum extra Italiam, dubium exstitit: non deerant qui censerent saltem existere in multis locis consuetudinem praescriptam ea non legendi. Sed S. Sedes urget pro omnibus et ubique obligationem lectionis. Exstat epistola S. Congr. super regulari disciplina die 15 *sept.* 1856, in qua vult ut Generales et Provinciales curent fieri lectionem, et declarent Superiores locales, qui eam omiserint, poenas in decretis statutas incurrisse [a].

(b) Clemens VIII, decr. *Nullus* (1599), de reformatione Regularium, haec habet § 38: « Illud autem Superiores omnes in Domino admonemus, ut memores sint rationis, quam in novissimo die reddituri sunt pro grege sibi commisso; ac propterea omni studio invigilent, ut quae in eorumdem Ordinum regulis et constitutionibus, de oratione mentali, silentio et ieiuniis, capitulo culparum, aliisque spiritualibus exercitiis prudenter ac pie sancita sunt, ea omnia singula ad unguem observentur.... ».

22. (a) « Ut autem hisce malis (quae ex omissione lectionis decretorum proveniunt) S. Congr. occurrat, dum Superioribus Generalibus ac Provincialibus omni tempore, praesertim in sacra visitatione peragenda, nihil antiquius habere commendat quam ut huiusmodi lectionem minime negligi et praescriptiones S. Sedis observari certiores fiant, meminisse eosdem vult obligationem ipsis iniunctam declarandi Superiores quoscumque locales, qui circa praemissa defecerunt, poenas contra praedictarum legum transgressores latas incurrisse; ac virtute S. Obedientiae

P. Anderledy, antequam lectionem Decretorum — quae fere ubique omittebatur, — in tota Societate epistola 20 *ian.* 1891 praescriberet, consuluit tum secretarium, tum Rev. Cardinalem Praefectum S. Congr. EE. et RR., an etiam extra Italiam obligatio perseveraret praedictas Constitutiones in publica mensa legendi. Uterque affirmative respondit. P. Generalis duplicem dederat rationem ut obligatio lectionis non urgeretur: prima quod a multo tempore lectio non amplius fiebat, altera quod plures ex his Constitutionibus non essent iam in usu. Responsum fuit non valere rationem, quod nempe hactenus sit omissa illa lectio, cum non ideo cessaverit obligatio earumdem Constitutionum.

En Constitutiones et Decreta quae legenda sunt:

1. *Constitutio* Clementis viii « *Ne ex muneribus* » (1594), de largitione munerum Regularibus interdicta, cum *decreto* Urbani viii (1640) eamdem moderante et confirmante. — In decreto Urbani praescribitur lectio tum Constitutionis tum Decreti quotannis mense Ianuario facienda in aliqua publica congregatione vel saltem in publica mensa, sub poena contra Superiores locales, qui omiserint, « privationis officii, vocisque activae ac passivae ipso iure incurrenda. »

2. *Decretum S. Congr. Conc. sub* Urbano viii, de Regularibus apostatis et eiectis (a. 1624), cum eiusdem moderatione *alio decreto eiusdem Congregationis sub* Innocentio xii *edito* (a. 1694) [b].

In utroque decreto innovantur Constitutiones et decreta generalia Clementis viii ad Regularium reformationem, nec-

---

praecipit ut in posterum, singulis annis in calendario uniuscuiusque provinciae Italiae et insularum adiacentium, sub mense et die ad hoc designatis, adnotentur Decreta et Constitutiones quae legenda erunt, ne quis possit de iis ignorantiam etiam inexcusabilem adducere » (apud Piat, t. I, p. 600).

De hac epistola ea veniunt notanda: 1° Ex ipsius verbis adnotatio in calendario lectionis faciendae obligat tantum in Italia; sed tum observatio tum lectio Decretorum ubique obligat; 2° Superiores negligentes incurrunt poenas in decretis statutas; 3° Provincialium officium est de lectione curare, et declarare debent Superiores negligentes poenas incurrisse.

(b) Revera solius Decreti Urbani viii lectio praescribitur, nullibi autem decreti Innocentii xii; nihilominus omnino conveniens est ut legatur, ne remanere censeant obligationes decreti Urbani a subsequente decreto sublatae.

non ad novitiorum receptionem, professionem atque institutionem spectantia. In decreto autem Urbani VIII, S. Congregatio, « SSmo annuente et approbante, universis Generalibus, Provincialibus.... et quibuscumque aliis Superioribus quorumcumque Ordinum, collegiorum, domorum ac locorum regularium, iniungit serioque mandat.... ut tam decreta supra dicta f. r. Clementis VIII, quam praesentes ordinationes, in singulis huiusmodi locis, bis saltem in anno legantur in publica mensa ». Nulla poena contra omittentes lectionem statuitur.

3. *Decretum* CLEMENTIS VIII « *Nullus* » (25 *iun.* 1599) pro reformatione Regularium. — Eius lectio bis in anno in publica mensa praescribitur tum in decreto Urbani VIII, ut statim dictum fuit, tum in decreto Innocentii (1694), sub poena privationis vocis activae et passivae, ac dignitatum et officiorum, et inhabilitatis ad eadem in posterum obtinenda [c].

4. *Decretum S. Officii coram* URBANO VIII *editum* (15 *dec.* 1633), de executione Constitutionum et Decretorum ad S. Inquisitionis Officium spectantium, ac *Decretum* « *Licet alias* » (1660) eiusdem S. Officii *coram* ALEXANDRO VII *editum,* de obligatione denuntiandi.

In primo decreto, eius lectio praescribitur omnibus annis « in publica mensa vel in capitulo ad hoc specialiter convocato, feria VI post octavam Assumptionis B. M. V., et insuper in quocumque generali aut provinciali Capitulo Superiores suos subditos commonere debent de iniuncta omnibus observantia et exsecutione earumdem Constitutionum ac Decretorum ». Superiores ad haec « tenentur sub poena privationis officii, ac vocis passivae et activae, aliisque arbitrio S. Sanctitatis infligendis » [d].

(c) « S. Congr., annuente SSmo D. N., sub interminatione divini iudicii, necnon privationis vocis activae et passivae, ac dignitatum et officiorum obtentorum, cum inhabilitate ad eadem in posterum obtinenda, quibuscumque praedictorum Ordinum Superioribus districte praecipit et mandat, omnia et singula decreta s. m. Clementis VIII, registrata post decretum s. m. Urbani VIII de Apostatis et eiectis,... incipientia *Nullus*, bis in anno legi, eadem ad unguem servari, poenas in eisdem contentas innovari et capitibus Ordinum intimari » (Decr. Innocentii XII).

(d) SSmus D. N.... districte mandat ac praecipit, ut omnes Superiores.... teneantur, sub poena privationis officii ac vocis activae et passivae ipso facto incurrenda, aliisque arbitrio S. S. infligendis poenis, in

In secundo decreto, eius lectio in publica mensa calendis martii praescribitur, sub iisdem poenis quae in Constitutione *Romanus Pontifex* Pauli V (1 *sept.* 1606) decernuntur. Porro in Const. Pauli V, § 6, Superiores qui non paruerint, declarantur incurrere poenam « privationis quarumque dignitatum seu praelaturarum vel officiorum suorum Ordinum, ac vocis activae et passivae, perpetuaeque inhabilitatis ad eadem, necnon contra fautores haereticorum et impeditores officii statutas et inflictas poenas, aliasque censuras ecclesiasticas, etiam excommunicationis maioris latae sententiae ». — Poena excommunicationis, aliaeque censurae contra Superiores lectionem supra dicti decreti negligentes, cum non fuerint a Pio IX renovatae in Constitutione *Apostolicae Sedis,* iam non remanent (ista decreta etenim dici non possunt pertinere ad regimen internum Ordinum): sed remanent aliae poenae.

5. *Decretum S. Officii coram* BENEDICTO XIV *editum* (5 *aug.* 1745) contra sollicitantes vel SS. Sacrificio missae abutentes. — Superiores curare debent ut sui subditi semel in anno, fer. VI post octavam Assumptionis B. M. V., de illo decreto in publica mensa vel in Capitulo ad hoc specialiter convocato moneantur, ac insuper in quocumque generali vel provinciali Capitulo; et eiusdem commonitionis coram suprema Congregatione iuratum testimonium exhibere debent[e]. Poenae contra Superiores lectionem negligentes non edicuntur.

6. *Constitutio* « *Nuper* » (1697) INNOCENTII XII, super celebra-

---

perpetuum semel saltem in anno, id est fer. VI post octavam Assumptionis B. M. V., legere in publica mensa vel in Capitulo ad hoc specialiter convocato, et insuper in quocumque generali ac provinciali Capitulo.... suos subditos ac religiosos commonere de iniuncta omnibus observantia et executione earumdem Apostolicarum Constitutionum et Decretorum ad S. Officium Inquisitionis pertinentium» (Decr. Urbani VIII).

(e) « Sanctissimus decrevit.... quod eiusmodi decretum significetur singulis cuiuscumque Ordinis Superioribus ac Praepositis, ad hoc ut de illo, sicuti et de praedictis aliis SS. PP. Constitutionibus, iuxta praescriptum in generali decreto Supremae Inquisitionis, die 15 *dec.* 1633, semel saltem in anno, id est fer. VI post octavam Assumptionis B. M. V., in publica mensa vel in Capitulo ad hoc specialiter convocato, ac insuper in quocumque generali vel provinciali Capitulo, vel alio quovis nomine nuncupato capitulari congressu, suos subditos ac religiosos commonendos curent, eiusdemque commonitionis coram suprema Congregatione iuratum testimonium exhibeant » (Decr. S. Officii coram Bened. XIV).

tione Missarum. — Legi debet in publica mensa bis in anno, scilicet f. II post primam Dominicam adventus et fer. VI post octavam Corporis Christi, sub poena privationis officiorum, vocisque activae et passivae ipso facto incurrenda a Superioribus localibus qui de lectione non curaverint : ita § « Ne ullo » (f).

7. *Duae epistolae S. Congr. super disciplina regulari,* pro Italia et insulis adiacentibus tantum (1758 et 1765) circa institutionem fratrum laicorum in rebus Religionis : lingua italiana scriptae sunt. Lectio utriusque epistolae bis in anno in publico refectorio praescribitur ; nulla poena edicitur contra inobedientes.

8. *Duo decreta* Pii IX, quorum primum, 25 *ian.* 1848, agit de testimonialibus Ordinariorum litteris requirendis circa postulantes Religionis ingressum. In eo statuitur : « Quolibet anno, die 1 Ianuarii, in publica mensa legatur, sub poena privationis officii ac vocis activae et passivae a Superioribus ipso facto incurrenda ». — Alterum decretum, 25 *iun.* 1848, de receptione novitiorum ad habitum et professionem (pro Italia et insulis adiacentibus), bis in anno in publica mensa legi debet, 1 die Ianuarii et prima dominica Iulii, sub poena privationis officii ac vocis activae et passivae ipso facto a Superioribus incurrenda (g).

9. *Decretum S. Congr. Conc.* d. 20 *dec.* 1905 editum, de Eucharistiae sumptione quotidiana. Art. 8 decreti, praescribitur eius annua lectio in communi lingua vulgari, infra octavam festi Corporis Christi. Poenae in negligentes non statuuntur.

10. Tandem ante electiones ad officia Religionis legendae

(f) « Superiores vero locales cuiuscumque monasterii, conventus ac domus regularis curare et efficere teneantur, sub poena privationis officiorum quae obtinent, vocisque activae et passivae ipso facto incurrenda, ut in perpetuum sexto quoque mense, id est fer. II post 1 dom. Adv. et fer. VI post octavam Corporis Christi, omnes et singulae praemissae, tum insertae seu confirmatae, tum in praesens factae ordinationes una cum dictis declarationibus in publica mensa perlegantur » (Const. *Nuper* Innocentii XII).

(g) Quoniam Societas Iesu ab observatione utriusque decreti indulto 8 *ian.* 1850 fuit exempta, etiam a lectione eorum exempta censeri debet.

sunt *Constitutiones de qualitate et requisitis eligendorum*. Ita in decreto « *Nullus* » (1599) Clementis VIII, § 36 [h]. Nulla poena autem in decreto edicitur contra lectionem negligentes.

Obligatio pro Superioribus curandi ut lectio praescripta non omittatur est certe gravis, ut ex poenis plerumque adiunctis apparet, et etiam ex formula « districte praecipit et iubet » quae saepe adhibetur. Non autem gravis est simplex dilatio, saltem nisi sit notabilis [i].

Notanda 1° Quamvis in aliquibus Constitutionibus dies certus, quo legi debeant, sit determinatus, attamen ex subsequentibus declarationibus aut concessionibus tempus ad lectionem opportunum fuit ampliatum. Sic lectio decreti Alexandri VII, quae ex ipso decreto d. 1 *martii* facienda est, ex concessione Clementis IX, 7 *nov.* 1668, toto mense martii fieri potest; item lectio decretorum ad S. Officium pertinentium, quae feriae VI post octavam Assumptionis assignatur, ex alia concessione toto mense *augusti;* et lectio decreti Innocentii XII, de celebratione missarum, ex aliis concessionibus toto mense qui dies assignatos sequitur (Piat, t. I, p. 597, q. 8).

2° Decreta possunt *summarie* legi; scilicet, eorum loco legere licet *Compendium Apostolicarum Constitutionum et Decretorum* a S. Congr. Regularis disciplinae d. 26 *aug.* 1826 approbatum (Piat, I, p. 600, q. 9, Prümmer, q. 171).

3° Tandem ad Superiores regulares spectat curare exactam observationem decretorum super celebratione missarum (vide dicta c. XI, n. 16).

23. De amissione potestatis et officii (Wernz, n. 695). — Superiores regulares potestatem et officium amittunt: 1° morte;

(h) « In Superiorum et officialium electionibus forma praescripta a S. Conc. Trid. (sess. XXV, c. 6, *de Reg.*) et Ordinis constitutionibus inviolabiliter serventur,... ac propterea priusquam ad electionem deveniatur, in principio et ante omnia praelegantur Constitutiones de qualitate et requisitis eligendorum » (Decr. *Nullus* Clementis XII, § 36).

(i) Ita Piat, p. 601, q. 10, 2°; qui tamen p. 597, q. 7, ait dilationem ultra duos dies scienter et deliberate factam esse gravem, eique subscribit Prümmer, q. 171. Sed haec sententia est nimis rigorosa. Potius videtur dicendum nullam dilationem esse gravem, dummodo non omittatur annua lectio: scopus enim legislatoris per annuam lectionem obtinetur, et in sola dilatione non apparet deordinatio gravis. De caetero Piat suam sententiam mitigat, dicendo lectionem ex iusta causa licite posse differri.

2° renuntiatione, si est ipsis libera; 3° depositione vel privatione [a]; 4° lapsu temporis si ita est constitutum ut, elapso tempore, potestas per se expiret: nam e contra, tempus ita determinari potest ut eo elapso alius eligi debeat, quin potestas praecedentis Superioris cesset ante nominationem sequentis; 5° revocatione: quando Superior ad tempus determinatum constituitur, ante elapsum tempus revocari et ab officio removeri nequit, nisi ex causa gravi et servata forma legitima: secus ei gravis fieret iniuria; si autem tempus officio destinatum non determinatur, sed Praelati inferiores ad nutum Praelati maioris revocabiles nominantur, tunc revocatio absque iniuria fieri potest, ubi utile iudicabitur.

Est autem statutum sat generale in Ordinibus ne Superiores diutius in officio detineantur, praeter Generales, qui ad 6 aut 12 annos vel ad vitam nominantur [b]. In Religionibus formalibus Superiores provinciales et locales plerumque a Capitulis provincialibus tertio quoque anno eliguntur (vide Piat, t. I, p. 619, q. 2 et q. 5, 4°). Inde est quod Innocentius X, Br. *Prospero* (1646), in Societate Iesu omnes Superiores triennium tantum in officio perduraturos voluit (ut dicetur infra, n. 35). In Normis a. 1901, statuitur art. 309: « Moderatrices domorum a Moderatrice Generali cum consensu suarum consiliariarum ad tres annos constituantur, quibus elapsis ex gravi causa eodem modo ad aliud triennium confirmari poterunt, non autem ultra hunc terminum pro eadem domo ».

Quando officium Superioris vacat quacumque ex causa, quis eius vices gerat donec alius nominetur Superior, peculiaribus singulorum Ordinum statutis determinari solet.

24. De externo Ordinum Religiosorum regimine (Wernz, t. III, n. 697 et sqq.). — Regimen externum Ordinum religiosorum

---

23. (a) An privationes officii, quae ipso iure statuuntur, incurrantur ante omnem sententiam declaratoriam, dicetur c. XXIV, n. 2.

(b) Pius IX, d. 23 *maii* 1862, statuit ut Minister Generalis Capucinorum (qui prius ad 6 annos nominabatur) deinceps ad 12 annos eligeretur. — Bizzarri autem (p. 168) ait hoc decretum latum fuisse pro Minoribus Observantibus, pro Reformatis, pro Capucinis et pro FF. Praedicatoribus. — Leo XIII, a. 1893, Abbatem primatem Benedictinorum nigrorum constituit, qui ad duodecim annos eligitur (A. S., S., t. XXVI, p. 371). — Apud Barnabitas Generalis eligitur ad 3 annos, sed potest semper in officio suo confirmari (Ferrari, p. 284). In Normis, a. 1901, dicitur durationem officii Supremae moderatricis sex aut duodecim annorum plerumque fore (art. 207).

spectat ad personas aut Congregationes ecclesiasticas extra Ordinem constitutas, quibus aliqua competit in Ordinem auctoritas sive ordinaria sive delegata. Sunt autem: 1. Summus Pontifex et Congregationes Romanae, 2. Cardinalis protector, 3. Iudices conservatores, 4. Episcopi locorum Ordinarii.

1. **Romanus Pontifex** duplicem auctoritatem habet in Regulares, supremam iurisdictionis et dominativam, eamque exercet legibus, praeceptis, iudiciis et poenis inflictis.

Summum Pontificem dominativam habere potestatem in Regulares non pauci negaverunt (vide dicta c. I, n. 17, et c. X, n. 13): sed omnino retinendum est (ut ibidem dictum fuit) ipsum esse supremum Moderatorem omnium Ordinum et Congregationum religiosarum; et proinde eum posse vi voti obedientiae Regularibus praecipere, etiam praecepto particulari. Constat praxi SS. PP., qui non raro talia praecepta dedere [a].

Hanc suam in Regulares auctoritatem SS. Pontifices exercent, sive immediate per Constitutiones Apostolicas aut per decreta a se emanata, aut etiam per praecepta particularia, sive per SS. Congregationes, quas rebus particularibus Regularium vel aliquibus totius Ecclesiae negotiis praeficiunt. Hae Congregationes, ex potestate a Summo Pontifice accepta, etiam vi voti praecipere possunt: sic S. Congr. super discipl. regul., decreto *Sanctissimus* (1695), n. 3, praeceptum Superioribus in virtute S. Obedientiae imponit.

Congregationes Romanae, quibus negotia Regularium hucusque fuerunt commissa, sunt:

1. Congregatio Episcoporum et Regularium;

2. Congregatio super Statu Regularium olim instituta, et a Pio IX a. 1847 de novo erecta (vide BIZZARRI, p. 867 et sq.).

3. Congregatio super disciplina Regulari [b].

4. Congregatio de Propaganda Fide, quoad Regulares qui in missionibus versantur.

5. Congregatio Concilii, pro interpretatione decretorum Tridentini quae ad Regulares spectant.

---

24. (a) Sic URBANUS VIII, Const. *Romanus Pontifex* (1624) praecipit in virtute S. Obedientiae ne Regulares utantur facultatibus quas revocat. PIUS IX, decreto *Romani Pontifices,* 25 *ian.* 1848, § 3, observantiam sui decreti districte « in virtute S. Obedientiae » praecipit.

(b) Ista Congregatio et praecedens suppressae fuerunt decreto 26 *nov.* 1906.

Insuper aliquando institutae sunt particulares et temporariae Congregationes ad aliqua negotia Regularium promovenda; v. g., a Clemente VIII Congregatio super reformatione Regularium, quam Pius VII a. 1814 instauravit; ab Innocentio XII et Innocentio XIII quaedam aliae peculiares Congregationes fuerunt stabilitae.

Tandem aliae Congregationes, pro suo scopo, aut iuxta facultates a S. Pontifice sibi communicatas, auctoritatem in Religiosos exercent. Sic S. Congr. Inquisitionis [c], S. Poenitentiaria [d], S. Congr. Rituum [e], S. Congr. Indulgentiarum [f] varia decreta pro Regularibus ediderunt.

Nunc autem, innovata Curia Romana per Constitutionem *Sapienti consilio* Pii X (29 *iun.* 1908), specialis *Congregatio negotiis religiosorum sodalium praeposita* instituta fuit. De ea sic statuitur: 1. « Haec Sacra Congr. iudicium sibi vindicat de iis tantum quae ad sodales religiosos.... in universum pertinent, sive res agatur inter religiosos ipsos, sive habita eorum ratione cum aliis. 2. Quapropter ea omnia sibi moderanda assumit quae sive inter Episcopos et religiosos sodales intercedunt sive inter ipsos religiosos. Est autem tribunal competens in omnibus causis quae ratione disciplinae aguntur;... caeterae ad S. Romanam Rotam erunt deferendae, incolumi semper iure S. Officii circa causas ad hanc Congregationem spectantes. 3. Huic denique Congregationi reservatur concessio dispensationum a iure communi pro sodalibus religiosis ».

Quoad religiosos in missionibus degentes spectat, in eadem Constitutione statuitur: S. Congr. de Prop. Fide « sibi vindicat quidquid religiosos qua missionarios, sive uti singulos, sive simul sumptos tangit; quidquid vero religiosos qua tales attingit ad ipsam non spectat ».

2. **Cardinales Protectores** (Wernz, n. 698). — Iam antiquioribus Ordinibus protectores a SS. Pontificibus dati fuerant ut ipsis praesidio essent. Nunc ex praesenti disciplina, soli Cardinales Romae residentes dantur ceu protectores familiis

---

(c) V. g. decretum *Sanctissimus* (1633) de executione decretorum s. Officii, ad Superiores directum; decr. 15 *maii* 1901 de obligatione denuntiandi.

(d) Vide Instructiones et Declarationes S. Poenitentiariae 28 *iun.* 1866, 18 *apr.* 1867, 12 *sept.* 1872, 21 *maii* 1880, de Regularibus dispersis.

(e) Decretum de ritu professionis, 14 *aug.* 1891 et 5 *iun.* 1896.

(f) Varia decreta de tertiis Ordinibus, de Confraternitatibus, de indulgentiis pro Regularibus.

religiosis votorum simplicium. — Post Const. Innocentii xii *Christifidelium* (1694), hi Cardinales non habent strictam iurisdictionem in Instituta religiosa sibi commissa: haec enim SS. Congregationibus competit; sed mediis prudentialibus eorum bonum promovent, v. g., mediatores sese interponendo, si exsurgit controversia inter eorum Superiores et Episcopos.

3. **Iudices conservatores** (Wernz, n. 699). Hi erant iudices particulares a S. Pontifice deputati ad defendendos Regulares contra *manifestas* iniurias quas paterentur. Ut plurimum eligi poterant ab ipsis Regularibus ex Iudicibus synodalibus dioecesis (cf. Trid., *sess.* xxv, c. 10 *de Reform.*, et etiam Comp. Priv., v. *Conservatores*). Verum post Const. Clementis xiii *Cum omnium* (1762) et dato nunc facili recursu ad S. Sedem, iam officium iudicum conservatorum non est amplius in usu (Wernz, l. c.).

4. **Episcopi** ipso Iure, in multis rebus, sive ordinariam sive delegatam habent iurisdictionem in religiosos etiam exemptos. — Sicut enim Romano Pontifici competit eximere aliquas personas et familias religiosas ab Episcoporum iurisdictione, ita etiam exemptionem non totalem eis dare potest, sed in aliquibus eas relinquere sub ordinaria Episcoporum iurisdictione; et praeterea, postquam Ordines ab Episcoporum iurisdictione exemerit, hos ipsos Episcopos delegare ut, in aliquibus rebus, Romani Pontificis auctoritate cum eis agant. Quod de personis dicitur, etiam intelligi debet de domibus, ecclesiis et aliis possessionibus religiosorum, quas R. P. vel eximere potest ab iurisdictione Episcoporum vel relinquere eis subiectas.

In Instituta non exempta Episcopi ordinariam habent iurisdictionem; nisi quod ea, tum ex natura rei tum per expressas S. Sedis leges, aliquibus limitibus restringitur. In internum enim regimen familiarum religiosarum intervenire non debent, maxime ubi Instituta religiosa iam approbationem suarum constitutionum obtinuerunt: tunc enim nullo modo ea mutare possunt; sed eis cavendum est ne facile etiam interveniant in alia Institutorum negotia mere interna.

Limites iurisdictionis Episcopalis in religiosa Instituta non exempta Const. *Conditae* (1900) determinati sunt, distinctione facta inter sodalitates mere dioecesanas et alias, quarum institutum S. Sedes commendavit aut approbavit vel leges recognovit. Iurisdictio Episcoporum in *sodalitates dioecesanas* in

paucis restringitur. Art. 6°, approbatae sodalitates extingui non debent nisi gravibus de causis, et si in variis dioecesibus sedes habeant, nonnisi ex consensu communi Episcoporum. Art. 8', Episcopi non debent dimittere religiosos, insciis aut iuste dissentientibus Superioribus. Art. 9°, Superiores a religiosis ipsis eliguntur. — *Quoad alias sodalitates* a S. Sede commendatas aut approbatas, multa sunt quae ad Episcopos non pertinent: nempe candidatos ad habitum vel vota admittere, tirones ac professos dimittere, familias singulas ordinare, munera singulis distribuere (art. 1°); immutare constitutiones aut regimen, vota etiam temporalia condonare (art. 2°); earum alumnos ad sacros ordines promovere non debent, nisi litteras dimissoriales a suis Superioribus obtinuerint (art. 6°); de administratione bonorum rationem exigere eis non licet (art. 9°); neque in sodalitiis presbyterorum, de conscientia et disciplina inquirere (art. 11°). His regulis dici potest partialem exemptionem concedi Congregationibus aliquo modo a S. Sede approbatis.

Quoad Religiones proprie dictas et Congregationes votorum simplicium exemptas, ut sunt Congr. PP. Redemptoristarum et Passionistarum, in quibus rebus Episcopi retineant iurisdictionem sive ordinariam sive delegatam, et quaenam sit differentia practica inter utramque iurisdictionem, declaratum fuit toto capite XVI.

SECTIO II.

25. Regimen Societatis (Cf. SUAREZ, tr. X, l. X, c. 1).

1. Dictum fuit, n. 3, in plerisque Ordinibus regularibus formam regiminis esse mixtam. Haec forma duabus praecipue notis constat: 1ª, quod Superiores, sc. Generalis, Provinciales et Praepositi locales per electionem nominantur; 2ª, quod cuiusque Superioris auctoritas est limitata vel auctoritate Capituli generalis, provincialis aut conventualis, vel auctoritate Definitorum, scilicet consultorum qui vocem decisivam in pluribus habeant.

Non ita est in Societate: in ipsa enim forma regiminis est pure monarchica (P. IX, c. 3, n. 1). Solus Generalis cum suis Assistentibus per electionem nominatur (P. VIII, c. II, n. 1, et P. IX, c. V, n. 3); reliqui Superiores omnes a Generali nominantur et ab eodem possunt officio suo privari (P. IX, c. 3,

nn. 14, 15, 16)[a]. Praeterea non existit in Societate Capitulum conventuale, et Capitulum seu Congregatio Provincialis nulla auctoritate gaudet (*Formula Congr. Prov.*, n. 43); sola Congregatio generalis auctoritate potitur, et quidem suprema (P. VIII, c. 2, n. 2).

Omnes Superiores consultores habent, sed cum voce consultativa tantum, non decisiva, eisque auditis liberi remanent in consilio capiendo (P. IX, c. 6, n. 14).

2. Quamvis monarchica, forma regiminis tamen aliquo modo temperatur: Superiores locales Provincialibus remanent subiecti; Provinciales Generali; et ipsa auctoritas Generalis quibusdam limitibus circumscribitur. Nam 1° Praepositus Generalis Congregationi generali subiacet: porro quamvis Congregatio generalis non coadunetur statis temporibus, nihilominus, ex decr. 19 CONGR. II, singulis trienniis fit Congregatio Procuratorum, quae vocem decisivam habet ad resolvendum an Congregatio generalis sit congreganda necne. 2° Potestate legifera non gaudet *(formula Instituti)*. 3° In rebus perpetuis et magni momenti statuendis debet convocare Societatem, id est, Congregationem generalem; specialiter, non potest solus dissolvere aut relinquere collegia et domos Societatis (P. VIII, c. 2, n. 2), eave alienare (P. IV, c. X, n. 2). 4° Constitutionibus et decretis Congregationum obligatur, et secundum ea gubernare debet (P. IX, c. 3, n. 8). 5° Quoad suam personam pendet a Societate et Assistentibus in sex punctis (P. IX, c. 4), scilicet quoad res externas, victum, vestitum, expensas personales; quoad curam corporis; quoad curam animae, sive circa propriam personam sive circa officium; indiget praeterea consensu Societatis ad acceptandam dignitatem extra Societatem; vicarius ei imponi potest, si remissus esset valde in suo officio propter aegritudinem aut senium; tandem, si in culpam gravem incideret, deponi posset. — De eius potestate, videatur CONST., P. IX, c. 3, et COMP. PRIV., v. *Generalis*.

3. Etiam proprium est Societatis ut Generalis ad vitam nominetur (P. IX, c. 1). – Mortuo S. Ignatio, Paulus IV voluit ut quaestio de perpetuitate generalatus in Congregatione I discuteretur. Omnes Patres, semel et iterum re discussa, summo consensu, nemine discrepante, iudicarunt multo convenientius esse Societati, ut Praepositus Generalis, quamdiu vixerit, non mutetur (CONG. I, dec. 47).

---

25. (a) De convenientia et commodis huiusmodi institutionis Superiorum in Societate, vide SUAREZ, tr. X, l. X, c. 3.

4. Forma monarchica Societatis sancita fuit tum a Paulo III et Iulio III in approbatione formularum Instituti, tum maxime contra Instituti impugnatores a Gregorio XIV, Constitutione *Ecclesiae Catholicae* (1591) [b]. — Perpetuitatem autem generalatus approbavit in forma specifica Paulus V, Const. *Quantum Religio* (1606) [c].

26. Societas plena potestate iurisdictionis gaudet. — Haec iurisdictio, ait Suarez, t. X, l. X, c. 4, invenitur tum in Societate tota, tum in eius Superioribus. Congregatio generalis sine dubio iurisdictionem obtinet eamque maximam in Societatem; maximam tamen intensive, non extensive (n. 3). Intensive est maxima, quia eligit Praepositum Generalem et remanet illi superior (P. IX, c. 4), potest eum obligare (cf.

(b) In *secunda formula* quoad regimen haec habentur: « Proprii cuiusque gradus iudicium, et officiorum discretio ac distributio tota sit in manu Praep. Generalis,... qui quidem de consilio consociorum Constitutiones.... condendi, maiore suffragiorum parte semper statuendi ius habente, et quae dubia poterunt esse in nostro Instituto, hac formula comprehenso, declarandi auctoritatem habeat. Consilium vero necessario convocandum ad condendas vel immutandas Constitutiones, et alia graviora, ut alienare vel dissolvere domos ac collegia semel erecta.... In aliis quae non ita magni momenti sunt, idem Praepositus adiutus, quatenus ipse opportunum iudicabit, Fratrum suorum consilio, per se ipsum ordinandi et iubendi.... ius totum habeat.... ».

Gregorius XIV, dicta Const. haec habet: « Perpendentes primum quidem, quod modus ille res et negotia per Capitula definiendi, optimum Societatis ordinem ac universam gubernandi rationem prorsus everteret: illam enim Ignatius fundator.... monarchicam et in definitionibus unius Superioris arbitrio contentam esse decrevit; deinde quod ratio capitularium electionum maxima ipsi Societati afferret incommoda...: electio Superiorum, tam Provincialium et Visitatorum quam quorumcumque localium, tota sit penes Praep. Generalem, iuxta Constitutiones (Societatis).... cum potestate illorum facultatem revocandi, restringendi et etiam augendi, ac administrationis rationem ab eis exigendi, et eosdem ab officio removendi, prout in Domino iudicaverit expedire.... Omnis vero auctoritas, omnes denique facultates per dictae Societatis Constitutiones et Apostolica Diplomata Praeposito Generali concessae,... integre et inviolate conserventur.... ».

(c) « Motu proprio et ex certa scientia.... laudabile dictae Societatis Institutum, Constitutiones, ac perpetuitatem Praep. Generalis Societatis iamdiu stabilitam et in eadem Societate usu receptam et solitam, ac ipsum Praepositum ad vitam eligendi usum et consuetudinem.... perpetuo approbamus et confirmamus ».

Congr. IV, d. 20, et Congr. V, dd. 12 et 52), punire, et etiam deponere (P. IX, c. 4, n. 7); habet potestatem statuendi ius perpetuum, illudque mutandi (cf. Congr. VII, d. 76); itemque facultatem dissolvendi et alienandi collegia et domos erectas. Hi autem actus ita sunt proprii Congregationis generalis, ut iurisdictio ad illos exercendos in nulla particulari persona inveniatur. Non est autem extensive maxima, quia multi sunt actus iurisdictionis quos, etiamsi absolute loquendo, Congregatio generalis facere posset, quia potestas faciendi ei non deest, attamen relinquit faciendos Praeposito Generali, prout requirit usus ordinatus et prudens iurisdictionis Societati concessae (nn. 15 et 16). — Haec potestas Congregationis generalis, quamvis ordinaria dici possit et vere sit, prout potestas ordinaria a delegata distinguitur: alio sensu extraordinaria non ordinaria vocari debet, quatenus distinguitur a potestate qua ordinarie et continuo regitur Societas. Hanc iurisdictionem enim Congregatio non exercet nisi quo tempore est coadunata (n. 5).

Suprema autem et utroque dicto sensu ordinaria potestas Iurisdictionis in Praep. Generali residet. Namque eam habet vi sui muneris non per delegationem, et perpetuo exercet, quatenus continuus influxus, quo Societas regitur, vel ab ipso immediate manat vel nonnisi cum dependentia ab ipso, ut clare dicitur in Bulla *Regiminis* (1540) PAULI III: « Cuiusque gradus iudicium et officiorum discretio ac distributio tota sit in manu Praepositi »; iterum: « Iubendi autem ius totum penes Praepositum erit »; et ita declaratur in CONST., P. IX, c. 3. Vide etiam Const. *Ecclesiae Catholicae* GREGORII XIV (supra, n. 15 *nota* a).

Potestas in Religione ac Praelato necessaria ad regendos subditos duplex est, directiva et coercitiva: directiva per leges, statuta, praecepta, consilia, distributionem bonorum et onerum exercetur; coercitiva, per correptionem et punitionem: ita SUAREZ, l. c., c. VI, n. 1. Communiter autem non duplex, verum triplex potestas in iurisdictione distinguitur: legifera, iudiciaria, coercitiva. Ista triplici potestate Societas, eo ipso quo fruitur plena potestate iurisdictionis, certe gaudet; sed insuper unamquamque earum explicite a S. Sede accepit.

27. Societas potestate legifera donata fuit. — Ita in *utraque formula* Instituti. Etenim 1. ibi Societati tribuitur potestas constitutiones condendi et conditas immutandi. Haec

potestas non Generali soli, sed Societati in Congregatione congregatae competit (vide textum, n. 25, *nota* b).

2. Ibidem, Praep. Generali auctoritas confertur ea declarandi quae in Instituto dubia sunt. De ista potestate haec habet Congr. IV, d. 19: « Declaravit Congregatio Praepositum Generalem auctoritate sua ordinaria Constitutiones et decreta generalia declarare posse ». Sed simul valorem declarationis huiusmodi sic explicuit: « Eas tamen declarationes non habere vim legis universalis, sed valere tantum ad praxim bonae gubernationis: cum Congregationis generalis, cuius est leges condere, sit etiam eas hoc modo declarare ». Explicatio ista concordat cum facultate a Iulio II Magistro Generali Praedicatorum data, declarandi dubia Instituti « ad serenitatem illarum conscientiarum, quae sibi subiectae sunt duntaxat » (cf. Comp. Privil., n. 286; vide etiam supra, n. 5).

3. Insuper Praepositus Generalis potestatem habet faciendi regulas seu ordinationes, et quidem perpetuas: quae tamen non sunt eiusdem valoris ac Constitutiones et decreta Congregationum. Regulae enim et ordinationes Generalis a successore revocari possunt; Constitutiones autem aut decreta ab eo immutari nequeunt (Congr. VII, dd. 72 et 76).

Notandum. Quamvis Congregatio generalis ius habeat Constitutiones immutandi (2ª *formula Instit.*), attamen plura statuta sunt a diversis Congregationibus, quibus hoc ius, quantum fieri potest, restringeretur. Congr. I, d. 16, voluit « non solum in universum non esse agendum, sed nec particulatim, de Constitutionibus substantialibus Instituti; de aliis posse quidem tractari, sed sine experimento vel ratione clarissima nihil posse immutari ». Congr. II, d. 6, confirmans hoc Congregationis I decretum, communi consensu sancivit « ut nihil ad substantialia Instituti nostri pertinens posset immutari ». Congr. VI, d. 13, statuit ut in Congregationibus provincialibus nihil proponi posset contra Constitutiones, nisi ad duas tertias partes visum fuerit de his agendum; et d. 11, ut in Congregatione generali de immutandis Constitutionibus non substantialibus non ageretur, nisi prius ad plura medietate suffragia de eo tractandum statuatur, ipsa vero deliberatio et decretum non fiat nisi ad duas tertias partes. Praeterea, d. 12, decrevit ut poena a Praep. Generali statueretur in eos qui contra substantialia Instituti quidquam proposuissent.

Societas donata fuit potestate iudiciaria et coercitiva. —

1. Paulus III, Const. *Licet debitum* (1549), concessit ut « Generalis et alii inferiores Praepositi, per se vel per alios, quoscumque apostatas, ut etiam alios quosvis insolentes et qui id mereri videbuntur,... excommunicare, capere, incarcerare et alias suae disciplinae submittere libere et licite valeant ». Et Gregor. XIV, Const. *Ecclesiae Catholicae* (1591): « Omnes facultates omnemque iurisdictionem, quod ad subditorum correctionem et punitionem pertinet, quibuscumque Ordinibus eorumque Generalibus hactenus concessas, non ad instar, sed aeque principaliter, ipsi Societati eiusque Generali concedimus et elargimur ». — Suarez, tr. X, l. X, c. 4, n. 1, ait: « Est in Societate potestas iurisdictionis tam in foro confessionis quam in foro contentioso seu exteriori, respectu suorum membrorum omnium et causarum ad earum personas pertinentium, etiamsi criminales sint (his exceptis quae S. Officio reservantur) vel cuiuscumque alterius generis. Constat ex generali doctrina religiosi status exempti, ex multis Bullis Pontificum, in quibus Societas eximitur a iurisdictione omnium Ordinariorum, atque ex communicatione privilegiorum cum mendicantibus, iuxta Bullam S. Pii V, *Dum indefessae* (1571) ». — Vide Const. *Licet debitum* (1549) Pauli III, in qua privilegia circa regimen Societati conferuntur.

2. Quamvis Societas potestate iudiciaria gaudeat, attamen in dimissionibus non tenetur formam iudiciariam servare, sed agere potest secundum suas Constitutiones. Hanc facultatem donavit Gregorius XIV, Const. *Ecclesiae Catholicae* (1591), et post decretum *Auctis* (4 *nov.* 1892) confirmavit Leo XIII rescripto regesto apud S. Congr. EE. et RR., d. 19 *april.* 1893 (vide cap. VII, n. 29). — Nec tenetur adhibere formam iudiciariam in correctione subditorum. Privilegium istud, variis Ordinibus concessum, Societas per communicationem habet. Cf. Comp. Priv., n. 148. Forma iudiciaria unico casu servari deberet, scilicet in causa nullitatis professionis, iuxta dicta c. V, n. 10. Adhiberi etiam posset, si quando in quibusdam aliis casibus utile videretur (vide caput XXIII, n. 16).

28. Potestas absolvendi subditos in foro poenitentiae. — 1° Societas a sui origine amplissimam accepit facultatem absolvendi proprios subditos. Paulus III, Const. *Licet debitum* (1549), concessit facultatem eos absolvendi « ab omnibus et singulis eorum peccatis, ante vel post ingressum in dictam Societatem commissis; necnon a quibusvis excommunicatio-

nis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis et saecularibus sententiis, censuris et poenis a Iure vel ab homine quomodolibet latis et promulgatis ». — Hanc ei facultatem confirmavit Iulius III, Const. *Sacrae Religionis* (1552), specificando quod possit absolvere « a casibus haeresis et aliis contra fidem, et consequentibus censuris quibuscumque ». — Similes facultates concessit Leo XII, Br. *Plura inter* (1826): inter vicennales, decima est « absolvendi in omnibus casibus Sedi Apostolicae reservatis etiam in Bulla Coenae » (vide quoad casus reservatos, infra, 4° et 5°).

2° Paulus III, C. *Licet debitum* (1549), et Leo XII, Br. *Plura inter* (1826), declararunt Societatis alumnos nonnisi apud confessarios a Superioribus deputatos sua peccata confiteri posse [a]. Nihil autem videtur prohibere quin Superior permittere valeat ut aliquis e subditis modo extraordinario confiteatur apud sacerdotem extraneum; imo facultas a Paulo III data ad hoc sese extendere merito dicetur illudque explicite concedit Gregorius XIII (infra, *nota* b). Non videtur autem posse permittere ut id modo habituali fiat, quia talis facultas habenda est uti dispensatio a Constitutionibus: Superior autem a Constitutionibus dispensare non valet, nisi in casibus particularibus.

3° Imo Gregorius XIII, Const. *Decet Romanum* (1575), declaravit Societatis alumnos, nullius indulti aut concessionis vi, etiam occasione Iubilaei, posse confiteri nisi apud confessarios a Superioribus deputatos [b]. — Nihilominus, quia unus

---

28. (a) « Quilibet ex sociis Societatis peccata sua proprio Praeposito, vel ab eo deputato seu deputatis, et alias secundum ordinationes Societatis praedictae designatis, confiteri debet, nisi super hoc a dicto Praeposito alium confessarium eligendi facultatem habeat » (Paulus III). « Ut Societatis alumni confiteri nequeant animae noxas, nisi iis qui a Praeposito facultatem habuerint sacras eorum confessiones audiendi » (Leo XII).

(b) Declarat « non esse nec fore unquam mentis suae aut Sedis Apostolicae, ut personae Societatis, absque expressa Superiorum eiusdem Societatis licentia, utantur facultatibus quae in Iubilaeis, Bullis Cruciatae, confessionalibus, aut aliis quibusvis Apostolicis indultis,... etiamsi in illis expresse indulgeatur ut omnes Regulares etiam mendicantes, huiusmodi facultatibus uti possint ».... Et infra: « Nulli earum (sc. personarum Societatis) liceat, nisi intra numerum eorum, qui ad confessiones personarum eiusdem domus aut collegii audiendas deputati sunt, confessarium eligere, nisi ratione itineris aut alia de causa ab eisdem

Pontifex suos successores ligare nequit, quando prodeunt indulta huiusmodi, standum est voluntati Pontificis ea concedentis. Nostro tempore clara videtur intentio SS. Pontificum, in facultatibus pro Iubilaeo concedi solitis, ut Regulares omnes, non obstantibus quibuscumque privilegiis in contrarium, confessionem, etiam extra Ordinem, apud quemcumque confessarium ex approbatis instituere valeant (vide Comp. Privil., n. 126).

4° Quoad potestatem absolvendi Nostros a casibus et censuris Rom. Pont. reservatis, Pius ix, Const. *Apostolicae Sedis*, revocavit omnes facultates perpetuas ab eis absolvendi, sive censurae fuerint speciali modo, sive simpliciter reservatae. Sed non revocavit facultates temporaneas, ut declaravit S. C. C., 1 *febr.* 1871. Porro Societas habet, ex Br. *Plura inter* (1826), facultatem vicennalem absolvendi ab omnibus casibus R. P. reservatis [c].

Sed postea, d. 3 *iul.* 1875, idem Pius ix abstulit facultatem absolvendi a casibus in Constit. *Sacramentum Poenitentiae* contentis, sc. ab absolutione complicis in peccato turpi, et a falsa accusatione sollicitationis. Iam antea, Const. *Cum Catholica Ecclesia* (1860), revocatis omnibus in contrarium privilegiis, Sedi Apostolicae reservaverat quamlibet facultatem absolvendi reos perduellionis et invasionis in pontificiam ditionem (cf. Comp. Privil., n. 3). — Sed bene notat Prümmer, q. 153, quod si in aliquo Ordine casus R. P. reservati existant, qui non sint in Bulla *Apostolicae Sedis* contenti, quoad hos non fuisse revocatas facultates quibus forte gaudebant Superiores regulares ab his absolvendi. Ita est in Societate pro casibus et censuris in catalogo *Censurae et Praecepta* contentis.

5° Quoad casus Episcopis reservatos, ex privilegio Pauli iii (relato § 1°), quod in hoc non fuit revocatum, Superiores vi-

---

Superioribus, aliis confessariis intra aut extra Societatem, confitendi facultas ad id specialiter daretur ;... secusque facta irrita et inania fore ».

(c) Notandum est tamen, in communicatione huius facultatis : *a)* P. Generalem sibi reservare haeresim et apostasiam ab Ecclesia, quae post ingressum in Societatem incurrerentur; *b)* solis Praepositis Provincialibus et similibus facultatibus gaudentibus committi casus speciali modo S. Pontifici reservatos; tandem *c)* solis Praepositis localibus, et quibus indulserint, tribui casus S. Pontifici simpliciter reservatos (Comp. Privil., n. 16).

dentur posse *Nostros* absolvere ab omnibus casibus et censuris et poenis sive Episcopis Iure reservatis, sive ab ipsis per sententiam ab homine quomodolibet inflictis. Ita COMP. PRIVIL., n. 15 [d]; cf. tamen idem Comp., n. 5, et vide quae dicta sunt supra, n. 10, 4°.

6° Reservantur in Societate, praeter casus Clementinos (supra, n. 11), decem alii casus a CONGREG. V, dd. 51 et 57 reservati, et undecimus a Congr. XVI, d. 17, additus. Hi casus, sive Clementini sive alii, in ORDIN. GENER., c. V, reperiuntur [e].

29. Disciplina vigens circa confessiones Nostrorum [a].

1. **Generalia.** 1. Nostri non possunt nec licite nec valide confiteri nisi apud confessarios a Superiore designatos. Ita PAULUS III, Const. *Licet debitum* (1549), GREGORIUS XIII, Const. *Decet Romanum* (1575), LEO XII, Br. *Plura inter* (1826) [b].

2. Subiacent decreto CLEMENTIS VIII, et ideo « non licet Superioribus regularibus confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum reservatum admiserint aut ipsimet subditi sponte ac proprio motu id ab eis petierint » (Ita CLEMENS VIII, decr. *Sanctissimus,* 1598).

3. « Superiores in singulis domibus debent deputare duos, tres aut quatuor confessarios, pro subditorum numero maiori vel minori, qui a non reservatis eos absolvant... » (CLEMENS VIII, ibid.) [c].

(d) Notandum est Regulares exemptos non subiacere casibus et censuris quas Episcopus sibi reservat. Subiacent autem casibus et censuris Iure Episcopis reservatis; sed de his non est difficultas, nam a suis Superioribus absolvi possunt (supra, n. 10). Remanent censurae per sententiam ab homine inflictae, in his causis in quibus Episcopi aut potestate ordinaria aut tamquam Sedis Apostolicae delegati eas possunt decernere.

(e) De casibus reservatis circa castitatem, dictum est c. X, n. 18; de casu inobedientiae expressae, c. X, n. 21; de censuris reservatis, c. XII, n. 2. De aliis casibus reservatis consuli possunt VILLADA, *de confessariis nostris;* BESSON, n. 341-345; et pro casibus Clementinis, PIAT, t. I, pp. 449-489 SUAREZ, tr. VIII, l. II, c. 18.

29. (a) Cf. COMP. PRIV., n. 125; CONGR. XXIII, d. 30; CONGR. XXIV, d. 25; et ORDIN. GENER., c. VI.

(b) Supra, n. 28, *notae* a et b.

(c) Verum quidem est URBANUM VIII, per Br. *In his auctoritatis* (1641) privilegium concessisse Societati, ut unicus esset singulis confessarius; sed adiecit conditionem propter quam hoc privilegium non venit in usum; nempe ut quinquies aut sexies in anno offerretur confessarius extraordi-

4. Si subditi habent casus reservatos, regulariter apud Superiorem confiteri debent; attamen Superiores facultatem absolvendi committere tenentur confessario ordinario, « quando casus occurrit, in quo eam debere committi ipse imprimis confessarius iudicabit ». Et si Superior facultatem recusaret, « nihilominus confessarius illa vice, etiam non obtenta a Superiore facultate, absolvere posset » (Clemens VIII, l. c., et declaratio S. Congr. Conc., 21 *sept.* 1624. — Cf. Comp. Privil., n. 125, § At decreto) (d). — P. Aquaviva Ordinationem circa casus reservatos dedit (Ordin. Gener., c. VI). Quae in ea traduntur n. 4, debent interpretari secundum dictam resolutionem S. C. C.: quippe posterior est Ordinatione P. Claudii (1615).

Notanda est declaratio in eadem Ordinatione contenta (n. 8): « Cum confessarius bona fide dubitat an mortale sit quod proponitur, etiamsi ex genere suo reservatum sit, potest absolvere, licet huiusmodi dubitatio ex ignorantia procedat », atque bona et vera est absolutio nec repetenda confessio, etiamsi postea animadvertat manifeste fuisse mortale (ita explicite dicitur).

5. Quando Superior abest, ita in eadem Ordinatione disponitur quoad confessionem et absolutionem a reservatis: « Si Superior ex urbe abierit, Vice-praepositus aut Vice-rector ab eo dictus habet facultatem absolvendi a reservatis qualem et ipse Superior. Quod si nullum suo loco substituerit, etiamsi *per unam seu integram diem* futurus sit absens, nec consuli possit, minister facultatem habet tum absolvendi tum delegandi hanc potestatem » (n. 7).

6. In parvis domibus, eadem Ordinatio sic providebat casuum reservatorum absolutioni: In residentiis « in quibus e Nostris pauci morantur », confessarii ordinarii possunt absolvere a casibus reservatis, cum onere ut poenitens se sistat Provinciali, aut alteri Superiori in cuius domum sit brevi dis-

---

narius, cui omnes cum effectu confiteri tenerentur. — Cum igitur hoc Breve non esset nisi privilegium, Societas, ut videtur, maluit confessiones Nostrorum fieri secundum legem Clementinam, potius quam secundum privilegium Urbani VIII (cf. Comp. Priv., n. 125, § *Item Urbanus*, et § *Vigens*, 4um).

(d) Clemens VIII, vivae vocis oraculo privilegium Societati concesserat, quo Superiori facultatem absolvendi a reservatis absolute denegare liceret. Sed revocatione oraculorum facta a Gregorio XV, C. *Romanus Pontifex* (1622), iam nullius valoris est hoc privilegium. Cf. Comp. Priv., l. c.

cessurus. Sed nunc, ex decreto S. Congr. EE. et RR., 16 *aug.* 1866, « in parvis communitatibus Superiores omnino debent deputare habitualiter unum Confessarium qui facultatem habeat absolvendi a casibus et censuris in Ordine reservatis » (supra, n. 11). Hanc obligationem refert Comp. Priv., n. 16.

7. Praeterea « quo tempore sive votorum renovatio fit sive Exercitia spiritualia peraguntur, confessariis Nostrorum tum ordinariis tum extraordinariis facultas communicatur absolvendi a casibus reservatis » (Comp. Privil., *ibid.*, ex epistola R. P. Anderledy, d. 16 *maii* 1884).

Non videtur dubium quominus Superior, qui non habeat facultatem absolvendi a casibus R. P. reservatis, possit subdito permittere ut confiteatur et absolvatur a confessario facultatem absolvendi habente, etiam extraneo. Suarez, tr. viii, l. ii, c. 23, nn. 2 et 3.

ii. **Confessarius novitiorum.** — Confessarius novitiorum est eorum Magister, etiam quando est Superior domus. Concessit Urbanus viii, Br. *Exponi nobis* (1635) et Leo xii, Br. *Plura inter* (1826). Sed Urbanus viii duas clausulas concessioni adiecit: primam, ut semel in anno unus aut plures confessarii novitiis praeberentur, qui eorum confessiones cum effectu audirent; secundam, in favorem Societatis, ut liceat Superioribus maioribus per seipsos aut per alium a se deputatum semel aut bis in anno novitiorum confessiones audire. — De prima clausula, dubium esse potest an adhuc subsistat, dato privilegio Leonis xii (Br. *Plura inter*) « ut tironum Magistri nequaquam ei decreto sint obnoxii quod vetat, ne Praesules sacras excipiant alumnorum confessiones » : nulla hic apponitur clausula ut alius confessarius semel in anno novitiis praebeatur. Nihilominus Congr. xxiii, d. 30, censuit hanc clausulam esse in praxi retinendam; praeterea notavit morem esse ut, tempore renovationis, novitiis etiam fiat facultas adeundi confessarios extraordinarios pro aliis designatos; et tandem voluit ut Magistri novitiorum se quam facillimos exhiberent in concedendo novitiis alios confessarios, si quando petant.

Quamvis sit opinio forsan communior novitios in genere non subiacere casibus reservatis in Ordine (vide Piat, i, p. 117): attamen in Societate eis subiacent, et si incurrerint, possunt absolvi a suo Magistro. Ita reg. 7ª Magistri novitiorum.

iii. **Confessarius scholasticorum.** — Congr. xxiii, d. 30, circa confessarium scholasticorum haec habet: « Optandum

esse ut eorum confessarius ordinarius sit Pater spiritualis domus ». Veruntamen non est dubium quin, iuxta decretum Clementinum, alios confessarios designatos adire possint, etiam habitualiter.

IV. **Confessarius Patrum tertii anni** est eorum Instructor. Non possunt vero adigi ad confitendum Instructori qui sit Rector: ita CONGR. XXIII eodem decr. 30. Imo videtur quod semper, vi decreti Clementini, possint confiteri apud P. Spiritualem et alios confessarios designatos, etiam quando Instructor non est Rector, nisi, secundum Breve *In his* (1641) URBANI VIII, alius confessarius quinquies aut sexies in anno eis offeratur, cui cum effectu confiteantur.

V. **Confessarii eorum qui sunt in itinere aut extra domos.**

1° « Debent confiteri *socio idoneo*, si habent; si vero non habent, confiteri possunt cuicumque alii idoneo et discreto religioso vel saeculari » (COMP. PRIV., n. 125). Ita quoad secundam partem ex communicatione privilegiorum cum FF. Praedicatoribus.

Quaestio est an *idoneus* reputandus sit, si non est ex Societate, confessarius ab Episcopo loci non approbatus. Tridentinum enim non exigit approbationem Episcopi loci nisi ad confessiones saecularium audiendas. Quapropter multi AA. dicunt approbationem tunc non esse necessariam. Ita SUAREZ, tr. VIII, l. II, c. 17, n. 7; S. LIG., l. VI, n. 575, qui hanc sententiam fuse propugnat et plures auctores citat; inter modernos BALLERINI, *Theol. moral.*, t. II, n. 174, LEHMKUHL, t. II, n. 394. Sed nunc S. CONGR. EE. ET RR. videtur requirere approbationem Episcopi loci (e). — Est alia sententia media, requirens pro

(e) PIAT, t. I, p. 416, q. 12, ait, si confessarius sit regularis, valde controverti an requiratur ut sit approbatus ab Episcopo. Sententiam negantem vocat principiis conformiorem; verum aliam affirmantem dicit inniti non paucis indultis, in quibus Regularibus confessarius extraneus in certis casibus permittitur, sed cum clausula: dummodo sit approbatus ab Episcopo loci. *Bizzarri*, ait, testatur hanc conditionem semper apponi. Documentis a Piat et Bizzarri allatis haec recentiora addi possunt: In quodam indulto pro dispersis, d. 4 *iul.* 1862, eis permittitur « eligere in confessarium quemcumque presbyterum sive ex clero saeculari sive ex clero regulari, dummodo sit ex approbatis ad audiendas confessiones ab Ordinario loci ». Similis conditio apponitur in declarationibus *S. Poenitentiariae* 18 *apr.* 1867 pro religiosis dispersis Italiae (n. 12): « Quemcumque sive Re-

confessario approbationem Episcopi loci, si est saecularis, aut proprii Superioris, si est Regularis. Nam semper in indultis exigitur ut sacerdos, cui confitetur religiosus in itinere, sit idoneus; porro, aiunt, ut confessarius dicatur *idoneus*, oportet ut praevio examine approbatus fuerit ad confessiones audiendas, sive a proprio Episcopo, sive, si est Regularis, a suo Superiore. Unde, secundum hos auctores, qui iter faceret cum socio sacerdote, sed ad confessiones a Superioribus nondum approbato, non haberet socium idoneum, cui confiteri posset.

2° Si religiosi in itinere aut extra domos versantes habent casus reservatos, tunc a socio idoneo aut alio dicto confessario a casibus reservatis absolvi possunt, sed « cum onere ut se sistant postmodum Superiori suo ad quem ituri vel redituri sunt, eique aut alteri de eius licentia confiteantur; a quo tamen onere rursus confitendi reservata potest eos Superior absolvere » (Comp. Privil., n. 125). — In hoc casu religiosus a reservatis *directe* absolvitur a suo socio aut alio confessario : hoc patet tum ex ultima clausula, quod Superior eum ab onere rursus confitendi reservata dispensare potest, tum ex verbis concessionis: dicitur enim in citato Compendii loco : « Quodsi huiusmodi religiosi (sc. itinerantes) casus reservatos habuerint, possunt quidem *ab eis absolvi*, sed cum onere.... ». Ergo ab ipsis reservatis absolvuntur (f). — Quod si talis religiosus divertat ad domum Societatis, potest a reservatis absolvi a confessariis domus, sed cum onere se sistendi deinde suo Superiori. Si autem in hac domo ultra mensem maneret, posset tunc a reservatis absolvi a Superiore aliisque facultatem in reservatos habentibus, sicut alii religiosi huius domus (*Ordinatio* VI, n. 6).

---

gularem, sive saecularem, ex approbatis tamen ab Ordinario loci, confessarium sibi eligere valeant ». In Iubilaeo a. 1904, conceditur omnibus Regularibus cuiusvis Ordinis et Instituti facultas « ut sibi eligere possint in confessarium quemcumque presbyterum tam regularem quam saecularem *ex actu approbatis* » (Epist. encyclica Pii X, 2 *febr.* 1904). Cf. Prümmer, q. 147, qui quaestionem bene tractat, et probabilem habet sententiam, iuxta quam approbatio Ordinarii loci non requiritur.

(f) Hic locus *Compendii* desumitur ex *Ordinat.*, c. VI, n. 6, ubi dicitur : « De iter agentibus, quando ad aliquem Societatis locum divertunt, aliter iudicandum est: quos nempe potest a reservatis ordinarius loci illius confessor absolvere ; aut si is haberi non possit, quilibet alius Societatis sacerdos approbatus; aut si is quoque desit, etiam externus. In omnibus tamen his casibus cum onere et obligatione, ut se sistant postmodum Superiori suo, ad quem ituri vel redituri sunt, eique aut alteri de eius licentia confiteantur ».

VI. **Quoad Superiores,** a quibus absolvi possint a reservatis definitur in eadem *Ordinatione* VI, n. 7. Superiores locales absolvi possunt a quocumque ex ordinariis confessariis suae domus; Provinciales a suo socio et a Superioribus localibus seu ab aliis quos ad id Superiores delegaverint, vel etiam a confessariis ordinariis domus. Socius Provincialis ab iisdem absolvitur.

Si de peccatis non reservatis agitur, quemadmodum Superior licentiam dare potest subditis eligendi in confessarium unum ex sacerdotibus domus idoneis, ita ipsi licet eligere unum ex eis (g). Electio tamen confessarii praeter deputatos, cum sit quaedam disciplinae perturbatio, fieri aut permitti non debet absque aliqua proportionata ratione.

30. Facultas dispensandi in genere.

1. *Ex potestate dominativa*, Praepositus Generalis facultatem habet dispensandi in Constitutionibus, sed solum in casibus particularibus et quatenus hanc esse mentem Constitutionum iudicabit (a). In casibus urgentioribus eadem facultate gaudet Provincialis et Rector: sed uterque, si in gravioribus dispensaverit, debet suum immediatum Superiorem de dispensatione concessa monere (b). Haec facultas est ordinaria: eam Gene-

---

(g) Hoc implicite dicitur in *Ordinatione*, n. 7, ubi declaratur Superiorem posse eligere, ut a reservatis absolvatur, quemcumque ex suis subditis, sed tunc cum onere se sistendi postea Provinciali. Unde, si Superior reservata non habet, absolvi poterit absque onere. — Hoc certe valet pro una aut altera confessione; an ita ut Superiori fas sit habitualiter apud quemvis ex suis subditis confiteri, merito dubitare licet, si de Superiore locali quaestio movetur. Nam ad Provincialem spectat confessarios ordinarios designare, apud quos omnes confiteri debent. Ergo Superior localis nonnisi per dispensationem aliis aut sibi permittit apud alios confiteri; dispensare autem non potest nisi in casibus particularibus, nullatenus modo generali (vide supra, nn. 6 et 30).

30. (a) « Sicut ad Generalem pertinet curare ut Societatis Constitutiones ubique observentur, ita ad eumdem pertinebit, in iis quae accidunt, ubi dispensatione opus est, habita ratione personarum, locorum, temporum et aliarum circumstantiarum, dispensare ». CONST., P. IX, c. 3, n. 8; et litt. D: « Intelligendum est dispensare posse, ubi eam esse mentem Constitutionum, consideratis circumstantiis particularibus, et non aliter, in Domino iudicaret ».

(b) « Sicut curare ut observentur omnino Constitutiones, ita in iisdem dispensare,... ad Rectorem, accepta a suis Maioribus potestate, pertinebit », — et additur conditio: « quando eam fuisse mentem illius qui

ralis, Provincialis, Rector vi officii habent, et ideo aliis delegare possunt.

2. *Ex potestate Iurisdictionis*, Superiores possunt dispensare cum subditis suis in legibus communibus Ecclesiae, ut Episcopi cum fidelibus. Praeter facultatem a Pio V concessam (de qua n. 7 dictum est), Societas directe obtinuit varias facultates. Ex Br. *Sacrae Religionis* (1552) IULII III, Superiores « possunt dispensare cum subditis in cibis vetitis et ieiuniis » : eamdem facultatem habent ex Br. *Plura inter* LEONIS XII. Praeterea ex eodem Brevi habent potestatem « adversa valetudine laborantibus divinum officium in alias preces commutandi » ; necnon iis quibus expedire existimaverint facultatem faciendi, vi cuius libros prohibitos queant legere ». Societas habet etiam facultatem dispensandi socios ordinandos ab interstitiis, eosque potest presentare extra tempora : ita ex concessione GREGORII XIII, Br. *Pium et utile* (1582) (vide c. XVII, n. 21).

Praeterea speciales habet facultates dispensandi in irregularitatibus, poenis et votis, de quibus dicendum est.

31. Facultas dispensandi in irregularitatibus. — Societas, quoad dispensationem ab irregularitatibus, quatuor concessiones sibi specialiter factas habet (cf. COMP. PRIVIL., n. 164) : 1ª, PAULI III, C. *Licet debitum* (1549) : non est nisi communicatio specialis privilegii Sixti IV, iisdem verbis expressa (vide supra, n. 7). — 2ª, GREGORII XIV, circa irregulares ex defectu natalium (relata est n. 7). — 3ª, LEONIS XII, Br. *Plura inter* (1826) : « Omnibus viris religiosis in Societate cooptatis licet... eos qui irregularitatem occultam, tam ad suscipiendos quam ad exercendos ordines incurrerint, in foro conscientiae tantum, ab hoc impedimento absolvere ». Haec facultas est generalis : erga extraneos exerceri potest, sed etiam a Superioribus et aliis, quibus communicata fuerit, erga Nostros. In ea non apponitur restrictio homicidii voluntarii nec casus ad forum contentiosum deducti, sed alia apponitur, nempe quod dispensatio valet tantum in foro conscientiae. — 4ª, eodem Brevi LEONIS XII : « Ut irregulares qui Societati dant nomen, possint promoveri ad sacros ordines et ad quaecumque Societatis officia » ; sed excipitur « nisi irregularitas sit ex homi-

---

eas condidit, in re aliqua particulari iudicaret » (P. IV, c. 10, litt. B). Cf. regulas Rectoris 10 et Provincialis 7, ubi additur obligatio monendi Superiorem de dispensatione concessa.

cidio voluntario, bigamia, mutilatione membrorum, defectu animi, et simul excepta irregularitate quae oritur ex infamia iuris vel facti ». Haec facultas versatur circa irregularitates ex delicto etiam publico ortas, nonnullis exceptis, necnon ex defectu, ut videtur: nulla enim apponitur restrictio qua excludantur istae irregularitates, nisi sint de iure naturali, ut defectus animi adhuc perdurantes, enormis defectus corporis. Et ideo non videtur excludi defectus lenitatis, ubi cum infamia non est coniunctus. Contra, defectus aetatis a tempore Tridentini censeri debet exclusus, ut dictum est supra, n. 7, 2°.

Notanda: 1° Ex modo quo conceditur hoc ultimum privilegium, actus Superioris dispensantis non videtur necessarius, sed irregularitas tollitur ipso facto ingressus in Societatem, Pontifice ita disponente.

2° Quamvis ex diversis privilegiis Societas possit dispensare in homicidio voluntario, bigamia et mutilatione membrorum, sive ex delicto occulto proveniant, sive etiam ex publico, sed tunc in foro conscientiae tantum (ex Privil. Pii v, C. *Dum ad Congregationem,* supra, n. 7, *nota* h), attamen P. Generalis sibi reservat dispensationem ab his irregularitatibus. Item, non communicatur facultas dispensandi ingredientes Societatem, nisi sub conditione quod revera mox ingrediantur et ingressi perseverent, sive haec conditio ex ipsis Apostolicis diplomatibus apponatur (ut fit in Const. *Licet debitum* Pauli III, 1549), sive ab ipso P. Generali exigatur, cui omnes gratiae et privilegia conceduntur, ut pro sua prudentia aliis communicet (Comp. Privil., n. 165).

32. Societas facultatem habet dispensandi suos super omnibus poenis, privationibus et inhabilitatibus et redintegrandi in priora iura. — Concessit Pius v Cassinensibus (vide supra, n. 8), et proinde Societas ea facultate gaudet per communicationem ; praeterea Paulus III directe ipsi Societati indulsit, Const. *Licet debitum*, 1549 (vide supra, n. 8, *nota* c, textum cum adnotationibus). Propter difficultatem huius materiae, P. Generalis istam facultatem sibi reservat (Comp. Privil., n. 173).

33. Dispensatio a votis.

1° Nostri ex facultate S. Pii v [a] possunt dispensari in omnibus votis R. P. non reservatis.

33. (a) Ex concessione, qua possunt Praelati regulares cum subditis id quod Episcopi possunt cum Fidelibus (vide supra, n. 6, *nota* d).

2° Possunt dispensari in votis trium peregrinationum, ex facultate vicennali Leonis XII, qua tribuitur potestas « dispensandi et commutandi vota simplicia in alia bona opera ».

3° Cum intrantibus Societatem, votum ingrediendi aliam Religionem licet commutare in ingressum Societatis: concessum fuit a Poenitentiario Maiore (vide COMP. PRIV., n. 113).

4° Omnes non professi qui dimittuntur, etiam Coadiutores formati, ipsa dimissione remanent liberi a tribus votis substantialibus Religionis, et Scholastici a voto ingrediendi Societatem. Habetur expresse in Constitutionibus, et sequitur ex eo quod vota simplicia adnexam habent conditionem: « donec Societas me tenere volet (EXAM., c. VI, n. 8; CONST., P. II, c. 4, n. 3; P. V, c. 4, B). Haec dispositio fuit in forma specifica approbata a GREGORIO XIII, Const. *Ascendente* (1584), et a GREGORIO XIV, Const. *Ecclesiae Catholicae* (1591) (b).

Contra, reservata sunt Summo Pontifici tum quatuor vota solemnia professorum, tum etiam eorumdem Professorum primum et tertium ex quinque votis simplicibus. Ita PAULUS V et URBANUS VIII (cf. c. X, n. 26) (c).

34. De bonorum temporalium Societatis dominio et administratione.

1. **De dominio.** — Quodnam sit subiectum dominii domorum, collegiorum et quorumcumque bonorum temporalium Societatis, dictum fuit c. IX, n. 29. Ex argumentis ibi allatis concludendum videtur neque SS. Pontifices neque S. Ignatium intendisse hanc quaestionem, potius speculativam quam practicam, determinare; sed, quemadmodum pro aliis Ordinibus eadem quaestio existit et incerta remanet, ita esse pro Socie-

---

(b) « Potestatem a Societate dimittendi quosvis non professos, ab hac Sede Apostolica saepius approbatam, eosque ab omni obligatione votorum iuxta Constitutiones et diplomata huiusmodi emissorum per dimissionem ipsam, per quam vota praedicta cessant, liberandi.... omnino ratam, intactam et illibatam esse volumus » (Gregor. XIV).

(c) PAULUS V, Const. *Ex incumbenti* (1618), relatis duobus votis simplicibus professorum de paupertate non relaxanda et de non ambienda qualibet dignitate extra Societatem eaque non acceptanda nisi sub peccato obligarentur, pergit: « Cum clericis huius Societatis super votis praedictis nisi per Nos aut R. P. pro tempore existentem dispensari nullatenus possit, Apostolica auctoritate decernimus et ordinamus ». Quam reservationem confirmavit URBANUS VIII, C. *Vota quae Deo* (1632).

tate [a]. Ad praxim, sufficit ut determinetur cuinam competat administratio, et casus difficiliores arbitrio S. Sedis subiiciantur, v. g., in dissolutione domorum.

II. **De administratione.** — 1° Summa omnium bonorum temporalium intendentia et administratio est penes Societatem professam, quae eam ordinarie exercet per Praep. Generalem (P. IV, c. 2, n. 1, 5, et c. 10, nn. 1, 2, 3; 1ª et 2ª *formula Instituti*).

2° Excipitur alienatio vel dissolutio domorum et collegiorum, necnon eorumdem translatio, quae sola Congregationis generalis auctoritate fieri possunt (P. IX, c. 3, nn. 5 et 18; P. IV, c. 2, n. 3). — Congregatio autem vel per se dissolutionem aut translationem pronuntiat, vel auctoritatem suam his limitibus coarctatam, quos opportunos iudicat, Praep. Generali committit. Hanc facultatem Praep. Generali commiserunt ultimae Congregationes [b]. — Ad dissolutionem autem vel translationem, vel alienationem nullus tractatus aut consensus capitularis requiritur, nec fieri debet (cf. COMP. PRIVIL., n. 19, et ORDINAT. GENERAL., c. XX, *de Contractibus celebrandis*); sed servandae sunt leges Ecclesiae circa alienationes immobilium, de quibus supra dictum est, nn. 15 et sqq.

3° Praep. Generalis potest acceptare omnes domos, omnia collegia, omnes donationes quae Societati fiunt (P. IX, c. 3, n. 17; P. IV, c. 2, n. 5 et litt. C; P. IX, c. 3, n. 6; PAULUS III, C. *Licet debitum*, 1549, in Bull. Soc., p. 17 ad fin.).

4° Idem Praep. Generalis omnem facultatem habet « agendi quoscumque contractus emptionum aut venditionum quorumlibet bonorum temporalium *mobilium* tam domorum quam col-

---

34. (a) PRÜMMER quaestionem tangit, q. 73, in *nota:* « Nisi, ait, expresse in aliquo Ordine religioso statutum sit dominium rerum temporalium residere in Ordine, tenendum est unumquemque conventum esse proprium possessorem suorum bonorum, et proinde Superiores maiores non posse bona unius conventus applicare in commodum alterius sine beneplacito Apostolico ». Sed haec consequentia remanere potest, etiamsi Ordo ipse possideat; nam Superiores maiores simplicem bonorum administrationem habent secundum leges Ordinis. Non possunt ergo ea pro libitu transferre.

(b) Congr. XX, d. 20; Congr. XXI, d. 9; Congr. XXII, d. 18; Congr. XXIII, d. 41; Congr. XXIV, d. 28; Congr. XXV, d. 17. Eadem facultas in antiqua Societate pluries Praep. Generali commissa fuerat, v. g., a Congr. XI, d. 16; a Congr. XVII, d. 14. Alias Generali data fuerat licentia convertendi domum unius generis in aliam; domum professam in collegium, collegium in aliam domum. Sic Congr. II, d. 25; Congr. VIII, d. 7; Congr. IX, d. 38.

legiorum », quin Capitulum quodcumque domus aut aliud debeat prius congregari, rem tractare et consensum praestare (P. IX, c. 3, n. 5). Haec dispositio confirmatur in forma specifica, a S. PIO V, C. *Innumerabiles*, 1568. — Cf. Congr. I, dd. 77 et 100).

5° Provinciales, Rectores et Praepositi locales hanc habent potestatem circa administrationem bonorum, quam Generalis ipsis confert, eique totam rationem administrationis reddere tenentur (P. IX, c. 3, n. 7; P. IV, c. 2, n. 5 et litt. C).

6° In dissolutione domorum, earum bona retinere licet, eaque Praep. Generalis ad alias domos transferre potest, nisi in ipsa fundatione statutum fuerit ut tunc restituantur fundatoribus (CONST., P. IV, c. 2, n. 3 et A. Cf. Congr. I, d. 26). Simile privilegium fuit concessum Praedicatoribus et Minoribus (vide COMP. PRIVIL., n. 80).

7° Societas habebat a GREGORIO XIII, C. *Apostolicae Sedis* (1576), facultatem alienandi quaecumque bona immobilia et mobilia pretiosa, in evidentem tamen domorum et collegiorum utilitatem, absque alia a Sede Apostolica aut locorum Ordinariis petenda vel obtinenda licentia seu confirmatione. — Sed haec facultas fuit revocata, quoad Europam per decretum Urbani VIII (1624), et pro omni loco a Pio IX, C. *Apostolicae Sedis* (vide supra, n. 15). — Remanet tamen facultas quoad terrulas alienandas, quin sit necessaria licentia Episcopi. Nam solummodo fuit revocata potestas alienandi absque speciali beneplacito Apostolico. Ergo facultas concessa alienandi sine licentia Episcopi remanet quoad terrulas, sicut quoad alia immobilia (COMP. PRIVIL., nn. 20 et 21).

35. Nominatio Superiorum.

1. In Societate omnia munera conferuntur per Generalem aut Provinciales, exceptis solis muneribus Praep. Generalis et Assistentium. Praep. Generalis eligitur ad vitam a Congregatione generali. Assistentes ab eadem eliguntur usque ad electionem novi Generalis. Defuncto uno ex Assistentibus, aut alias facto ad suum munus adimplendum inepto, Generalis eius successorem eligit cum assensu maioris partis Assistentium et Provincialium (P. IX, c. 5, n. 3; Congr. I, d. 90).

2. Praep. Generalis « constituit Provinciales Praepositos ad triennium, ut plurimum; quamvis et contrahi et prorogari etiam id spatium temporis possit » (P. IX, c. 3, n. 14). — « Constituit idem per seipsum Rectores collegiorum et universitatum ac Praepositos locales domorum (professarum) quos aptiores iudicaverit.... Quodsi Provinciali facultatem consti-

tuendi Praepositos locales et Rectores communicaverit, eiusdem Generalis erit eosdem confirmare vel removere. Idem officiales reliquos ad gubernium Societatis necessarios, ut procuratorem generalem et secretarium Societatis constituet » (*Ibid.*, nn. 14, 15, 16).

3. Omnibus his « eam potestatem communicabit, quam duxerit communicandam. Poterit etiam eam revocare, restringere et etiam augere, et administrationis rationem ab eis exigere » (*Ibid.*, nn. 14, 15; cf. etiam nn. 3 et 7). Et P. VIII, c. 1, n. 6, dicitur: « A Generali Praeposito, ut a capite, universalis facultas Provincialium egrediatur, et per eos ad locales, per hos autem ad singulares personas descendat. Sic etiam ab eodem capite, vel saltem eo suam facultatem communicante et rem approbante missiones procedant. De communicatione gratiarum Societatis tantumdem sit dictum ».

Ergo regimen Societatis valde est monarchicum et absolutum. Cuius rei ratio eodem loco datur: « Quo enim magis inferiores a Superioribus pendebunt, eo melius amor, obedientia atque unio inter eos retinebitur ».

4. Quamvis autem Praelati infra Generalem eam tantum habeant potestatem quam eis Praep. Generalis tribuerit, nihilominus eorum potestas est ordinaria: eam etenim habent vi officii quoad substantiam, ut ita dicatur, quamquam quoad quantitatem a Praep. Generali mensuretur. Sed etiam quoad quantitatem seu extensionem, est aliqua mensura communis ex regulis et Constitutionibus, quam habent nisi Praep. Generalis eam restringat vel augeat. Ita SUAREZ, tr. X, l. X, c. 5, nn. 3, 4, 5 [a].

5. Notandum venit triennium regiminis (quod de caetero Praep. Generalis potest contrahere vel prorogare) pro solis Provincialibus constitui, non pro Superioribus localibus, qui ad nullum tempus determinatum constituuntur. Hoc Constitutionum statutum agnovit et firmiter retineri voluit tum CONGR. II, d. 68, tum Congr. V, d. 35 (a. 1593), quamvis eadem

---

35. (a) Notat autem SUAREZ, l. c., n. 6, ex eo quod Praelati inferiores eam habeant potestatem quam Praep. Generalis eis communicat, inde sequi quod extensio eorum potestatis regula positiva potius definienda est quam regula negativa; scilicet, dicendum est eos hanc habere potestatem quae per Constitutiones et regulas aut per specialem Praep. Generalis concessionem ipsis tribuitur, potius quam eos gaudere tota potestate quae in Iure Praelatis conceditur et non fuerit aliqua Praep. Generalis restrictione limitata.

Congr. v, eodem decreto « vehementer commendat Praeposito ut diligenter curet ne praefecturae istae Societatis nimis diuturnae sint aut prolixe continuentur ».

6. Has Constitutionum ac Congregationum dispositiones, iam implicite saltem a S. Sede approbatas, explicite et in forma speciali approbavit Paulus v, C. *Quantum religio* (1606), praecipiens ut tanquam perturbatores Societatis habeantur et puniantur ii qui machinantur contra « Praepositi Generalis perpetuitatem, usumque eligendi eum ad vitam, et liberam et sine ulla triennii aut certi temporis praefixione Superiorum localium gubernationem ». Sic ab eo revocatum fuit statutum Clementis viii, qui a. 1594 praeceperat ut Provinciales et Rectores, exceptis his qui sunt in domibus novitiorum, non durarent ultra triennium et vacarent deinde saltem per annum (cf. Congr. v, d. 64), atque omnia ad Institutum et Congregationum decreta revocata fuerunt, ut ipse Pontifex pronuntiat.

Innocentius x quidem, a. 1646, Brevi *Prospero felicique*, statuit « ut omnes et singuli Societatis Provinciales, Visitatores, Praepositi, Rectores, Superiores et alii Officiales iurisdictionem seu superioritatem habentes, exceptis Magistris novitiorum, in eorum respective muneribus.... et officiis per triennium duntaxat durare debeant » [b]. — Verum huic Brevi derogavit primum Alexander vii, a. 1663, Br. *Debitum pastoralis;* derogationem autem confirmavit et innovavit Benedictus xiv, Const. *Devotam maiori* (1746) ipsumque Breve Innocentii x, « in omnibus et per omnia abolevit ». Cf. Comp. Priv., n. 526.

7. Ut quis nominetur Superior, non est necesse ut gradum susceperit [c]; sed requiritur aut saltem omnino convenit ut sit sacerdos. Ita declaravit Congr. iii, d. 21, his verbis : « Quae-

---

(b) Propter hoc statutum, antequam triennium regiminis esset absolutum, mitti debebant in provincias et etiam in missiones longinquas decreta nominationis novorum Superiorum qui, exacto triennio antecessorum, eis statim succederent, ne provinciae aut domus sine Superioribus remanerent (vide Congr. xii, d. 30).

(c) Ex Iure communi obiici potest c. *Nullus*, 28, *De electione*, i, 6, in 6°, « Nullus religiosus ad Abbatiam seu praelaturam suae vel alterius Religionis de caetero eligatur, nisi antea fuerit Ordinem regularem expresse *professus*. Quod si secus actum fuerit, eo ipso irritum habeatur ». Obiici etiam potest responsio S. Congr. super Statu reg. 16 *ian.* 1891 data ; interrogata « Utrum professi votorum simplicium, qui ex decreto 12 *iun.* 1858 professis votorum solemnium aequiparantur, in Praelatos seu Superiores

ritur an Professi trium votorum seu non professi professis quatuor votorum praeesse possint.... Congr. declaravit tales, sive professos trium votorum, sive non professos, cum Rectores aut ministri sunt, *sacerdotes tamen*, professis quatuor votorum praeesse posse ». Ergo in Superioribus solum sacerdotium requiritur, nec etiam absolute, sed ex convenientia, ut possint praeesse professis quatuor votorum. Praxis continua hanc regulam confirmat.

36. Generali, Provinciali, Superiori locali mortuo quis succedat?

1. Praep. Generali demortuo succedit Vicarius ab ipso Generali nominatus aut electus secundum formam in Constitutionibus praescriptam (P. VIII, c. 4, n. 1 et litt. A).

2. Provinciali demortuo, donec eius successor a Praep. Generali nominetur, succedit is quem ipse Provincialis moriens nominaverit; aut, si neminem designaverit, Praepositus domus professae, aut antiquissimus professorum ex Praepositis, si plures sint domus professae; et si nulla est domus professa, Rector maximi collegii, si est professus, aut, si non esset professus, antiquissimus professorum ex caeteris Rectoribus, aut si nullus Rector collegii sit professus, antiquissimus professus 4 votorum Provinciae. Ita in Europa (CONGR. IV, d. 56). Pro Provinciis extra Europam nihil determinatum fuit (cf. CONGR. XVII, d. 9).

3. CONGR. VIII, d. 20, statuit: « Sicut absente ita etiam et moriente Superiore alicuius loci, huius curam ad ministrum pertinere, etiam in domibus professis, quamvis ipse professus non sit; licere nihilominus Superiori, cum domo aut vita excedit, alium nominare qui domus curam habeat, si Provincialis cito moneri non possit aut alia gravis causa id suadeat ».

4. Et CONGR. XVII, d. 9: « Si aliquando contingat quacumque ex causa; ut nullus sit in collegio aliquo vel domicilio designa-

---

in eodem Ordine licite et valide eligi possint et valeant? » — respondit: « Negative ». — Sed ad haec reponere licet primo, in his duobus locis de electione agi, non de nominatione a Superiore maiori facta; secundo, c. *Nullus* tunc fuisse editum, quando professio solemnis immediate annum novitiatus sequebatur; responsionem autem 16 *ian.* 1891 datam fuisse pro antiquis Ordinibus, in quibus Pius IX professionem simplicem triennalem post novitiatum introduxit: ergo neutram legem Societatem Iesu comprehendere.

tus Superior, Superioris iurisdictionem, spiritualem scilicet et quoad externam disciplinam, remanere penes sacerdotem antiquiorem, ducta antiquitate ab ingressu in Religionem ».

CAPUT XXII.

DE CAPITULIS SEU CONGREGATIONIBUS. DE ELECTIONIBUS.

Sectio I. — 1. De Capitulis seu Congregationibus in universum. — 2. Capitulum generale. Eius suprema auctoritas. — 3. Capitulum provinciale. — 4. Capitulum conventuale. — 5. De electionibus Quinam vocem activam habeant? — 6. De iuribus absentium. — 7. An vitietur electio, ex eo quod admissus fuerit uti elector aliquis ius non habens? — 8. Quemnam electores eligere debeant? — 9. Quinam vocem passivam habeant? — 10. Electio personae inhabilis. — 11. De forma et circumstantiis electionis. — 12. De triplici forma electionis, scilicet scrutinii, compromissi, inspirationis. — 13. Quinque actus substantiales in forma scrutinii. — 14. De acceptatione et de confirmatione electionis. — 15. Appellatio contra electionem. — 16. Vitia propter quae electio sit invalida. — 17. Institutio Praelatorum inferiorum per liberam nominationem.

Sectio II. — 18. De Congregationibus in Societate. Earum auctoritas. — 19. Congregatio generalis. — 20. Congregatio provincialis. — 21. Congregatio Procuratorum.

1. De Capitulis in universum [a].

1. Capitula sunt generalia, provincialia et conventualia seu localia. In Societate Iesu et pluribus modernis Institutis Congregationes vocantur.

Capitula iam a primis vitae religiosae temporibus habita sunt: siquidem videmus iam tunc pluribus monasteriis a Summis Pontificibus esse concessum, ut Abbas a propriis monasterii Fratribus eligeretur (vide c. xv, n. 19, 10°). Prima haec Capitula, ut patet, erant conventualia. Deinde habita sunt alia Capitula, nempe generalia [b]. Postquam autem instituti sunt

---

1. (a) Wernz, t. iii, n. 696; — Piat, t. i, pp. 613-622.

(b) Decursu temporis, postquam praecipuis monasteriis alia monasteria, etiam Abbatiae, subiecta sunt, efformatae sunt variae Benedictinorum familiae, et Abbates earum in capitula sese adunare coeperunt. Urbanus ii, a. 1090, statuit ut Abbas generalis Vallumbrosanus ab aliis eiusdem Congregationis Abbatibus nominaretur. Paschalis ii, a. 1120, ap-

Ordines mendicantes, quorum monasteria in plures provincias sub auctoritate Generalis et Provincialium partita sunt, commune evenit ut tria Capitulorum genera haberentur, conventualia, provincialia et generalia.

2. Capitula seu Congregationes generatim ab his, qui eis praesidere debent, convocantur: generalia a Generali, provincialia a Provinciali, conventualia a Praelato locali. Quod si aliquando aliquod Capitulum extraordinarie esset convocandum, tunc aut a constitutionibus Ordinis praevidetur quis ipsum convocare debeat, aut ad S. Sedem recurrendum est (c).

3. Ex Iure in electionibus requiritur consensus maioris et sanioris partis Capituli, ut dicitur c. *Quia*, 42, *De electione*, I, 6: « Is collatione habita eligatur, in quem omnes vel maior et sanior pars Capituli consentit ». — Sed iam antiquata dici debet haec lex de *maiori et saniori* simul parte. Nam postquam experientia probavit multa inconvenientia ex illa oriri, paulatim in desuetudinem abiit, seu maior pars habita est etiam sanior (d). De caetero, cum post Tridentinum (*sess.* XXV, c. 6 *de Regul.*), electiones Regularium iam secreto scrutinio fieri debeant, quaestio de saniore parte amplius moveri nequit.

4. Defectus Capituli tunc tantum a Capitulo suppleri pos-

---

probat aliqua Cluniacensium statuta, « quae, ait, consensu et deliberatione Abbatum et Fratrum monasteriorum vestrorum, Ordini vestro et loco necessaria videbantur ». — EUGENIUS III, a. 1152, confirmavit statuta quaedam Ordinis Cisterciensis, nominatim « ut omnes Abbates de Ordine singulis annis ad generale Capitulum Cisterciense conveniant ». — Idem invenitur praescriptum ab HONORIO III, a. 1198, Ordini SS. Trinitatis, necnon Ordini Praemonstratensium. — Et INNOCENTIUS III, in Conc. Lateran., hanc generalem regulam statuit, quae deinde in Corpore Iuris inserta est (c. *In singulis*, 7, *De statu monachorum*, III, 35): « In singulis regnis sive provinciis, fiat de triennio in triennium.... commune Capitulum Abbatum atque Priorum Abbates proprios non habentium, ad quod universi conveniant praepeditionem canonicam non habentes.... Huiusmodi vero Capitulum aliquot certis diebus continue, iuxta morem Cisterciensis Ordinis celebretur, in quo diligens habeatur tractatus de reformatione Ordinis et observantia regulari. Et quod statutum fuerit illis quatuor (praesidibus) approbantibus, ab omnibus inviolabiliter observetur, omni excusatione et contradictione ac appellatione remotis ». — Renovatur eadem praescriptio in TRIDENT., *sess.* XXV, c. 8 *de Regul.*

(c) Vide, v. g., in CONST., P. IX, c. 5, n. 4, quomodo Congregatio generalis esset congreganda, siquando Praepositus Generalis esset deponendus.

(d) « In electionibus canonicis, quae ex disciplina vigente etiam nunc celebrantur, sola fit comparatio numeri », ait WERNZ, t. II, n. 371, IV. Idem dicunt PIAT, t. I, p. 530, 3°; FERRARIS, v. *Electio*, art. 4, n. 44.

sunt, quando hoc ius ipsi a constitutionibus Ordinis aut alias conceditur. Inde patet, quod Capitulum non potest supplere defectus qui ex violatione pontificiorum decretorum aut statutorum Ordinis orirentur, nisi speciali S. Sedis privilegio hoc ius fuerit ei concessum.

2. Capitulum generale. — Supremam auctoritatem habet in Ordinibus religiosis (Piat, t. I, p. 617, q. 6; Wernz, n. 696, I). In Ordinibus exemptis plena et perfecta iurisdictione gaudet. Inde sequentes consequentiae:

1° Veras leges ferre potest, quae singulos, etiam Generalem, obligant. Hae leges aut nova statuta per se approbatione S. Sedis indigent, sicut prima regula et constitutiones approbari debuerunt. Sed Ordines regulares communiter privilegium habent, quo statuta Capitulorum generalium antecedenter in forma communi approbata censentur (a). Haec generalis approbatio, quia est in forma communi, non impedit eorumdem statutorum revocationem per Capitula sequentia. Sed, ut patet, Capitulum generale nihil potest statuere quod sit contrarium Iuri communi Ecclesiae aut pontificiis Constitutionibus decretisque SS. Congregationum, vel etiam contrarium his legibus aut statutis Ordinis quae fuerint in forma specifica approbata (nisi tamen potestas huiusmodi fuerit Ordini concessa).

Cum recentioribus Institutis S. Congr. EE. et RR. alio modo procedit: exigit nempe ut acta et decisiones Capituli generalis ipsi S. Congregationi transmittantur, ut approbentur vel, si quid contineant contra Constitutiones approbatas, corrigantur (b).

---

2. (a) Sic Innoc. III, c. *In singulis*, 7, *De statu monach.* III, 35, ait: « Et quod statutum fuerit (in capitulo).... inviolabiliter observetur, omni excusatione et contradictione ac appellatione remotis ». Hoc privilegium Societati Iesu concessit Paulus III, C. *Iniunctum* (1544): « Quod quascumque inter eos constitutiones particulares.... condere, et tam hactenus factas quam in posterum faciendas constitutiones ipsas, iuxta locorum et temporum et rerum varietatem et qualitatem, mutare, alterare, seu in totum cassare, et alias de novo condere possint et valeant, quae, postquam mutatae, alteratae seu de novo conditae fuerint, *eo ipso Apostolica auctoritate confirmatae censeantur*, eadem Apostolica auctoritate, de speciali gratia indulgemus ». — De vi approbationis in forma communi dictum est in *Prooemio*.

(b) Normae, a. 1901, *art.* 251 « Capitulo fas non est constitutiones a S. Sede approbatas modificare vel authentice interpretari, nisi accedente confirmatione eiusdem S. Sedis ».

2. Potestatem iudiciariam et coercitivam plenam habet Capitulum generale: omnes potest iudicare et punire, etiam deponere Generalem[c].

3. Utrum collapsam regulam possit in toto Ordine reformare, et obligare socios ad reformationis observantiam; aut quatenus ei statuta arctiora, quam sit regula primitiva, condere liceat, dictum est c. VI, n. 12 et 13.

4. Ad Capitulum generale spectat electio Generalis, eiusque Curiae et, secundum constitutiones Ordinis, aliquorum praeterea Officialium[d].

5. Usum privilegiorum Ordini concessorum ordinarie restringere potest. Ita PIAT, t. I, p. 617, q. 6, 7°. Ratio est, quia privilegium est favor, et ordinarie Ordini ipsi, non singulis religiosis conceditur: proinde eius usum suprema Ordinis auctoritas determinare valet. — Sed si privilegium singulis religiosis concederetur, v. g., in iubilaeo facultas confessionem apud quemlibet confessarium approbatum peragendi, tunc Capitulo fas non esset illud restringere.

6. Praeter casus Clementinos, alios reservare potest in toto Ordine, ut dicitur in ipso decreto *Sanctissimus* (1593) Clementis VIII.

7. Onera missarum olim reducere poterat, sed haec potestas fuit revocata ab Innocentio XII Constitutione *Nuper* (1697)[e].

8. Iuxta Urbani VIII decretum *Sacra Congregatio* (1624) necnon aliud decretum *Instantibus* (1694) Innocentii XII, eligere debet sex religiosos e gravioribus, qui de eiectione professorum cum Generali iudicent.

9. Iuxta decretum « *Nullus* » (1599) Clementis VIII, § 37[f], de-

---

(c) Ita expresse in CONST. SOCIETATIS, P. IX, c. 4, n. 7. Haec potestas fuit in forma specifica approbata a PAULO III, Const. *Licet debitum* (1549): « Possit et debeat dictus Praepositus per personas ad id a dicta Societate facultatem habentes et ad id deputatas, in certis casibus, iuxta dictas Constitutiones amoveri, et alius eius loco per easdem personas substitui ».

(d) Vide WERNZ, t. III, nn. 684 et 685. Ait modum nominationis Superiorum regularium pendere a S. Pontifice, qui eos ipse nominare potest, sed communiter designationem supremi Superioris relinquit liberae electioni Ordinis; ex cuius statutis particularibus eruendum est praeterea quonam modo alii Superiores sint designandi.

(e) S. Congr. « districte prohibet atque interdicit, ne Episcopi in dioecesana synodo aut Generales in Capitulis generalibus vel alias quoquomodo reducant onera ulla missarum celebrandarum.... ».

(f) Dicitur: « Eligantur in Capitulo generali vel provinciali, aliquot graves et periti ex Fratribus cuiuslibet provinciae saltem tres, qui.... ».

signare etiam debet tres saltem religiosos graves et peritos, qui examinent et probent fratres admittendos ad praedicationem, ad confessiones audiendas, ad legendum publice aut ad quoscumque ordines sacros promovendos.

10. Ex eodem decreto *Nullus*, § 13, Generalis in omni Capitulo generali rationem reddere tenetur totius suae administrationis (g).

Quandonam Capitulum generale convocari debeat, quinam vocandi sint vocemque activam et passivam in eo habeant, ex peculiaribus cuiusque Ordinis constitutionibus approbatis aut pontificiis statutis desumendum est (h).

3. Capitula provincialia.

1° Generatim potestatem habent statuta pro provincia condendi. In aliquibus Ordinibus sat ampla auctoritate potiuntur: eligunt Provincialem, Superiores locales, Magistrum novitiorum, et eosdem deponere valent. In aliis Ordinibus multo minori, aut etiam nulla potestate gaudent: sic in Ordine Praedicatorum, Carmelitarum et in Societate Iesu nulla potestate legifera donantur.

2° Capitulum provinciale casus pro provincia, praeter Clementinos, reservare potest (ita in decreto *Sanctissimus* Clementis viii, 1593), nisi tamen ex specialibus Ordinis constitutionibus haec facultas ei denegetur, ut fit quando nullam auctoritatem legiferam habet.

3° Ex concessione Innocentii xii (decr. *Instantibus*, 1694), ei fas est sex Patres graves eligere a Generali confirmandos, ad pronuntiandum de eiectione incorrigibilium. Eorum tamen sententia approbatione Generalis confirmanda est (vide c. vii, n. 19).

4° Ex decreto *Nuper* (1697) Innocentii xii, de celebratione missarum, « tenentur omnes et singuli Superiores locales in

---

(g) Quodnam sit ius peculiare Societatis quoad dicta nn. 8°, 9° et 10°, dicetur in Sectione ii.

(h) Pius ix, d. 13 *maii* 1862, statuit pro diversis Ordinibus S. Francisci et pro Praedicatoribus ut Magister Generalis singulis duodecenniis eligeretur, Capitulum generale vero coadunaretur singulis sexenniis. Prius in Ordine S. Francisci singulis trienniis habebatur (Piat, t. i, p. 518). Apud Barnabitas adhuc cogitur singulis trienniis (Ferrari, p. 283). In Normis a. 1901, *art.* 209, dicitur: « Capitulum pro solis pertractandis negotiis, medium inter duo capitula electiva, non admittitur nisi in iis Institutis, in quibus electiones duodecimo quovis anno locum habent.

provincialibus Capitulis seu Congregationibus exhibere attestationem seu fidem, ab omnibus sacerdotibus conventus, monasterii seu domus regularis subscriptam et iuratam, quod omnibus et singulis, tum perpetuis tum manualibus missarum oneribus seu obligationibus.... tempore eorum regiminis fuerit omnino et integraliter satisfactum (aut in brevi tempore satisfieri possit); secus vocem activam seu passivam in dictis Capitulis seu Congregationibus omnino habere non valent ». Huius Constitutionis vis obligatoria rursus affirmata fuit a S. Congr. Conc., d. 16 *dec.* 1893 (vide Prümmer, q. 161) [a].

5° Capitula provincialia singulis trienniis ex Iure communi cogi debent: ita statuit Innoc. III in Concilio Lateranensi c. *In singulis*, 7, *De statu monac.*, III, 35 (vide supra, n. 1, *nota* b).

Quinam ad ea ius habeant quidve in eis tractetur, ex singulorum Ordinum constitutionibus statuitur.

4. Capitula conventualia seu localia. — Maxime in antiquis Ordinibus locum habent. Duplicis sunt generis: alia ad negotia tractanda coadunantur, alia ad disciplinam regularem promovendam: ista nominantur etiam Capitula culparum.

1. Ad Capitula pro negotiis tractandis ius habent omnes professi, dummodo tamen, in Ordinibus qui clericis constant, sint in sacris constituti (Wernz, t. III, n. 685) [a]. — Post decretum

---

3. (a) Quaerebatur 1° an obligarent extra Italiam decreta super celebratione missarum ac prohibitione illa reducendi inserta ab Innocentio XII in sua Const. *Nuper?* — Responsum fuit: « Affirmative »; 2° « An haberi debeat legitime celebratum Capitulum provinciale extra Italiam, cui interfuit cum voce activa et passiva quidam Superior localis, qui ob meram oblivionem, ut ipse ait, secum non detulerat attestationem ab omnibus sacerdotibus sui recessus subscriptam et iuratam de missarum onerum integra satisfactione? » Responsum fuit: « Pro gratia sanationis ad cautelam » (A. S. S., t. XXVI, p. 405).

4. (a) Ita decrevit C. Trident. pro Capitulis Ecclesiarum cathedralium aut collegiatarum (*sess.* XXII, c. 4 *de Reform.*): « Quicumque in cathedrali vel collegiata seculari vel regulari ecclesia divinis mancipatus officiis, in subdiaconatus ordine saltem constitutus non sit, vocem in huiusmodi ecclesiis in capitulo non habeat, etiamsi hoc sibi ab aliis libere fuerit concessum ». Porro S. Congr. Conc., 1 *febr.* 1659, « censuit caput 4 sessionis XXII comprehendere etiam Regulares mendicantes; (ita ut) qui non sunt in ordine subdiaconatus vocem habere non possint in Capitulis et actibus capitularibus si in constitutionibus eiusdem Religionis aliter expresse non caveatur » (apud Ferraris, v. *Electio*, a. 4, n. 38).

Neminem Pii IX, de professione simplici, simpliciter professi vocem activam habent in Capitulo sicut solemniter professi [b], non tamen ad actus receptionis ad professionem votorum solemnium (*Declar.* 7 *febr.* 1862, ad 1); nec voce passiva gaudent, ut possint in Superiores eligi (*Declar.* 16 *ian.* 1891). Vide c. v, n. 11.

2. Consensus Capituli conventualis ex Iure communi requiritur ad graviora negotia, v. g., ad alienationes (c. *Continebatur*, 2, *De his quae fiunt*, III, 10), ad praesentationem pro regendis ecclesiis (c. *Ea noscitur*, 6, *eiusdem tit.*), pro admissione novitiorum ad professionem in Italia et insulis (ex decreto *Regulari*, 25 *iun.* 1848, parte 2ª, n. 3).

In Ordinibus et Institutis recentioribus communiter non habetur Capitulum conventuale; sed Superiori locali duo, tres aut quatuor *Consultores* designantur, vocem decisivam aut tantum consultativam habentes, cum quibus negotia tractet.

Similes Consultores Generali et Provincialibus dantur; qui si voce decisiva polleant, vocantur etiam *Discreti* seu *Definitores*.

5. De electionibus [a]. — Dicendum est 1° de his qui vocem activam in electionibus habent; 2° de his qui vocem passivam; 3° de forma et circumstantiis electionis; 4° de factis quibus electio vitiatur.

1. *Quinam vocem activam in electionibus habeant.* — Ex Iure communi habent *soli professi;* insuper in Ordinibus qui constant clericis et laicis (FF. conversis vel coadiutoribus), soli

---

Ita etiam Suarez, tr. VIII, l. II, c. 4, n. 5. — Vide Piat, t. I, p. 499, q. 1, qui rem dubiam habet et concludit standum esse uniuscuiusque Ordinis constitutionibus.

(b) Decr. *Sanctissimus* (1858) art. 8: « Professi votorum simplicium suffragium habeant in actis capitularibus sui conventus, quatenus et prout habent solemniter professi ». Insuper declaratur eodem art. 8: « Anni professionis, qui in dicto Ordine requiruntur ut quis voce activa et passiva gaudeat et ad officia admitti possit, a die emissionis votorum simplicium computentur » (de vi decreti *Sanctissimus*, dicitur c. v, n. 2, *nota* e).

5. (a) Vide Wernz, t. II, nn. 352-386, et t. III, nn. 684-688; Piat, t. I, pp. 495-558; Ferraris, v. *Electio;* Suarez, tr. VIII, l. II, cc. 3, 4, 5. In electione Praelatorum regularium, triplex est ius, ait Suarez, c. 3, n. 5, ad quod attendere oportet: ius commune Ecclesiae in electionibus, ius commune omnium Religionum quatenus iuri communi aliquid addit aut illud immutat, et ius speciale approbatum uniuscuiusque Ordinis.

clerici: ita ex cap. *Ex eo*, 32, *De electione*, I, 6, in 6°: « In ecclesiis quoque regularibus et monasteriis, hi qui non sunt tacite vel expresse professi non debent cum professis, vel conversi laici cum clericis, electionibus interesse »[b]. Imo oportet ut sint in ordinibus sacris constituti, sicut dictum est n. 4.

2. Quinam ex professis vocem activam ad electiones habeant in diversis Capitulis, conventualibus, provincialibus, generalibus, ex cuiuscumque Ordinis constitutionibus desumendum est.

3. Professi isti, ut voce activa fruantur, ab omni impedimento canonico liberi exsistant necesse est. Impedimenta canonica sunt sequentia[c]: *a)* censurae, sc. excommunicatio, suspensio vel absoluta vel ab officio non autem tantum a divinis, interdictum personale non autem locale: censurae vero non constituunt impedimentum nisi quando fuerint denuntiatae nominatim, ait FERRARIS, l. c., art. 2, n. 14[d]; *b)* infamia Iuris, saltem post sententiam declaratoriam; *c)* privatio vocis activae[e]. *d)* Praeterea transeuntes a mendicantibus ad non mendicantes, etiamsi legitime cum debita licentia transeant, voce activa

---

(b) De simpliciter professis, an et quando vocem activam habeant, dictum est n. 4.

(c) Vide FERRARIS, v. *Electio*, art. 2, nn. 7-19; PIAT, t. I, p. 501 et sqq.; WERNZ, t. II, n. 357; ubi indicantur capita Iuris, in quibus haec impedimenta statuuntur. — Notandum est plura capita, quae citantur, spectare ad electiones in ecclesiis cathedralibus aut collegiatis: AA. autem ea ad electiones Regularium extendunt. An semper id iure faciant, dubitare forsan licet.

(d) Censuris irregularitatem addit FERRARIS (n. 13). Verum, ait WERNZ, t. II, n. 357, sola irregularitas non privat voce activa: oportet ut ipsi adnexa sit inhabilitas ad eligendum, ut est adnexa irregularitati a violatoribus interdicti localis incursae, ex c. *Is qui*, 18, *De sent. excom.*, V, 11, in 6°.

(e) De triplici hoc impedimento canonico notandum venit S. PIUM V, Const. *Cum ad Congregationem* (1571) Cassinensibus data, concessisse Superioribus facultatem dispensandi cum suis subditis in omnibus poenis latae sententiae, inhabilitatibus, privationibus officii, vocis activae et passivae, et hoc privilegium per communicationem ab aliis Ordinibus participari. Simile privilegium Societati Iesu indulsit PAULUS III, Const. *Licet debitum*, 1549, (cf. c. XXI, n. 31); huius autem privilegii usus in Societate reservatur Praep. Generali. — Sed notandum est insuper non pauca impedimenta canonica statuta fuisse per Constitutiones et decreta duobus privilegiis Pauli III et Pii V posteriora, et quidem cum clausulis derogatoriis privilegiorum. Ideo usus horum privilegiorum multa prudentia indiget (cf. c. XXIV, n. 7).

destituuntur: ita CLEMENS V, in Conc. Viennensi (c. *Ut professores*, 1, *De Regul., in Clementinis*) (f).

4. Si agitur de deputatis per electionem ad Capitulum generale aut provinciale, oportet ut ii legitime in Capitulis provincialibus aut localibus fuerint electi.

5. Superior neminem excludere potest ex eis qui ius habent, nec ei licet poenam privationis vocis activae vel passivae pronuntiare per mensem ante Capitulum: ita PAULUS V, decreto a. 1606: « Privationis vocis activae et passivae ac inhabilitatis decreta sententiaeque ab eisdem Ordinis Superioribus latae, ne deinceps in ipso electionis actu pronuntientur promulgenturve, atque eae promulgatae vocales minime officiant, nisi per mensem ante fuerint parti intimatae, Sanctitas sua omnino vetuit » (PIAT, t. I, p. 504, q. 7, 2º: et vide ea quae in nota dicit de decreto; FERRARIS, l. c., a. 4, n. 92). Verum haec prohibitio, Superioribus facta, ipsum Capitulum non afficit; et ideo, si aliquis esset voce activa aut passiva privandus, v. g., propter ambitionem aut propter crimen antea occultum, poena ab ipso Capitulo pronuntiari posset.

6. Absentium suffragia non debent suppleri auctoritate Superiorum maiorum, nec ab eis constitui possunt aliqui Praelati aliive ad effectum electionis faciendae. Ita TRID., *sess.* XXV, c. 6 *de Regul.* «Nec in posterum liceat Provinciales aut Abbates, Priores aut alios quoscumque titulares ad effectum electionis faciendae constituere, aut voces et suffragia absentium supplere ». Item etiam INNOC. XII, Const. *Christifidelium:* « Nolumus absentium vota nec Protectoris nec cuiuscumque alterius nec etiam ipsarum Cardinalium Congregationum auctoritate suppleri, seu alios vocales eorumdem absentium loco seu vice subrogari, deputari seu eligi; sed ius eligendi in solis iuxta Iuris et Instituti regulas ad hunc effectum assumptis et in destinatis et tempore convenientibus consolidari, seu alias prout de iure, permanere volumus et mandamus». Est in eodem sensu declaratio S. CONGR. EE. ET RR. (25 *mart.* 1836, ad 9): « Verba Concilii ita (intelligenda) sunt, ut nec mere titulares, nec alii qui vicem absentium suppleant, ad effectum electionis

(f) « Sacrosancto approbante Concilio statuimus mendicantes quoslibet, qui ad non mendicantium Ordines etiam auctoritate Apostolica transibunt, in posterum.... vocem et locum in Capitulo non habere, etiamsi hoc sibi ab aliis libere concedatur ».

faciendae constitui possint » (Apud Bizzarri, p. 75, et apud Piat, t. I, p. 501, *nota* 3).

2. Absentes suffragium per litteras mandare non possunt: prohibetur c. *Si quis,* 46, *De electione*, I, 6, in Sexto, § 3 (a).

3. Sed iis qui sunt impediti (non aliis) procuratorem constituere fas est, qui suffragium habeat in Capitulo, saltem si ex constitutionibus Ordinis permittitur: sic c. *Quia propter,* 42, *De electione,* I, 6 (b).

---

6. (a) « Absens quoque, — licet nullus de collegio velit esse procurator eiusdem, nec ipse, nolente Capitulo, extraneum valeat deputare, — non poterit aliquatenus per litteras exprimere votum suum; quia non est ante scrutinium, sed in ipso scrutinio secrete et singillatim tantummodo exprimendum ».

(b) « Illud autem penitus interdicimus, ne quis in electionis negotio procuratorem constituat, nisi sit absens in eo loco de quo debeat advocari, iustoque impedimento detentus venire non possit. Super quo, si opus fuerit, fidem faciat iuramento; et tunc, si voluerit, uni committat de ipso collegio, vicem suam ». — Ut quis procuratorem constituat tria hic requiruntur: 1° ut sit absens in loco, ubi capitulum congregari debet; 2° ut de loco, ubi est, advocari debeat et ratione huius loci ius suum non amiserit: quemadmodum in Societate professi et Superiores qui in missionibus versantur, ius suum ad Congregationem provincialem amittunt; 3° ut sit legitime impeditus. — Notandum est, in c. 46 (relato nota praeced.) impedito non prohiberi mandare extraneum (sc. qui alias ius ad Capitulum non habeat), nisi « nolente Capitulo ». Si ergo in constitutionibus Ordinis provisum est ut procurator extraneus mitti possit, Capitulum contradicere nequit. Sic in Societate Superior legitime impeditus quemcumque sacerdotem subditum ad Congregationem provincialem sua vice mittere potest. Contra Provincialis impeditus ad Congreg. generalem mittere nequit suo loco nisi unum tantum de tribus a Congregatione electis.

Piat, p. 500, q. 4, negat Regulares absentes posse procuratorem mittere: arguit ex verbis Tridentini, *sess.* XXV, c. 6 *de Regul.,* ubi in electionibus Regularium prohibetur « voces et suffragia absentium supplere »: sed haec prohibitio alio sensu videtur intelligenda; eo nempe, quod prohibetur Superioribus maioribus absentium voces supplere, nominando aliquos eorum loco. Nec Constit. *Christifidelium* Innocentii XII, nec *declaratio* S. C. C. 25 *mart.* 1636 (quas affert, p. 501, *nota* 3) aliud exprimunt. Ipse Piat fatetur alios aliter sentire et citat duas declarationes S. C. C., aliam a Bellarmino his verbis relatam: « Procuratores legitime constituti, cum generali mandato eligendi, non excluduntur, dummodo non habeant mandatum de certa persona eligenda, quia tunc votum non esset secretum »; alteram 13 *nov.* 1632: « Legitime impeditos non posse constituere vicarium vel procuratorem, cum generali mandato ad eligendum, nisi ex institutis et decretis suae Religionis id ei permissum sit ». — Nota: in his duobus responsis dicitur non posse dari procuratori mandatum de certa persona eligenda. Attamen habetur alia dispositio in cap. 46, *De electione,* I, 6, in 6°, § Porro.

4. Non autem sunt absentes qui versantur in eadem domo ubi fit electio (iuxta c. 42, *De electione*, in quo requiritur ut sit absens in loco ille, cui procuratorem mittere permittitur). Ergo si infirmi ius ad Capitulum habentes in eadem domo versantur et convenire nequeunt, eorum suffragium est expetendum per scrutatores. Ita cavetur in Societate (in *formulis* Congregationum) et in aliis Ordinibus, ut testantur Piat, p. 501, q. 4, 3° et p. 524, q. 11, 8°, et Ferraris, a. 4, n. 37.

5. Utrum qui se excusavit ne ad Capitulum iret, non obstante sua renuntiatione, mutata sententia, ad Capitulum ire possit, an e contra suum ius amiserit? — Resp.: Si renuntiatio nondum fuit acceptata, ius suum servat; si renuntiatio fuit iam acceptata, controvertitur (Piat, p. 508, q. 16). Forsan sic rursus distinguendum est: si elector, mutatis circumstantiis, iam non est impeditus, ius habet et a Capitulo repelli nequit; si contra remanent eaedem circumstantiae, quae legitimae fuerint iudicatae, ius suum amisit. — Notatur praeterea, ad vitandas difficultates, renuntiationem faciendam esse in aliqua forma authentica, ut plurimum scripto.

7. An, si aliquis admissus fuerit ad Capitulum qui ius non habebat, eo ipso vitietur electio, ita ut nulla sit reputanda? — Controvertitur. Wernz (t. II, n. 360) ait sine distinctione: quod si quis interveniat in electione canonica, qui voce activa caret, eius suffragium simpliciter non est numerandum, at ipsa electio non est invalida (propter reg. 37 Iuris in 6°: utile non debet per inutile vitiari), nisi in casibus expresse a Iure specificatis, ut si scienter admittatur excommunicandus vitandus: quia tunc nulla et irrita pronuntiatur electio. Sic etiam Suarez, l. c., c. 4, n. 9. Cf. Piat, t. 1, p. 501, *nota* 5. Item a Iure invalidatur electio, si admittatur Superior qui non affert attestationem authenticam de solutis oneribus missarum suae domui incumbentium (supra, n. 3, 4°). — Alii sic distinguunt[a]: si inhabiles scienter fuerint admissi ad electionem, eo ipso electio est nulla aut saltem a Superiore cassanda (quando scilicet petitur a Superiore confirmatio electionis, ut fieri debet); si vero inhabiles ignoranter fuerint admissi, electio valida habenda est, dummodo electus, demptis votis in-

---

7. (a) Haec secunda sententia sat facile ad priorem reducitur. Conveniret plene cum ea si probaretur Ius invalidare solummodo electiones in quibus scienter admissi fuerint inhabiles, caeteras ceu validas habere.

habilium, adhuc sufficientem numerum suffragiorum habuerit. Ita PIAT, I, p. 505, q. 9; et etiam p. 502, q. 5, 3°. Electionem esse invalidam, saltem ubi scienter admittitur inhabilis, probant ex c. *Cum inter*, 16, *De electione*, I, 6, ubi habetur: « Si constiterit quod electio facta fuerit a suspensis, ea omnino cassata[b], ipsi monasterio de persona idonea consulatur ».

8. Stricta est obligatio electorum, eligendi digniorem. — Ita TRID., *sess.* XXIV, c. 1 *de Reform.*, ubi de electoribus pronuntiat: « Eos, alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, nisi quos digniores et Ecclesiae magis utiles ipsi iudicaverint.... praefici diligenter curaverint ». Hoc decreto, quod pro electione Episcoporum stabilitum fuit, ad Regulares etiam in suis electionibus spectare, communis est sententia. Sed isti insuper de digniori eligendo iuramentum praestare debent, ex decreto *Nullus* Clementis VIII, § 36. « Iurentque electores secundum veritatem cuiusque conscientiae probriores et magis idoneos se electuros ». Attamen valida est electio minus digni, si non sit indignus (FERRARIS, v. *Electio*, a. 3, n. 16).

In Societate in electione Generalis, antequam quisque suum det suffragium, hoc iuramentum edit: « Testem invoco cum omni reverentia Iesum Christum, qui sapientia est aeterna, quod ego N. illum eligo et nomino in Praepositum Generalem S. I. quem sentio ad hoc onus ferendum aptissimum » (CONST., P. VIII, c. 6, n. 6, et litt. F). — Non fit autem iuramentum ad electionem Assistentium.

9. De voce passiva in electionibus.

1. Electi, de iure naturali, « tales esse debent qui suo muneri respondere possint »[a]; et ideo requiritur maturitas aetatis, morum gravitas et doctrina competens. Sic pluries Ius antiquum et Tridentinum.

(b) Ex his verbis « ea cassata », potius habetur validam fuisse electionem, sed esse cassandam.

9. (a) TRIDENT., *sess.* XXIV, c. 12 *de Reformatione*, circa promovendos ad dignitates in ecclesiis cathedralibus, haec habet, quae certe Praelatis regularibus etiam conveniunt: « Qui ad eas (dignitates) vocantur, tales esse debent qui suo muneri respondere possint. Nemo igitur deinceps ad dignitates quascumque, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem vigesimum quintum suae aetatis annum attigerit, et in clericali ordine versatus, doctrina ad suum munus exercendum necessaria ac morum integritate commendetur ». Similia habet *sess.* VII, c. 1 *de Reform.*, et *sess.* XXII, c. 2 *de Reform.*

2. *Debent esse professi.* — Ita c. *Nullus religiosus*, 28, *De electione* I, 6, in 6°: « Nullus religiosus ad abbatiam seu praelaturam suae vel alterius Religionis de caetero eligatur, nisi antea fuerit Ordinem regularem expresse professus. Quod si secus actum fuerit, eo ipso irritum habeatur ».

Iuxta hunc textum, professus in aliquo Ordine eligi potest in alio; id vero correctum fuit a CLEMENTE V, c. 1, *De electione:* « Prohibemus ne religiosus aliquis in Abbatem vel Praelatum alterius Religionis vel habitus de caetero eligatur. Quod si secus actum exstiterit, sit eo ipso irritum et inane ». Hanc conditionem innovat TRID., *sess.* XXV, c. 21 *de Regularibus.*

3. Debent esse *solemniter professi.* — Introducta a Pio IX in antiquis Ordinibus professione simplici post novitiatum, et declarationibus 12 *iun.* 1858 datis, ex nn. 6 et 8 (vide c. V, n. 11) pronum erat concludere professos votorum simplicium in Superiores eligi posse. Sed S. CONGR. SUPER STATU REGULARIUM interrogata « Utrum professi votorum simplicium, qui ex allato decreto, quoad iura tam gratiarum et privilegiorum, quam vocis activae et passivae, professis votorum solemnium aequiparantur, ut professi votorum solemnium in Praelatos seu in Superiores in eodem Ordine licite et valide eligi possint et valeant? » d. 6 *ian.* 1891 respondit: « Negative » [b].

4. Ex Iure communi nullum tempus professionis requiritur; quod deducitur ex TRID., *sess.* XXV, c. 7: nam ibi tempus professionis pro solis monialibus eligendis praescribitur.

5. Debent habere *aetatem competentem.* — AA. communiter exigunt annum 25 inchoatum: quod ex Trident., sess. XXIV, c. 12 (supra, nota *a*), et ex c. *Cum in cunctis*, 7, *De electione,* I, 6 concludunt (WERNZ, t. III, n. 686; PIAT, t. I, p. 510, q. 2, 4°; SUAREZ, tr. VIII, l. II, c. 3, n. 7). Imo aliqui pro Generali et Provincialibus, quia iurisdictionem habent quasi episcopalem, 30 annos requirunt, ut eodem capite 7 statuitur pro Episcopis.

6. In Ordinibus non mere laicalibus, AA. etiam requirunt *sacerdotium,* aut saltem volunt ut electus intra annum promo-

---

(b) Hoc responsum ex sua natura ad solos Ordines antiquos, in quibus introducta fuit a Pio IX professio simplex post novitiatum, referri debet: ideo Societatem Iesu non afficit. Insuper in eo de Superiorum electione in Capitulis agitur, non de libera eorum nominatione.

veri possit: arguunt ex eodem Tridentini capite [c] (Wernz et Piat, l. c.; Suarez, l. c., nn. 20-23). Certe necesse est ut ille, qui eligitur in Praelatum regularem, sit saltem clericus: secus incapax esset iurisdictione.

7. Requiritur ut electus nullo impedimento canonico detineatur. Impedimenta autem ex Iure communi ad electiones habent ii qui sequuntur [d]: *a)* Illegitimi, nisi Religio gaudeat privilegio ab illegitimitate, in ordine ad praelaturas et officia, dispensandi: qua facultate Societas donata est (vide c. II, nn. 13 et 20). — *b)* Haeretici et schismatici, etiam post absolutionem obtentam [e]. — *c)* Gravioribus criminibus rei, scilicet sacrilegi, periuri, simoniaci (saltem in propria electione), falsarii litterarum Apostolicarum, sodomiae dediti. — *d)* Infames sive iuris sive facti, durante infamia: si fuerint declarati, ait Ferraris, art. 2, n. 27. — *e)* Irregulares omnes sive ex defectu sive ex delicto, nisi ex speciali privilegio fuerint dispensati: porro cum multi Regulares habeant privilegium huiusmodi (c. XXI, n. 7) hoc impedimentum pro eis locum non habet. — *f)* Qui censuram aut poenam ecclesiasticam incurrerunt: ideo excommunicati, suspensi, personaliter interdicti aut violatores interdicti localis (quia tales fiunt irregulares). — *g)* Sententiati a S. Officio ob haeresim vel haeresis suspicionem, etiamsi poenitentiam iniunctam iam expleverint, ut statuitur in decreto Urbani VIII, d. 1 *octobr.* 1626 dato [f]: hinc nequit eligi ad prae-

(c) « Neminem deinceps ad dignitatem.... recipiant, nisi eo ordine sacro aut sit initiatus quem illa dignitas requirit, aut in tali aetate, ut infra tempus a Iure et ab hac S. Synodo statutum initiari valeat ».

(d) Cf. Wernz, t. II, n. 363, et Piat, t. I, p. 512, qq. 4, 5, 6, ubi referuntur capita Iuris quibus haec impedimenta statuuntur; item Ferraris, v. *Electio*, art. 2, n. 21 sqq. An omnia haec impedimenta sine ulla distinctione Regulares afficiant, forsan dubitare licet.

(e) Etiam nati et educati in haeresi atque haereticorum fautores quicumque. Ita enim statuitur c. *Quicumque*, 2, *De haereticis*, V, 2, in 6°: « Haeretici, aut credentes, receptatores, defensores et fautores eorum, *eorumque filii* usque ad secundam generationem, ad nullum ecclesiasticum beneficium seu officium publicum admittantur. Quod si secus actum fuerit, decernimus irritum et inane ».

(f) « SSmus D. N. decrevit et statuit ut in posterum Regulares omnes, cuiuscumque Ordinis, Religionis, Societatis et Instituti, quibus pro delictis ad S. Inquis. Officium spectantibus poenitentiae genus aliquod impositum fuerit, salutaribus poenitentiis exceptis, eo ipso ad omnes Religionis suae gradus et officia inhabiles censeantur, et deinceps,

laturas Regularis ille qui abiuravit in S. Officio etiam de levi, quia talis abiuratio est poena (Ita FERRARIS, l. c., art. 2, n. 35; PIAT, t. I, p. 514, q. 7). — *h)* Ambitiosi: scilicet, 1° ii qui suae electioni absolute consenserunt ante publicatum decretum electionis (c. 46, *De electione*, I, 6); 2° ii qui consentiunt in electionem factam per abusum potestatis civilis (c. 43, *De electione*, I, 6); 3° ii qui tam pro se quam pro aliis, tum in Capitulis tum alibi, suffragia procuraverint (CLEMENS VIII, decr. *Nullus*, § 35)(g). Cum ambitiosus reputetur ille qui suffragia sibi procuraverit, a fortiori ambitiosus habendus est qui suffragium sibi ipse dat: ita WERNZ, t. II, n. 359. — *i)* Qui semel repulsi sunt ob vitium personae, ex c. *Super eo*, 12, *De electione*. — *k)* Omnes qui incurrerunt inhabilitatem vel privationem votis passivae, saltem post sententiam declaratoriam aut culpae aut poenae(h).

Inter *inhabiles* computari etiam debent:

1° *Transeuntes* ab Ordine mendicantium ad Ordinem non

---

etiamsi poenitentiae tempus expleverint vel gratiam receperint, ad illa tamen promoveri nullatenus possint, nisi prius obtenta a SSmo D. N. vel ab hac Sacra Congregatione speciali et expressa rehabilitatione; alias promotio quaelibet nulla sit.... » (apud FERRARIS, l. c., art. 2, n. 34).

(g) « Ut omnis officiorum ambitus occasio praecludatur, caveant omnes a directa vel indirecta vocum seu suffragiorum procuratione, tam pro se ipsis quam pro aliis, tum in Capitulis locorum, tum in caeteris praesertim generalibus Capitulis aut Congregationibus, seu alibi. Quicumque secus fecerint, praeter alias poenas et censuras hactenus contra huiusmodi ambientes inflictas, quas in suo robore permanere volumus, in poenam privationis officiorum quae obtinent eo ipso incidant, et ad futura quaecumque pariter inhabiles habeantur. Super quo cum eis dispensari a nemine possit, nisi a Nobis vel successoribus nostris.... Porro supradictas omnes poenas ad complices et simpliciter scientes et non revelantes extendimus » (de vi decreti *Nullus*, vide c. XI, n. 18).

(h) PIUS V, C. *Dum ad Congregationem* (1571), Congregationi Cassinensium concessit facultatem « dispensandi ab omnibus poenis, et inhabilitatibus et infamiae macula et in pristinum statum reintegrandi », ita ut, « praemissis non obstantibus, monasteriis eiusdem Congregationis in Abbates, Priores et Praelatos praefici, necnon ad quascumque alias Congregationis praelaturas eligi et assumi...; necnon (ut electi) omnes et quascumque praelaturas, administrationes et officia Ordinis retinere, recipere, gerere et exercere libere et licite valeant ». Hanc facultatem ex communicatione privilegiorum participant mendicantes. Sed in COMP. PRIVILEG., n. 173, usus huius privilegii reservatur Generali. — Notandum est hoc privilegium non extendi ad privationes et inhabilitates, quae post annum 1571 a Summis Pontificibus, aut eorum iussu a SS. Congregationibus, cum clausulis derogatoriis privilegiorum latae fuerint.

mendicantium, etiam ex indulto Apostolico. Illi, ut supra dictum est, voce activa privantur, ut declaratur in Clementina *Ut professores*, 1, *de Regularibus;* sed etiam et passiva: ibidem etenim de iisdem additur: « Statuimus ad prioratus quoslibet, administrationes aut quaecumque in antea non assumi officia, etiam tamquam vicarios seu ministros, vel locum aliorum tenentes ; quodque animarum curam et regimen nec pro se possint nec pro aliis exercere. Quidquid autem in contrarium attentatum fuerit, sit irritum ipso iure, quovis privilegio non obstante ».

2° *Episcopi regulares*, etiamsi deposito episcopatu ad Religionem redeant. Ita PAULUS IV, C. *In sacra* (1559) § 2, qui statuit ut talis Episcopus « ad dignitates aut officia seu superioritates huiusmodi (sc. sui Ordinis) eligi, seu (ea) assequi, aut obtinere nullatenus possit, et ineligibilis ac ad ea obtinenda perpetuo inhabilis existat ».

3° *Praefecti Apostolici,* durante munere, voce passiva non fruuntur. Ita fuit responsum pro Congr. Missionis 3 *iun.* 1881 (i) et hoc responsum, saltem probabiliter, est generale (k).

10. Electio personae inhabilis. — Si facta fuerit electio alicuius *inhabilis,* electio aut est nulla aut irritanda, prout iura, quae inhabilitatem constituunt, electionem irritant aut solummodo prohibent (WERNZ, n. 364). Certo nulla est electio alicuius qui propter censuras aut poenas vindicativas indignus ex Iure habetur (ib.); item alicuius qui est inhabilis ex defectu, v. g., professionis aut aetatis.

(i) A. S. S., t. XIV, p. 430. Duplex erat quaesitum: 1 « An Vicarii Apostolici, ordine episcopali insigniti, *in Congregatione Missionis,* ius habeant vocis activae et passivae in electione Superioris Generalis, Assistentis et Admonitoris eiusdem in casu? » — Resp.: « Negative quoad vocem passivam, affirmative quoad activam, personaliter tamen exercendam » (responsio conformis est Constitutioni Pauli IV). — 2 « An Vicarii et Praefecti Apostolici, ordine episcopali haud insigniti, in Congregatione Missionis, ius habeant vocis activae et passivae in praedictis officiis in casu? » — Resp.: « Prout in primo, durante munere ». Ex discussione praehabita aliquid luminis afferri potest quoad casum generalem, sc. Vicariorum et Praefectorum cuiuscumque Religionis. Attamen responsio etiam factis particularibus nititur.

(k) CONGR. XXII, d. 41, paulo aliter de Nostris ad Episcopatum evectis statuit: « De Nostris ad Episcopatum evectis, dum actu Dioecesim vel Vicariatum Apostolicum regunt.... eos in Congregationibus nostris nec vocem activam nec passivam habere », et dantur ibidem rationes aliquae huius decreti. De Praefectis Apostolicis dignitate episcopali non insignitis nihil statuit.

Quid facere debeat ille qui, occultam habens inhabilitatem, ad dignitates vel officia eligitur aut assumitur? — Resp. Si id absque infamia potest, debet recusare; si non potest absque sui infamatione, illi consentire licet, sed recurrendo quamprimum ad S. Sedem ut dispensationem obtineat. PIAT, p. 517, q. 10. Ipse excipit casum quo electus esset inhabilis propter excommunicationem occultam: tunc, ait, non posset consentire, et citat pro se S. Thomam, 2. 2ae, q. 185, a. 2, ad 2; sed S. Thomas hoc non dicit.

11. De forma et circumstantiis electionis.

INNOCENTIUS III, in Conc. Lateranensi (c. *Quia propter*, 42, *De electione*, I, 6) haec habet: « Statuimus ut, cum electio fuerit celebranda, praesentibus omnibus qui debent, et volunt, et possunt commode interesse, assumantur tres de Collegio fide digni, qui secrete et sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, et in scriptis redacta mox publicent in communi, nullo prorsus appellationis obstaculo interiecto; ut is collatione habita eligatur, in quem omnes vel maior et sanior pars Capituli consensit. Vel saltem eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium Ecclesiae viduatae provideant de Pastore. Aliter electio facta non valeat, nisi forte communiter esset ab omnibus quasi per inspirationem absque vitio celebrata.... Electiones quoque clandestinas reprobamus, statuentes ut, quam cito electio fuerit celebrata, solemniter publicetur ».

Ex hoc maxime capite habentur omnia quae in electione, non tantum Episcoporum, sed etiam Praelatorum regularium servari debent (vide SUAREZ, tr. VIII, l. II, c. 5, n. 1). Quibus normis eae addantur quae specialiter pro Regularibus statutae sunt a TRIDENT., *sess.* XXV, c. 6.

1. Convocari debent, ab eo cui competit, omnes qui ius habent et commode venire possunt: « Praesentibus omnibus qui debent, et volunt, et possunt commode interesse ». Si vel unus qui ius habet non fuerit convocatus, ille actionem (quae *de contemptu* audit) intentare potest apud legitimum Superiorem, ut electio irritetur (a). Tempus intra quod reclamare licet, est Iure determinatum.

---

11. (a) Cap. 28 et 36 *De electione*. In isto capite dicitur: « Electionem autem, iustitia exigente, cassavimus, tum quia..., tum quia inventus est H. fuisse contemptus, icet unus solus extiterit » (vide PIAT, p. 499, q. 2).

Ex verbis « qui volunt » plures inferunt liberum esse electoribus cedere iuri suo (vide Piat, p. 506, q. 13); sed communiter censetur electores, nisi legitime impediantur, teneri ad electionem convenire. Nam ius eligendi potius in bonum communitatis quam in commodum electoris conceditur; unde elector ei renuntiare nequit (Prümmer, q. 159). Si electores vocati interesse nolunt, adhuc electio remanet canonica sine ipsis, et hoc potius sensu interpretanda sunt verba « qui volunt », ita ut voluntas, qua recusant venire, non officiat validitati electionis, dummodo fuerint convocati. — Idem dicendum est si aliqui electores, coepto iam electionis tractatu, recedant aut remanentes votare recusent (Ferraris, v. *Electio*, a. 4, nn. 15, 18, 20).

2. Electio debet fieri tempore et loco statuto. Ex Iure communi electio Episcopi perficienda est intra tres menses (c. 41, *De electione*). Sed pro Regularibus, varii Pontifices concesserunt ut electiones fierent tempore in Constitutionibus determinato. Hoc privilegium concessum fuit FF. Minoribus a Clemente iv, Const. *Virtute conspicuos* (1265) [b], deinde confirmatum a Sixto iv, in *Mari Magno* (1474), et ita factum est commune mendicantibus aliisque qui habent communicationem privilegiorum cum eis. Postea Clemens viii, dec. *Nullus*, § 36, statuit: « In Superiorum et officialium omnium electionibus forma praescripta a S. Concilio Tridentino et Ordinis constitutionibus inviolabiliter servetur ».

Electio fieri non debet de nocte, nisi ob urgentem causam (Ferraris, v. *Electio*, a. 4, nn. 79, 80): quae de nocte fieret non esset invalida, sed rescindibilis, propter fraudis suspicionem (Wernz, n. 368; Piat, 519, q. 4).

Locus non est de substantia electionis (vide Ferraris, l. c., a. 4, n. 70).

12. Forma substantialis electionis, sine qua invalida est, triplex distinguitur, ex c. 42, *De electione*, supra citato, nempe scrutinii, compromissi et inspirationis.

(b) « In electionibus quoque Generalis et Provincialium Ministrorum ipsius Ordinis, Fratribus qui debent electionem huiusmodi celebrare, cum eos frequenter de remotis partibus oporteat convenire, tempus super hoc a Iure constitutum non currat, nec ipsi in hac parte Iuris huiusmodi regulis coarctentur ». — Ergo datur uti ratio huius concessionis longius tempus quod requiritur ut Fratres e locis longinquis convocari possint.

Porro religiosos, nisi privilegium speciale habeant, sola forma scrutinii iam valide uti posse, multi docent propter Trid., *sess.* xxv c. 6, *de Regul.* Ita Wernz, t. ii, n. 370, et t. iii, n. 687; Piat, t. i, p. 496, q. 3, quamvis ipse non ita decise pronuntiet. Prümmer, q. 156, scribit: « Pro electione Praelatorum Regularium, forma per inspirationem abolita videtur post Tridentinum; forma autem commissionis et scrutinii adhuc viget. »

Tridentini verba, l. c., haec sunt: « In electione Superiorum quorumcumque, quo omnia recte et sine ulla fraude fiant, in primis S. Synodus districte praecipit omnes supra dictos *eligi debere per vota secreta*, ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur.... Si vero contra huius decreti constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita erit ». Hoc statuto, aiunt, omnino prohiberi videtur electio per inspirationem: nam non fit per vota secreta. Afferunt insuper plures decisiones S. Congr. Conc.: unam, d. 3 *oct.* 1585: « Quod electiones Regularium non possunt fieri per compromissum vel per communem inspirationem »; aliam: « Ad electionem Superiorum Regularium nullo penitus alio modo, quam per scrutinium et vota secreta esse procedendum, nec alii duo modi per compromissum vel per inspirationem, qui approbantur in c. *Quia propter*, 42, *De electione*, possunt habere locum in electione Regularium » (refert Piat, t. i, p. 497, q. 3). — Fagnanus (in Const. *Quia propter*, n. 30) refert quaesitum Carthusianorum et responsionem datam: « An in electione Superiorum possit procedi nedum per viam scrutinii, sed etiam inspirationis vel compromissi » — S. C. C. « censuit electionem horum Praelatorum Regularium debere fieri tantum per vota secreta, ut se habent verba propria Concilii (apud Ferraris, a. 4, n. 29). — Verum multi etiam magni nominis Doctores, inter quos Schmalzg. (t. i, tit. vi, *De electione*, n. 87) dicunt Tridentinum tantum prohibere ne vota publicentur quando electio fit per scrutinium, sed tunc secreta serventur, et ideo non reprobari a Tridentino electionem per inspirationem nec per compromissum. Ferraris, l. c., n. 30, rem dubiam relinquit.

In Societate, quamvis Formula Congregationis generalis facta fuerit in Congr. iv (1581), post Tridentinum igitur, et post supradictas responsiones pluries correcta fuerit, attamen n. 43, forma per inspirationem, et nn. 48 et 49, forma per compromissum licitae habentur[a].

---

12. (a) Forsan dici posset Societatem, etiamsi communiter aliis Regularibus post Tridentinum sola via scrutinii iam uti liceat, speciale habere

13. Quinque actus substantiales in electione per scrutinium. — Electio per scrutinium, ut sit legitima et valida, quinque actibus, ex c. 42 *De electione* desumptis, peragenda est (Wernz, n. 371) [a]. Quos praecedere debent, sed uti forma accidentalis quae validitati electionis non officit, aliqui alii actus: nempe, electorum examinatio, ut constet an legitime electi fuerint et proinde ius ad electionem habeant, celebratio missae de Spiritu Sancto, eiusdem Spiritus invocatio die electionis, electorum communio, protestatio contra hos qui ius eligendi non haberent, absolutio a censuris, iuramentum de digniore eligendo, praevius inter electores consultationis tractatus de eligendis eorumque meritis (Wernz, n. 369; Piat, p. 520 et sq.; Ferraris, a. 4, nn. 5-13).

De his actibus accidentalibus haec notanda veniunt:

1° *Tractatus consultatorius*, ex aliquorum sententia (Piat, p. 521, q. 8; Ferraris, art. 4, n. 5) est necessarius ex rei natura, imo habetur ut substantialis; alii utilem quidem, sed non necessarium, imo nec iure praescriptum existimant (Wernz, n. 369). Debet autem ita fieri ut nemo nec pro se, nec pro alio suffragia procurare videatur (Decreto *Nullus*, n. 35). Attamen Piat, p. 537, q. 3, 2°, censet licitum esse suffragia procurare alicui, qui dignior reputatur, dummodo absit pactum vel conventio de tali eligendo: quia, ait, finis harum legum est impedire ne eligantur indigni aut minus digni; imo hanc sententiam communem vocat.

2° *Protestatio* fit ut, si qui adessent ius non habentes, per eam stet eos non scienter admitti, et proinde electio hoc vitio non existat invalida (vide supra, n. 7).

3° *Absolutio* a censuris et irregularitatibus: primo, non valet nisi ad effectum legitimae electionis, et secundo, nonnisi pro censuris et irregularitatibus a quibus absolvere aut dispensare possunt Superiores Ordinis, minime autem pro censuris

---

privilegium, vi C. *Ecclesiae Catholicae* Gregorii xiv (1591). In ea enim dicitur: « Statuimus, decernimus et ordinamus, ut in Societatis praedictae Congregationibus *eo prorsus modo procedatur*, atque ea tantum tractentur et definiantur, *quae in Constitutionibus ac Congregationum generalium decretis statutum iam est vel in posterum statuetur* ». Porro in Constitutionibus triplex forma electionis admittitur.

13. (a) Wernz, t. iii, n. 687, ait: « Scrutinium (apud Regulares) generatim fiat necesse est ad tramites Iuris communis et speciatim c. 42, *De electione*, nisi iure singulari Regularium vel specialibus religiosorum Ordinum statutis legitimae immutationes fuerint introductae ».

et irregularitatibus quas SS. PP. saepe sibi reservant (Piat, p. 522, q. 9).

4° *Iuramentum* praescribitur in decreto *Nullus* Clementis VIII (1599), § 36: « Iurentque electores secundum veritatem cuiusque conscientiae, probriores et magis idoneos se electuros ». Iuramentum autem non esse de Iure communi actum substantialem, habetur ex decreto S. Congr. EE. et RR., quod refert Ferraris, a. 4, n. 11: « S. Congr., hoc non obstante (sc. constitutione Ordinis iuramentum praecipiente), resolvit pro validitate electionis (in quo iuramentum fuerat omissum), cum constitutio illa de iuramento praestando non habeat in specie clausulam annullativam actus contrarii ». Haec responsio probat etiam clausulam talem non esse in decreto Clementis VIII, neque in eiusdem confirmatione ab Urbano VIII, contra id quod aliqui volunt (videatur Ferraris, a. 4, nn. 6-12).

Quinque actus substantiales sunt: 1. deputatio trium scrutatorum; 2. secreta suffragatio; 3. scrutinii publicatio; 4. suffragiorum collatio; 5. decretum electionis.

De his pauca (vide Piat, p. 524, q. 11).

1° *Deputatio trium scrutatorum* [b]. Scrutatores iuramentum praestare debent se fideliter suum munus exsecuturos.

2° *Secreta suffragatio* [c]. Fit communiter per schedulam. Etiam fieri potest viva voce apud tres simul scrutatores, qui suffragium scribant (Wernz, n. 371, II). Per talem modum non censetur violari secretum scrutinii: scrutatores ad silentium super votis tenentur. — Quamvis secreta suffragatio praescribatur, electio tamen non irritatur per quamlibet secreti violationem, sed tantum per eam quae fini legis adversetur. Ideo valida remanet: *a)* si aliquis schedulam suam alicui manifestet, quamvis peccet is qui sic agit: haec sententia est saltem probabilior (vide Piat, p. 526, q. 12); *b)* si quis, etiam publice, manifestet votum suum, dummodo Capitulum protestetur et suffragium reiiciatur: quia electio imperitia aut malitia alicuius vitiari non debet; *c)* si suffragia eligentium, post peractam et consummatam electionem, per electores aut scrutatores

---

(b) « Assumantur tres de collegio fide digni » (c. 42, *De electione*, I, 6). Apud nos unus est ipse Praeses Congregationis, cui duo per electionem adiunguntur.

(c) Vide supra, n. 12, textum Tridentini (*sess.* XXV, c. 6 *de Regul.*), quo secreta suffragatio sub poena nullitatis in electionibus Regularium praescribitur.

temere propalentur: quamvis enim hi peccent, attamen talis publicatio sinceritati electionis factae non nocet (Schmalzgr., tomo I, tit. VI, n. 88; Ferraris, a. 4, nn. 31-36; Piat, p. 527, q. 12, 7°)(d). — Certum est contra, si suffragia in ipsa scrutinatione, Capitulo non protestante, propalentur, vitiari electionem; probabiliter, etiamsi ab uno tantum fiat: quia tunc Capitulum admittit violationem secreti a Tridentino cum conditione irritante praescripti (Vide Piat, q. 12, 3° et 4°).

Praeterea suffragatio *libera* esse debet. « Cessat electio, dum libertas adimitur eligendi » (c. *Ubi periculum*, 3, *De electione*, I, 6, in 6°). Inde, si fieret ex gravi metu ab extrinseco et iniuste incussa, electio esset a Superiore irritanda: scilicet est rescindibilis, non autem indubie ipso facto irrita aut nulla, nisi talis ex iure speciali declaretur: ita Wernz, n. 371, II. Sed Piat, p. 541, q. 2, et Ferraris, a. 4, n. 51, eam irritam habent(e).

Pluries declaratum fuit illicitum esse Superiori minuere libertatem electionis, proponendo aliquos ex quibus unus sit eligendus (Ferraris, n. 52; Piat, p. 543, q. 6); nisi fiat a Summo Pontifice, qui, etiam praetermissa electione, aliquem libere nominare posset. — Nequit Superior ullum excludere ex his qui habent ius, et quidem non tantum congregato iam Capitulo, sed nec per mensem ante illud (vide supra, n. 5, decretum Pauli V, a. 1606).

3. *Scrutinii publicatio.* Omnia suffragia, a tribus scrutatoribus electis examinata, alta voce publicari debent, ut sic constet de eorum numero et quot quisque vota habuerit. Utile est prius suffragia computare, ne aut aliqua suffragia desint aut plura inveniantur quam sint vocales, et inde dubia evadat electio; attamen computatio ista non praescribitur. Publicatis suffragiis iam non licet electoribus mutare sententiam: ita c. *Publicato*, 58, *De electione*, I, 6: « Publicato scrutinio, variare nequeunt electores, cum sit facienda collatio et electio celebranda ». Imo nunc, cum electio Regularium fiat secretis

---

(d) In textu Tridentini clausula irritans, aiunt, cadit in phrasim « S. Synodus districte praecipit omnes supradictos eligi debere per vota secreta », non autem supra aliam « Ita ut singulorum eligentium nomina *nunquam* publicentur ». Ex his ultimis verbis habetur quidem illicitam esse suffragiorum publicationem, etiam electione peracta: non autem electionem legitime factam per hanc publicationem invalidari.

(e) Est applicatio principiorum communium de metu dante causam contractui.

suffragiis, postquam aliquis suffragium in urnam misit, iam mutare sententiam nequit (FERRARIS, art. 3, n. 22).

4. *Suffragiorum collatio.* Olim, cum requirebatur ut electio fieret a maiore *et saniore* parte Capituli (c. 42, *De electione*), collatio fiebat de numero ad numerum, de zelo ad zelum, de merito ad meritum; sed postquam Tridentinum, *sess.* XXV, c. 6 *de Regul.*, praescripsit ut electiones Superiorum Regularium fierent per secreta suffragia, impossibilis evasit collatio de zelo ad zelum, de merito ad meritum, et fit tantum collatio de numero ad numerum. WERNZ, n. 371, IV; PIAT, p. 530, q. 15, 3°; FERRARIS, art. 4, n. 44.

Porro suffragia debent esse certa: non computantur suffragia conditionata, alternativa (eligo hunc vel illum), vel dubia (f); nec computantur schedulae albae, vel inutiles (ut si quis vocem det alicui ineligibili). PIAT, p. 508, q. 17, et p. 529, q. 14. Ideo, subtractis his omnibus vocibus, requiritur maior pars absoluta suffragiorum quae remanent; non sufficit relative maior. Ita cap. 42, *De electione:* « Is collatione habita eligatur, in quem omnes vel maior et sanior pars Capituli consenserit ». Imo aliquando Ius aut Constitutiones exigunt duas tertias partes, v. g., in reelectione Generalis suo officio defuncti. — In electionibus autem praeviis, v. g., scrutatorum, sufficit pars relative maior.

Maior pars habetur, etiamsi dimidiata tantum voce mediam partem superet, v. g., si ex 19 suffragiis, decem in eumdem concurrant (PIAT, p. 531, q. 15; FERRARIS, a. 4, n. 44). Hoc sufficit ad legitimam electionem, nisi tamen ex speciali lege aliter constituatur. Sic apud FF. Praedicatores, quando electus est praesens, requiritur ut maior pars duobus votis alteram partem excedat; et hoc sapienter, ne maiore parte minorem unica voce superante, si forte electus sibi suffragium dederit, aliquis propter vocem, quam sibi dederit, eligatur. Sic etiam in Societate, in Congr. Procuratorum quando fit votatio de cogenda aut non cogenda Congregatione generali, si numerus suffragiorum sit impar, requiritur ut pars maior alteram tribus vocibus superet (Congr. XIV, d. 6).

(f) Cap. 2, *De electione,* in 6°: « In electionibus et postulationibus ac scrutiniis vota conditionalia, alternativa vel incerta penitus reprobamus; statuentes ut, huiusmodi votis pro non adiectis habitis, ex puris consensibus celebretur electio; voce illorum, qui pure non consenserint, ea vice in alias residente ».

Si in primo scrutinio, nullus maiorem partem absolutam suffragiorum obtinuerit, fit secundum et etiam tertium et quartum scrutinium. Qua lege fieri debeant, ut facilius ad absolutam maioritatem perveniatur, ex peculiaribus statutis habetur(g).

5. *Decretum Electionis.* Illico post suffragiorum collationem, coram omnibus, ab eo qui praeest aut ab alio, v. g., a secretario, iuxta speciale Ordinis statutum aut consuetudinem, promulgandum est quisnam sit electus; nec ulla admittitur tunc protestatio aut appellatio (c. 42 *De electione*). De forma decreti, vide SUAREZ, tr. VIII, l. II, c. 5, n. 24, ubi explicat haec verba: « et collatione facta, is *eligatur* ».

Electus per hoc decretum ius ad rem acquirit (vide PIAT, p. 546, q. 1).

14. Acceptatio et confirmatio electionis(a). — Ea quae post electionem fieri debent, statuuntur in c. *Quam sit*, 6, *De electione*, I, 6, in *sexto:* « Hoc perpetuo decreto statuimus ut, si quando fuerit electio in aliqua ecclesia celebrata, electores electionem ipsam, quam citius commode poterunt, electo praesentare et petere consensum ipsius procurent. Electus vero illum exhibere infra mensem a tempore praesentationis huiusmodi teneatur. Quem si electus ipse ultra praestare distulerit, iure, si quod ei ex sua electione fuerit acquisitum, ex tunc a se noverit eo ipso privatum, nisi forsan.... Caeterum quivis electus, intra tres menses post consensum electioni de se celebratae praestitum, confirmationem electionis ipsius petere non omittat. Quodsi, iusto impedimento cessante, infra huiusmodi trimestre tempus omiserit, electio eadem eo ipso viribus vacuetur ». Haec, de electione quidem Episcopi statuta, ad alias electiones translata sunt. Ergo iuxta hunc canonem: 1° Facta electione, ea electo forte absenti statim intimari debet, eiusque consensus est requirendus. Ex c. 16 *De electione*, in 6°, octo dies tantum ad electionem intimandam conceduntur, nisi commode infra hoc tempus fieri nequeat. 2° Electus infra mensem

---

(g) In NORMIS, a. 1901, post tria scrutinia inutilia, in Europa electio ad S. Congr. transit (*art.* 233). Extra Europam fit scrutinium quartum intra duos qui in tertio scrutinio erant numero potiores, et si hi in quarto scrutinio voces numero pares obtinuerint, eligitur qui prior vota nuncupaverit (*art.* 234).

14. (a) PIAT, t. I, p. 546 et ss. — WERNZ, t. II, n. 380.

(aut forsan aliud tempus iure speciali determinatum) electionem acceptare tenetur, aut, si est ei licitum, eidem renuntiare : quod si non fecerit, ab omni iure acquisito decidit. 3° Qui autem ante decretum consenserit, ambitiosus habetur, iure cadit et fit ineligibilis [b]. 4° Electio ab immediato electi Superiore confirmanda est: et ideo confirmationem electus petere debet infra tempus determinatum, secus omni iure quaesito destituitur. Sed plerique Ordines privilegium obtinuerunt, quo Generalis canonice electus eo ipso a S. Sede confirmatus censetur et statim administrationem suscipere potest. Clemens IV concessit FF. Minoribus Conventualibus, C. *Virtute Conspicuos* (1265), § 1. Hanc Constitutionem confirmavit Sixtus IV, in *Mari Magno* (Const. *Regimini*, 1474) § 3 [c], et illud privilegium factum est commune Mendicantibus aliisque qui communicationem privilegiorum cum Mendicantibus habent. Societas directe idem privilegium habet a Paulo III, Const. *Licet debitum* (1549) [d]. — Contra in Normis a. 1901 exigitur specialis confirmatio electionis a S. Sede (art. 239).

Ante confirmationem specialem, si requiritur, electus administrationi sive spirituali sive temporali sese immiscere nequit. Quod si faciat, iure quaesito cadit, et electio cassanda est (c. *Avaritiae*, 5, *De electione*, in 6°. — Wernz, n. 381).

Confirmatione electus ius in rem acquirit, et iam officio suo absque Superioris sui consensu renuntiare nequit (Wernz, n. 385, 1 ; Piat, p. 547, q. 3). Unde Generalibus non licet sine S. Pontificis consensu suum officium abdicare [e].

(b) Ita ex c. *Cum post*, 46, *De electione*, 1, 6 : « Quia tandem examinato processu electionis tuae, invenimus eam post publicationem consensuum et collationis tractatum aliquamdiu fuisse protractum, assensumque tuum, priusquam electus fueris, requisitum : electionem eamdem, ex ipsius duntaxat inordinato processu, iustitia cassavimus exigente ».

(c) « Successores tui.... statim postquam electi secundum Regulam et Constitutiones fuerint, eo ipso veri eiusdem Ordinis Generales Ministri effecti, curam animarum Fratrum ipsius Ordinis plenam habeant et libere gerant ».

(d) « Ut Praepositus Generalis dictae Societatis pro tempore existens, cum primum iuxta Constitutiones eiusdem Societatis in illius Praepositum electus fuerit, eo ipso verus ipsius Religionis Generalis Praepositus, cum libera, generali et omnimoda cura et administratione omnium et singulorum, sit et esse censeatur, ac suum Praepositi officium in omnibus exercere incipiat, ac plenam in universos socios.... iurisdictionem exerceat.... concedimus ». Cf. Comp. Privil., n. 278.

(e) Piat, p. 550, *nota* 3, aliam refert sententiam, quam reiicit, his verbis

15. Appellatio contra electionem. — Intra ipsam electionem, nullam interponere licet appellationem (ex cap. 42, *De electione*, 1, 6 — supra, n. 11). Peracta autem electione, appellationem omnes facere possunt statim post decretum electionis, protestando contra electionem factam. Quod si tunc electioni non contradixerint, postea ipsis appellatio non permittitur nisi sub quibusdam conditionibus : ita ex C. *Nulli*, 8, *De electione*, in 6°[a] (Wernz, n. 386).

16. Electio invalida esse potest.

1. *Ex parte eligentium :* 1° quia non fuerint vocati quotquot ius habebant, et non vocati (etiam unicus) actionem *de contemptu* intentant (n. 11, 1). Electio tunc quidem irritari debet, non videtur autem ipso facto irrita (Piat, p. 499, q. 2)[a]; 2° quia indebite aliqui admissi fuerint qui vocem activam non haberent (supra, n. 7).

2. *Ex parte electi*, qui sit ineligibilis (supra, n. 9).

3. *Ex parte ipsius electionis*, vel ex defectu formae substantialis (supra, nn. 12 et 13), vel propter defectum alium quo fuerit electio vitiata, maxime propter metum, subornationem et simoniam (Prümmer, q. 163). De *metu* iam dictum est; de duobus aliis defectibus aliquid addendum remanet.

Subornatio[b] est actus quo quis sibi aut alii suffragia in-

---

conceptam : « Cum Generalis Ordinis regularis non accipiat specialem confirmationem a Sede Apostolica, ideo etiam post electionem ab eo acceptatam, poterit in manibus eligentium seu Capituli generalis renuntiare ».

15. (a) « Nulli licere decernimus, postquam in scrutinio nominaverit aliquem, et electio fuerit subsecuta, vel postquam praestiterit electioni de ipso ab aliis celebratae consensum, illum super electione ipsa, nisi ex causis postea emergentibus impugnare, vel nisi ei morum ipsius, antea celata, de novo pandatur improbitas, seu alicuius alterius latentis vitii vel defectus, quod verisimiliter ignorare potuerit, veritas reveletur. De eiusmodi autem ignorantia fidem faciat proprio iuramento ».

16. (a) Ex cap. 28, *De electione*, 1, 6, ubi electio in casu infirmanda dicitur. Idem repetitur *cap.* 36 eiusdem tituli.

(b) De subornatione, vide Piat, t. 1, p. 537. Ipse censet (q. 2) subornationem, quae fit ex bono fine et mediis ex se honestis ut dignus eligatur, non prohiberi ; imo dicit hanc sententiam esse communem ; fatetur tamen sententiam contrariam validum habere argumentum ex decreto *Nullus* Clementis viii, § 35, ubi quaecumque subornatio prohibetur : « Ut omnis officiorum ambitus occasio praecludatur, caveant omnes a directa vel indirecta vocum seu suffragiorum procuratione, tam pro seipsis quam pro aliis ».

debite comparat. Quaeritur an electio subornatione reddatur invalida? — Resp. 1° Si non fuerit electus ille in cuius favorem subornatio facta fuit, non est cur invalida censeatur electio; quamvis alii aliter sentiant (vide PIAT, p. 539, q. 6). — 2° Si autem ille electus fuerit in cuius favorem facta est: tunc vel subornationi adiuncta est simonia, vel simplex adfuit subornatio. In casu subornationis mixtae cum simonia, nulla est electio, etiamsi electus eam prorsus ignoraverit; nisi tamen simonia commissa fuerit in fraudem, praecise ut invalida esset electio (ita ex Extrav. comm. *Cum detestabile*, 2, *De simonia*, et c. *Nobis*, 27, de eodem tit.). In casu subornationis simplicis, si ipse electus subornationem commisit, aut si fuit complex, vel etiam simpliciter conscius et non revelaverit, nulla dicenda est electio: ita ex decreto *Nullus*, § 35, ubi electus incurrit poenam privationis officii quod obtinet et inhabilis declaratur ad quaecumque alia [c]. Si autem ille, in cuius favorem facta fuit subornatio, eam penitus ignoraverit, FERRARIS (a. 4, n. 54) adhuc eam irritam habet, sed argumento non convincente, PIAT casum non examinat.

Simonia in electione habetur, si quis dat aut promittit pecuniam vel beneficium quodcumque temporale, sive ad obtinendum alicuius suffragium; sive ad obtinendum ut quis in electione a suffragio pro digno abstineat; sive ut electioni factae aliquis non contradicat aut a contradictione cesset.

Electio, ubi intervenit simonia, non est nulla nisi simonia fuerit externe manifestata: non sufficit simonia pure mentalis. Utrum autem sufficiat simonia conventionalis, aut requiratur simonia saltem ex parte realis, controvertitur. Vide PIAT, p. 533, q. 4. — An semper sit nulla electio simoniaca, etiamsi electus ignoraverit simoniam aut illi contradixerit, quaestio est satis intricata. Vide PIAT, p. 532, q. 3.

Notandum de Capitulationibus. — Capitulationes sunt pacta seu conventiones quibus ante electionem electores ad aliquid sese obligant. Sunt omnino prohibitae: ita INNOCENTIUS XII

(c) Post verba nota praecedente citata, pergitur: « Quicumque secus fecerint, praeter alias poenas et censuras,... in poenam privationis officiorum, quae obtinent, eo ipso incidant, et ad futura quaecumque pariter inhabiles habeantur.... Porro supradictas omnes poenas ad complices ac simpliciter scientes et non revelantes extendimus ».

statuit, Constit. *Ecclesiae Catholicae* (1695)[d]. Ibi (§ 9) hae capitulationes nullae declarantur, etiamsi iuramento firmatae fuerint; non tamen irritantur electiones ipsae quas huiusmodi capitulationes praecesserint.

17. Conditiones quibus subiacet institutio inferiorum Praelatorum, quando relinquitur liberae nominationi Praelati supremi aut medii. — In Iure communi nihil invenitur de hac re, sed servandum est quidquid in statutis singularum Religionum fuit approbatum. Haec tamen in genere dici possunt (Suarez, tr. VIII, l. II, c. 6, n. 22):

Ex parte Praelati qui nominat, requiritur ut sit legitimus et suam potestatem non habeat suspensam aut impeditam.

Ex parte Praelati qui nominatur, in eo inveniri debent omnes conditiones a Iure requisitae ex parte eligendi; eae enim conditiones non exiguntur propter specialem modum institutionis per suffragia in Capitulis, sed propter praelaturam ipsam ad quam aliquis est promovendus.

Circa modum vel formam provisionis, nil speciale praescribitur, et ideo per se sufficiunt quaecumque verba vel signa, quibus clare manifestatur Praelati eligentis voluntas conferendi alicui talem praelationem cum eius actuali exercitio: debet autem haec voluntas aliquo modo promulgari.

Haec in genere dici possunt; sed si quae sint specialia statuta in aliqua Religione, ea omnino servanda sunt.

SECTIO II.

18. De Congregationibus. — In Societate non adhibetur vox *Capitulum*, sed eius loco vox *Congregatio*.

Congregationes sunt triplicis speciei: generalis, provincialis et Procuratorum.

In Constitutionibus, in formulis Instituti et in Bulla *Ecclesiae Catholicae* Gregorii XIV, ample definitur nullam fieri

---

(d) « Porro ad penitus extirpandum atque evellendum abusum capitulationum, pactionum, conventionum.... quae perperam atque adversus SS. Canonum et Constitutionum Apostolicarum dispositionem, occurrente ecclesiarum.... seu monasteriorum quorumvis vacatione,... sive ante sive post electionem interdum iniri.... consueverunt: districte prohibemus et interdicimus ne capitulationes, pactiones, conventiones.... huiusmodi ante ipsam quidem electionem.... de caetero inire audeant *quovis modo* seu praesumant » (ita § 9).

in Congregationibus electionem personarum ad officia et praelationes Societatis, nisi sequentes. In Congregatione generali fit electio Praepositi Generalis in locum Generalis demortui, Assistentium et Admonitoris. In Congregatione provinciali, eliguntur deputati ad Congregationem generalem, aut Procurator ad Congregationem Procuratorum. Nominatio autem Provincialium, Superiorum localium et aliorum quorumcumque tota est apud Praepositum Generalem. Ita in Const., P. IX, c. 3, nn. 14 et 16. Cf. Comp. Privil., n. 279 (a).

Ibidem statutur consensum Congregationis aut Capituli minime requiri ad celebrandos contractus, sed eos iniri et per-

---

18. (a) Gregorius XIV haec habet: « Perpendentes primum quidem, quod modus ille res et negotia per Capitulum definiendi, optimum Societatis ordinem ac universam gubernandi rationem prorsus everteret...; deinde, quod ratio capitularium electionum maxima ipsi Societati inferret incommoda: in qua, licet electiones quidem primariae, cuiusmodi sunt Generalis Praepositi ac illius Assistentium ac Admonitoris in generalibus Congregationibus, in provincialibus vero, tam eorum qui Generalem Praepositum eligere, vel generali ipsi Congregationi cum suffragii iure interesse (debent), quam Procuratorum etiam, qui e singulis provinciis quolibet triennio in Urbem ad Procuratorum Congregationem mittuntur, et eiusmodi quaedam aliae electiones, per secreta scrutinia et decisiva suffragia fiant; in reliquis nihilominus proprii cuiusque gradus iudicium, et officiorum discretio ac distributio, iuxta Constitutiones easdem et Apostolica diplomata ipsius Instituti confirmatoria,... tota est in Praep. Generalis manu; hac nostra perpetuo valitura Constitutione, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus (sc. Apostolica) statuimus, decernimus et ordinamus ut in Societatis praedictae Congregationibus quibuscumque, *eo prorsus modo procedatur, atque ea tantum tractentur et definiantur quae in Constitutionibus ac Congregationum generalium decretis statutum iam est vel in posterum statuetur* ut in iisdem Congregationibus tractentur ac definiantur. Electio vero Superiorum, tam Provincialium et Visitatorum, quam quorumcumque localium, tota sit penes Praep. Generalem, iuxta Constitutiones easdem;... omnis vero auctoritas, omnes denique facultates, per dictae Societatis Constitutiones et Apostolica diplomata Praeposito Generali concessae.... integre et inviolabiliter conserventur.... ». — In fine tandem huius Constitutionis declaratur « praesentes (litteras) et in eis contenta quaecumque.... sub quibusvis gratiarum revocationibus.... aut aliis contrariis dispositionibus non comprehendi, sed ab illis semper excepta.... fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ». — Verum quidem est, non obstantibus talibus clausulis, privilegia ab uno Pontifice concessa ab alio revocari posse; sed hae clausulae saltem id efficiunt, ut de revocatione certis probationibus constare debeat.

fici a Superiore locali, ex commissione solius Generalis. Const., P. ix, c. 3, nn. 5 et 7; Congr. i, d. 100; et Pius v, Const. *Innumerabiles fructus* (1568). Cf. Comp. Privil., n. 284.

Etiam definitum est Praeposito Generali potestatem esse novas provincias condendi, acceptandi nova collegia et novas domus, quin ad hoc requiratur ullius Congregationis aut Capituli consensus. Congr. i, decr. 108; Congr. ii, decr. 36; Congr. iv, decr. 6; Pius vii, Const. *Sollicitudo* (1814). — Cf. Comp. Privil., n. 281.

19. Congregatio generalis.

1. *Quando coadunari debet?* — Haec ex Const., P. viii, c. 2 habentur: *a)* Non congregatur certis temporibus aut crebro. *b)* Congregatur post mortem Praep. Generalis ad eligendum eius successorem. *c)* Vivente Generali congregatur, si Generalis ab officio suo esset removendus, sive quia indignus fuisset effectus, sive quia inutilis evasisset (nihilominus, in secundo casu Congregatio tunc tantum esset adunanda, quando ipse Generalis Vicarium nominare aut non posset aut nollet, et consultis provinciis, Congregatio necessaria iudicaretur. Congr. viii, decr. 28 et 29; Congr. xii, d. 55); aut si ita resolveret Congregatio Procuratorum (vide infra, n. 20); aut tandem, « cum deliberandum esset de rebus perpetuis et magni momenti, quales essent, v. g., collegia vel domos dissolvere aut alio transferre, vel res admodum difficiles ad universam Societatem spectantes, vel rationem procedendi in illa pertractare ad maius divinum obsequium » (Const., P. viii, c. 2, n. 2).

Collegiorum dissolutio etiam fieri potest sine Congregatione, « missis nimirum suffragiis ab his qui ius habent ». Const., P. iv, c. 2, litt. A[(a)]. — Potest etiam Congr. Generalis in antecessum dare Praep. Generali facultatem ea dissolvendi. Hoc fecerunt variae Congregationes: Congr. xi, d. 16; Congr. xvii, d. 14; Congr. xx, d. 20; Congr. xxi, d. 9; Congr. xxii, d. 18; Congr. xxiii, d. 41; Congr. xxiv, d. 28; Congr. xxv, d. 17.

Innocentius x, Const. *Prospero* (1646), durante Congregatione viii, iussit Congregationem generalem cogendam esse

---

19. (a) Congr. iv, decretis 23 et 27 definivit, in hoc casu expetenda esse suffragia Provincialium Europae, et duorum antiquissimorum professorum singularum Europae provinciarum, necnon Assistentium, Procuratoris generalis et Secretarii Societatis. Simul decrevit dissolutionem hoc modo non esse faciendam, nisi omnino exspectari non posset proxima Congregatio generalis.

singulis novenniis. Suspensio eius Brevis pluries impetrata est, donec totalis eius abrogatio a Benedicto xiv fuit concessa, Const. *Devotam* (1746)[b].

2. *A quo convocatur?* — A Vicario generali, quando agitur de electione novi Praep. Generalis, in loco demortui; a Praeposito Generali, si coadunanda est ad graviora negotia; a PP. Assistentibus, si deponendus esset P. Generalis, aut, ipso facto inutili, Vicarius foret ipsi nominandus (Const., P. viii, c. 4, et c. 5, n. 2; P. ix, c. 5, n. 4).

3. *Quinam convocari debent?* — Ad Congregationem generalem veniunt Provinciales ex Europa, cum duobus professis quatuor votorum ex singulis provinciis in Congregationibus provincialibus electis: ita P. viii, c. 3, n. 1. — Congregatio xxii, d. 29, concessit provinciae Marylandiae ut eius Provincialis cum duobus electoribus ad Congregationem generalem veniret. Idem ius provinciae Missourianae concessit Congr. xxiii, d. 11. Potestate a Congr. xxv, d. 8, Praep. Generali facta erigendi « missiones transmarinas in provincias, easque sic erectas iuribus provinciarum augere, ita ut vel Provincialis cum duobus electoribus ad Congr. generalem venire possit, vel etiam quoad caetera, v. g., quoad Congregationem Procuratorum, regantur iure communi Societatis, perinde ac reliquae provinciae in Europa sitae »: R. P. Wernz, Praep. Generalis, d. 7 *iunii* 1907, tres novas provincias in America septentrionali

---

(b) Revera, intra quindecim annos post Breve Innocentii x (1646), Congregatio generalis ante expletum novennium, ad nominandum novum Generalem in loco demortui, ter fuit adunanda: scilicet, Congr. ix anno 1649, Congr. x anno 1652, et Congr. xi anno 1661 locum habuere. — Anno 1668 impetrata fuit a Clemente ix suspensio Brevis Innocentii: quam concessit usque ad proximam Congr. generalem ex Instituto celebrandam. Haec Congregatio xii celebrata fuit anno 1682. Deinde anno 1687, ante expletum novennium, congregata fuit Congregatio xiii ad eligendum novum Generalem. Is fuit P. Thyrsus Gonzalez; qui post novennium, scilicet anno 1696, Congregationem xiv convocavit, et anno 1705, post novum novennium, Congregationem xv. Priusquam autem ista coadunaretur, e vita decessit P. Gonzalez. — Congregationes autem non habitae sunt annis 1714 et 1723; sed tantum a. 1730 Congregatio xvi, ad electionem novi Praepositi. Anno 1739 nulla habita fuit. Tandem a. 1746 Benedictus xiv abrogationem Brevis Innocentii x concessit. — Quamvis nullum documentum habeatur, quo constet cur non habitae sint Congregationes annis 1714, 1723 et 1739, vix tamen dubitari potest eas non nisi ex concessione S. Sedis fuisse omissas.

erexit, sc. Mexicanam, Canadensem et Neo-Aurelianensem, easque praedictis iuribus instructas declaravit: quod decretum d. 15 *aug.* eiusdem anni promulgatum est. — Assistentes quoque vocem activam ad electiones habent (Congr. I, d. 90) et deinde, etiam si non fuerint iterum electi, ad negotia (Congr. II, d. 3). — Post electiones, admittuntur ad negotia Procurator generalis, Secretarius Societatis, aliique qui advocati fuerint (Const., P. VIII, c. 3, n. 1; Congr. II, d. 2; Congr. IV, d. 35).

4. *Locus*, si de electione Praep. Generalis agitur, « erit ordinarie curia S. Pontificis, vel alius qui (ex sententia communi) commodior videretur » (P. VIII, c. 5, n. 1)(c).

5. *Tempus*, ubi agitur de electione novi Praepositi, est 5 aut 6 menses post indictam eiusdem electionem (P. VIII, c. 5, n. 2); quod tempus prorogari potest, si sit opportunum. Indictio autem electionis « confestim » facienda est post mortem Generalis (ibid., n. 3).

6. *Modus procedendi*, tum in generali, tum in duabus aliis Congregationibus, scilicet provincialibus et Procuratorum, minutatim describitur in *Formulis* harum Congregationum. Hic modus fuit in forma explicita approbatus a Gregorio XIV, Const. *Ecclesiae Catholicae* (1591), non tantum ut erat iam tunc definitus, sed uti secuturis temporibus a Congregationibus determinaretur (vide n. 17, *nota* a). Quae in his Formulis praescribuntur, desumpta sunt sive ex Parte VIII Constitutionum sive ex decretis Congregationum. Congreg. I viginti decreta (ante electionem) de modo procedendi in Congregationibus generalibus edidit; Congr. II ea partim approbavit, partim immutavit (27 decreta ante electionem). — Cf. decretum 51 eiusdem Congr. II et decretum 4 Congr. III, ubi de formula Congregationis scribenda et approbanda agitur.

7. *Electiones* praeviae Secretarii et Assistentis electionis, ac Deputatorum ad varia munera tempore Congregationis, fiunt ad plura relative suffragia, nec exquiruntur suffragia electorum infirmorum in domo. Electiones Praep. Generalis, Assistentium et Admonitoris fiunt ad plura medietate suffragia,

---

(c) Omnes Congregationes generales Romae habitae sunt, excepta Congreg. XXIV, a. 1892, quae in domo Loyolana, cum licentia S. Pontificis locum habuit.

requisitis etiam suffragiis electorum infirmorum, qui sint in domo praesentes. Quomodo procedatur, quando nullus in primis scrutiniis plura medietate suffragia obtinet, indicatur in Formula, n. 48.

8. *Crimen ambitus* ille incurrit qui « munus Generalis aut Assistentium affectavit aut affectat, directe vel indirecte hoc procurando, vel aliquo signo id declarando » : ita in CONST., P. VIII, c. 6, n. 2. — PAULUS III, Const. *Licet debitum* (1549), ordinat ut is « qui aliquam praelationem in Societate occulta aut manifesta ambitione quaesivisse convincetur, eiusdem capax esse nullatenus possit ». In CONST., P. VIII, c. 6, n. 2, decernitur convictos ambitu privari activo et passivo suffragio in omni Congregatione. Iidem incurrunt excommunicationem (CONGR. I, d. 7 ante elect.; FORMULA CONGR. GEN., n. 21; CENSURAE ET PRAECEPTA, c. 1).

Iudices ambitus sunt Vicarius cum quatuor antiquioribus professis ex aliis Assistentiis praeter illam Vicarii ; et si unus ex his de ambitu iudicari deberet, illo excluso, semper quinque antiquiores professi ex singulis Assistentiis essent iudices (*Formula,* nn. 21, 23). His iudicibus fit facultas inquirendi in omnes, qui a morte praecedentis Generalis usque ad electionem novi aliquid contra Constitutiones aut formulas commiserint, eosque privare valent voce activa et passiva et inhabilitare ad quaevis munia, n. 24.

9. Loco tractatus consultorii, sumitur et datur *informatio* modo in formula praescripto. Prohibetur ne quisquam informationem non petenti obtrudat, et qui obtruserit debet ad iudices de ambitu deferri (*Formula*, n. 36). Non debet inquiri an hic aut ille aptus videatur necne; sed solum de rebus ex quibus appareat utrum sit aptus necne *(ibid.)*.

10. In prima Congregationis adunatione duo petuntur et decerni debent: 1° An plena et legitima sit Congregatio? 2° An suppleantur defectus, si qui forte acciderint? — Ex prima interrogatione habetur Congregationem bona fide procedere; ex secunda, suppleri defectus quos Congregatio supplere potest, eos scilicet qui sint contra Constitutiones et Congregationum decreta, non autem eos qui essent contra Ius commune aut summorum Pontificum Constitutiones et decreta. Ut autem Congregatio prudenter in supplendis defectibus agat, prius examinatum fuit a P. Vicario et Assistentibus an ex actis singularum Congregationum provincialium constet

electores fuisse legitime electos, et si quid dubii inventum fuerit, id totum ad Congregationem defertur (*Formula*, n. 4).

11. Ex auctoritate a S. Sede concessa datur absolutio a censuris et sententiis, ac dispensatio ab irregularitatibus. Const., P. VIII, c. 6, n. 6 et E; *Formula*, n. 42(d). — Concessio, de qua in absolutione fit mentio, non videtur esse alia nisi facultas a Paulo III, Const. *Licet debitum* (1549) indulta: iisdem enim terminis concipitur (vide c. XXI, n. 8).

Hoc tamen notandum est, in ipsa formula absolutionis fieri hanc restrictionem: « dummodo sententias, censuras et poenas ac irregularitatem huiusmodi ob defectus ad electionem hanc pertinentes non incurreritis ». — An autem per absolutionem huiusmodi electores solvantur a privationibus vocis activae et passivae et inhabilitatibus a S. Sede statutis, quas forte incurrerint, dubitare licet. Si enim ab eis solvuntur, istae poenae, quoad praecipuum earum effectum, vanae efficiuntur; si quidem, ipsis non obstantibus, per absolutionem huiusmodi singuli vocem activam et passivam ac habilitatem ad praelaturas et officia recuperarent. Forte dicendum est eos solvi a poenis quarum conscii non sint, vel etiam ab inhabilitate saltem activa cuius ipsa Congregatio conscia non est; et solum ad effectum validae electionis. Hoc videtur innuere *Formula*, n. 42: « Quod si forte *post absolutionem* constiterit aliquem ex electoribus ipso electionis tempore censura aliqua aut irregularitate fuisse innodatum ob defectum aliquem ad electionem (non?) pertinentem, nulla ratione id Praeposito Generali nocebit quominus legitime electus censeatur ».

12. Explicite retinetur, non tantum in Constitutionibus, verum etiam in formula Congregationis, triplex forma Electionis per scrutinium, compromissum et inspirationem (vide dicta n. 12).

13. In suffragatione, si numerus suffragiorum sit impar, declaratur sufficere numerum qui mediam partem dimidiata voce superet: Const., P. VIII, c. 6, n. 6; *Formula*, n. 48.

(d) Formula absolutionis est: « Ego, auctoritate Dei Omnipotentis, mihi licet indignissimo per Sedem Apostolicam concessa, absolvo vos a quavis sententia excommunicationis, suspensionis et interdicti, et a quibusvis aliis sententiis, censuris et poenis, et, quatenus sit opus, dispenso vobiscumsuper irregularitate quavis, dummodo sententias, censuras et poenas ac irregularitatem huiusmodi ob defectus ad electionem hanc pertinentem non incurreritis, ad effectum legitimae electionis ».

14. Eligendus in Generalem debet esse Professus 4 votorum (P. VIII, c. 3, A). Certa aetas aut certi anni professionis non requiruntur. — Assistentes etiam, secundum Formulam Congregationis n. 78, professi esse debent. In CONST., P. IX, c. 5, litt. A, dicebatur: « Professi sint, si commode fieri poterit »; CONGR. I, d. 80, declaraverat eligendos esse « inter absentes et praesentes, inter professos vel qui apti essent ad professionem emittendam ». Eliguntur singuli ex singulis Assistentiis.

15. Providetur in CONST., P. VIII, c. 6, n. 6, ne electus recusare possit: « Qui electus fuerit, nec electionem nec exhibitam reverentiam, memor cuius nomine eam admittere debet, recusare poterit ». Electus eo ipso confirmari censetur a S. Sede (supra, n. 16, *nota* c).

16. An Societas adstringatur obligatione (decreto *Sacra Congregatio*, n. 6, URBANI VIII omnibus Ordinibus imposita) eligendi sex patres ex gravioribus ad diiudicandum de eiiciendis, necnon (ex decreto *Nullus* CLEMENTIS VIII, n. 37) obligatione eligendi tres Patres ad examinandum et approbandum alumnos Societatis ad confessionem, praedicationem, lectionem, vel ad ordines sacros? — Respondetur primo: quoad decretum *Sacra Congregatio*, statim post eius promulgationem, declaratum fuit ab ipsa S. Congr. Concilii Societatem in eo non comprehendi (Cf. COMP. PRIVIL., n. 160); quoad decretum *Nullus*, recolatur id quod de eius vi dictum est c. XI; et notetur praeterea has obligationes esse contrarias Constitutionibus in forma specifica approbatis [e]. — Respondetur secundo: obligationes huiusmodi sunt contrariae huic solemni declarationi GREGORII XIV (supra, n. 18, *nota* a) qua « statuit, decernit et ordinat, ut in Societatis Congregationibus, ea tantummodo tractentur et definiantur, quae in Constitutionibus ac Congregationum generalium decretis statutum iam est vel in posterum statuetur, ut in iisdem Congregationibus tractentur ac definiantur ». Non videntur autem decreta Clementis et Urbani (Constitutione Gregorii posteriora) eas habere clausulas

---

(e) Iulius III, Const. *Exposcit debitum* (1550), ita potestatem Praep. Generalis definit: « In aliis quae non sunt ita magni momenti (ut est condere Constitutiones), idem Praepositus adiutus, quatenus ipse opportunum iudicabit, fratrum suorum consilio, *per seipsum* ordinandi et iubendi quae ad Dei gloriam et commune bonum pertinere in Deo videbuntur, ius totum habeat, prout in Constitutionibus explicabitur ».

quibus derogetur privilegiis in forma ita speciali concessis (f). Cf. COMP. PRIVIL., nn. 160, 280, 447.

20. Congregatio provincialis (cf. *Formulam Congregationis provincialis*).

1. Ad duplicem finem habetur, ut dicitur in ipsa *Formula* n. 1: vel ante quamcumque Congregationem generalem, ad eligendos electores, qui cum Provinciali ex omnibus provinciis conveniant ad electionem Generalis et Assistentium necnon ad tractanda negotia: et tunc praeter duos electores, etiam tres substitutos eligit (n. 32); — vel singulis trienniis ante Congregationem Procuratorum, ad eligendum deputatum pro ista Congregatione: tunc substitutum unicum cum Procuratore nominat (n. 35).

2. In primo casu, Congregatio constat quinquaginta personis; in secundo casu quadraginta: dummodo tot sint in Provincia qui ius ad eam habeant (n. 6). Ius ad eam habent Provincialis, Praepositi domorum professarum et Rectores collegiorum, procurator Provinciae, et tot professi ex antiquioribus, quot requiruntur ad praedictum numerum adimplendum (nn. 5 et 6). Aliqui supra numerum admittuntur (n. 8). Rectoribus et professis ius habentibus non est liberum abesse; ideo impedimenta sua proponere debent; et de iis ante Congregationem iudicat Provincialis cum suis consultoribus et caeteris omnibus praesentibus, qui in Congregatione ius suffragii habent (n. 10). Rector legitime impeditus quemcumque sacerdotem ex suis subditis ad Congregationem mittere potest

---

(f) Praeter hanc generalem declarationem, aliae etiam particulares habentur. *a)* Quoad ordines, PAULUS III, C. *Licet debitum* (1549): « Et quia in Societate idoneos tantum et comprobatos ad sacros ordines promoveri intelleximus, eidem Praeposito Generali, quoad ordinandos socios et fratres.... praesentare liceat ». *b)* Quoad lectiones publicas, idem Pontifex: « Praeposito Generali, *quos de suis idoneos in Domino iudicaverit,* ad lectiones theologiae et aliarum facultatum.... ubique *deputare possit* ». *c)* Quoad praedicationem et confessiones, GREGORIUS XIII, Br. *Vigore privilegii* (1584): « Vigore privilegii vestrae Societati a f. r. Paulo III concessi, ut vestrum quisque idoneus, et *a Praeposito pro tempore existente deputatus*, verbum Dei publice praedicare, et qui ex vobis presbyteri fuerint, quorumcumque utriusque sexus Christifidelium confessiones audire possint...». *d)* Quoad eiiciendos, GREGORIUS XIV, Const. *Ecclesiae Catholicae* (1591): « Quod vero attinet ad dimissionem, declaramus formam iudiciariam adhibendam non esse, sed modum in Constitutionibus praescriptum et hactenus in Societate servatum de caetero servare volumus ».

(n. 10). E contra, si aliqui professi legitime impediuntur, eorum loco succedunt antiquiores ex professis, donec numerus impleatur (n. 11).

Congregationem convocat Provincialis (n. 2), qui etiam locum et tempus ad eiusdem celebrationem determinat.

3. Congregatio provincialis nullam auctoritatem habet; et ideo post electiones duo tantum agere potest: primum, deliberare an Congregatio generalis celebrari debeat; secundum, postulata ad Congregationem generalem vel ad Praepositum Generalem mittere (n. 43). — Congregatio ultra decem aut ad summum duodecim dies durare non debet (n. 3).

4. Solae electiones electorum et substitutorum fiunt ad secreta et plura medietate suffragia (n. 27) ac exquisitis infirmorum votis. (n. 30) Reliquae electiones fiunt ad plura praesentium secreta suffragia (nn. 18 et 19). Negotia, scilicet tum votum de cogenda vel non cogenda Congregatione generali (n. 47), tum postulatorum approbatio vel improbatio, fiunt publico suffragio (n. 49).

5. Crimen ambitus in ea incurrit quicumque directe vel indirecte procuraret ut in electorem vel substitutum ipse vel alius eligeretur aut aliquis excluderetur (n. 24). Qui de ambitu convictus fuerit, activa vel passiva vel utraque voce, in Congregatione tantum, secundum iudicum sententiam privatur (ibid). De ambitu iudicant Provincialis et tres antiquissimi ex professis (nn. 23, 24).

6. Eligendi, sive ad Congr. generalem sive ad Congr. Procuratorum, professi quatuor votorum esse debent (nn. 32 et 35); de provincia sint necesse est (n. 15); si de eligendis ad Congregationem Procuratorum agitur, debent esse moraliter praesente sin provincia (n. 35); si de eligendis ad Congregationem generalem, quicumque professi de provincia eligi possunt (n. 7).

7. Electus, qui impedimentum habet, illud proponere debet in Congregatione, non tamen ante completam electionem substitutorum. Congregatio de impedimento iudicat publica suffragatione, et si impedimentum admittit, alium eligit, qui ultimum locum inter substitutos habebit (n. 32). Si Provincialis impedimento a Congregatione approbato detinetur, unum e tribus primo electis mittere potest qui suas vices teneat. Si impeditur unus ex electoribus, eius loco succedit primus qui in substitutum fuit electus (ib.).

8. Pluries fuit definitum Congregationes provinciales non esse convocandas, nisi ad eligendum vel electores ad Congregationem generalem vel procuratorem ad Congr. Procuratorum. CONGR. II, d. 67; CONGR. V, d. 32.

21. Congregatio Procuratorum. — Haec Congregatio non fuit a S. Ignatio instituta. Ipse tantum statuit (CONST., P. VIII, c. 2, litt. B) ut ex provinciis venirent « saltem unus ex singulis earum tertio quoque anno, et ex Indiis quarto, electus professorum et Rectorum illius Provinciae suffragiis, ad certiorem multis de rebus faciendum Praep. Generalem »; non autem, ut hi procuratores simul venirent et in Congregationem adunarentur. Istud decrevit CONGREGATIO II, d. 19: « Tertio quoque anno veniant simul ex omnibus provinciis Procuratores, qui professi quatuor votorum et viri maxime idonei sint, a Congregatione provinciali electi, et habeant ius suffragii simul cum Assistentibus et ipso P. Generali, qui duo suffragia et qualitatem praecedendi habebit, ad decernendum: An cogi debeat Congregatio generalis ». Hoc decreto igitur plura statuuntur: *a)* Congregationem Procuratorum habendam esse singulis trienniis; *b)* Procuratores eligendos esse a Congregationibus provincialibus et ex professis quatuor votorum; *c)* scopum Congregationis huius esse deliberare, an cogi debeat Congregatio generalis. Hoc decretum fuit confirmatum decreto 7 CONGR. IV.

In *Formula* huius Congregationis plura alia circa eam determinantur. — Celebratur singulis trienniis mense novembri, et quidem die 15 mensis, computando triennia a die 15 novembris post finem ultimae Congregationis generalis (n. 1). A tempore Patris Anderledy, propter speciales loci rationes, dies 26 septembris fuit diei in Formula indicatae substituta.

Congregatio Procuratorum coalescit Praeposito Generali, Assistentibus et uno procuratore ex singulis provinciis. Nihil aliud ipsi incumbit nisi deliberare, acceptis informationibus a Praep. Generali, Assistentibus et Procuratoribus ex singulis provinciis (n. 6), an Congregatio generalis celebrari debeat. Procuratores autem, quodcumque sit votum provinciae a qua missi sunt, liberi remanent in suo suffragio, et celebratio Congregationis generalis unice a votis Procuratorum pendet, non a votis provinciarum (n. 8): ita statuit CONGR. VII, d. 10.

Scrutinium fit suffragiis secretis, et hoc speciale habet (ex decreto 6 CONGREGATIONIS XIV) quod si voces sint impares nu-

mero, ad congregandam Congregationem generalem oportet ut sententia pro eius celebratione oppositam sententiam non unico, sed tribus suffragiis superet (*Formula*, n. 8).

CAPUT XXIII.

DE IUDICIIS REGULARIUM

Sectio I. — 1. Regularium iudex ordinarius. — 2. Causae quae a Praelato regulari non pendent. — 3. Forma summaria Regularibus in iudiciis concessa. — 4. Suspensio ex informata conscientia. — 5. De substantialibus iudicii. — 6. Media adhibenda ad praevenienda delicta. — 7. Iudicii inchoatio: accusatio, denuntiatio, fama delicti. — 8. Causae cognitio seu Inquisitio. — 9. Probationes delicti: probatio plena et semiplena. Quatuor probationum genera: rei confessio, testes, instrumenta, praesumptiones. — 10. De valore harum probationum. — 11. Citatio et examen rei. An reus veritatem confiteri teneatur? 12. Causae discussio. Modi defensionis. — 13. De sententia definitiva. Triplex genus sententiae. Purgatio canonica. — 14. Appellatio a sententia iudiciaria. — 15. Tria notanda: de praescriptione delicti, de iudice delicti, de delinquente in loco exempto.

Sectio II. — 16. De forma iudiciaria in Societate non adhibenda. Servanda in dimissione. Variae causae. — 17. De denuntiatione in Societate.

1. Iudex ordinarius Regularium. (Piat, t. II, p. 365).

1. *Iudex ordinarius* religiosorum, si non sunt exempti et iurisdictione non gaudent, est Episcopus loci. Ad Episcopum enim pertinet iudicium personarum ecclesiasticarum.

Regularium autem exemptorum iudex non est Episcopus, nec Regulares ad eum appellare possunt; sed eorum iudex ordinarius est Praelatus regularis: primum Praelatus localis, deinde Provincialis et Generalis, unusquisque iuxta mensuram facultatis ipsi per constitutiones Ordinis concessae. Supremus iudex in quocumque Ordine est Capitulum generale. Extra ipsum Ordinem, iudex Regularium fuit usque modo S. Congregatio EE. et RR.; nunc autem post C. *Sapienti* Pii X (1908), est S. Congregatio Religiosorum vel Tribunal S. Rotae [a].

---

1. (a) In Const. *Sapienti*, n. 5, de Congregatione negotiis religiosorum sodalium praeposita dicitur: « Est autem tribunal competens in omnibus causis, quae ratione disciplinae, seu, ut dici solet, in linea disciplinari aguntur, religioso sodali sive convento sive actore. Ceterae ad S. Romanam Rotam erunt deferendae, incolumi semper iure S. Officii circa causas ad hanc Congregationem spectantes ».

2. Iudex regularis, ut quisque alius iudex, *recusari potest*, si iusta sit causa cur suspectus sit accusato (Piat, t. II, p. 370, q. 10). Recusatio fit plerumque per appellationem ad iudicem superiorem, puta a Praeposito locali ad Provincialem, a Provinciali ad Generalem, a Generali ad S. Congregationem. — Cum appellatio a correctione suorum Superiorum facta a Regularibus non sit suspensiva (c. X, n. 16), consequens est quod recusatio iudicis, quae per appellationem fiat, non impediat quin Praelatus recusatus iudicium prosequi possit, quamvis prudentius saepe expectabit, donec de recusatione statutum fuerit utrum admittatur an reiiciatur.

3. *Causae,* de quibus fit iudicium, aliae sunt criminales, aliae civiles. *Causae criminales* sunt illae, in quibus reus in iudicium vocatur propter aliquod crimen seu delictum, ut poena mulctetur. Quoniam autem poenae, quae Regularibus a suis Praelatis infliguntur, plerumque ad eorum emendationem spectant (quamvis rationem poenae vindicativae etiam habeant), propterea Praelatus regularis, etiam in causis criminalibus suorum subditorum, dicitur agere ad eorum correctionem. Sed procedere potest vel in virtute potestatis dominativae, vel in virtute potestatis iurisdictionis. Si Praelatus potestate dominativa tantum utitur, non agit ut iudex: nam potestas iudiciaria ad iurisdictionem pertinet; tunc leviores tantum poenas infligere valet, non censuras aliasve poenas ecclesiasticas. Si potestate iurisdictionis utitur, tunc graviores quidem poenas infligere potest, sc. canonicas excommunicationis, suspensionis, interdicti, privationis vocis activae et passivae, inhabilitatis ad officia et dignitatis, aut etiam incarcerationis [(b)]. Sed has poenas Praelatus, quoniam potestatem iurisdictionis ab Ecclesia delegatam habet, tenetur infligere modo a Iure praescripto, scilicet in legitimo iudicio et secundum regulas a Iure datas, nisi, vel ex generali concessione S. Sedis vel ex speciali privilegio, ei liceat liberius agere.

4. *Causae civiles* sunt illae, in quibus aliquis ius suum contra alium coram iudice prosequitur. Actio, qua id facit, vocatur *lis*. Si reus, contra quem aliquis ius suum prosequitur, est persona ecclesiastica, actor eum coram iudice ecclesiastico convenire debet; et proinde, si est religiosus exemptus, co-

(b) Ita in decreto Urbani VIII *Sacra Congregatio* (1624), *de Eiectis*, ubi eiiciendus prius per annum in carcere detineri debet; et in decreto Innocentii XII, *Instantibus* (1694), ubi carcer ad sex menses fuit reductus.

ram suo Praelato regulari, qui est ipsius iudex ordinarius, uti dictum est: actor enim semper rei foro subiacet (c. XV, n. 2): non potest eum convenire coram Episcopo, qui in religiosum exemptum nullam habet iurisdictionem, nisi in casibus exceptis. Si igitur causa a Superiore regulari pacifice componi nequit, forma iudiciaria ab eo adhibenda est.

2. Causae quae a Praelato regulari non pendent. — Dictum fuit Praelatum regularem esse iudicem *ordinarium* suorum subditorum. Nam aliquae causae ipsi a Iure subtrahuntur.

1° In non paucis casibus, maxime a tempore Conc. Tridentini, Regulares Episcopis subiiciuntur, quibus datum est in eos potestate vel ordinaria vel delegata agere, eosque coercere ac punire: in istis causis ergo Episcopi iudices sunt Regularium etiam exemptorum.

2° Praeterea aliquae causae reservantur S. Officio, scilicet illae in quibus de fide agitur, et quaedam aliae his connexae. Severe autem prohibetur Superioribus regularibus in eas sese intromittere.

3° Causae nullitatis professionis speciali iure reguntur. TRIDENTINUM, *sess.* XXV, c. 19 *de Regul.*, statuit causas huiusmodi esse deducendas coram Episcopo et Superiore regulari, ut ambo simul iudicent; et BENEDICTUS XIV, C. *Si datam* (1748), minutatim descripsit qua methodo sint tractandae (vide c. V, n. 10).

4° Tandem *causa eiectionis* etiam speciali iure regitur. Ex se talis causa non excedit limites potestatis dominativae Superioris religiosi, et ideo quicumque Superior religiosus indignos eiicere posset. Attamen S. Sedes, approbando Instituta religiosa, hoc ius potest restringere, et de facto propter reverentiam votis debitam et stabilitatem status religiosi restringit. In Institutis dioecesanis votorum simplicium, ius eiiciendi subditos reservatur Episcopo (C. *Conditae*, 1900, caput I, n. 8). Ex eadem Constitutione, cap. II, n. 1, in Institutis a S. Sede approbatis, facultas dimittendi relinquitur quidem Superioribus, sed servatis pontificiis decretis [a]. Pontificia autem decreta quibus obligantur tum haec Instituta, tum omnes Ordines etiam Regularium exemptorum, sunt decreta URBANI VIII, de Regularibus apostatis et eiectis, et INNOCEN-

2. (a) In NORMIS a. 1901, sententia eiectionis a Concilio Moderatricis Generalis pronuntiatur, sed a S. Congregatione est confirmanda (*art.* 196 et 271).

TH XII, de eiectis et eiiciendis, necnon decretum *Auctis* (1892). In hoc ultimo decreto, quando agitur de eiectione religiosi votorum perpetuorum, aut religiosi votorum temporalium quidem sed in sacris constituti, praescribitur ut, servatis dispositionibus decretorum Urbani VIII et Innocentii XII, haec insuper observentur: sententiam eiectionis praecedere debet trina admonitio et correctio, distinctis temporibus facta, « qua nihil proficiente, Superiores debent processum contra delinquentem instruere, processus resultantiam accusato contestari, eidem tempus congruum concedere quo suas defensiones, sive per se sive per alium eiusdem Ordinis religiosum, exhibere valeat. Quodsi accusatus ipse proprias defensiones non praesentaverit, Superior seu Tribunal defensorem ex officio constituere debet ». Sententia autem expulsionis pronuntiata, si condemnatus ab ea appellaverit, nullum effectum habet donec a S. Congregatione statuatur: nempe appellatio est suspensiva (cf. c. VII, nn. 18 et 19).

3. Forma summaria Regularibus concessa. — Praelatis regularibus licet in suis iudiciis forma summaria uti: scilicet, omissis *Iuris apicibus* (id est solemnitatibus Iure positivo introductis) causas instruere et sententiam proferre possunt, iis tantum servatis quae sunt substantialia, seu ab ipso iure naturali exiguntur ut cum iustitia procedatur [a]. Sic agere valent non tantum in correctione subditorum, sed in omnibus iudiciis.

Hoc Regularium privilegium iam invenitur insertum in Iure communi [b]; sed clarius concessit BONIFACIUS VIII FF.

---

3. (a) In omni iudicio, ait SUAREZ, tr. X, l. X, c. 11, n. 1, aliquid essentiale est, scilicet ut veritas facti sufficienter probetur ita ut iudicium ferri possit. Lex humana formam et ordinem addere potest, et revera addit, quibus non servatis nec iuste nec etiam valide procedatur. Sed in Statu religioso, forma et ordo a lege, etiam canonica, praescripta non requiruntur, sufficit ut veritas facti detegatur. Forma ad hoc adhibita dicitur *sine strepitu et figura iudicii, in qua plane et simpliciter proceditur.*

(b) In c. *Qualiter*, 24, *De accusationibus*, V, 1, Innocentius III, postquam statuit modum procedendi in iudiciis super excessibus Praelatorum, in fine subiungit: « Hunc tamen ordinem circa regulares personas non credimus usquequaque servandum, quae, cum causa requirit, facilius et liberius a suis possunt administrationibus amoveri ». Idem Pontifex, in c. *Olim*, 26, h. t., in quo agitur de alicuius monasterii reformatione ab Episcopo facienda, vult « ut in negotio, de plano et absque iudiciorum strepitu inquirat, cum *talibus* (inquit), maxime in hoc casu, non deceat Dei servos involvi ».

Praedicatoribus, Const. *Ad augmentum* (1296). « Pensantes, quodsi regularium personarum correctio rimas Iuris et apices sequeretur, eiusmodi (sc. disciplinae) rigor lentesceret ac multiplici laxatione torperet: Nos, vestris supplicationibus inclinati, vobis Apostolica auctoritate indulgemus ut, ad correctiones et punitiones Fratrum eiusdem Ordinis delinquentium infligendas, Praelati Ordinis supradicti, ad quos eadem spectare noscuntur, rimulis et apicibus ipsis (forte legendum: Iuris) posthabitis, libere procedere valeant secundum consuetudines approbatas et generalia facta et etiam facienda, ipsius Ordinis instituta ». Idem Privilegium Iulius II, illud Bonifacii referens, Minimis concessit, C. *Virtute conspicuos* (1506), n. 30, et Olivetanis C. *Etsi ad universos* (1507), his verbis: « Et cum contra aliquem Praelatorum vel Monachorum dictae Congregationis *civiliter* vel *criminaliter* agi contigerit, secundum consuetudines et statuta praedicta, Iuris communis apicibus, dilationibus, terminis et litium anfractibus omissis, procedi debeat ». Hic facultas summarie procedendi conceditur non tantum in correctione, sed in quacumque causa criminali aut civili.

Ista privilegia per communicationem omnibus mendicantibus facta sunt communia Societati specialis communicatio impertita est a Gregorio XIV, C. *Ecclesiae Catholicae* (1591), his terminis: « Omnes facultates omnemque iurisdictionem, quod ad correctionem subditorum et punitionem pertinet, quibuscumque Ordinibus eorumque Generalibus hactenus concessas, non ad instar, sed aeque principaliter, ipsi Societati eiusque Praeposito Generali concedimus ».

Innocentius XII, decreto *Instantibus* (1694) (inter decreta quotannis a Regularibus legenda) indulget « ut in posterum processus conficiatur iuxta regulas, constitutiones, ordinationes et stylum cuiusque Ordinis et Religionis.

Notandum est tamen, quod, si per talia privilegia Regulares certe ab apicibus et rimis Iuris communis in suis iudiciis eximuntur, non ideo per ea sola liberi fiunt ab ipsa forma iudiciali. Nihilominus, quoniam per haec privilegia eis permittitur *procedere libere secundum consuetudines et instituta Ordinis:* propterea, si consuetudines et statuta approbata, etiam in infligendis poenis gravioribus et ipsa dimissione, non praescribunt formam iudiciariam, a fortiori si illam excludunt, per privilegia huiusmodi hi Ordines etiam ab hac forma eximi videntur, ita ut ad nihil aliud teneantur nisi ad iustitiam servandam.

4. Suspensio ex informata conscientia. — Notandum est facultatem factam *Praelatis* a Tridentino (*sess.* XIV, c. 1 *de Reform.*) [a] ut possint clericos ex informata conscientia extraiudicialiter suspendere sive a suscipiendis, sive ab exercendis ordinibus, competere etiam Superioribus regularibus iurisdictione fruentibus. — Ita declaravit S. Congr. EE. et RR. (1866). Interrogata « An Superiores regulares iurisdictionem habentes possint suos subditos suspendere ab audiendis confessionibus saecularium, etiam ex informata conscientia? » rescripsit: « Affirmative [b], ita tamen ut religiosus suspensus illicite, non tamen invalide confessiones audiat » (quia iurisdictionem quoad saeculares etiam ab Ordinario habet); et alii quaesito « An valeat suspensio oretenus et absque scripto enunciata? » respondit: « Affirmative, cum feratur per modum praecepti particularis ».

S. Congr. Conc. (a. 1643) declaravit Praelatum non teneri « causam suspensionis seu delictum manifestare ipsi reo, sed tantum Sedi Apostolicae, si suspensus ad ipsam recursum habuerit » (apud Benedictum XIV, *de Synodo*, l. XII, c. 8, n. 3) [c].

---

4. (a) « Ei, cui ascensus ad sacros ordines a suo Praelato ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet etiam *extraiudicialiter* fuerit interdictus, aut qui a suis ordinibus seu gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius Praelati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus et dignitates sive honores restitutio suffragetur ».

(b) Quamvis declaratio haec sit de suspensione a confessionibus, quia de hoc tantum S. Congregatio interrogabatur, attamen cum haec responsio fundetur in concessione a Tridentino *Praelatis* facta, dubium esse nequit quin Praelati regulares habeant plenam potestatem, in cit. cap. Praelatis concessam, suspendendi ab ordinibus suscipiendis aut exercendis.

(c) Quaestio est, an liceat Praelato suspendere ex informata conscientia, non tantum ob crimen occultum, sed etiam ob crimen publicum. — Non desunt qui affirmative respondeant, et favet textus Tridentini: « *etiam* ob crimen occultum ». Attamen sententia negans omnino tenenda videtur. Etenim in *Instructione* S. Congr. EE. et RR. anni 1880 (de qua, num. sequ.), *art.* 10 haec monitio habetur: « Plenam vim servare suam extraiudiciale remedium ex informata conscientia *pro criminibus occultis*, quod decrevit S. Synodus Tridentina adhibendum, cum illis regulis et reservationibus, quas constanter servavit pro dicti capitis interpretatione S. Concilii Congregatio in pluribus resolutionibus et praecipue in Bosnien. et Sirmien., 20 *dec.* 1873 ». Porro in disceptatione huius causae dicitur: « Inconcussi iuris esse, citatum caput C. Tridentini, quando agitur de privatione iuris quaesiti, super occultis, non vero super publicis criminibus, facultatem hanc Episcopis tribuere »; et in eadem disceptatione plures ci-

5. De substantialibus iudicii, quae Praelatus in iudiciis summariis servare debet, et de solemnitatibus quas omittere potest.

Clemens v, in c. *Saepe*, 2, *De verborum significatione*, v, 11. *in Clementinis*, plures enumerat solemnitates quae in iudiciis summariis omitti possunt [a]. Sed prodierunt sat recenter *duae*

---

tantur AA. pro hac sententia, inter quos Bened. xiv, qui in C. *Ad militantis* (1742) causas a quibus non datur appellatio enumerans, ait : « adversus suspensionem a susceptis (ordinibus) *ob occultum crimen sive ex informata conscientia* ». — Praeterea, S. Congr. de Prop. Fide, 20 *oct.* 1884, dedit Instructionem de suspensionibus ex informata conscientia (A. S. S., t. xix, p. 561). Haec instructio dirigitur « ad Episcopos et Praelatos regulares catholicarum missionum ». Porro n. 6 dicitur : « Suspensioni ex informata conscientia iustam et legitimam causam praebet crimen seu culpa a suspenso commissa. Haec autem *debet esse occulta*, et ita gravis ut talem promereatur punitionem »; et n. 8 additur, non tamen desinere suspensionem ex eo quod culpa occulta, propter quam fuit inflicta, deinde fiat manifesta.

In hac Instructione quaedam alia habentur notatu digna. N. 2 dicitur, ad suspensionem infligendam non requiri formas iudiciales nec canonicas admonitiones. N. 3, « semper esse scriptis intimandam, die et mense assignato » (non videtur tamen per hoc tolli responsum S. C. EE. et RR. a. 1866, ad 3 « valere suspensionem oretenus et absque scripto enunciatam » : hic id exprimitur quod conveniat et fieri debeat; in rescripto S. C. EE. et RR. agnoscitur valere nihilominus suspensionem oretenus datam). N. 5, ordinarie infligi ad tempus determinatum; posse infligi ad beneplacitum, et tunc cessare cum iurisdictione illius qui eam infligit; commendatur Praelatis « ut abstineant ab ipsa infligenda in perpetuum ». N. 9, « prudenti arbitrio Praelatorum relinqui suspensionis causam seu ipsam culpam delinquenti aut patefacere aut reticere ». N. 10, monentur Praelati quod « si promovetur recursus ad S. Sedem, tunc apud ipsam culpa comprobari debet; consultum ideo esse ut, antequam haec poena infligatur, probationes illius, quantumvis extraiudicialiter et secreto, colligantur ». N. 11, « a decreto suspensionis ab informata conscientia non dare appellationem ad tribunal superioris ordinis ». N. 12, « semper tamen remanere recursum ad S. Sedem » : non videtur nihilominus inde prohibitum religioso a Praelato suo locali aut a Provinciali etiam suspenso habere *recursum* ad Superiorem maiorem : v. g., Generalem, qui recursus non est suspensivus.

5. (a) « Saepe contingit quod causas committimus, et in earum aliquibus simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii procedi mandamus. De quorum significatione verborum a multis contenditur, et qualiter procedi debeat dubitatur. Nos autem dubitationem huiusmodi.... decidere cupientes, sancimus, ut iudex, cui taliter causam committimus, necessario libellum non exigat, litis contestationem non postulet, tempore etiam feriarum, ob necessitates hominum indultarum a Iure, procedere valeat, amputet dilationum materiam, litem, quantum potuerit, fa-

Instructiones, quae multum inservire possunt ad hanc quaestionem illustrandam [b]. Alia est Instructio S. Congr. de Prop. Fide « de modo servando ab Episcopis Foederatorum Statuum Americae in cognoscendis et definiendis causis criminalibus et disciplinaribus clericorum » : anno 1878 edita est et constat 17 articulis. Altera a S. Congr. EE. et RR. anno 1880 data est: « Instructio pro ecclesiasticis curiis, quoad modum procedendi oeconomice in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum » : constat 44 articulis et non modicam lucem affert ad solvendam duplicem quaestionem positam, nempe in iudiciis summariis quaenam solemnitates Iuris omitti possint, quid vero retineri debeat [c].

In iudicio quadruplex phasis seu pars distinguitur: eius inchoatio, causae cognitio, eiusdem discussio, ac definitio per sententiam. De singulis dicendum est, sed in antecessum referri oportet aliquas animadversiones *Instructionis* anni 1880, de mediis adhibendis ad praevenienda delicta.

6. Media adhibenda ad praevenienda delicta. — Primo, *Instructio* monet officium Praelati esse ut, priusquam delicta suorum subditorum puniat, eadem praeveniat quantum potest; ideo, ubi per inquisitionem generalem aut per denuntiationem aut famam, venerit in cognitionem modi agendi minus recti subditorum, si res non exigit ut delinquens statim puniatur, procuret resecare scandali stimulos, occasiones voluntarias, et causas delinquendi proximas (art. 2 et 3). Tria

---

ciat breviorem, exceptiones, appellationes dilatorias et frustratorias repellendo, partium, advocatorum et procuratorum contentiones et iurgia, testiumque superfluam multitudinem refrenando. Non sic tamen iudex abbreviet, quin probationes necessariae et defensiones legitimae admittantur ».

(b) Inveniuntur in A. S. S., prima, vol. XII, p. 88; altera, vol. XIII, p. 324. Vol. XV, p. 375-397, habetur commentarium secundae instructionis.

(c) In forma his Instructionibus proposita certe servantur omnia iudicii substantialia, et ideo Regulares, qui ad haec substantialia tantum tenentur, tuto formam ibi stabilitam sequi possunt. Non tamen dicendum est eos teneri servare omnia quaecumque in istis Instructionibus praescribuntur. Potuerunt enim retineri aliquae solemnitates, quae substantiales non sint; quas tamen, cum sint maioris momenti et in curia Episcopi facilius observari queant, conveniens fuit retineri. Eas si Regulares omittant, non ideo vitiabuntur eorum iudicia.

media ad hunc scopum adhibenda indicantur: Exercitia spiritualia, monitiones et praecepta (art. 4).

Monitiones fieri possunt in forma paterna et secreta, aut in forma canonica. Quocumque modo fiant, utile saltem est de ipsis aliquo modo constet; ita ut, si ad ulteriora sit procedendum, probari possit eas non fuisse omissas (art. 5 et 6) [a].

Si monitiones infructuosae remanent, tunc *praeceptum* intimetur, cum comminatione poenae in casu transgressionis (art. 7). Hoc praeceptum intimari debet coram testibus, ut de eo constare possit (art. 8). Instructio vult ut actus a partibus praesentibus subsignetur, scilicet a Superiore intimante et testibus, et a praevento quoque, si velit; praeterea ut praecepto adiungatur comminatio sanctionis poenalis si violetur. Praeceptum plerumque praecedere debuit monitio paterna aut legalis; nisi gravitas circumstantiarum exigat ut statim intimetur. Praeceptum huiusmodi illud commodi habet quod, si observetur a subdito, praecidatur occasio delicti; si non observetur, et suspicio sit valida praeventum delicta commisisse, quamvis id probari non possit, tunc liceat in ipsum animadvertere tamquam in praecepti violatorem (cf. art. 10).

Ut autem haec remedia adhibeantur, maxime quae graviora sunt, scilicet monitio canonica et praeceptum, non sufficit ut praecesserit quicumque rumor contra inculpatum, sed oportet ut, secreta inquisitione facta, adsint saltem semiplenae probationes reitatis inculpati (vide *Commentarium,* in A. S. S., t. XV, p. 378 et sq.).

7. Iudicii inchoatio. — Sive adhibita fuerint haec remedia praeventiva, sive natura delicti locum eis non dederit, processus nequit inchoari, nisi praecesserit accusatio aut denuntiatio aut infamia. Ita ex Iure [a].

---

6. (a) Utile erit ut de ipsis constet, v. g., si ad eiectionem deveniendum sit: quam, ex decreto *Auctis,* triplex monitio praecedere debet; item, si appellatio fieret.

7. (a) C. *Qualiter,* 24, *De accusationibus,* V, 1: « Contra quos, ut de notoriis excessibus taceatur, etsi tribus modis possit procedi, per accusationem videlicet, denuntiationem et inquisitionem ipsorum,... sicut accusationem legitima debet praecedere inscriptio, sic et denuntiationem charitativa monitio et inquisitionem clamorosa insinuatio praevenire ». — Et c. *Inquisitionis,* 21, eiusdem tituli: « Respondemus nullum esse pro crimine, super quo aliqua non laborat infamia seu clamorosa insinuatio praecesserit, propter dicta huiusmodi puniendum; quin immo super hoc

I. **Accusatio.** — Iam a foro tam ecclesiastico quam civili exsulavit. Erat rei delatio iudici solemniter facta, ad publicam criminis vindictam. Accusator ad probandum crimen sub poena talionis sese obligabat. Haec poena talionis deinde sublata est; sed semper accusator, qui crimen probare non poterat, alicui poenae subiacebat.

Omisso igitur hoc modo inchoandi iudicium, remanent duo alii modi, scilicet denuntiatio et fama criminis (ac praeterea in causis civilibus querela actoris); et nisi praecesserit denuntiatio aut fama criminis, Praelatus processum incipere nequit; ut, praeter citata capita Iuris, adnotat *Instructio* a. 1880: « Processus instruitur ex officio, aut consequenter ad instantiam, ad querelam et ad notitiam quae aliquo modo ad curiam pervenerit » *art.* 11).

II. **Denuntiatio.** (Vide SUAREZ, tr. x, l. x, c. 8). De ea aliquid iam dictum est, c. XXI, n. 4: sed nunc magis specialiter est agendum de denuntiatione in ordine ad iudicium.

1. Duplex aut etiam triplex distinguitur denuntiatio: evangelica seu paterna, iudicialis et canonica.

a) Denuntiatio *evangelica seu paterna* fit Praelato ut patri, et intendit delinquentis bonum, sive ut post culpam emendetur, sive ut praecaveatur culpa aut relapsus.

b) Denuntiatio *iudicialis* fit Praelato ceu iudici, ut communitati laesae satisfaciat, vindictam de reo sumendo. Fieri quoque potest ut Praelatus provideat tertio innocenti aut etiam ipsi denuntianti. In ea non iam intenditur, saltem primario, bonum delinquentis, sed bonum commune vel partis laesae[b].

Prima fit secreto, ut Praelatus secreto agat, et proinde infamiam non infert; secunda, cum intendat vindictam, tamquam medium necessarium ad damnum reparandum vel praecavendum, fit Praelato ut publice agat et puniat, et consequenter infamiam infert. SUAREZ, l. c., c. 12, n. 35.

c) Denuntiatio *canonica* media est inter duas alias[c]. Fit

---

depositiones contra eum recipi non debere, cum inquisitio fieri debeat solummodo super illis, de quibus clamores aliqui praecesserunt ».

(b) Differt ab accusatione in duobus: 1° Accusator probare tenetur culpam; non autem denuntiator, qui officium iudicis implorat. 2° Accusator vindictam aut punitionem delinquentis intendit, denuntiator bonum Communitatis aut tertiae personae (SUAREZ, l. c., nn. 10 et 11).

(c) SCHMALZGR., lib. V, tit. I, n. 126: « Species denuntiationis communiter referuntur tres: evangelica, canonica et iudicialis. Rectius forte alii bifariam illam dividunt in evangelicam et iudicialem; iudicialem

Praelato, ut meliori quo poterit modo consulat bono communi vel tertiae personae, sive per iudicium, sive via mitiori, si ita malo remedium afferri possit. Ideo differt a denuntiatione iudiciali, qua facta Praelatus per viam iudicii procedere tenetur; a paterna, quae non dat ius procedendi nisi modo paterno sine forma iudiciali (d).

2. Ex denuntiatione paterna, Praelatus ad iudicium et poenam vindicativam subdito infligendam procedere nequit. Talis enim denuntiatio habetur tamquam secretum Superiori commissum, quo uti nequit nisi ad bonum rei, iuxta denuntiantis intentionem. Unde, si causa iudicium et poenam rei requirit, Praelatus, cui sola denuntiatio paterna facta est, denuntiatori suam obligationem canonice aut iudicialiter denuntiandi manifestare debet (Schmalzgr., l. c., n. 149; Suarez, l. c., n. 44). Si autem ille recusaverit, Praelatus uti nequit cognitione per denuntiationem paternam accepta, ut ulterius procedat; verum potest invigilare specialiter supra denuntiatum, illum monere, corrigere, ei iniungere poenitentiam moderatam, quae ipsum non infamet; imo cum eadem cautela ipsum a loco vel officio ipsi damnoso removere: omnia haec etenim non praetergrediuntur providentiam patris et scopum paternae denuntiationis, scilicet bonum delinquentis (Schmalzgr., l. c., n. 148, 150; Piat, t. II, p. 394, q. 10. Vide infra, n. 14). Suarez, de Relig., t. X, l. X, c. 12, n. 44, ulterius progreditur: ait Superiorem tunc posse, ex notitia per denuntiationem paternam habita, creare procuratorem fiscalem, qui in subditum invigilet, et ipsum iudicialiter denuntiet. — Si autem delictum est secretum et non nocet bono communi nec infert damnum tertio innocenti, denuntians non potest cogi ut transeat a denuntiatione paterna ad iudicialem (Suarez, l. c., n. 43).

3. « Ad denuntiationem iudicialem faciendam, quae intendit emendationem delinquentis, ait Suarez, l. c., n. 36, praerequiritur correctio fraterna; nam naturalis ratio charitatis et

---

vero in canonicam et civilem. Nam et canonica iudicialis est ». Alii paulo aliter definiunt Canonicam, ut in textu exponitur.

(d) Definitiones hic datae non servantur ab omnibus et inde fit aliqua confusio. Plus ergo rebus ipsis quam vocibus in auctoribus legendis attendendum est. Sic Suarez, l. c., n. 36 duplicem denuntiationem iudicialem distinguit, unam quae ad bonum delinquentis ordinatur, alteram quae principaliter fit propter bonum commune vel ad evitandum damnum tertii. Sed talis denuntiatio potius canonica vocaretur, et ita a multis vocari agnoscit Suarez, n. 42.

iustitiae id postulat, cum talis denuntiatio non fiat sine magna et publica laesione famae.... Nec religiosi ab hoc onere eximuntur, quia nullum de hoc habent privilegium. Unde etiam in Societate pro comperto est apud omnes, in ordine ad hanc iudicialem denuntiationem, nullam esse renuntiationem famae ». Attamen, addit n. 42, si correctio praevia praevidetur fore inutilis vel a fortiori nociva, omitti potest aut debet. Et hoc saepius accidit, quando denuntiatio propter bonum commune est facienda: ita ut tunc, moraliter loquendo, praevia monitio secreta dici possit non necessaria, quia ex ipsa sperari nequit sufficiens remedium.

4. Quando fit denuntiatio iudicialis aut canonica, Praelatus ante omnia investigare debet utrum delictum sit communitati aut tertiae personae nocivum, necne; et praeterea, an sit occultum vel publicum. Si delictum sit simul secretum et non nocivum, Praelatus non debet procedere iudicialiter contra delinquentem, siquidem nec bonum commune, nec bonum tertii id requirunt.

Ergo, ait Suarez, l. c., n. 37, facta denuntiatione iudiciali, Praelatus primum vocet denuntiatum et cum eo agat de emendatione. Qui si delictum recognoscat, emendationem promittat ac satisfactionem offerat, Praelatus non potest eum publice punire, sed tantum occulte, et magis quidem in medicinam quam in vindictam.

Si vero reus sit pertinax negando delictum et nequeat plene convinci, licet Superiori, adhibitis etiam secreto duobus aut tribus testibus, eum pro qualitate delicti severe reprehendere, correctionem aliquam secretam ad terrorem et medicinam adhibere, imo loco movere aut officium auferre, si sine scandalo fieri possit, quando necesse est ad tollendas occasiones peccandi, non autem in vindictam, quia non adest plena probatio (n. 38).

Quando autem in inquisitione probatio plena facta est, sed tamen reus remanet pertinax in negando, vel satisfactionem aut emendationem promittere non vult, tunc si culpa est occulta et non affert damnum tertio aut communitati, dissentiunt AA. an Praelatus possit procedere ad iudicium publicum et publice punire, necne (n. 38). Suarez censet utrumque sine iniustitia fieri posse, et ideo Praelatum id agere debere quod prudens caritas dictaverit (n. 39). Tunc, addit, Praelatus reum convictum potest etiam punire secreto in vindictam peccati commissi: raro poena remanebit absque aliquo fructu, vel

pro reo ipso, vel pro aliis, etiamsi sit secreta; quia alii in confuso sciunt delicta non remanere impunita (n. 40). Nunquam vero licet Praelato ad publicam punitionem procedere, quando culpa est occulta, nisi ad commune bonum necessarium iudicetur (n. 41).

Si tandem delictum aut propter scandalum, quia est publicum, aut propter aliam rationem, quamvis sit occultum, vergat in damnum communitatis aut tertii, damnumque nonnisi per poenam vindicativam reparari aut impediri possit, tunc locus est iudicio: bonum enim commune vel tertii innocentis praeferendum est commodis et famae nocentis (42). Praelatus ergo tunc causam instruere debet: ad hoc ratione sui officii et quasi contractu ex iustitia tenetur, tum erga Religionem, tum erga singulos subditos. In eo casu, moraliter loquendo, non est necessaria praevia monitio secreta: non quod omittenda sit, si credatur sufficiens remedium allatura, sed quia moraliter id sperari nequit.

Quoniam autem tum bonum commune tum bonum delinquentis cadunt sub cura et obligatione Praelati, utrumque, quantum potest, procurare debet; et ideo, si speret se posse secreta correctione emendare subditum et malo sufficienter occurrere: tunc, quamvis in iustitia possit cum rigore iuris procedere, ex caritate et pastorali officio tenetur prius reum secreto corripere et corrigere. Si autem secreta correctio non obtinet effectum vel non reputatur sufficiens, procedendum est ulterius iuridice ad punitionem (ibid.).

5. Non quaelibet denuntiatio a Praelato accipienda est, sed tantum certis conditionibus munita. Hae conditiones aliae denuntiantem respiciunt, aliae denuntiatum, aliae delictum, aliae eius probationes.

a) Non facile accipiuntur denuntiationes a personis dubiae famae, aut a personis inimicitias in denuntiatum habentibus vel a complicibus aut sociis criminis [e], neque tandem denuntiationes anonymae. — *b)* Nec facile admittitur denuntiatio contra personas magnae auctoritatis et virtutis, maxime con-

---

(e) Socius criminis regulariter non admittitur ad denuntiandum (Piat, p. 393, q. 8). Ita c. *Cum ad monasterium*, 1, *De confessis*, II, 18: « Secundum utriusque Iuris statuta, de se confessi, super aliorum conscientiis interrogari non debent, et de reatu proprio confitentis periculosa confessio non est adversus quemlibet admittenda ». Sunt tamen exceptiones: v. g., denuntiatio complicis in peccato turpi admittitur, imo exigitur contra confessarium sollicitantem. Vide Schmalzgr., l. c., n. 160 seq.

tra Superiores munere functos, ut dicitur c. *Qualiter*, 24, *De accusat.* v, 1 (f). — *c)* Delictum debet esse verosimile. — *d)* Denuntiator non tenetur quidem probare delictum, sed debet praebere iudicia sufficientia ad inchoandam inquisitionem specialem (Piat, t. II, p. 394, q. 9).

Iudicis est, pro sua prudentia, perpensis omnibus denuntiationis conditionibus, deliberare an debeat aut etiam possit processum inchoare.

Qui falso denuntiavit, sive malitiose sive temerarie egerit, puniri debet (si denuntiatio sit iudicialis).

Iuxta plures AA., is qui voluntarie iudicialem denuntiationem facit, testis esse nequit: eius enim denuntiatio eum aliquomodo suspectum reddit. Alii dicunt eum admitti posse ceu testem, sed cum cautionibus: ita Piat, p. 394, qq. 9, 10, 11. Non est difficultas, ait Suarez (l. c., n. 37), quod ipsemet denuntians subeat vicem testis, ex c. *In omni*, 4, *De testibus*, II, 20: « In omni negotio principalis persona dicens veritatem de se nota, rectissime habenda est pro teste ». Attamen Suarez hoc non dicit de publico iudicio, sed tantum ubi convincendus est aliquis *secreto* denuntiatus. — Denuntians ex officio aut ex praecepto admittitur ut testis.

III. **Infamia seu fama criminis.** — Praeter denuntiationem, infamia seu fama criminis locum dat inchoationi processus. Dicitur *fama* criminis: notorietas enim non requiritur; non sufficit tamen quicumque rumor de crimine, sed qui probabilia praebeat argumenta (g). — Quando autem fama nondum ita

---

(f) « Licet autem hoc (sc. prudentia in acceptanda denuntiatione) sit observandum in subditis, diligentius est observandum in Praelatis, qui quasi signum sunt positi ad sagittam, frequenter odium multorum incurrunt et insidias patiuntur. Et ideo Sancti Patres provide statuerunt ut accusatio Praelatorum non facile admittatur, ne concussis columnis corruat aedificium, nisi diligens adhibeatur cautela, per quam non solum falsae sed etiam malignae criminationi ianua praecludatur ».

(g) C. *Qualiter*, 24, *De accusat.* v, 1: « Cum subditus excedit, si per clamorem et famam ad aures Superioris pervenit, non quidem a malevolis et maledicis, sed a providis et honestis, nec semel tantum, sed saepe, quando clamor innuit et diffamatio manifestat, debet coram senioribus Ecclesiae veritatem diligentius perscrutari, ut, si rei poposcerit qualitas, canonica districtio culpam feriat delinquentis ». Et infra: « Sed cum super excessibus suis quisquam fuerit infamatus, ut iam clamor ascendat, qui diutius sine scandalo dissimulari non possit vel sine periculo tole-

increbuit ut iam sine scandalo dissimulari aut sine periculo tolerari nequeat, videtur quod adhuc sit locus remediis providentialibus, de quibus n. 6 dictum est[h]. — Praelatus non potest ex infamia procedere ad inquisitionem, nisi de infamia publica certus sit (SUAREZ, c. 12, n. 27).

8. Causae cognitio, seu Inquisitio. — Quando processus propter denuntiationem aut infamiam inchoari debet, incipitur per inquisitionem. Ista inquisitio est et dicitur particularis. Duplex est enim inquisitio: alia generalis, alia particularis.

1. *Inquisitio generalis* illa est, qua Superior inquirit an aliquod crimen aut delictum in communitate fuerit ab aliquo commissum, uti facit Praelatus in visitatione canonica. Praelato ita generaliter inquirenti paterne denuntiari possunt delicta alicuius etiam secreta, quando hoc requirit eius bonum, etiam si non fuerit praemissa correctio fraterna. Ratio est, quia ordinarie utilior erit delinquenti haec paterna denuntiatio cum monitionibus et providentia Superioris, quam fuisset correctio fraterna; et de caetero modicum aut nullum damnum illi affert[a]. Sed delicta secreta iuridice denuntiari non debent, nisi ratione boni communis aut tertiae personae; et ideo Superior nequit ordinarie praecipere ut ea sibi denuntientur.

In hoc, ait Suarez[b], conveniunt omnes DD.: inferiores, etiamsi interrogentur et iuraverint se secundum veritatem responsuros, non possunt extra duplicem dictum casum revelare delicta secreta, et si indebite fecerint, tunc Praelatus talem denuntiationem solummodo ut pater, non ut iudex accipere potest, id est, ut secreto emendationem delinquentis procuret, non ut contra eum inquirat et puniat.

---

rari, absque dubitationis scrupulo ad inquirendum et puniendum eius excessus.... procedat ». Cf. SUAREZ, tr. X, l. X, c. 12, n. 21 et seqq., explicantem quanta debeat esse infamia, ut processus inchoari possit.

(h) Etiamsi Superior emendationem delinquentis speret quin processum instituat, potest tamen illum instituere propter bonum commune, quod punitione delinquentium promovetur (SUAREZ, l. c., n. 29).

8. (a) A fortiori haec paterna denuntiatio, omissa correctione fraterna, fieri potest in his Ordinibus, in quibus omnes renuntiant iuri quod ad propriam famam habent, et permittunt ut Superior moneatur de omnibus delictis et culpis, quae in ipsis fuerint observata, ut fit in Societate (EXAM., c. IV, n. 8).

(b) SUAREZ (tr. X, l. X, c. 11, nn. 7 et 8). — Cf. nn. 10 et 11, pro duplici exceptione boni communis aut tertiae personae.

Inquisitio autem generalis a Praelato non tantum fieri potest, sed etiam debet. Praecipitur a Tridentino, *sess.* XXV, c. 8 et 20 *de Regul.*, et *sess.* XXI, c. 8 *de Reform.*

2. *Inquisitio particularis* habetur, quando de delicto particulari alicuius personae determinatae inquiritur. Omnes quaestiones circa liceitatem inquisitionis iudicialis particularis, et circa obligationem vel liceitatem denuntiandi reum Praelato sic inquirenti, resolvi debent ex hoc principio, quod nec inquisitio particularis iudicialis institui debet, nec denuntiatio exigi aut sponte fieri, nisi vel praecesserit infamia vel id exigat bonum commune aut damnum tertiae personae innocentis evitandum: ita Suarez, l. c., c. 12, nn. 1-5. Et ratio est, quia per talem inquisitionem particularem aut denuntiationem reus infamatur; ergo, si iam non praecessit eius infamia, grave damnum illi infertur: damnum autem illud permitti non debet nisi ratione boni communis, quod bono particulari praevalet, aut ratione boni tertiae personae innocentis, cui reus iniuste damnum infert. Quoties vero alterutra ex his causis adest et requirit iudicium ac poenam delinquentis, tunc Praelatus non solum potest, sed etiam debet iudicialiter de reo inquirere; utrumque enim illud bonum Praelatus ex officio defendere aut vindicare tenetur.

Si autem iam praecessit infamia, tunc inquisitio non affert delinquenti damnum infamationis, et ideo Praelatus potest, imo saepius et debet inquisitionem facere, etiamsi non adsit ratio specialis damni communis vel tertiae personae praecavendi (Suarez, l. c., n. 18). Ratio est, quia modo generali talis inquisitio est necessaria ad bonum commune, ut delicta per iustam punitionem coerceantur et impediantur (c).

3. Praeter inquisitionem generalem et particularem, duplex alia *intermedia* aut *mixta* distingui potest: una, quae locum habet quando, habita cognitione certi delicti ab aliquo ex communitate commissi, cuius auctor remanet occultus, inquiritur

---

(c) Notat etiam Suarez (l. c., c. 12, nn. 12 et 13) quod si non adsit ratio boni communis aut boni tertiae personae, et non praecesserit infamia, non sufficiunt indicia delicti ad incipiendam inquisitionem particularem. Deinde tamen (c. 13, n. 2) notat hoc intelligi debere ubi de gravibus delictis quaestio est; nam « si de communibus agitur, ad inquirendum etiam in particulari sufficiet quaecumque suspicio vel occasio: quia haec non infamant et pertinet ad paternam filiorum providentiam ».

quis delictum commiserit; alia, qua de aliquo particulari inquiritur an in genere et quaenam delicta commiserit, v. g., quando fit visitatio personalis alicuius Superioris officio suo defuncti et quaeritur an aliqua delicta commiserit. Sed tunc inquisitio debet remanere generalis quoad delicta, quamvis fieri possit sigillatim de obligationibus huius officii[d].

In prima ex his duabus inquisitionibus mixtis, « quamvis sit controversia apud AA., ait SUAREZ, l. c., c. 12, n. 7, mihi tamen ea sententia omnino probanda videtur quae negat posse Praelatum inquirere de aliqua persona particulari, de qua infamia talis delicti commissi non praecesserit »[e]. Quodsi obiiciatur: sed tunc ad quid inquiritur quis delictum commiserit? respondet (n. 8): ad hoc, ut interrogatus, si videat se delinquentem posse *iuste* manifestare, illum denuntiet: non poterit autem *iuste* manifestare, ut saepius dictum est, nisi ratione boni communis aut tertiae personae innocentis, aut quia existit sufficiens infamia, quamvis ad aures Praelati non pervenerit. « Cavendum vero est, addit, ne subditus sic interrogatus exponatur periculo imprudenter revelandi personam occultam, ignoranter existimans se posse et debere revelare ». Haec responsio valet etiam pro altera ex inquisitionibus mixtis, et indicat quandonam Praelato, inquirenti de aliquo particulari an et quaenam delicta commiserit, manifestari possint eius delicta.

4. Est etiam alia inquisitio particularis, quae fit ad dignoscendum an aliquis sit habilis ad aliquod munus, v. g., ad praelaturam aliquam, ad gradum, ad ordines sacros. Sed haec inquisitio non est iudicialis, non fit ad punitionem delinquentis. In hoc casu Praelatus ius habet interrogandi de tali persona, et unusquisque tenetur respondere iuxta veritatem: hoc enim requirit bonum commune. Ita omnes (SUAREZ, l. c., n. 17).

5. Clarum est, quando Superior in inquisitione generali aut mixta devenit in cognitionem delicti alicuius subditi, eum posse transire ad inquisitionem particularem: ad hoc enim instituitur inquisitio generalis et mixta. Oportet tamen ut

---

(d) Vide ORDIN. GENER., c. IX, *de visitandis Provincialibus*.

(e) Scilicet, potest Praelatus inquirere quis delictum commiserit, sed non an talis persona commiserit: ita ut tali inquisitione generali nemo infametur.

denuntiatio, quae ei fit et per quam pervenit ad delicti cognitionem, debitis conditionibus vestiatur, et legitime facta fuerit: nam si indebite ex imprudentia aut ex alia ratione facta fuisset, tunc Superiori non liceret uti scientia sic indebite acquisita (SCHMALZGR., l. c., n. 198) (f).

6. *De notorio.* Inquisitio haec specialis non est necessaria, quando delictum est notorium. Ita ex c. *Super eo,* 3, *De testibus cogendis,* II, 21: « Respondemus quod, si factum est notorium, non eget testium depositionibus declarari, cum talia probationem vel ordinem iudiciarium non requirant ». Notorium autem (notorietate facti) dicitur illud delictum quod coram tota communitate fuit commissum, aut coram tanta eius parte ut nulla tergiversatione vel celari vel negari possit.

Ad procedendum ex notorio, oportet ut adsit duplex notorietas, nempe non tantum facti delictuosi, sed etiam reitatis inculpati. Oportet etiam ut notorietas sit certa. Unde si inculpatus delictum negat, aut excusationem affert qua eius reitas minus evidens appareat, tutius est procedere via ordinaria, probationes scilicet quaerendo ad eum convincendum. Potest tamen adhuc probari in casu quod adsit utraque notorietas, tum facti delictuosi, tum reitatis inculpati: qua per sententiam declarata, licebit iudici procedere ex notorio (PIAT, p. 380, q. 2 et sq.).

7. Omisso casu notorii, proceditur per inquisitionem specialem, uti dictum est. Inquisitio ista eo consilio instituitur « ut omni studio ac prudentia veritas detegatur, et cognitio tum criminis, tum reitatis aut innocentiae accusati exsurgat » (*Instructio* a. 1880, art. 11): uno verbo, inquisitione *probationes* quaeruntur. Igitur, quamvis modus inquirendi per viam summariam non requirat omnes Iuris subtilitates, servari tamen in ea debent substantialia Iuris, ita ut inquisitio faciat publicam fidem (SUAREZ, l. c., n. 29).

Nota: Inquisitio non debet fieri eo animo ut accusatus de crimine convincatur, sed ut veritas detegatur, id est, sive reitas sive innocentia accusati.

9. Probationes delicti.

1. Ut rei culpabilitas retineatur, probationes tales esse de-

(f) Sunt tamen qui censent Superiorem, si ipse nullam iniustitiam commisit, posse ex indebita denuntiatione, transire ad inquisitionem particularem (Vide PIAT, p. 398, q. 6).

bent, quae dent evidentiam reitatis ipsius, aut saltem moralem certitudinem inducant, quae scilicet homini prudenti, probationum vim perpendenti, omne dubium rationabile in contrarium tollant. « Ad retinendum in specie culpabilitatem accusati, opus est probatione legali, quae talia debet continere elementa, ut veritatem evincat, aut saltem inducat moralem certitudinem, remoto in contrarium quolibet rationabili dubio » (*Instr.* a. 1880, *art.* 16). — Quaenam sunt hae probationes?

2. Probationes aliae dicuntur plenae, aliae semiplenae. — *Probationes plenae* eae sunt quae plenam fidem iudici praebent, tollunt omne dubium in contrarium, et ideo certitudinem moralem afferunt. Hac certitudine acquisita, iudex sententiam condemnatoriam pronuntiare debet aut saltem potest. — *Probationes semiplenae* sunt illae quae aliquam quidem, sed non plenam fidem iudici faciunt; aliis verbis, quae probabilitatem tantum, non certitudinem pariunt, cum quibus proinde remanet dubium prudens in contrarium. Non sufficiunt ad damnandum aliquem in causa criminali, ut dicitur *art.* 16.

Quaestio praecipua est, an ex pluribus probationibus semiplenis plena probatio exsurgere valeat. Ratio dubitandi est, quod plures probabilitates certitudinem facere nequeunt. Attamen censendum est cum communi, plures probationes semiplenas posse facere unam probationem plenam, ait Schmalzgr. (tomo II, tit. 19, n. 17). Ratio est, quia dubia, quae remanent ex una probatione semiplena, possunt tolli alia semiplena probatione. Prudentis iudicis est iudicare an semiplenae probationes ita sese compleant, ut omne dubium prudens excludatur.

3. Probationes *ad quatuor genera* reducuntur. Sunt nempe 1° rei confessio, 2° testium depositio, 3° instrumenta, sc. scripturae sive publicae, sive privatae, ut litterae, 4° praesumptiones, seu argumenta ex indiciis desumpta [a].

---

9. (a) Paulo aliter *Instructio* a. 1880, art. 15; nempe enumerat authenticas informationes, confessiones extraiudiciales, testium depositiones, praecepti transgressionem. — Nomine informationum comprehendit scripturas et indicia ex quibus argumentum desumitur: haec iudex cognoscit per informationes, quas in inquisitione recipit. Informationes debent esse authenticae, sc. oportet probare scripturas esse eius cui attribuuntur; et quoad indicia, non sufficit ut quocumque rumore tantum aut modo alio incerto cognoscantur, sed de iis certo constare debet. — *Instructio* aliam probationem addit, sc. violationem praecepti, quod Praelatus forte antea imposuerat, iuxta dicta in art. 7 Instructionis, et supra, n. 6. Tunc enim

10. De valore harum probationum. — (Vide SUAREZ, tr. x, l. x, c. 12, nn. 29 et sqq.).

I. **Rei confessio.** — Duplex esse potest, iudicialis et extraiudicialis. *Iudicialis,* seu facta in ipso iudicio, et ideo coram iudice et aliis qui ei assistunt, plenissimam probationem facit, quae superat et infrangit omnes alias in contrarium; nisi sit extorta vi, metu aut dolo, vel nisi fuerit ex iusta causa revocata (PIAT, p. 413, q. 14). Confessio illa suam vim obtinet non solum quoad ipsum delictum de quo quaeritur, sed, si de informationibus agitur, sc. de scripturis aut iudiciis, confessio facit ut haec statim authentica habeantur. Quamvis, reo in iudicio confitente, sententia statim pronuntiari queat, nihilominus ordinarie terminus ei conceditur, ut possit excusationem afferre si habet (SUAREZ, n. 32).

Extraiudicialis confessio non tantam vim obtinet, eo quod non ita deliberata praesumitur, sed maiorem aut minorem pro ratione indolis accusati, causarum et circumstantiarum propter quas confessus est, v. g., si ex levitate, ex iactantia, ex ira aut alia passione loquutus sit. Ideo generatim ex se sola non habet vim plenae probationis, et propterea sola ad condemnationem accusati non sufficit. Insuper, priusquam admittatur in iudicio, eius existentia indubie probari debet (SCHMALZGR., t. II, tit. 18, nn. 25 et 28).

Confessio potest esse simplex aut qualificata. Qualificata est, quando fit cum declarationibus quibus restringitur sive quoad ipsum factum, sive quoad accusati reitatem. Confessio qualificata autem a iudice accipienda est cum iis restrictionibus quibuscum facta fuit.

II. **Testium depositio.** — De testibus haec notanda veniunt:

1. Testes semper audiuntur separatim (*Instr.* an. 1880, *art.* 17), et sunt accurate examinandi *(Instr. de Prop. Fide).* Examen testium fit prius de eorum persona: an sint indubiae famae, annon inimici accusati, subornati, etc., scilicet quaeritur an sint necne omni exceptione maiores (id est, contra quos accusatus nullam exceptionem producere valeat, propter quam reiici debeant aut saltem vis eorum testimonii imminuatur). Examen deinde fit de ipso delicto aut alia re quam testantur,

---

accusatus propter praecepti violationem puniri poterit, dummodo constet de praecepto, de eius intimatione et de eiusdem violatione. Propterea assignatae sunt aliquae cautiones in illo edendo et intimando.

et testes interrogari debent quomodo eam cognoscant, utrum ex visu, an ex auditu, a quo audierint, etc. Tandem examinantur de omnibus circumstantiis loci, temporis, personarum; semper interrogando quomodo has circumstantias cognoscant (Schmalzgr., l. II, tit. 20, n. 97).

Reus excipere potest *a)* contra ipsas testium personas; *b)* contra ipsorum examen, quod modo debito non fuerit factum; *c)* contra ipsorum dicta, falsitatem aut errorem in eis arguendo, vel per contraria testimonia, vel per alias quascumque probationes.

2. « Testes, ait *Instructio* anni 1880 (*art.* 18), sive ad probationem sive ad defensionem, quoties legalia obstacula haud obsistant, sub iuramento audiri debent ». Contrarium statuitur in *Instruct. de Prop. Fide* (n. 11): « Non requiratur iuramentum; sed si testes ipsi non renuant et se paratos esse declarent ad ea quae detulerint iuramento, data occasione, confirmanda, fiat adnotatio huiusmodi dispositionis seu declarationis in actis »[(a)]. Inde apparet iuramentum in iudiciis summariis Regularium non esse quid substantiale, seu non esse de iure naturae.

Testibus, si opus sit, obligatio secreti imponi potest (*art.* 18). Imo plures dicunt omnino convenire ut semper imponatur, ne, v. g., primi testes aliis quid testificati fuerint revelent, et ita in ipsorum testimonia influant.

3. Si testes indicentur qui forte vocari non possint, aut vocati venire nolint non vocarentur, aut sine periculo (v. g., ubi agitur de lapsu scandoloso religiosi, si testis Religioni infensus indicaretur) : hoc in actibus notare oportet, et huic defectui esset meliori modo possibili supplendum, v. g., vocando alias personas quae sive ab eis sive alia ratione noverint id quod inquiritur (*art.* 20).

4. *De vi probationis, quae ex testium depositione resultat*, haec tenenda sunt: *a)* Ordinarie ad probationem plenam requiruntur et sufficiunt duo testes de eadem re testantes (*contestes* vocantur) et omni exceptione maiores. *b)* Dicitur ordi-

10. (a) Forsan oppositio inter duas Instructiones non est tanta, quae prima fronte apparet, et aliqua distinctione explicanda est. A testibus, quando primum vocantur, iuramentum non exigitur, quia ex eorum testimonio potest reus adduci ad confitendum, aut indicia praebere possunt ex quibus deinde probatio habebitur : tunc probatio non fundatur in eorum testimonio, et propterea non exigitur iuramentum ; sed quando tota probatio ipsorum testimonio innititur, tunc iuramentum exigitur.

narie sufficere : nam non sufficerent, si eorum testimonium alio testimonio contrario infrangeretur ; item in quibusdam causis, in quibus Iura plures requirunt [b]. *c)* Si testes sint *singulares*, sc. si unusquisque de re diversa testatur, triplex casus evenire potest. Primus : eorum testimonia sese mutuo corroborant (v. g., diversas referunt facti principalis circumstantias, quae omnes valent ad factum comprobandum). Tunc, quamvis eorum testimonia magnam praesumptionem faciant, et plus quam semiplenam probationem, nondum tamen plene probant (Schmalzgr., l. c., n. 106). — Secundus casus : testium singularium testimonia adversantur (v. g., testes referunt accusatum eodem die, eadem hora in locis diversis et dissitis fuisse). Patet eorum testimonia hac contradictione aut destrui, aut saltem infirmari, nisi contradictio sit in circumstantia accessoria. — Tertius casus : varia testimonia sunt simpliciter diversa, nec sibi mutuo adversantur, nec sese corroborant. Tunc revera de singulis circumstantiis, quas singuli testantur, non est nisi testis unicus ; ergo collata testimonia non efficiunt plenam probationem (Schmalzgr., *ibid.*).

III. **Instrumenta seu scripturae.** — Instrumenta sunt alia publica, alia privata. Hic de solis privatis agendum : quae plerumque erunt epistolae missae. Litterae, si sint ab auctore recognitae, probant contra scribentem, saltem ut confessio extraiudicialis, imo plenam probationem facere possunt. Schmalzgr., t. II, tit. 22, n. 77, dicit plenam probationem facere ; sed eaedem rationes, propter quas confessio extraiudicialis non habetur uti plena probatio, militant ut idem de litteris affirmetur. Alii distinguunt : litterae, aiunt, aliquando delictum ipsae continent, et tunc, si certe probantur esse ipsius rei, constituunt probationem plenam ; aliquando sunt tantum indicativae delicti, et tunc uti confessio extraiudicialis habendae sunt. — Litterae quae essent in favorem scribentis, eumque a delicto innoxium vindicarent, quamnam vim obtineant, ex circumstantiis erit diiudicandum.

(b) Ita c. *Licet*, 23, *De testibus*, II, 29 : « Mandamus quatenus.... non minus quam duorum vel trium virorum, qui sint probatae vitae et fidelis conversationis, testimonium admittatis, iuxta illud Domini : in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quia licet quaedam sunt causae, quae plures quam duos exigant testes, nulla est tamen causa, quae unius testimonio, quamvis legitimo, terminetur ». Inde adagium : testis unus, testis nullus.

IV. **Praesumptiones seu argumenta ex indiciis** (vide SCHMALZGR., l. II, tit. 23).

1. *Indicium* est notabile signum alicuius delicti aut alicuius rei, de qua dubitatur. *Praesumptio* est coniectura seu iudicium aut argumentum ex his indiciis desumptum.

2. Indicia sunt levia, gravia, gravissima, et dant locum praesumptioni levi, probabili, vehementi seu violentae. Quandonam indicia dici debeant levia, gravia aut gravissima, modo generali definiri non potest, et ideo prudenti iudicis arbitrio relinquitur. Ut indicia admittantur tamquam probantia, ante omnia de eorum existentia certo constare debet; constat autem, vel quia sunt evidentia, vel quia sunt notoria, vel quia probata sunt per testes aut aliis mediis.

3. Probata existentia indiciorum, praesumptio quae ex eis habetur, ut dictum est, est vel levis, vel probabilis, vel vehemens. Praesumptio levis nihil omnino probat, et reiicitur: quia est mera suspicio carens fundamento solido. Praesumptio probabilis semiplenam probationem facit, sed maioris minorisve valoris, iuxta indicii gravitatem. Praesumptio vehemens, quamvis in civilibus sufficiens habeatur ad sententiam ferendam, in criminalibus non videtur satis esse: siquidem « ad retinendam accusati culpabilitatem, opus est probatione legali quae saltem inducat moralem certitudinem » (*art.* 16). — SCHMALZGR., l. c., n. 15, tres sententias diversas refert: primam, praesumptionem vehementem non sufficere ad sententiam condemnatoriam; secundam, sufficere; tertiam, dare locum poenae mitiori.

4. Praesumptio aliquando ab ipso Iure statuitur. — Inde distinctio inter praesumptiones hominis et praesumptiones iuris. Praesumptio hominis illa est quam iudex aut alius ex indiciis ipse sumit. *Praesumptio iuris* ea est quae a Iure ipso statuitur. Est autem duplex; alia est simpliciter iuris: habetur quando lex ex aliquibus indiciis statuit adesse praesumptionem: stat praesumptio, donec probatione contraria infringatur; sed non constituit nisi semiplenam probationem. *Alia praesumptio est iuris et de iure:* habetur ut plena probatio, quae sufficit ad sententiam condemnatoriam, et contra eam regulariter non admittitur probatio. Ita SCHMALZGR., nn. 7 et sqq., 18; PIAT, p. 446, q. 1. — Sed tutius videtur stare ad principium articuli 16, scilicet tunc tantum attribuere praesumptioni vim plenae probationis, quando, non obstantibus inductio-

nibus in contrarium, omne prudens dubium removet, et ideo moralem certitudinem affert.

11. Citatio et examen rei.

1. Completa inquisitione seu processu informativo, si exinde iudex non pervenit ad moralem certitudinem reitatis inculpati, causam dimittere debet. Haec est consequentia articuli 16. Nam ex inquisitione non habet probationem sufficientem ad condemnandum inculpatum; et processus qui ulterius fit, non dirigitur ad novas probationes inquirendas, sed ut inculpatus probationibus iam habitis respondeat. — Igitur in casu, nihil remanet iam Superiori faciendum, nisi ut invigilet, et mediis providentialibus, quae n. 6 dicta sunt, delicta praeveniat.

Si autem ex inquisitione Superior ad plenam delicti et inculpati reitatis fidem inductus est, tunc iste ad examen citatur. Ita *art.* 21 [a]. Sunt quidem qui censeant citationem posse omitti et reum condemnari quin audiatur, quando crimen est notorium, et omnino certum apparet reum nihil ad sui defensionem afferre posse. Piat, p. 403, q. 4; Schmalzgr., l. II, tit. 3, n. 15, et ita ex c. *Cum sit Romana,* 5, *De appell.,* II, 28. — Sed semper tutius est reum ad examen vocare. Utraque *Instructio,* nulla facta exceptione, dicit citandum esse reum.

Art. 22 additur: « In citatione, nisi prudentia id vetet, exponuntur ei per extensum accusationes adversus eum collatae, ut praeparare se possit ad respondendum » [b]. Et *art.* 23: « Quando autem ob accusationum qualitates, aut ob alia adiuncta, prudens non sit in actu intimationis eas patefacere, in ea solum innuitur eumdem ad examen vocari, ut sese excuset in causa quae ipsum respicit ut accusatum ». Tunc debent ipsi exponi viva voce omnes accusationes per extensum cum probationibus: siquidem id prius non factum est. Notandum est autem reum tunc non posse interrogari ad habendam aliquam confessionem, priusquam bene sciat de qua re accusetur.

2. *Examen inculpati* in hoc consistit, ut primo de ipso facto delictuoso interrogetur. — Si illud et suam culpabilitatem confitetur, iam res est confecta. Confessio enim iudicialis

---

11. (a) Art. 21: « Quum collectum fuerit quidquid opus sit ad factum et accusati responsabilitatem constituendam, vocatur iste ad examen ».
(b) Idem dicit Suarez, l. X, c. 12, n. 30.

facit plenam probationem, et notorium iuris[c]. Ideo statim, omisso processu, iudex sententiam pronuntiare potest. — Si autem delictum non confitetur, de probationibus, quae ex processus instructione collatae sunt, interrogetur.

In hoc examine, *a)* non licet deferre iuramentum accusato, scilicet ab ipso petere ut iuret se delictum, de quo accusatur, non commisisse. Hoc, quidquid antea factum fuerit, omnino vetuit Benedictus xiii, in Conc. Romano a. 1725, sub poena nullitatis processus [d].

b) Iudex interrogare nequit nisi de factis in inquisitione probatis aut semiprobatis: nam non licet inquisitionem in aliquem incipere, a fortiori eum in iudicium vocare, nisi propter crimina denuntiata aut fama prodita cum fundamento saltem probabili, ut dictum est n. 7. Iudex ergo, si de aliis non semiprobatis interrogat, aut si interrogationibus suggestivis vel captiosis et a fortiori mendacibus confessionem extorquet, iniuste agit, ideoque de confessione sic extorta uti nequit (Piat, p. 409, q. 5; et p. 412, q. 12)[e]. Quoniam autem reus

---

(c) C. *Quaesitum*, 10, *De cohabitatione*, iii, 2: « Nisi peccatum huiusmodi sit *notorium* per sententiam, seu per *confessionem factam in iure*, seu per evidentiam rei quae tergiversatione aliqua celari non possit... ». — Et c. *Cum olim*, 24, *De verborum signific.* v, 40: « Offensam illam nos rescribimus intelligere manifestam, quae vel *per confessionem* vel per probationem legitime nota fuerit, aut evidentia rei, quae nulla possit tergiversatione celari ».

(d) « Nos rationibus utrinque perpensis, et quamplurium inhaerentes insignium tribunalium praxi, iuramentum ipsum per reos sic criminaliter inquisitos praestandum consulto tollendum et submovendum ducimus, prout, sacro etiam approbante Concilio, praesenti hac Constitutione omnino tollimus ac summovemus. Nec iuramentum huiusmodi ullatenus a reis eisdem.... in futurum per quosvis iudices et ministros, sub quovis praetextu, causa et quaesito colore, volumus exigatur. Alias examen sive constitutum et omnia nulla sint eo ipso et irrita, omnique careant contra reos effectu ». (Apud Ferraris, v. *Reus*, n. 27). Duo prohibentur, nempe tum exigere a reis in criminalibus iudiciis, ut iurent se veritatem dicturos (hoc enim expresse indicat Pontifex in parte narrativa decreti, dicens: « stylum in quibusdam curiis inolevisse perpendimus, ut iudices, reos criminali facinore accusatos examinaturi, iuramentum ab his praestari iubeant de veritate dicenda »), tum deferre iuramentum ut ab aliquo particulari facto se purgent: nam vult Pontifex, ut iuramentum sub nullo praetextu, causa aut colore exigatur.

(e) Paulus iii, C. *Ad onus* (1548) § 8: « Iidem iudices captum pro uno crimine, super aliis, de quibus indicia aliqua non habent, nullo modo

illegitime interrogatus non tenetur respondere, imo, ait S. Lig., l. III, n. 154, « potest iurare se nescire crimen » : ideo, ipse concludit, « idem potest reus, si non adsit semiplena probatio; ita Tamburini cum communi: quia tunc iudex non legitime interrogat ».

c) Non licet interrogare de complicibus, nisi in casibus iure exceptis. Ita ex c. *Cum monasterium,* 1, *De confessis,* II, 18. Casus excepti sunt illi, in quibus agitur de praecavendo damno communi, aut Religionis, aut tertiae personae innocentis. Permittitur etiam, si complices ipsi iam denuntiati fuerint vel infamati. Forsan etiam in aliquibus aliis casibus (Piat, p. 409, q. 6 et 7). De caetero denuntiationes contra complices caute admodum accipi debent: sunt enim suspectae (supra n. 7, II).

3. **Utrum reus legitime interrogatus veritatem confiteri teneatur?** — Dicitur: legitime interrogatus, ergo a iudice legitimo et de rebus iam saltem semiplene probatis. — Non quaeritur an liceat reo mentiri, nec quibus amphibologiis aut restrictionibus uti ei licebit, si est illegitime interrogatus (de quo vide S. Lig., l. III, nn. 151-156): sed an legitime interrogatus teneatur delictum suum fateri. — Respondetur: 1° Communiter AA. tradunt quod, si ex silentio aut dissimulatione grave damnum immineat communitati aut tertio innocenti, reus legitime interrogatus veritatem, qua malum impediretur, confiteri teneatur. — 2° Dicunt, si ex confessione modicum tantum damnum accusato evenire debeat, eum etiam ad veritatem confitendam adstringi: ratio est, quia iuris interrogandi, quod iudex habet, correlativa est obligatio respondendi, a qua solum propter grave damnum excusari potest. Inde concludunt reum teneri, si crimina iam sunt plene probata, ea iudici interroganti confiteri: quia, etiamsi non confiteatur, sententiam condemnatoriam non effugiet; ergo confessio nullum damnum ei affert, et proinde obedire tenetur. — 3° Praecipua quaestio apud AA. est ergo, an grave malum, quod ex confessione sua reus merito timet (scilicet sive poena gravis, sive infamia), sit causa sufficiens quae eum ab obligatione veritatem confitendi solvat: supponendo semper quod ex silentio nullum grave damnum communitati aut tertiae

---

interrogare praesumant, sed tam in his quam alias in omnibus occurrentibus, Iuris communis dispositionem servare teneantur ac debeant ». Haec dispositio igitur habetur tamquam Iure communi statuta.

personae innocenti sit eventurum. Quaestio his terminis restricta controvertitur apud AA. Negant teneri ad confessionem Lugo (*De Iure et Iust.*, disp. 40, n. 15), et cum eo Reiffenstuel, Lessius, Cardenas, Leuxinus, Viva, Pichler, Pellizarius, Ferraris (v. *Accusatus*, n. 17). Affirmant S. Thomas (2, 2ae, q. 69, a. 1, c., et ad 2), Salmanticenses, Passerini, Schmalzgr. (l. II, tit. 18, n. 3) Sanchez, Bordenax, Mayr. — S. Lig. (l. IV, n. 274) probabilius habet eum teneri. « Sententiam negantem, ait, quam satis probabilem etiam intrinsece puto, quamvis aliam affirmantem probabiliorem censeam, tenent cum Busembaum et Sa, Suarez, etc.... eamque probabiliorem censet Lugo » ; et l. III, n. 156, similia profert. (Vide Piat, p. 406, q. 4; p. 407, *nota* 10; p. 408, *nota* 4, ubi dat AA. pro et contra, cum locis). Sententiae affirmanti validum robur adiecit Benedictus XIV, C. *Paterna charitas* (1749). In ea iubilaeum anni sequentis promulgat; porro, n. 8, sic loquitur de facultate quosdam absolvendi: « Quoad illos in carceribus detentos, quorum criminales causae nondum conclusae sunt, iisdem serio admonitis de obligatione, qua tenentur, iudicibus super eorum delictis legitima auctoritate eos interrogantibus veritatem aperire; quodque hoc animi proposito carentes absolutionem sacramentalem nullo fructu, quin potius animarum damno susciperent.... ». Eadem verba repetit Leo XII, C. *Studium paternae charitatis* (Dec. 1824).

4. Audito reo, ait *Instructio* anni 1880, *art.* 25, « quatenus inductiones faciat alicuius momenti, debent istae, quantum fieri potest, exhauriri ».

Inductiones sunt ea omnia, quae accusatus affert ad probandam suam innocentiam aut ad reitatem minuendam, sive delictum ipsum neget a se commissum fuisse, v. g., quia se alibi fuisse allegat; sive factum non fuisse sibi delictuosum contendat, v. g., quia in casu legitimae defensionis alium vulneravit aut occidit; sive probationes infringere conetur, v. g., exceptiones contra testes inducendo, instrumentorum authenticitatem negando, indicia explicando.

Hae inductiones statim examinari debent a Iudice : ut reiiciantur, si falsae probentur aut nullius valoris; retineantur autem, si verae appareant.

Notanda. 1° Reus, quamvis possit excipere contra testes, et producere ad sui defensionem ea quae ad testium vel denuntiatorum vel informatorum auctoritatem infringendam faciunt, eos tamen accusare non debet, nisi quantum ad sui defensio-

nem requiritur. Nam reus, non relatione criminum aliorum, verum demonstrata propria innocentia ab accusatione purgatur. — 2° Si reus allegata neget, non ipsius est probationes suae negationis afferre; sed veritas allegatorum ex inquisitione probari debet: nam nemo malus nisi probetur. — 3° In hoc examine reus exigere non potest ut ipsi defensor concedatur, sed tantum in causae discussione, quae sequetur. Ita resultat ex comparatis *art.* 25, 27, 30, 31 *Instructionis.*

12. Causae discussio. — Causa inchoata, et per inquisitionem cognita, auditisque ac discussis rei inductionibus, iam fit progressus ad tertiam iudicii phasim, scilicet ad causae discussionem. Ea autem constat litis contestatione et rei defensione.

1. **Litis contestatio.** — Proprie in solis causis civilibus habetur. Tunc in hoc consistit quod, producta actoris petitione cum suis probationibus, et accepta rei responsione, eliminatis iis quae iam non subsistunt, statuitur tandem quid actor petat et quibus innixus rationibus, ac quid reus et propter quas rationes neget, ut de hoc discussio instituatur.

In causa criminali, litis contestatio analogice dicitur, et in hoc consistit quod, reo examinato, auditis et quantum fieri potuit exhaustis eius inductionibus, ipsi a iudice declaretur quaenam ex allegatis contra ipsum ex tota inquisitione retineantur et quibus probationibus nitantur[a]. Ergo litis contestatio in causa criminali duo continet, declarationem scilicet tum delictorum quae retinentur, tum probationum earum quas reus per suas inductiones destruere non potuit. In hac litis contestatione debent plene reo manifestari omnia quae in actis contra ipsum remanent[b].

Contestatio litis proprie non fit in iudiciis summariis Regularium, ait Piat, p. 420, q. 2. Id ita intelligendum est, quod non fit ea solemnis litis contestatio, quae in aliis iudiciis habetur. Sed de iure naturae est ut, antequam reus condemnetur, ipsi manifestetur quid contra ipsum et propter quas rationes retineatur, atque audiatur si vult respondere aut si

---

12. (a) Art. 26: « Proceditur inde ad contestationem facti criminosi et conclusionum habitarum, ad retinendum accusatum criminosum lapsumque in relativis poenis canonicis ». Et art. 27: « Cum accusatus eo modo (in art. 26 dicto) habeat *plenam cognitionem* eius quod in actis exstat contra se, ultra quod respondere possit, iure sese defendendi a semetipso etiam uti valet ».

(b) Ita ex *art.* 27.

tempus ad sese defendendum petit, ei concedatur. Et hoc est quod dicitur in *Instruct., art.* 27 et 28 (c).

2. **Rei defensio.** — Ea vel statim vel post statutum tempus, viva voce vel per scripta, ab ipso reo vel ab aliquo defensore a Superiore approbato fieri potest (*art.* 27, 28, 30). Imo si reus ipse non se defendat et defensorem non designet, Superior defensorem ex officio nominat (*art.* 31) (d).

Defensori communicari debet ex actis processus, quidquid ei utile erit ad defensionem ; sed cavendum est, ne ex hac communicatione aliquod damnum eveniat denuntiatori, testibus, informatoribus aut quibusvis aliis personis (*art.* 32) (e). Ideo eorum nomina non sunt communicanda, nisi ipsis consentientibus. A fortiori etiam non habetur confrontatio testium cum reo, seu testium repetitio, quae fit in solemnibus iudiciis. (f).

3. *Defensio quatuor modis institui potest.* — Reus seu eius defensor contendere possunt: 1° delictum materiale non esse probatum vel quoad factum ipsum, vel quoad personam inculpati, cui imputatur; 2° factum, quod reo opponitur, non esse habendum in casu uti delictum, propter aliquam circumstantiam,

---

(c) Art. 28. « Potest quoque, si id expetat, obtinere praefixionem termini ad exhibendam defensionem cum memoria in scriptis, praecipue quando nequiverit paratus esse ad responsa pro sua excusatione » (v. g., quia in citatione accusationes per extensum ei non fuerant expositae).

(d) Art. 30. « In die qua causa proponitur, est in facultate accusati ut se repraesentare et defendere faciat per alium sacerdotem aut laicum advocatum prius ab Ordinario approbatos ». — Art. 31. « Quatenus praeventus defensorem constituere renuat, Ordinarius consulit constituendo aliquem ex officio ».

(e) Art. 32. « Defensor *caute* notitiam haurit processus et restricti in cancellaria, ut paratus sit ad defensionem peragendam ». Illud *caute* videtur spectare potius ad actuarium qui acta communicat, quam ad ipsum defensorem.

(f) Hoc quidem non dicit *Instructio* a. 1880, sed alia a. 1878, n. 12 : « *Consentientibus testibus* et dirigente prudentia Consilii, repetatur testimonium coram rectore missionario (sc. reo), qui et ipse, si voluerit, interroget per praesidem ». Avanzini, in Commentario Instructionis (A. S. S., t. XV, p. 395) ait confrontationem testium cum reo raro fieri, eo quod prudentia suasit, in praesenti Ecclesiae conditione, non solum a confrontatione abstinere, sed etiam a nominibus testium reo manifestandis. Et Suarez, tr. X, l. X, c. 12, n. 31, iam dicit, in iudicio apud Regulares nomina testium non necessario esse reo manifestanda, sufficere ut ei detur copia testimoniorum.

v. g., quia, si alium occidit, in legitima defensione fecit; 3° factum, quamvis delictuosum, non esse punibile, v. g., quia est praescriptum; 4° processum nullitate laborare propter defectum essentialem in eo admissum, v. g., quia confessio fuit indebite reo extorta.

4. Causae discussioni finis non est imponendus, nisi postquam reus eiusve defensor declaraverint se nihil ultra habere addendum. Terminus tamen statui potest, infra quem defensionem afferre debeant (*art.* 28).

5. *De personis* quae in iudiciis summariis interesse debent. — Ex *Instructione* anni 1880, quatuor personae videntur requiri: iudex, reus aut eius defensor, procurator fiscalis, et cancellarius seu actuarius aut notarius (g). Procurator fiscalis est persona publica, constituta ut partes iustitiae tueatur. — Sed in *Instructione* a. 1878, non est quaestio de procuratore fiscali neque de cancellario (h). Ergo hae duae personae non videntur necessariae in iudiciis summariis Regularium, saltem ubi proceditur sola inspecta rei veritate (i).

(g) Art. 34. « Die constituto, proponitur causa coram Vicario generali, interessentibus procuratore fiscali, defensore et cancellario ».

(h) Secundum hanc Instructionem, datur Episcopo Consilium quinque aut ad minus trium sacerdotum, ad eum iuvandum, qui sint quasi iudices cum eo. Tota instructio causae fit ab ipso Episcopo aut a Vicario generali. Relatio causae committitur alicui sacerdoti ab Episcopo electo, cuius officium est legere relationem causae coram Consilio, et respondere interpellationibus consiliariorum ad uberiorem rei notitiam acquirendam; et hoc officium ipsi Vicario generali committi potest. Non dicitur quod iste sacerdos relator necessario assistere debeat in ipsa processus informatione aut discussione.

(i) Nihilominus, si actuarius non adhibetur, Praelatus paratus esse debet, ut in casu appellationis relationem mandare possit de toto processu informativo, de rei defensione, de sententia lata. Ita in *art.* 39: « Interposita appellatione infra decem dies, curia absque mora remittit ad auctoritatem ecclesiasticam superiorem, apud quam appellatio facta est, omnes actus causae originales, id est processum, restrictum, defensiones et sententiam ». (Restrictus est compendiaria expositio eorum quae ex processu emergunt).

Processui summario Regularium (in quo omittuntur ea quae non sunt substantialia) applicari debet id quod dicitur in *Instructione S. Congr. de Prop. Fide* (20 *oct.* 1884), de sententiis ex informata conscientia, art. 10, ubi monentur Praelati quod, « si promovetur recursus ad S. Sedem, tunc apud ipsam comprobari debet culpa; consultum ideo esse, ut antequam haec poena infligatur, probationes illius.... colligantur » (vide supra, n. 4).

13. De sententia definitiva. — Defensione peracta, ad quartam iudicii phasim, scilicet ad prolationem sententiae devenitur.

1. Antequam iudex eam pronuntiet, ponderare habet utrum in processu omnia fuerint recte facta, an e contra commissus aliquis defectus; quod si accidisse animadverteret, defectum suppleat (Piat, p. 460, q. 2). Deinde perpendat an contra reum aut pro eo plenae sint probationes, quae certitudinem saltem moralem pariant.

2. Sententia definitiva triplex esse potest: condemnatoria, si sint contra reum plenae probationes; absolutoria et declaratoria innocentiae, si reus ab allegatis innocentem se probaverit; absolutoria ex insufficienti allegatorum probatione: haec sententia pronuntiatur, quando perstant contra reum semiplenae probationes. Ex ea reus aliquo modo infamatus remanet. Iure provisum est ut ab hac infamia se purgare possit.

Haec **purgatio canonica** in hoc consistit: reus iuramentum de propria innocentia profert, et duos testes adducit fide dignos, qui iurent se credere inculpatum iuxta veritatem iurasse (cc. 3 et 5, *De purgatione canonica*, v, 34). Tunc reus debet innocens declarari et tollitur omnis infamia (Piat, p. 456).

3. Sententia, ex *Instructione* a. 1880, scripto proferenda est; et, si est condemnatoria, oportet ut poenam exprimat. Ita *art.* 35[a]. Haec dispositio, quod sententia scripto proferri debeat, nequit haberi ceu substantialis, cum aequitas, ea deficiente, optime servetur (Piat, p. 468, q. 12). In *Instructione* a. 1878, quamvis singuli consiliarii suam privatam sententiam Episcopo scripto tradere iubeantur, attamen non dicitur quod ipse Episcopus, qui sententiam definitivam pronuntiat, eam scripto dictare teneatur.

Quod poena in sententia condemnatoria exprimi debeat, patet. Nam iudicium non completur sola declaratione reitatis accusati, sed eius punitione: ad hoc enim instituitur.

4. **Intimatio sententiae.** — Necesse est ut sententia reo, si non est praesens, intimetur[b]. Hoc est de substantialibus iu-

---

13. (a) Art. 35. « Profertur sententia dictando dispositivam cancellario, cum explicita mentione, in casu damnationis, canonicae sanctionis accusato applicatae ».

(b) Art. 36. « Sententia indicitur praevento, qui appellationem interponere potest ad auctoritatem ecclesiasticam superiorem ».

dicii : si quidem reo ius appellandi agnoscitur ; appellare autem nequit, nisi sciat se fuisse condemnatum [c]. — Sententia non transit in rem iudicatam, nisi reus ei acquieverit, aut elapsus fuerit terminus ad appellandum praefixus : et ideo non debet prius executioni mandari (*art.* 38)[d].

14. Appellatio a sententia.

1. Reus condemnatus de sententia appellare potest (*art.* 36)[a]. Ei constituitur terminus decem dierum a notificatione sententiae (non ab ipso die quo sententia prolata fuit) (*art.* 38). Quo elapso termino, sententiam exsequi licet, et reus iam appellare nequit : quamvis tunc adhuc ei liceat recursum habere et postulare *restitutionem in integrum ;* sed talis recursus non est suspensivus.

2. Appellatio fieri potest aut ad Superiorem maiorem in Ordine, vel ad S. Congregationem EE. et RR. (nunc ad S. Congregationem Religiosorum vel ad Tribunal S. Rotae) ; sed significari debet iudici qui sententiam tulit. Ita intelligenda est *comparitio*, de qua *art.* 38 : scilicet, si reus intra decem dies non comparuerit coram iudice qui protulit sententiam, ad significandum se appellare, sententiam exsequi licet [b].

In *art.* 37 dicitur : « Pro appellatione servantur normae statutae a Const. *Ad militantes* Benedicti XIV, 30 *martii* 1742, aliaeque emanatae ab hac S. Congr., decreto 18 *dec.* 1835[e] et littera circulari 1 *aug.* 1851 ».

(c) Hinc nullo modo posset Superior regularis condemnare accusatum et eum poena aliqua, v. g. privationis vocis activae et passivae punire, et differre intimationem huius poenae usque ad diem quo subditus voce activa aut passiva uti deberet (vide c. XXII, n. 5, 5^0).

(d) Art. 38. « Comparitio pro appellatione facienda est intra terminum decem dierum a notificatione sententiae ; quo termino inutiliter elapso, sententia ipsa in executionis statu reperitur ». Cf. n. 14, *notam* c.

14. (a) Etiam Regulares a sententia condemnatoria appellare possunt : appellatio quae eis prohibetur, est appellatio a correctione regulari (Suarez, tr. X, l. X, c. 12, n. 34).

(b) Hoc sequitur ex ipso art. 38, quo statuitur, termino decem dierum inutiliter elapso, sententiam reperiri in statu executionis. Vide etiam *nota seq.*, art. 5.

(c) Hoc decretum refertur in A. S. S., t. XIII, p. 333. Constat 15 articulis ; quorum tres primi ita se habent : « 1, Reis a curiis episcopalibus criminali iudicio damnatis spatium dierum decem conceditur, quo ad S. Congr. EE. et RR. appellare possint. 2, Decem dies numerari incipient non a die quo sententia lata est, sed a die quo reo vel eius defensori per cursorem

3. Regulares communiter a correctione Superiorum suorum nequeunt appellare (appellatione suspensiva). De sententia in iudicio lata appellare possunt. An autem tunc appellatio eorum sit suspensiva, non est omnino clarum. Videtur esse suspensiva, saltem quando poena eius rationis est quae per simplicem recursum reparari nequeat (Vide c. x, n. 14).

15. Notanda.

1. *Praescriptio* datur in causis criminalibus clericorum. Exstat responsum S. Congr. EE. et RR., 28 *mart.* 1898 (A. S. S., t. xxx, p. 688) in forma epistolae ad quemdam Episcopum scriptae: responsum autem in se est generale. Praecipuae dispositiones in eo contentae sunt sequentes: 1. In causis criminalibus ecclesiasticis locum habet praescriptio, et quidem nedum quando iudex procedit ad instantiam privati accusatoris, sed et quando ad vindictam publicam seu ex officio inquirit. — 2. Effectus proprius huius praescriptionis est solam perimere actionem poenalem, non vero civilem quae ex eodem delicto forte promanat. — 3. Praescriptio locum non habet, nisi invocetur per reum aut eius defensorem. Quod si non invocetur, omnino tenet iudicium et sententia lata. Inde donec opponatur praescriptio et legitima recognoscatur, remanet integrum ius accusandi, denuntiandi et etiam inquirendi. — 4. Licet praescriptio extinguat actionem poenalem, delictum praescriptum semper opponi potest delinquenti per modum exceptionis, illique obest. — 5. Quoad tempus necessarium ad praescribendum, dantur sequentes regulae: *a)* actio iniuriarum spatio unius anni praescribitur; *b)* delicta carnis spatio quinque annorum; *c)* aliqua crimina, raptus, stuprum per vim illatum, adulterium cum incestu coniunctum, nonnisi lapsu 20 annorum; *d)* aliqua nullo modo praescribuntur: apostasia (a fide), haeresis, simonia, concussio, abortus, sodomia, et aliqua alia. — In delictis quae successiva sunt aut permanentia, tempus currit a die cessantis delicti; et in delictis totaliter occultis, non currit a die commissi criminis, sed a die quo ab accusatore vel inquisitore primo cognoscitur.

---

denuntiata fuit. 3, Eo tempore elapso quin reus vel eius defensor appellaverit, latam a se sententiam Episcopus exequetur ». Reliqui articuli modum, quo in appellatione proceditur, explicant. *Art.* 5 dicitur: « Ipsa curia reo eiusque defensori denuntiabit appellationem coram S. Congr. prosequendam esse ». — Epistola circularis datur a Bizzarri (edit. altera, p. 171).

II. Regulariter crimina puniuntur a iudice in cuius territorio commissa sunt, si personae delinquentes non sunt ab eius iurisdictione exemptae. Sed iudex domicilii subditum etiam extra suum territorium delinquentem punire valet; v. g., Praelatus regularis iudicare et punire potest suum subditum extra conventum aut extra provinciam delinquentem. Attamen delinquens non debet bis pro eodem delicto puniri, nempe tum a iudice territorii in quo delictum commisit, tum a proprio suo Superiore (PIAT, t. II, p. 494, qq. 10 et 11).

III. An Episcopus proprium subditum contra legem dioecesanam in conventu exempto delinquentem punire possit? — Resp. Affirmative probabilius: quia conventus, quamvis exemptione locali gaudeant, sunt revera in dioecesi aut de dioecesi [a]; ergo lex dioecesana, quamvis territorialis, personas non exemptas ibi degentes attingit. Neque per hanc vim legis dioecesanae, neque per sententiam latam in casu, ullum praeiudicium affertur exemptioni locali. — Contrarium esset dicendum, si ageretur de territorio reipsa e dioecesi avulso, ut sunt abbatiae nullius (PIAT, p. 495, q. 12).

SECTIO II.

16. Forma iudiciaria in Societate.

I. **In dimissionibus non adhibetur.** — Quod de forma iudiciaria in dimissionibus non servanda dictum fuit c. VII, nn. 28 et 29, sic brevi resumi potest:

1. In CONSTITUTIONIBUS nulla fit mentio formae iudiciariae in dimissione; sed iuxta eas, Praep. Generalis, expensis causis, omnes dimittere potest (vide P. II, c. 3, ubi de modo dimittendi agitur).

2. CONGR. V, d. 58, inter Instituti substantialia reponit « non esse necessarium ut in dimittendo forma iudicialis servetur ».

3. GREG. XIV, C. *Ecclesiae Catholicae* (1591), expressis verbis privilegium concessit, ut dimissio fieret secundum formam in Constitutionibus stabilitam [a].

---

15. (a) LEO XIII, C. *Romanos Pontifices* (1880), n. 7, ait domos religiosas « *fictione iuris* haberi *quasi* territoria quaedam ab ipsis dioecesibus avulsa »; sed « *reipsa* (religiosos in eis versantes) intra fines dioecesium vitam degere » (cf. c. XVI, n. 1).

16. (a) « Quod vero attinet ad dimissionem, declaramus formam iudiciariam adhibendam non esse, sed modum in Constitutionibus praescrip-

4. Post decretum Urbani VIII, *Sacra Congregatio*, 21 *sept.* 1624, de apostatis et eiectis, S. CONGR. CONC. censuit Societatem Iesu hoc decreto non comprehendi, nimirum eam ad formam iudiciariam ibi praescriptam non obligari (cf. COMP. PRIVIL., n. 160, ubi res refertur).

5. Post Decretum *Auctis* (1892), LEO XIII indulsit ut Societas privilegio Gregorii XIV semper uti posset. Haec concessio in regestis S. Congr. EE. et RR. relata fuit d. 19 *apr.* 1893 (b).

6. Quamvis forma iudiciaria a Societate in dimittendis suis alumnis non sit servanda, attamen servari debent ea quae sunt essentialia in omni iudicio. Hoc sufficienter exprimitur in concessione Leonis XIII. P. Generalis in supplici libello rogaverat ut « Societas in expellendis seu dimittendis propriis alumnis etiam professis procedere posset, ut hucusque factum est, iuxta methodum statutam in propriis Constitutionibus, confirmatam Litteris Apostolicis et praesertim Const. *Ecclesiae catholicae* Gregorii XIV ». Summus Pontifex his votis Pr. Generalis annuit, « eo magis quod attentis prudentioribus normis et cautelis, quae adhiberi solent in expellendis et dimittendis membris Societatis iuxta vigentem methodum, affirmari potest praedictum decretum *(Auctis)*, si minus materialiter, at quoad spiritum formaliter servari ».

Quaenam sint istae normae et cautelae prudentiores quae adhiberi solent, exponitur tum in CONST., P. II, c. 3, tum in ORDINATIONE XII (data anno 1604). Sed fatendum est, ibi non explicari qua via sit procedendum ut obtineatur moralis certitudo delicti commissi et reitatis inculpati; potius supponitur haberi certitudinem, et exponitur quomodo, ea praesupposita, agendum sit (c).

---

tum et hactenus in Societate servatum de caetero servari volumus; nempe ut etiam sine aliquo processu, tela aut ordine iudiciario, ac nullis terminis etiam substantialibus servatis, sola facti veritate inspecta, culpae vel rationabilis causae tantum ratione habita, ac personarum aliarumque circumstantiarum.... procedi possit, auctoritate Apostolica declaramus et decernimus ».

(b) Declaratio huius concessionis invenitur in epistola P. Martin, 11 *maii* 1893, qua Societati communicat decretum *Auctis*.

(c) Ordinatio vult ut, facta denuntiatione, « Provincialis, praemissa oratione, animum intendat et exploret an ea quae reo obiiciuntur vera sint, an vero falsa aut dubia; deinde an, ut vera essent, tanti sint momenti ut de dimissione agi debeat; tertio, an remedia ad ipsum curandum debita charitate et sollicitudine adhibita fuerint » (n. 2). « Peracta in hunc modum informatione, omnibus diligenter consideratis, auditaque sententia

Suarez autem, tr. x, l. x, c. 13, n. 5, scribit : « Quando eiectio fit in poenam tantum, et nullo habito respectu qui per se sufficiat ad excludendam personam, seclusa ratione poenae: tunc nunquam fit, nec potest legitime fieri eiectio, nisi servato ordine regulari in iudicio ferendo de delicto, propter quod talis poena imponitur ». — Deinde, n. 6: « Haec autem assertio praecipue locum habet in professis: nam in caeteris nunquam eiectio est ita poenalis seu iudicialis, quin sit etiam conventionalis[d].... Ut ergo (professi) sic eiiciantur, convinci debent de delicto, procedendo iudicialiter contra eos aliquo modo sufficienti ad servandum ius naturale ». Si autem, addit, eiectio professi pronuntiari deberet non tantum in poenam eius, sed ad bonum commune, tunc forma minus rigida servari posset; « nihilominus tamen etiam servandus est aliquis ordo iudicialis » (n. 6). — Alii autem possunt expelli « absque iudiciario ordine, de plano procedendo, ex notitia sufficiente et moraliter certa et externe probabili » (sc. quae externe probari possit) (n. 8). — « Quando autem quis excluditur non in poenam, nec propter incorrigibilitatem, sed propter alia commoda Religionis, ipso non repugnante sed potius consentiente, nullus est necessarius iudicialis ordo; sed quaelibet informatio seu notitia, secundum prudentiam sufficiens ad alia gravia negotia, ad hoc etiam satis est.... Hic autem modus dimissionis non habet locum in professis » (n. 7).

De coadiutoribus formatis etiam pronuntiat: « Existimo coadiutores formatos non posse dimitti quasi ex conventione vel pacto cum illis, sed tantum ex causa ita urgente ut possit Societas illos etiam invitos compellere ad egressum » (n. 7). Rationem dat, quia ipsi iam sunt in termino. Haec tamen forsan severius dicuntur, maxime post decretum *Auctis*. Gravis ratio quidem ad dimittendum coadiutorem formatum semper requiritur, et non sufficit ex parte eius quod acceptet; sed ad dimittendum consentientem, a fortiori petentem dimissionem, sufficere videtur gravis ratio, quae ad dimittendum

---

Rectoris illius collegii ubi commissum fuit delictum, Provincialis consultores suos convocet et singula illis exponat » (n. 4). Tunc informationem de omnibus ad Praep. Generalem mittat, quid ipse et consultores faciendum censeant patefaciendo (ib.). — Notandum est consultationem etiam praescribi a Constit., l. c., nisi aliquando res secretum exigat.

(d) Scilicet, quia, sicut explicatur in Const., P. v, c. iv, litt. B et D, vota coadiutorum et scholasticorum fiunt sub conditione « donec Societas eos tenere volet ».

invitum esset insufficiens. Insuper, ut aliquis consentiens dimittatur, nulla forma iudiciaria requiritur (n. 11).

II. **In correctionibus** quibuscumque Societas a forma iudiciaria servanda est exempta.

Habetur 1° ex CONST., P. III, c. 1, n. 15: « In correctionibus et poenitentiis iniungendis qui modus teneri debeat, prudenti charitati Superioris, et eorum quos sibi substituerit, relinquetur ». Et P. IX, c. 3, n. 11: « Eiusdem Generalis erit correctionibus uti, ac poenitentias, quae ad satisfactionem *quorumcumque* defectuum convenire videbuntur, habita ratione personarum et aliarum circumstantiarum, iniungere: quarum consideratio eius charitati cum prudentia coniunctae.... committitur ». Ergo arbitrio Generalis res relinquitur, nec fit ulla mentio formae iudicialis. Porro Constitutiones fuerunt approbatae: ergo etiam hic modus procedendi.

Sed insuper 2° habetur expressa eiusdem facultatis concessio per privilegiorum communicationem. Etenim GREGORIUS XIV, C. *Ecclesiae catholicae* (1591) « omnes facultates omnemque iurisdictionem, quod ad subditorum correctionem et punitionem pertinet, quibuscumque Ordinibus eorumque Generalibus hactenus concessas, non ad instar, sed aeque principaliter ipsi Societati eiusque Praeposito concedit et elargitur ». Porro facultas omnimodae correctionis et punitionis absque forma iudicii fuit largita Minoribus a BONIFACIO VIII, Const. *Ad augmentum* (1295), Minimis a IULIO II, Const. *Virtute conspicuos* (1506), § 30; Congregationi Olevitanae ab eodem, Const. *Etsi ad universos* (1507) § 9; Camaldulensibus a LEONE X, Const. *Etsi a summo* (1513) § 11 (e) (cf. COMP. PRIV., n. 148). — Etiam invocari potest concessio a PAULO III Generali Societatis et aliis Praepositis facta, Const. *Licet debitum* (1549), « excommunicandi,

(e) IULIUS II, C. *Virtute conspicuos*, § 30: « Nos auctoritate Apostolica vobis indulgemus, ut ad correctiones et punitiones Fratrum vestri Ordinis delinquentium infligendas, Generalis, Vigiles et Provinciales, necnon correctores locales..., vinculis et apicibus ipsis postpositis, libere procedere valeant secundum consuetudines approbatas et generalia facta et etiam facienda ipsius Ordinis instituta ».

Idem, C. *Etsi ad universos*, § 9: « Et si contra aliquem Praelatorum vel monachorum dictae Congregationis civiliter vel criminaliter agi contigerit, secundum consuetudines et statuta praedicta, Iuris communis apicibus, dilationibus, terminis et litium anfractibus omissis, procedi debeant. — Iisdem verbis utitur LEO X, Const. *Etsi a summo*.

incarcerandi et alias suae disciplinae submittendi quosvis insolentes et qui id mereri videbuntur » (f).

III. **In reclamatione contra validitatem professionis** forma iudiciaria specialis, a Tridentino et a Benedicto XIV statuta, servari debet (vide c. V, n. 10); nec Societas ullum habet privilegium quo ab ea eximatur (vide COMP. PRIV., n. 50).

IV. **In accusatione et iudicio de ambitu** in Congregatione generali, forma iudiciaria summaria servanda videtur, ex CONST., P. VIII, c. 6, n. 2 et litt. A., necnon ex *Formula* Congregationis generalis, §§ 23 et 24. Etenim ex his locis ista habentur : *a)* Omnes professi, ex quarto voto simplici, tenentur denuntiare quemcumque sciverint ambiisse. Ad denuntiationem insuper tum ipsi, tum alii quicumque, obligantur sub poena excommunicationis (CENSURAE ET PRAECEPTA, c. I, n. 1). — *b)* Quinque iudices designantur ad iudicium proferendum, et sententia condemnatoria tribus saltem suffragiis pronuntianda est. — *c)* Sententiam condemnatoriam proferre non debent nisi denuntiatus convictus fuerit. Si probationes fidem certam non faciunt, a condemnatione abstinere tenentur. — *d)* De delatore et de testibus sermo fit in *Formula* Congregationis generalis, n. 24.

Porro totus hic loquendi modus videtur arguere adhibendum esse in casu iudicium proprie dictum. Insuper agitur de re maximi momenti, et etiam de poena gravissima infligenda : ergo non mirum est formam iudiciariam tunc requiri. — SUAREZ, tr. X, l. X, c. 13, n. 2, admittit in hoc casu ab ipsis Constitutionibus requiri ut via iudiciaria procedatur (g).

(f) Ita Pontifex: « Ipsique Generalis et alii inferiores Praepositi, per se vel per alios, illos sic egressos ac alios quoscumque dictae Societatis apostatas, *ut etiam alios quosvis insolentes et qui id mereri videbuntur*, in quocumque habitu apostatas praedictos contigerit inveniri, excommunicare, capere, incarcerare, et alias suae disciplinae submittere, libere et licite valeant ». — Notandum est : *a)* Quamvis privilegium maxime contra fugitivos et apostatas detur, nihilominus etiam spectat ad corrigendos alios quosvis insolentes et qui id mereri videbuntur. *b)* Non dicitur quidem explicite formam iudiciariam omitti posse, sed satis excluditur per ultima verba *libere et licite valeant*, quin ulla fiat mentio iudicialis processus.

(g) Ecce eius verba : « Unde tandem concluditur, de toto ordine iudiciali nihil peculiare dispositum esse a Patre nostro S. Ignatio in Constitu-

v. Quamvis forma iudiciaria non sit necessario adhibenda nec in dimissione, nec in correctione, ea tamen uti non prohibetur, et aliquando utile esse poterit eam adhibere. Hoc insinuatur in CONGR. VI, d. 32, § 8 (h), et omnino supponitur in Congr. VII: in ea etenim composita fuit et proposita aliqua forma iudiciaria, qua NN. uterentur si quando opus foret; Congregatio quidem censuit nullam formulam esse probandam, sed reliquit prudentiae P. Generalis ut, si forma iudiciaria ex graviore necessitate esset adhibenda, ipse modum Provincialibus praescriberet (CONGR. VII, d. 94).

17. Denuntiatio paterna et iudicialis in Societate (a).

De paterna denuntiatione agit S. Ignatius in EXAMINE, c. IV, n. 8. Ibi dicitur candidatum de duobus esse interrogandum: primo, « An ad maiorem in spiritu profectum et praecipue ad maiorem submissionem et humilitatem propriam, contentus sit futurus ut omnes errores et defectus ipsius et res quaecumque, quae notatae in eo et observatae fuerint, Superioribus per quemvis qui extra confessionem eas acceperit, manifestentur »; deinde, « Num boni sit consulturus... ad aliorum correctionem iuvare,... praesertim ubi a Superiore.... fuerit ita praescriptum aut interrogatum ad maiorem Dei gloriam ».

Unde, ubi candidatus de utroque se fore contentum affirmat, consentit tum ad denuntiationem paternam quae alii de seipso Superiori facient, tum ad denuntiationem a se de aliis faciendam, saltem ubi interrogetur, ut notat CONGR. VI, dec. 32, n. 2. Utrumque punctum esse substantiale Instituti declaravit CONGREG. V, d. 58; et de utroque Magister novitiorum debet recte instruere novitios (Reg. 15 *Mag. nov.*). Cf. CONGR. VI, d. 34. SUA-

---

tionibus suis, nec in pontificiis diplomatis, quibus illas confirmari oportebat, praeter id quod de denuntiatione ambitionis alterius tractatum est ».

(h) « Quando autem prudenter iudicaretur non posse sufficiens adhiberi remedium quo provideatur bono communi vel tertiae personae, nisi assumatur in ea re officium iudicis, tunc tenebitur subditus ad denuntiationem iudicialem Superiori faciendam ».

17. (a) De denuntiatione in Societate agit SUAREZ, tr. X, l. X, cc. 7, 8, 9, 10. Ponit hoc principium (c. 7, n. 18) « Regula procedit, supposita renuntiatione quam expresse faciunt omnes qui Societatem ingrediuntur, renuntiando omni iuri famae quod dictae denuntiationi paternae obstare potest ». Hoc principium de sola denuntiatione paterna profert. Nam alibi ait hac renuntiatione non dari ius ad denuntiationem iudicialem (c. 12, nn. 3, 36, 42).

REZ notat (l. X, c. 7, n. 21) ex regula obligationem denuntiandi non imponi, nisi quando ex obligatione naturali adest, vel quando Superior interrogat.

CONGREGATIO VI, dd. 32 et 33, varia puncta doctrinae statuit super duplici denuntiatione paterna et iudiciali in Societate; quae deinde, paucis verbis immutatis in ORDINAT. GENERAL. c. XV, *de delicti manifestatione*, relata sunt.

Decretum 32 est *de illo qui denuntiat*. Praecipua puncta decreti sunt sequentia:

1. Licitum esse omnibus manifestare Superiori ut patri quodcumque delictum alterius, sive grave sit sive leve: tum quia hac denuntiatione melius delinquentis bono consulitur, tum quia omnes ingrediendo Societatem cuicumque iuri famae, quod huic manifestationi obstare posset, expresse renuntiaverunt (decr., nn. 1 et 2). Ideo non esse necesse ad denuntiationem paternam faciendam ut praecedat correctio fraterna nec etiam ut Superior prius interroget (n. 5) (b).

2. Denuntiationem non modo esse licitam, sed aliquando omitti non posse: scilicet quando agitur de delictis quae vel in detrimentum boni communis vel in damnum imminens tertiae personae vergunt (n. 7).

3. In hoc casu, si denuntiatio paterna non sufficit ut provideatur bono communi aut tertiae personae, quia necesse est ut Superior agat tamquam iudex, tunc Superior denuntiationem iudicialem exigere potest et subditus tenetur eam facere (n. 8).

4. Ordinarie denuntiationem facere nequit ille cui delinquens culpam suam secreto manifestavit consilii petendi gratia, vel

---

(b) Triplicem rationem dat Suarez (c. 9) cur omitti possit monitio fraterna, etiam si de gravibus delictis denuntiandis agitur: 1, propter renuntiationem expressam iuri famae (n. 6); 2, quia levis est infamia apud Superiorem regularem (n. 12); 3, quia in Religione bonum commune aut tertiae personae tutius per denuntiationem procuratur (n. 13). Nihilominus, addit (n. 17), si, pensatis omnibus, monitio secreta sufficiens apparet ut tum bono communi tum bono delinquentis efficaciter provideatur, a denuntiatione abstinendum esset; nisi tamen Superior eam forte praecipiat: facile enim inferior in iudicio de sufficientia monitionis privatae decipi potest; Superior melius, ut plurimum, de utilitate iudicabit: unde, si denuntiationem praecipit, fieri potest et debet. — Sed denuntiationem iudicialem semper praecedere debet fraterna monitio, nisi hanc fore inutilem constet.

ut iuvetur aut dirigatur. Si quando bonum commune in aliquo istiusmodi casu exigere videretur ut denuntiet, tum consulat diligenter Doctores, ut in re tanti momenti prudenter atque cautione, qua decet, procedatur (n. 4).

5. Denuntians ex caritate agere debet, sive erga delinquentem, sive erga communitatem, aut tertiam personam: et ideo in verbis, narratione, intentione modum servet quem charitas requirit (n. 6).

Decretum 33 est *de Superiore qui denuntiationem accipit* [c].

1. Paterne denuntiantem Superior sine ipsius consensu nemini revelare potest. Si necessarium esset id facere, tunc consensum denuntians dare teneretur. — Semper Superior omnimodae denuntiantis indemnitati consulat (n. 1). Non debet ab eo petere ut denuntiationem subscribat.

2. Superiori non licet paterne delatum ulli manifestare, nisi id ad bonum ipsius delati sit utile [d], et tunc cum minore, quo possit, eius famae detrimento manifestet (nn. 2 et 5).

3. Habita ratione denuntiationis paternae, Superiori fas est in denuntiatum diligentius invigilare et occasiones praevenire; ipsum monere, coram duobus aut tribus testibus reprehendere, ut ait S. Thomas (n. 4); item etiam minis terrere, loco mutare, non admittere ad officium, ab officio removere, si id sine secreti revelatione sub alia apparente et probabili occasione praestare valeat (n. 7) [e].

4. Si sit necessarium, potest, secreto imposito, cum aliis de remedio consultare: tunc bonum erit petere consensum denuntiantis (n. 6). Licet quoque rem delatam alteri Superiori manifestare, quando res ita postulaverit ad finem paternae correctionis (n. 5).

5. Potest etiam leves poenitentias ordinarias publicas infligere, defectus denuntiatos (et inquisitione confirmatos) in

---

(c) Omnia quae in hoc decreto inveniuntur fere leguntur apud SUAREZIUM, c. 10, nn. 13-15. Cf. etiam c. 12, nn. 37-41, ubi de eadem quaestione alia practica habet.

(d) Additur in decreto « aut ad bonum commune Religionis, cui debet Superior paterne providere ». Vide notam sequentem.

(e) Quod haec omnia possit Superior facere, ubi bonum delinquentis requirit, facile conceditur: nam non praetergreditur finem paternae denuntiationis. Sed si mutatio loci, si remotio ab officio non quidem propter delinquentis bonum, sed propter bonum commune aut alicuius tertii facienda esset, videtur necessarium praecesserit saltem denuntiatio canonica, ne denuntiatione paterna contra denuntiatum Superior utatur.

refectorio publicare, iuxta praxim ordinariam Societatis, dummodo delato non afferant ignominiam alicuius momenti (f), et, quantum fieri poterit, habeat consensum denuntiantis (n. 8). — Haec omnia facere potest, quia omnia fiunt ad bonum delati et igitur ad finem denuntiationis paternae.

6. Potest denique interdum Superior, ex sic notis et ad se tamquam ad patrem delatis, venire ad dimissionem delati, dummodo cognosci nequeat propter quae delicta dimittatur (n. 9) (g).

CAPUT XXIV.

DE POENIS QUIBUS REGULARES SUBIACENT

1. Notiones super variis poenis. — 2. An poenae latae sententiae requirant sententiam declaratoriam. — 3. De absolutione et dispensatione a poenis. — 4. Excommunicationes quibus Regulares, qua tales, subiacent. — 5. Excommunicationes Societati Iesu speciales. — 6. Suspensiones Regularibus propriae. — 7. Privationes quibus Regulares subiacent. — 8. Privationes quae Superiores specialiter respiciunt. — 9. Privationes Societati Iesu speciales.

1. Notiones super variis poenis.

1. Poenae aliae sunt a Iure, aliae ab homine. — *Poenae a Iure* sunt eae quae per legem, statutum aut edictum perpe-

---

(f) Addit Suarez, c. 10, n. 14: Si haec non sufficiunt, potest poenitentiam secretam iniungere, praeceptum cum omni rigore imponere, etiam sub poena excommunicationis, v. g., ut talem occasionem vitet. Nam haec omnia, ait, non excedunt potestatem dominativam patris, neque cedunt in infamiam notabilem subditi (quod dicitur de excommunicatione est difficilius: ea enim excedit potestatem dominativam, et requirit iurisdictionem).

(g) Haec doctrina difficilis est. Ad dimittendum videtur necessarium praecesserit saltem denuntiatio canonica (vel infamia): dimissio enim non fit ad bonum dimissi. Difficilius adhuc admitteretur haec doctrina post decretum *Auctis* (1892), secundum quod nemo potest dimitti nisi propter culpam gravem, externam et publicam, ac trinam monitionem et correctionem. Quamvis enim Societas non videatur in hac re subiici decreto, ut dictum fuit c. vii, nn. 28 et 30, attamen cautius saltem agendum est. Suarez (c. 10, n. 5) prudentius loquitur: « Si subditus est pertinax et admonitionem nullam admittit, et delictum nec notorjum est nec probabile in iudicio, nec vergit directe in damnum communitatis, non habet amplius Praelatus quod faciat circa delinquentem, sed oret pro illo, vigilet et occasiones, quas poterit, auferat, sine scandalo aut infamatione subditi ». Ponitur exceptio « si delictum non vergit directe in damnum communitatis »: quia, si hoc eveniat, tunc Praelatus praecipere potest ut fiat denuntiatio iudicialis, sicut explicat Suarez, c. 12, n. 35.

tuum decernuntur. Hae poenae, quemadmodum lex et statutum, morte legislatoris non cessant. — *Poenae ab homine* sunt duplicis generis: aliae per sententiam iudicialem in delinquentem pronuntiantur; aliae per mandatum seu praeceptum, sive generale sive particulare, irrogantur contra eos qui mandatum seu praeceptum transgrederentur, ita ut determinatio poenae antevertat transgressionem.

Mandata seu praecepta ab homine lata differunt a legibus, statutis et edictis perpetuis, quia *per se* cessant morte auctoris; et idem dicendum de poenis mandato huiusmodi adnexis, nisi incursae fuerint ante mortem auctoris: tunc enim post eius mortem perdurant. Dicitur haec mandata et poenae *per se* cessare morte auctoris: nam legislator supremus potest per statutum aut legem constituere contrarium, scilicet ut mandatum aut praeceptum cum poena adnexa post suam mortem adhuc obliget [a].

2. Poenae a Iure aliae sunt *ferendae*, aliae *latae* sententiae, quae scilicet ipso facto incurruntur.

Quandonam poena a lege statuta sit ferendae aut latae sententiae, non est semper facile pronuntiare. Primo exploranda est mens legislatoris; deinde, ipsa verba legis. Si remanet dubium, variae dantur ab AA. regulae (vide Piat, t. II, p. 588, q. 12 — Ferraris, v. *Lex,* art. 2, n. 28 seq.).

Poena ferendae sententiae non incurritur nisi post sententiam *condemnatoriam*. Contra, poena latae sententiae nullam requirit sententiam condemnatoriam, sed incurritur statim ac lex violatur.

2. Sententia declaratoria. — Verum hic gravis quaestio et multum controversa agitatur: an scilicet, ut poena latae sententiae non quidem incurratur, sed executioni mandetur, requiratur sententia *declaratoria* [a]. Controversia adhuc auge-

---

1. (a) Sic in Societate, duo fuerunt a Congregationibus statuta: 1° Praecepta a Praepositis Generalibus sive toti Societati, sive particularibus provinciis aut domiciliis imposita, durare mortuo Generali, donec ab alio Praep. Generali vel a generali Congregatione revocentur (Congr. IV, d. 3, Congr. VII, d. 72, Congr. XVII, d. 12); — 2° Praecepta *Superiorum personis particularibus* imposita, mortuis aut ab officio amotis Superioribus, durare donec ab eorum successororibus aut a Superioribus maioribus relaxentur (Congr. IX, d. 12).

2. (a) Certum est poenam latae sententiae statim a tempore transgressionis incurri. Ideo, etiamsi forte ad executionem requiratur sententia

tur ex eo quod aliqui duplicem sententiam declaratoriam distinguunt: unam, declaratoriam criminis, aliam declaratoriam poenae (Piat, t. I, p. 502 et 503).

Ad respondendum quaestioni [b], distingui debent tres praecipuae species poenarum: nam diversa est responsio pro diversa poenarum natura. 1° Sunt poenae mere spirituales, excommunicatio, suspensio, interdictum (sive sint censurae, sive poenae vindicativae) et irregularitates. 2° Sunt poenae temporales positivae: incarceratio, restitutio bonorum, mulcta pecuniaria. 3° Sunt privationes, praecipue privatio vocis activae et passivae, privatio dignitatum et officiorum [c], ac inhabilitas ad ea, sive ad ea quae aliquis prius habebat, sive ad quaecumque alia. Istae privationes autem aliae sunt iuris iam acquisiti seu alicuius boni iam possessi, v. g., dignitatis, officii, quae aliquis habet; aliae, iuris acquirendi, nempe privant potestate aliquid faciendi aut accipiendi, ut privatio vocis activae et passivae, habilitatis ad dignitates.

His praeiactis, propositae quaestioni: An ad executionem poenae requiratur sententia declaratoria, sequentes responsiones videntur dandae uti communiores et probabiliores:

1° Poenae spirituales, sc. censurae et irregularitates, incurruntur et obligant in conscientia ante quamcumque sententiam: « Est certum apud omnes » ait S. Lig., l. I, n. 148. Idem est de impedimentis matrimonii, etiam quando sunt in poena statuta.

---

declaratoria, ea pronuntiata, poena a momento transgressionis currit; v. g., si aliquis privationem beneficii ex lata sententia incurrit, a tempore transgressionis iam non facit fructus suos, et ideo, pronuntiata sententia declaratoria, ab eo tempore eos restituere debet.

(b) De hac quaestione consulendi sunt S. Lig., l. I, nn. 148 et 149; Ferraris, v. *Lex*, art. 2, nn. 37-44; Schmalzgr., l. V, t. 37, nn. 46 sq., 60; Piat, t. II, pp. 590, 624, 631, 638, 649 et t. I, pp. 502 et 503.

(c) *Officium*, quando a dignitate distinguitur, dicit simplicem administrationem sine iurisdictione et praeeminentia. *Dignitas* est officium cum administratione, iurisdictione et praeeminentia. Sed quando officium solum nominatur, comprehendit etiam dignitates. *Personatus* est praeeminentia sine iurisdictione, aut etiam sine administratione. — Nomine *officii* veniunt etiam aliqua munera sine administratione, v. g., munus lectoris, confessarii, praedicatoris. Haec munera non comprehenduntur sub nomine officii, quando pronuntiatur poena privationis officii. — Invenitur etiam aliquando poena *privationis graduum*, aut *privationis lectionis:* privatio graduum intelligitur privatio magisterii ac doctoratus in universitatibus, et iurium his gradibus adnexorum; privatio lectionis est privatio facultatis docendi.

2° Poenae privativae, quae privant iure acquirendo, non autem iure iam plene acquisito, incurruntur et obligant ante quamcumque sententiam. Ita est de privatione vocis activae et passivae, et de poenis inhabilitantibus ad dignitates, officia, beneficia. Sic S. Lig., l. c., qui tamen ponit restrictionem unde oriuntur difficultates: « modo, ait, reus poenam privativam subire possit absque infamia ».

3° Poenae privativae quae privant iure iam acquisito (dignitate, officio, beneficio) [d] requirunt sententiam declaratoriam (criminis); antequam pronuntietur, rei non tenentur dimittere officium, beneficium [e]. S. Lig., l. c.; Wernz, t. II, n. 539; Lehmkuhl, I, n. 209. Ratio huius sententiae, est quod nimis durum est homini dimittere ex se proprium bonum; oportet ut ab alio privetur: Ideoque usus leges poenales huiusmodi sic interpretatus est. S. Lig., n. 149. Et favent Iura, ut videre est apud Ferraris, l. c., n. 38.

4° Poenae positivae, sc. quae consistunt in actione positiva, ut aliquid restituere aut pati (v. g., incarceratio), a fortiori requirunt sententiam declaratoriam.

5° Poenae conditionales, sc. quam quis incurrit eo solo quod aliquam conditionem non ponit, hac non posita, incurruntur absque sententia declaratoria [f].

6° In tertio et quarto casu, sc. quando agitur de poenis positivis, aut de poenis privativis quae privant iure iam acquisito, quaeritur an, adiecta in lege mentione expressa quod hae poenae incurrantur *nulla exspectata declaratione,* aut alia simili, adhuc tamen possit in conscientia teneri poenas illas non obligare ante sententiam declaratoriam? — 1ª sententia

---

(d) Notat Piat, t. II, p. 624, q. 1, poenas privativas boni acquisiti requirere aliquam exteriorem actionem ut executioni mandentur, v. g., ut officium auferatur aut dimittatur; quapropter hae poenae poenis positivis assimilantur.

(e) Quamvis, ut dictum est, beneficiarius iam non faciat fructus suos. — Quoad dignitates, haec sententia aliquam difficultatem habet, scilicet quod reus ipso facto iurisdictione privetur, et tamen continuet eam exercere, donec per sententiam declaratoriam dignitate privetur. Ad hoc respondetur, quod habet titulum coloratum, et exinde actus iurisdictionis, quos exercet, non sunt invalidi.

(f) S. Lig. dat exemplum: Nominatus ad beneficium curatum, si inter annum non ordinetur sacerdos, ex dispositione Iuris privatur ipso facto suo beneficio (C. *Licet, de Electione,* in 6°). Talis igitur, si transacto anno a sua nominatione non est ordinatus, sine sententia declaratoria suo beneficio privatur.

tenet, in hoc casu eas obligare ante sententiam declaratoriam: verba enim legis, ait, sunt manifesta. SCHMALZGR., l. c., n. 60, eam probabiliorem habet. — 2ª sententia censet adhuc expectari posse sententiam declaratoriam: eam sequuntur S. LIG., n. 148; FERRARIS, v. *Lex,* art. 2, n. 3; WERNZ, t. II, n. 539(g); PIAT favet, p. 591, q. 14. Cuius sententiae rationem forsan veriorem dat FERRARIS, dicendo: quamvis verba legis et etiam mens legislatoris clara sint pro sententia contraria, attamen usus et consuetudo non acceperunt legem nisi sic mitigatam; unde per consuetudinem legi fuit in hac parte derogatum. Datur alia ratio (minus solida): dicitur clausulam « absque ulla alia declaratione » intelligi debere de sententia declaratoria poenae, quae revera non requiritur; non de sententia declaratoria criminis, quae semper exigitur. SCHMALZGR., loc. cit., nn. 60 et 61, aliam distinctionem innuit: dicit in hoc casu verius non requiri sententiam declaratoriam, sed reum non teneri sese spoliare suo bono, et expectare posse ut eo a iudice aut Praelato privetur; aliis verbis, censet ipsam exsecutionem poenae non esse ab ipso reo faciendam, sed a Praelato. Ideo, iuxta hanc sententiam, is qui propter delictum

---

(g) WERNZ, l. c., dicit pro privatione officiorum iuris iam plene quaesiti, « *omnino* requiri sententiam declaratoriam, *nisi* expressa Iuris sanctione specialiter cautum sit legem poenalem, absque ulla sententia declaratoria, plene ligare reum ad executionem poenae inflictae »; et *nota* 26, ad probandam hanc sententiam, ad praxim appellat. Tomo II, p. 197, *nota* 169, ait, quamvis Const. *Ambitiosae* declaret privationes officii a violatoribus legis incurri absque sententia declaratoria, adhuc tamen expectandam esse sententiam declaratoriam *criminis*. *Nota* 170 tamen, subiungit poenas decreto 7 *sept.* 1624 Urbani VIII statutas in Regulares bona alienantes sine beneplacito Apostolico, ab eis incurri absque ulla sententia declaratoria, quia sic declaravit S. C. C. in duobus responsis a. 1657 et a. 1689; quare, concludit, pro Regularibus severior viget disciplina. Et ita etiam dicit FERRARIS, v. *Alienatio*, art. IV, n. 90, et art. VI, n. 10. Sed in hoc videntur fuisse decepti infideli responsi S. C. transcriptione. PIAT enim, t. I, p. 503, *nota* 7, testatur se interrogasse S. Congr. de vero responso. Porro quaesitum fuerat: « An ad hunc effectum (incidendi in poenas ab Urbano statutas) opus sit praecedenti declaratione »; Responsum fuit: « S. Congr. censuit ad effectum incurrendi *in censuras* non requiri ». Inde recte argumentatur PIAT: Si S. Congregatio, interrogata an sententia declaratoria requireretur ad poenas incurrendas, decisionem ad censuras restringendo, respondit ad censuras non requiri, tacite quidem sed clare indicavit ad alias poenas requiri. Haec responsio igitur valet ad confirmationem secundae sententiae.

privatur officio ipso facto absque alia declaratione, posset tuta conscientia perdurare in suo officio, donec a Superiore (absque declaratione criminis aut culpae) eo privaretur.

Sed nondum ex his principiis solvuntur omnes difficultates, et ideo bonum est videre breviter quid de praecipuis poenis singillatim sentiendum sit.

1. *Censurae* (aut potius excommunicatio, suspensio, interdictum, sive sint censurae sive poenae vindicativae) *et irregularitates* incurruntur absque ulla sententia declaratoria, ut dictum est. Ita omnes.

2. *Privatio vocis activae et passivae.* S. Lig., l. c., utramque privationem habet ut privationem iuris quaerendi, non iuris quaesiti, et ideo dicit ante omnem sententiam declaratoriam incurri. Piat, t. II, p. 631, q. 3, et p. 590, q. 14, 4°, vocem activam habet tamquam ius acquisitum; sed immerito, ut videtur: nam vox activa est ius *ad* vocem dandam, nullum actuale bonum confert (ita Schmalzgr., l. c., n. 47). Insuper addit hanc privationem inducere infamiam, et proinde neminem teneri illam subire ante sententiam declaratoriam: quod rursus verum non est generaliter. Ergo verius videtur, privationem vocis activae et passivae incurri regulariter ante sententiam declaratoriam. Quod si in casu particulari, reus a voce danda aut etiam ab acceptando officio, ad quod eligitur, abstinere sine infamatione non posset, locus esset benignae interpretationi (S. Lig.), et talis non teneretur ante sententiam declaratoriam abstinere a dando suffragio aut ab admittendo officio.

3. *Privatio dignitatum et officiorum*, quae aliquis detinet, non incurritur sine sententia declaratoria aliqua, ut dictum est. Et probabiliter hoc valet, etiamsi lege statuatur privationem hanc incurri absque alia declaratione. Ita S. Lig.: « Si poena consistat in privatione alicuius iuris acquisiti, puta in beneficio, electione, etc., tunc semper requiritur declaratio iuridica vel poenae vel saltem criminis, etiamsi poena imponatur ipso facto incurrenda, nulla exspectata declaratione; ut docent Lessius, Molina, Soto, Sanchez, Palao, Salmanticenses ». Addit S. Doctor: « Quod dictum est de poenis privativis, a fortiori dicendum est de positivis, quae consistunt in actione positiva, v. g., aliquid restituendi aut patiendi, ut communiter cum S. Thoma, 2, 2ae, q. 62, a. 3 ».

4. *Inhabilitates ad dignitates, officia aut alia.* Eae incurruntur et obligant in conscientia ante omnem sententiam declaratoriam. — Excipitur probabiliter, si quis eligeretur et

non posset sine infamia recusare officium. Attamen in hoc casu consultum est petere secreto dispensationem a poena privationis (Piat, pag. 645, nota 10).

Alia est quaestio: *Quando requiritur sententia declaratoria, quis eam ferre debet?* — Nullibi statutum invenitur: at videtur spectare ad Superiorem rei (Piat, p. 625, q. 3). — Sed rursus quaeri potest, an Superior, quando cognoscit subditum poenam latae sententiae incurrisse, quae indigeat sententia declaratoria, teneatur talem sententiam pronuntiare? Respondendum est affirmative: ne poena latae sententiae evadat illusoria; officium est vero Superioris procurare ut lex observetur et suos effectus obtineat. Hanc sententiam tenet Suarez, *de Relig.*, tr. viii, l. ii, c. 9, n. 8; ubi, loquendo de inhabilitatibus, ait: « Quando huiusmodi poenae Iure communi praescriptae sunt ut imponendae propter aliqua delicta, Praelatum regularem iuste posse talem poenam imponere, imo etiam debere ». Haec quidem dicit de inhabilitatibus ferendae sententiae, sed a fortiori applicari debent poenis latae sententiae, quae sententia declaratoria executioni mandari debent. Vide decretum *Nuper* Innocentii xii, n. 68, ubi puniuntur Provinciales, qui non processerint ad declarationem et exsecutionem poenarum contra delinquentes in decretis contentarum. Si puniuntur, aderat obligatio sententiam declaratoriam proferendi.

3. De absolutione et dispensatione a poenis.

1° Si poena est temporanea, transacto tempore praefixo cessat ex se ipsa; v. g., si quis suspenditur ad annum, anno transacto iam ordines exercere valet.

2° Si poena est perpetua aut indefinita, tunc qui eam incurrit, ut ei se subtrahat, indiget absolutione aut dispensatione, pro poenae natura.

3° In poenis medicinalibus (censuris) datur absolutio a poena; et reus ius habet ad eam, ubi resipuit et parti laesae satisfecit. Attamen absolutio dari nequit nisi ab eo qui facultatem absolvendi habet. Unde, si censura est reservata S. Sedi aut Episcopo aut Generali, alii absolvere nequeunt nisi delegati fuerint.

4° Simplex confessarius a censuris non reservatis absolvere quidem potest, sed in foro interno tantum; idem, si delegatur pro reservatis, communiter non delegatur nisi pro foro interno. — Absolutus in solo foro interno iam in conscientia censura non est innodatus. Sed cum absolutio non

valeat pro foro externo, inde est quod, si censura est publica, non debet se gerere externe quasi esset absolutus, ne cum scandalo censuram contemnere appareat; si est occulta, potest quidem ita sese gerere: sed si postea notum fiant delictum et censura, poterit puniri ceu violator censurae.

5° In poenis vindicativis, datur dispensatio a poena quae remanet subeunda. Haec dispensatio, si poena est ab homine, dari nequit nisi a iudice, aut ab eis quibus ipse facultatem dispensandi delegaverit, aut ab eius Superioribus. Si poena est a Iure, dispensatio datur ab his qui a Iure determinantur.

De facultate, quam habent Praelati regulares dispensandi aut absolvendi suos subditos a variis poenis, vide c. XXI, nn. 7 et 8, ac 31 et 32. Sed saepissime privationes, per ipsam legem, qua infliguntur, explicite reservantur R. P. atque declaratur a Superioribus eas relaxari non posse (vide infra, n. 6, multa exempla): et ideo Superiores plerumque uti nequeunt privilegiis generalibus quae habent, sed quibus per leges huiusmodi fuit derogatum.

4. Excommunicationes latae sententiae, quibus subiacent Regulares ut tales. — Ex triplici fonte dimanant. Sunt 1° excommunicationes contra ipsos in Const. *Apostolicae Sedis* contentae; 2° excommunicationes in SS. Canonibus aut SS. Pontificum Constitutionibus decretae, quae ad internum Ordinum regimen spectant: hae enim in Const. *Apost. Sedis* explicite dicuntur remanere[(a)]; 3° quae latae fuerint a Capitulis generalibus aut Praepositis Generalibus Ordinum.

De excommunicationibus, quae ad internum Ordinum regimen spectant, haec notanda veniunt: 1° Ad internum regimen spectant Constitutiones aut decreta quae bonum Ordinis promovent (ita PIAT, p. 611, q. 3). — 2° Ex eis non subsistunt, nisi excommunicationes quae hactenus in suo vigore perstiterunt, uti dicitur in ipsa Bulla: scilicet Const. *Apostolicae Sedis* eas non innovat; unde, si ante Constitutionem iam in usu non erant, non incurruntur. 3° Quaestio est, an excommunicationes

---

4. (a) « Quae vero censurae, sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, Nostris aut Praedecessorum nostrorum Constitutionibus, aut sacris Canonibus, praeter eas quas recensimus, latae sunt atque hactenus in suo vigore perstiterunt, sive pro Romani Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcumque Ordinum et Institutorum regularium,... eas omnes firmas esse et in suo robore permanere volumus et declaramus ».

alicui Ordini pro suo interno regimine concessae, ad alios Ordines per communicationem privilegiorum transeant. Piat (t. II, p. 633, nota 4, et p. 100, 6°) censet probabilius non dari communicationem privilegiorum in poenis. Sed sententia contraria videtur verior: dummodo tamen alii Ordines admittant communicationem (communicatio privilegiorum etenim conceditur, non imponitur). Non obstat huic communicationi quod ea versetur circa materiam odiosam: nam materia est quidem odiosa aliquibus particularibus, at non Ordini ipsi; communicatio autem fit Ordini in ipsius favorem, non particularium [b].

I. **Ex Constitutione « Apostolicae Sedis »** excommunicationem incurrunt:

1. Superiores aliive mulieres intra clausuram Regularium virorum admittentes (haec excommunicatio est R. P. simpliciter reservata; in 2ª serie, n. 7).

2. Rei simoniae realis ob ingressum in Religionem (R. P. simpliciter reservata; in 2ª serie, n. 11).

3. Religiosi praesumentes clericis aut laicis, extra casum necessitatis, sacramentum Extremae Unctionis aut Eucharistiae per viaticum ministrare absque parochi licentia (R. P. simpliciter reservata; in 2ª serie, n. 14).

4. Regulares post solemne votum castitatis matrimonium contrahere praesumentes (Episcopis reservata; in 3ª serie, n. 1).

5. Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque beneplacito Apostolico ad formam Extravagantis *Ambitiosae* (nemini reservata; in 4ª serie, n. 3).

II. **Ex SS. Canonibus aut Constitutionibus SS. Pontificum ad internum Ordinum regimen spectantibus,** habentur:

6. Excommunicatio contra missionarios mercaturae operam dantes, eorumque Superiores immediatos ac Provinciales et Generales, qui subditos hoc modo delinquentes non puniverint, saltem eos a loco removendo [c]. S. Officium, decr.

(b) In Compendio Privilegiorum plures poenae admittuntur per communicationem privilegiorum cum aliis Ordinibus. Cf. nn. 39, 42, 46, 48, 53, 529 Compendii.

(c) Haec excommunicatio prius lata fuit ab Urbano VIII, Const. *Ex debito* (1633), confirmata a Clemente IX, Const. *Sollicitudo* (1669), a Benedicto XIV, Const. *Servitutis* (1741) et a Clemente XIII, Const. *Cum primum* (1759). Documenta inveniuntur in Collect. de Prop. Fide, nn. 333,

4 *dec.* 1872, declaravit hanc excommunicationem post C. *Apostolicae Sedis* in suo vigore permanere.

7. Excommunicatio in Regulares qui habitum Religionis suae *temere* dimittunt (Bonifacius VIII, c. *Ut periculosa*, 2, *Ne clerici*, III, 24, in 6°). — Haec excommunicatio reservata non est. Incurritur etiamsi habitus non dimittatur animo apostatandi; sed requiritur ut temere dimittatur (vide cap. XI, n. 2). Apostatae et fugitivi habitum suae Religionis dimittentes hanc excommunicationem incurrunt: remanent etenim Regulares. Ita Piat, t. I, p. 197, q. 5, qui in nota indicat aliquos censere hanc excommunicationem post Const. *Apostolicae Sedis* non amplius vigere; sed perperam, ut videtur: pertinet etenim ad internum Religionum regimen.

8. In causis ad S. Officium pertinentibus, excommunicatio R. P. reservata decernitur: *a)* in quosvis Superiores regulares quovis praetextu in has causas sese intromittere praesumentes; — *b)* in Superiores regulares et alios religiosos non denuntiantes Inquisitoribus religiosos quoscumque, subditos aut non subditos, haereticos aut de haeresi vel leviter suspectos (quales sunt sollicitantes in confessione) [d]; — *c)* in Superiores, qui subditos ad S. Officium recurrere volentes quovis modo, sive directe sive indirecte, avertere, retrahere, dissuadere praesumpserint; — *d)* item in alios religiosos, qui confratres ab ipsis consilium petentes quovis praetextu a recurrendo retrahunt vel retardant. Ita Paulus V, Const. *Romanus Pontifex* (1606); Alexander VII, Const. *Licet alias* (1660) (vide c. XI, n. 15).

Quaeri potest an istae excommunicationes pertineant ad internum regimen, et ideo in suo vigore remaneant. Non videtur dubitandum eas ad regimen internum pertinere: siquidem praedictae Constitutiones modum determinant quo Superiores aliive sese gerere debeant erga Regulares in causis ad S. Officium pertinentibus. — Verum est tamen in decreto S. Officii 15 *maii* 1901, in quo urgentur variae obligationes decreti Alexandri VII, nihil de excommunicatione adnexa dici. Porro videtur quod si excommunicatio adhuc vigeret, de ea

---

338, 340, 351, 352. Ex his variis documentis excommunicatio extenditur ad missionarios quoscumque, etiam in regione natos, Indiarum orientalium, Syriae, Iaponiae, et utriusque Americae.

(d) Ex decreto tamen S. Inquisitionis, d. 15 *maii* 1901, obligatio videtur reducta ad denuntiandos religiosos proprii Ordinis. Vide c. XI, n. 15.

mentio omissa non fuisset. Igitur talis omissio locum praebet serio dubio.

9. Excommunicatio in Regulares ad tribunalia sive saecularia, sive ecclesiastica a quibus sint exempti, contra correctionem aut mandata et ordinationes Superiorum suorum recurrentes. — Invenitur inter privilegia variis Ordinibus indulta (vide FERRARIS, v. *Appellatio,* art. 3, nn. 25, 26, 27). Societas hoc privilegium admittit. Cf. COMP. PRIVIL., n. 53, ubi notatur specialiter privilegium ab Urbano VIII Cisterciensibus concessum, et alterum a Iulio II Ordini Praedicatorum, a. 1505.

10. Excommunicatio in Regulares recurrentes ad quaslibet personas saeculares aut ecclesiasticas, etiam ad Cardinales, ut dignitates, officia et favores extra Ordinem obtineant. PAULUS V, URBANUS VIII, BENEDICTUS XIII eam in favorem nonnullorum Ordinum statuerunt (e). — Societas non videtur hanc excommunicationem per communicationem admisisse. Cf. COMP. PRIV., n. 156, ubi est quidem prohibitio admittendi ullam dignitatem extra Societatem absque licentia Praepositi Generalis, sed non fit ulla mentio excommunicationis in contravenientes (f).

11. Excommunicatio pronuntiatur in subornatores, sc. in eos qui in electionibus suffragia sive pro se, sive pro aliis procurant. Excommunicatio illa concessa fuit aliquibus Ordinibus: vide PIAT, t. I, p. 539, q. 5. — Similem excommunicationem Societas decrevit in ambientes, sive pro se sive pro aliis, Generalatum aut munus Assistentium aut Vicarii (CENSURAE ET PRAECEPTA, c. I, nn. 4, 5, 6. — Vide infra, excomm. 14).

12. Excommunicatione plectuntur transeuntes sine licentia Superiorum ad alium Ordinem, praeter Carthusiensium. Ita ex multis concessionibus SS. Pontificum variis Ordinibus factis. — Hoc privilegium Societas habet directe per plures Const. Summorum Pontificum, et ista excommunicatione feriuntur omnes transeuntes sine licentia post vota biennii (COMP. PRIV., n. 527; CENSURAE ET PRAECEPTA, c. III, nn. 2, 3, 5). Imo, ex privilegio Carmelitis discalceatis aliisque concesso, excommunicatione plectuntur etiam transeuntes ad Car-

---

(e) Cf. FERRARIS, v. *Appellatio,* art. 3, nn. 30, 41, 42, 43, et v. *Recursus,* nn. 37, 41, 42.

(f) In Congr. V, dec. 28, excommunicatione feritur ille qui in Hispania praesumit sibi procurare officia Consultoris aut Qualificatoris Inquisitionis.

thusienses (Comp. Priv., n. 530; Censurae et Praecepta, c. III, n. 6).

Insuper qui cum licentia ad alium Ordinem transierint, etiam ad Carthusienses, et in eo permanere non possint aut nolint, ad Societatem sub praefata excommunicatione redire tenentur (Comp., n. 527; Censurae et Praecepta, c. III, n. 7)[g].

5. Excommunicationes Societati speciales:

13. Excommunicatio contra quoscumque Institutum impugnantes, sive de Societate sint, sive non[a]: quae est reservata S. Pontifici. Ita Gregorius XIII, Const. *Ascendente* (1584). Eadem excommunicatione plectuntur machinantes alterationem Instituti. Gregorius XIV, Const. *Ecclesiae Catholicae* (1591). Cf. Censurae et Praecepta, c. II.

14. Per Constitutiones et decreta Congregationum generalium plures statuuntur excommunicationes, in iis quae ad electiones pertinent, contra eos qui, tempore quod intercedit inter mortem Generalis et electionem successoris, sinceritati electionis obstacula afferrent: scilicet, *a)* contra ambientes pro se vel pro aliis munus Generalis; *b)* contra eos « qui cum personis Societatis vel cum externis egerint aut tractaverint, vel litteras aut favorem Praelatorum, Principum aut aliorum procuraverint, ad quamvis nationem vel particularem personam promovendam ad Generalatum, vel excludendam »: *c)* contra eos qui non denuntiant ambientes; *d)* contra eos qui mendacem dant informationem; *e)* contra eos qui post peractam electionem suum suffragium mutant aut aliam tentant electionem; *f)* contra eos qui sinceritatem et libertatem electionis quoquo modo directe vel indirecte impedire vel corrumpere conati fuerint; *g)* contra eos qui ambierint pro se vel pro aliis munus Assistentis, aut egerint ut alius excludatur; *h)* contra eos qui, in electione Vicarii, eadem commiserint

---

(g) In *Clementina* 1, *De statu monach.* (§ 5, in fine) excommunicatio profertur contra monachos arma intra septa monasteriorum sine licentia Abbatum tenentes. — Sed primo, haec poena pronuntiatur contra monachos, non contra omnes Regulares; deinde, an adhuc sit in usu, merito in dubium revocari potest (vide Piat, t. II, p. 614, q. 6, 2°).

5. (a) In Const. *Ascendente* excommunicatione plectuntur omnes qui Institutum impugnant, etiamsi non sint de Societate. Post Const. *Apostolicae Sedis*, dubium est an subsistat excommunicatio pro eis: dici enim nequit eam pertinere ad internum Religionis regimen. Vide Comp. Privil. n. 362, ubi res dubia relinquitur.

quae excommunicatione puniuntur in electione Generalis. Haec omnia enumerant Censurae et Praecepta, c. I.

15. Omnibus apostatarum censuris et poenis subiacent, et proinde excommunicationi, quicumque ex causis non veris fraude et dolo dimissionem obtinent, aut etiam ex causis veris et iustis, gravibusque delictis ea intentione perpetratis. Congreg. VII, d. 22, n. 4; Censurae et Praecepta, c. III, n. 9.

16. Excommunicationi Provinciali reservatae subiacent qui externos de dimissione sua in consilium adhibent, aut quocumque modo externorum auxilio vel intercessione ad dimissionem a Superioribus obtinendam utuntur. Congr. VII, d. 22, n. 2; Censurae et Praecepta, c. III, n. 10.

17. Fugitivi Societatis ipso facto sunt excommunicati. Congreg. IX, d. 27; Censurae et Praecepta, c. III, n. 10.

18. Excommunicatur quicumque in Societate, publice vel privatim, non modo ut veram et probabilem, sed vel ut tolerabilem doceat opinionem eorum qui tradunt in re venerea exiguam aliquam delectationem veneream deliberate quaesitam aut admissam propter levitatem materiae excusari a mortali, aut placere sibi significet, aut secundum eam consilium cuiquam det. P. Claudius Aquaviva, epistola 24 *apr.* 1612; Congr. IX, d. 24; Censurae et Praecepta, c. IV.

19. Item, quicumque praelegendo, consulendo aut scribendo doctrinam tyrannicidii affirmare praesumpserit; necnon Provinciales qui non effecerint ut hoc praeceptum sancte observetur, aut emendando aut praeveniendo incommoda, si quid in hoc peccatum fuerit. P. Claudius Aquaviva, Epist. 1 *aug.* 1614; Censurae et Praecepta, c. V, n. 1.

6. Suspensiones Regularibus propriae.

1. Duplex suspensio statuitur in decreto *Auctis* (1892), contra eiectos vel dimissos: *a)* Religiosi quicumque, etiam votorum simplicium, « in sacris ordinibus constituti, qui expulsi vel dimissi fuerint, *perpetuo suspensi* maneant, donec a S. Sede alio modo eis consulatur » (n. 4). Haec suspensio est totalis, perpetua, et omnes eiectos comprehendit: ideoque per eam extensa fuit suspensio lata in Const. *Apostolicae Sedis*, n. 5: « Suspensionem perpetuam ab exercitio ordinum ipso iure incurrunt religiosi eiecti, extra Ordinem degentes ». Insuper reservatur R. P.

b) Religiosi in sacris ordinibus constituti, qui sponte suam dimissionem obtinuerint, nequeunt exire ex claustro donec Episcopum benevolum receptorem invenerint et de ecclesias-

tico patrimonio sibi providerint: « secus suspensi manent ab exercitio susceptorum ordinum » (ib., n. 5). Suspensio haec videtur cessare impletione duplicis conditionis, quin absolutio sit necessaria: ita communiter AA.

2. Ex Tridentino, suspensioni subiacebant Regulares qui sponsos matrimonio coniunxerint: « Si quis parochus, vel alius sacerdos, sive regularis sive saecularis sit, alterius parochiae sponsos sine illorum parochi licentia matrimonio coniungere aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario eius parochi, qui matrimonio interesse debebat, absolvatur » (Trid., *sess.* xxiv, c. 1 *de Reformatione*). An post decretum *Temere* Pii x (1907) subsistat adhuc haec poena, controvertitur. Ex una parte, nulla mentio fit de ea in decreto, cum obvium erat mentionem iniicere; ex altera parte, suspensio non fuit abrogata, et nullo modo decreto adversatur.

3. Superiores regulares, qui litteras dimissorias quibuscumque clericis saecularibus ut ordinentur concesserint, « ab officio per annum sunt ipso iure suspensi ». Trid., *sess.* xxiii, c. 10 *de Reform.*

4. Quamvis non sit specialis Regularibus, notanda est suspensio a divinis S. Sedi reservata, cui subiacent sacerdotes qui stipendia missarum tradunt bibliopolis aut mercatoribus, aut diariorum administratoribus, aut quibuslibet missas requirentibus non taxative ut eas celebrent sive per se sive per subditos sacerdotes, sed ob alium finem quemlibet, quamvis optimum. Eidem subiacent stipendia acceptantes ad hos fines: necnon ii qui non tradunt celebranti integre et in specie sua eleemosynam acceptam; item, retinentes partem eleemosynarum ad decus et ornamentum sanctuariorum in quibus tradunt[a]. Ita ex decreto *Ut debita*, 11 *maii* 1904, n. 12 (A. S. S., t. xxxvi, p. 672). — Iam similis suspensio lata fuerat decreto S. Congr. Conc., 25 *maii* 1893 (A. S. S., t. xxvi, p. 56).

5. In Societate, praeter excommunicationem et alias poenas, statuta est *suspensio a divinis* contra eos qui doctrinam tyrannicidii quocumque modo admittunt. Censurae et Praecepta, c. v, n. 1.

---

6. (a) Sacerdotes contravenientes suspensionem a divinis S. Sedi reservatae incurrunt; clerici sacerdotio nondum initiati suspensionem a susceptis ordinibus et inhabilitatem ad superiores; laici excommunicationem Episcopo reservatam.

7. Privationes quibus subiacent Regulares (Cf. PIAT, t. II, p. 628 et sqq.).

1. Regulares, qui bona immobilia vel mobilia tamquam propria aut etiam nomine conventus possident vel tenent, etiam ad solum usumfructum aut usum aut administrationem, biennio voce activa et passiva privantur. TRIDENT., *sess.* XXV, c. 2 *de Regul.*

2. Regulares missionarii qui mercaturae operam navant, praeter excommunicationem (de qua supra, n. 4, 6°), incurrunt privationem vocis activae et passivae, officiorum, dignitatum et graduum quorumcumque obtentorum, necnon poenam inhabilitatis ad illa et alia quaecumque obtinenda; — et Superiores immediati, aut Provinciales et Generales, qui hos subditos circa mercaturam, etiam una sola vice delinquentes non puniverint, saltem per remotionem illorum a locis delicti, eisdem censuris et poenis innodantur. URBANUS VIII, Const. *Ex debito* (1633); CLEMENS IX, Const. *Sollicitudo* (1669).

3. Superiores aliive Regulares introducentes aut admittentes mulieres in monasteria, id est, inter clausuram, praeter excommunicationem (quam renovavit Pius IX, C. *Apostolicae Sedis,* serie 2ª), incurrunt poenam « privationis officiorum quae in praesentia obtinent, et inhabilitatis ad illa et alia omnia, et suspensionem a divinis ipso facto, sine alia declaratione incurrendam » (S. PIUS V, C. *Regularium personarum*, et GREGORIUS XIII, C. *Ubi gratiae*). Pius V his poenis subiiciebat « introducere aut admittere praesumentes »; sed Gregorius XIII. simpliciter eos qui « ingredi faciant vel permittant ». Olim dubium erat ad quosnam Regulares hae poenae extenderentur, et multi contendebant comprehendere solos Superiores, aliosve qui vi officii sui ingressum mulierum impedire tenebantur; sed opinio contraria, iuxta quam ad omnes extenduntur, facta est saltem multo probabilior ex C. *Apostolicae Sedis,* in qua excommunicatione plectuntur « Superiores *aliive* mulieres intra clausulam admittentes ». Iam S. Pius V suam prohibitionem et poenas adnexas «Abbatibus, Praepositis, Prioribus,... et eorum Monachis, Canonicis et Fratribus mendicantibus et non mendicantibus » communem esse pronuntiaverat (vide PIAT, t. I, pag. 350, q. 1; et p. 358, q. 13).

4. Regulares ad monasteria monialium sine debita licentia accedentes incurrunt ipso facto poenas privationis officiorum, ac vocis activae et passivae. Decr. S. CONGR. EE. ET RR., iussu SIXTI V editum, *nonis maii* 1590; decr. eiusdem Congr., iussu URBANI VIII, 12 *kal. dec.* 1623 (apud FERRARIS, v. *Monia-*

les, art. IV, nn. 14 et 15). — An et quatenus haec decreta sint adhuc in usu, dictum est c. XI, n. 7.

5. Regulares a S. Officio sententiati propter haeresim aut suspicionem haeresis, sunt inhabiles ad quoscumque suae Religionis gradus et officia. Decr. URBANI VIII, 1 *oct.* 1626 (apud PIAT, t. I, p. 514, q. 7). Inhabilitas perdurat etiam postquam tempus poenitentiae expleverint. — Sententiatus autem habetur etiam is qui de levi abiuravit (ut fit in casu sollicitationis in confessione), non autem ille qui salutaribus tantum poenitentiis fuit subiectus (vide PIAT, l. c.).

Superiores autem, qui sententiatos promoverent, ipsi privationem suorum officiorum ac praeterea vocis activae et passivae R. P. reservatam ipso facto incurrunt (eodem decr.).

6. Ex privilegiis multis Ordinibus concessis, Regulares appellantes ad tribunalia saecularia, aut etiam ecclesiastica a quibus sunt exempti, praeter excommunicationem (de qua supra, n. 4, 9°), privationem vocis activae et passivae atque officiorum, et inhabilitatem ad ea incurrunt (vide PIAT, t. II, p. 472, q. 4, 5° et 6°). — COMP. PRIVIL. Societatis, n. 53, admittit quidem excommunicationem pro religiosis Societatis, per privilegiorum communicationem, sed tacet de privationibus et inhabilitatibus. Ergo communicatio in his poenis pro Nostris non admittitur.

7. *Circa Missas* variae sunt poenae. Privationem omnium officiorum quae tunc detinent, ac perpetuae inhabilitatis ad alia de coetero obtinenda, vocisque activae et passivae absque alia declaratione incurrunt Regulares, *a)* qui onera perpetua missarum suscipiunt absque licentia in scriptis Generalis aut Provincialis, aut *b)* qui eleemosynas manuales accipiunt, dum acceptas adhuc habent quibus intra breve tempus satisfacere non valent, necnon *c)* omnes tum Superiores, tum subditi, qui non curant ne missae susceptae omittantur, differantur, negligantur seu pervertantur (Const. *Nuper*, INNOCENTII XII, 1697, nn. 8 et 66). Praeterea *d)* Superiores locales; qui in Capitulo provinciali non exhibent attestationem circa celebrationem missarum, quae imponitur in Const. *Nuper*, vocem activam et passivam in dicto Capitulo non habent (citata Const., n. 67). *e)* Eadem poena statuitur contra Provinciales, qui in fine regiminis Superioribus Generalibus in forma probante non ostenderent se executioni horum decretorum invigilasse (ib., n. 68). In Constitutione, n. 70, negatur cuicumque facultas has poenas relaxandi.

8. Confessarii, extra mortis articulum aut casum urgentem,

praesumentes absolvere a casibus R. P. specialiter reservatis aut quos Ordinarii sibi reservant, incurrunt poenam privationis dignitatum et officiorum, necnon inhabilitatis ad eadem imposterum obtinenda [a]. Clemens VIII, decretis 9 *ian.* 1601 et 26 *nov.* 1602, apud Bizzarri, pp. 17 et 18[b] (vide Piat, t. I, p. 439, q. 11).

9. Regulares violantes Episcopi interdictum, cui subiacent, privantur voce activa et passiva. Ita c. *Is qui* (§ *Is vero*), 18, *De sent. excomm.*, in 6°.

10. Regulares Romam venire praesumentes absque facultate Generalis aut Provincialis, privantur voce activa et passiva per biennium, et relaxatio huius poenae S. Sedi reservatur. Eadem poena extenditur ad eos qui supradictos admiserint vel receperint. Clemens VIII, in decreto *Nullus* (1599), n. 23, et in alio decreto anni 1601, quo facultas prius a solo Generali danda, a Provinciali ex causa communi totius Provinciae dari permittitur[c].

11. Poenae contra utentes gratiis, facultatibus et indultis a Clemente XII, Const. *Romanus Pontifex* (1732) revocatis. Nempe Clemens XII, in illa Constitutione, revocat multa oracula vivae vocis, et etiam rescripta sive a R. P. sive a Cardinalibus vel officialibus signata (non autem Brevia nec rescripta SS. Congregationum aut S. Poenitentiariae), ea, quae revocat, singillatim enumerando: qui autem de facultatibus, indultis et gratiis revocatis uti auderent vel praesumerent, plectuntur « poena excommunicationis [d] ac privationis officiorum, dignitatum et quorumvis beneficiorum obtentorum, vocis activae et passivae, necnon inhabilitatis ad audiendas confessiones et ad officia, dignitates et beneficia imposterum obtinenda, ipso facto

---

7. (a) Praeterea, qui a casibus R. P. specialiter reservatis absolverint, excommunicatione simpliciter reservata feriuntur, ut statuitur in Const. *Apostolicae Sedis*, post primam seriem excommunicationum.

(b) Haec duo decreta 1° omnes confessarios tam saeculares quam regulares comprehendunt; 2° sed solos confessarios intra Italiam et extra urbem degentes; 3° non feriunt nisi confessarios qui audent aut praesumunt absolvere; 4° praeter casus in Bulla *Coenae* contentos (nunc, ex nota declaratione, R. P. specialiter reservatos), et casus quos Episcopi sibi reservaverint, comprehendunt absolutionem aliquorum etiam casuum.

(c) Hoc decretum anni 1601 invenitur inter « Decreta a Regularibus in publica mensa legenda », post decretum *Nullus*, et etiam in Bull. Rom. post decretum *Sacra Congregatio* Urbani VIII (1624). — De vi horum decretorum extra Italiam, vide c. XI, nn. 17 et 18.

(d) Excommunicatio ista non legitur in C. *Apostolicae Sedis*, et ideo iam non subsistit.

absque ulla declaratione incurrenda»: quae omnia reservantur R. P. (art. 4).

12. Poenae contra violantes Constitutionem *Quaecumque* (1604) Clementis VIII. — Clemens VIII hac Constitutione regulas statuit pro erectione et aggregatione Confraternitatum: in § 12, poenam privationis officiorum, quae obtinent, et inhabilitatis ad illa et alia imposterum obtinenda, R. P. reservatam, decernit contra praesumentes contravenire, scilicet contra Superiores et officiales Ordinum et Archiconfraternitatum qui « contra praemissa (in Constitutione) in aliquo venire vel facere praesumpserint ».

Congregationes B. M. V. huic Constitutioni non subiacent; sed Congregationes Bonae Mortis ab ea non sunt exemptae (vide c. XX, nn. 17 et 19).

13. Ambientes in electionibus, tam pro se quam pro aliis, directe vel indirecte, incurrunt poenam privationis officiorum quae obtinent, et inhabilitatis ad futura quaecumque, R. P. reservatam. Hae poenae extenduntur ad complices, necnon ad simpliciter scientes et non revelantes. Clemens VIII, decr. *Nullus*, (1599), § 35 (e).

Alii Pontifices variis Ordinibus similia privilegia concesserunt (vide Piat, t. I, p. 539, q. 5). Sed cum de eis non fiat memoria in compendio privilegiorum, concludendum est Societatem communicationem in his non acceptasse. De caetero isti ambientes in Societate excommunicatione ipso facto feriuntur, et ideo, donec absolvantur, inhabiles sunt ad officia atque voce activa et passiva sunt destituti, ut dicetur infra, (n. 8, 30°).

14. Lectores, Rectores et Cancellarii Universitatum et gymnasiorum publicorum, ante suam ad haec munera receptionem, et scholares ante suam ad gradus academicos promotionem, professionem fidei, sub poena irritationis suae electionis, receptionisve aut promotionis, emittere tenentur. — Superiores autem, ad quos spectat, qui hanc professionem fidei a lectoribus, Rectoribus, Cancellariis et promotis ad gradus exigere neglexerint, poenas privationis omnium dignitatum et officiorum per eos quomodolibet obtentorum, et inhabilitatis ad illa et alia imposterum obtinenda incurrunt. Pius IV, Const. *In sacrosanta*, 1564, §§ 4, 5 et 6. — Quae poenae omnes contravenientes afficiunt, non solos Regulares.

15. Insuper recolendum est id quod c. XXII, n. 9, dictum

(e) De vi decreti *Nullus*, vide c. XI, n. 18.

fuit de mendicantibus transeuntibus, etiam cum licentia, ad Ordinem non mendicantium : istos nimirum in eo non habere vocem activam et passivam, neque ad prioratus aut administrationes aut officia alia quaecumque posse assumi ; — necnon de Regularibus ad Episcopatum promotis : eos, etiam postquam fuerint a vinculo Ecclesiae suae soluti, esse ineligibiles et perpetuo inhabiles ad dignitates aut officia seu superioritates quascumque sui Ordinis. Religiosi vero, qui eos ad haec officia eligerent, poenam privationis vocis activae et passivae ipso facto incurrunt. Paulus iv, C. *In sacra*, 1559.

8. Privationes quae Superiores specialiter respiciunt.

16. Superiores qui, contra Const. Sixti v, *Cum de omnibus* (1587) et Clementis viii, *In suprema* (1602), novitios recipiunt illegitimos (nisi ex privilegio id eis liceat), aut criminosos, vel ingenti aere alieno gravatos, vel reddendis rationibus obnoxios, aut non servant in recipiendo formam his Constitutionibus praescriptam, « voce activa et passiva, necnon officiis, gradibus, honoribus et dignitatibus quibuscumque per eos obtentis privantur, et ad illa et alia quaecumque imposterum obtinenda perpetuo inhabiles declarantur » (Const. *Cum de omnibus*, § 6). Clemens viii, qui Constitutionem Sixti v temperavit, poenas contra Superiores formam Sixtinam non servantes aut contra Constitutionem, in his quae moderata non fuere, agentes, servari voluit (Const. *In suprema*, § 4). De hac quaestione vide c. ii, nn. 10 et sq., et c. iii, n. 2 ; de exemptione vero Societatis a forma Sixtina et de eius privilegio quoad receptionem illegitimorum, dictum fuit c. ii, n. 20, et c. iii, n. 8.

17. Superiores, qui novitium sine litteris testimonialibus sui Episcopi recipiunt, non servata forma decreti Pii ix « *Romani Pontifices* » (25 *ian.* 1848), poenam privationis omnium officiorum vocisque activae et passivae, et perpetuae inhabilitatis ad alia imposterum obtinenda eo ipso incurrunt, et haec poena est R. P. reservata (in ipso decreto, § 3). — Superiores, qui hoc decretum die 1 *ian.* in publica mensa legere non faciunt, in poenam privationis officii ac vocis activae et passivae incidunt (ib., § 5).

18. Eaedem poenae incurruntur a Superioribus, qui in Italia et insulis adiacentibus decretum Pii ix « *Regulari disciplinae* (25 *iun.* 1848), de receptione novitiorum ad habitum et professionem, non servant aut illud legere non faciunt d. 1 *ian.* et prima Dominica Iulii (ita in ipso decreto). — Societas Iesu ab his duobus decretis Pii ix est exempta (vide c. iii, nn. 3, 6, 8).

19. Superiores, qui candidatos ad habitum religiosum ante annum 15 completum, aut ante 20 inceptum ad gradum laicorum vel in oblatos seu donatos admittunt, incurrunt ipso facto absque declaratione poenam privationis dignitatum et officiorum quae obtinent, ac perpetuae inhabilitatis ad illa vel alia imposterum obtinenda, vocisque activae ac passivae. CLEMENS X, decr. 16 *maii* 1675 (vide c. II, n. 4). — Societas ab hoc decreto est exempta (ib., n. 22).

20. Eaedem poenae statuuntur contra Superiores qui, in Ordinibus subiectis decretis Clementis VIII et Urbani VIII, *de domibus Novitiatus*, novitios in domibus non designatis admittunt. Const. *Regularis disciplinae* (1596) CLEMENTIS VIII, § 3: et decretum *Sacra Congregatio* (1624) URBANI VIII, § 1. — Societas ab his decretis est exempta (vide c. III, nn. 5 et 8).

21. Superiores, qui novas domos recipiunt aut erigunt absque licentia Ordinarii, « poenas privationis vocis activae et passivae, necnon officiorum quorumcumque, ac inhabilitatis ad illa seu alia in futurum obtinenda, ipso facto incurrunt ». URBANUS VIII, C. *Romanus Pontifex,* 1624[a] (vide c. XIII, n. 3).

22. Superiores qui se intromittunt in causas ad S. Officium pertinentes, aliique qui denuntiandos non denuntiant (vide supra, excomm. 8am), praeter excommunicationem in Const. PAULI V *Romanus Pontifex* contentam, incidunt in poenas privationis quarumcumque dignitatum, praelaturarum et officiorum, vocisque activae et passivae, ac perpetuae inhabilitatis ad easdem, ipso facto et absque alia declaratione incurrendas; et hae poenae R. P. sunt reservatae. Decr. ALEXANDRI VII, *Licet alias*, 1660, § 4.

Insuper Superiores, qui decreta ac Constitutiones ad S. Officium pertinentia tenentur facere legere quotannis in publica mensa, necnon in quocumque generali vel provinciali Capitulo suos subditos commonere de iniuncta omnibus observantia et executione earumdem Constitutionum et decretorum, si haec omittant, poenam privationis vocis activae et passivae, ac privationis officii incurrunt. Decr. URBANI VIII, *Sanctissimus*, 1633 (vide c. XI, n. 15).

23. Quicumque Regularis statuta CLEMENTIS VIII, de largi-

---

8. (a) URBANUS etiam poenam excommunicationis statuerat; sed cum ea non sit renovata in Const. *Apostolicae Sedis,* probabilius saltem non subsistit amplius. Licentia enim Episcopi ad erigendam domum dici nequit pertinere ad internum regimen Ordinum: ergo ex hoc capite non servatur.

tione munerum Regularibus interdicta, transgressus fuerit, poenas incurrit privationis dignitatum, graduum, munerum et officiorum, inhabilitatis ad ea, necnon privationis vocis activae et passivae, et notam perpetuae infamiae et ignominiae ; absque ullo Superioris decreto aut ministerio (in ipsa Constit. *Ne ex muneribus,* 1594). Cf. c. XI, n. 14.

Superiores qui hanc Constitutionem singulis annis mense Ianuario legere non fecerint, simul cum decreto *Nuper* URBANI VIII (1640), in quo declaratur praecedens Constitutio, incurrunt poenas privationis officii, vocisque activae et passivae (in ipso decreto).

24. Superiores qui bona communitatis alienant absque beneplacito Apostolico, contra Const. *Ambitiosae* PAULI II, praeter excommunicationem, « poenam privationis officiorum, quae tunc obtinebunt, vocisque activae et passivae, ac perpetuae inhabilitatis ad illa imposterum obtinenda, ipso facto absque alia declaratione incurrunt » [b], et relaxatio poenae R. P. est reservata. Decretum S. CONGR. CONC. TRID. coram Urbano VIII, 7 *sept.* 1624 (apud FERRARIS, v. *Alienatio*, art. IV, n. 30). Cf. c. XXI, n. 15.

25. Superiores qui, post Episcopi monitionem de delicto ab aliquo ex subditis extra claustrum commisso, illum non puniunt, aut impunitum alio transmittunt nec volunt revocare ut puniant, incurrunt poenas « privationis dignitatum et officiorum obtentorum, necnon inhabilitatis ad illa imposterum obtinenda, ac ulterius activae et passivae vocis », quae poenae R. P. reservantur. CLEMENS VIII, C. *Suscepti muneris* (textus apud PIAT, t. II, p. 72). Cf. c. XVI, n. 15.

26. Superiores qui, contravenientes decreto CLEMENTIS VIII, 15 *mart.* 1596 [c], de ordinatione, dant suis subditis litteras dimissoriales ad alium Episcopum, praeter Episcopum originis (nisi Ordo privilegium habeat, ut eius alumni a quocumque Episcopo ordinari possint, uti habet Societas), incurrunt poenas « privationis officii et dignitatis seu administrationis ac vocis activae et passivae » R. P. reservatas (ita in decreto Clementis). Cf. c. XVII, n. 8 et sq.

27. Superiores quicumque, praesumentes agere contra decretum *Sacra Congregatio* URBANI VIII (1624), de apostatis et eiectis, « poenam incurrunt privationis officiorum quae tunc

---

(b) Vide supra, n. 2, *nota* h.

(c) Hoc decretum refertur per extensum a BENEDICTO XIV in Const. *Impositi nobis* (1747), ab eoque confirmatur.

obtinerent, vocisque activae et passivae, ac perpetuae inhabilitatis ad illa imposterum obtinenda », et poena est R. P. reservata (in ipso decreto Urbani, § 13). Vide c. VII, n. 18(d).

28. Superiores, qui non curant ut quotannis legantur decreta a Regularibus in publica mensa aut Capitulo legenda, varias poenas in iisdem decretis contentas incurrunt (ut adnotatum est inter *Privationes* sub nn. 17, 18, 22 et 33). — Quae decreta, et sub quibusnam poenis sint legenda, dictum est c. XXI, n. 22.

29. Superiores, qui non curant decreta CLEMENTIS VIII, regesta post decretum *Sacra Congregatio* URBANI VIII (21 *sept.* 1624), « bis in anno legi, et eadem ad unguem observari et poenas in iisdem contentas innovari », incurrunt poenam « privationis vocis activae et passivae ac dignitatum et officiorum obtentorum, cum inhabilitate ad eadem in posterum obtinenda » (ita ex decreto *Instantibus* INNOCENTII XII, 24 *iul.* 1694). — Quaenam sint decreta Clementis VIII regesta post decretum Urbani VIII, vide c. XI, n. 17(e).

(d) In decreto *Auctis* (1892), § III, non fit quidem mentio explicita harum poenarum, sed dispositiones contentae in dicto decreto Urbani decernuntur in suo robore manere.

(e) De vi horum decretorum, vide c. XI, nn. 17 et 18. — Ut patet, ii qui his decretis non subiacent, si ea legi aut observari non curant, poenas non incurrunt.

Poenae autem in his decretis contentae et ab Innocentio innovatae, sunt sequentes :

1. Superiores transgressores decretorum *Regularis* et *Sanctissimus*, incurrunt poenam privationis omnium officiorum, quae tunc obtinent, vocis activae et passivae, et perpetuae inhabilitatis ad alia in posterum obtinenda.

2. Decretum *Nullus*, in aliquibus articulis speciales sanctiones habet : ex art. 15, Superior, qui Conc. Tridentini aut ipsius Clementis decreta de paupertate declarare, interpretari, aut relaxare praesumpserit, « omni gradu officioque privatus et ad ea perpetuo inhabilis existit » ; in art. 23 poena contra Romam venientes sine debita licentia statuitur (supra, n. 6, 1°) ; art. 35, poenae contra ambientes in electionibus decernuntur (supra n. 6, 11°). — Deinde art. 40, districte Generalibus et omnibus aliis Superioribus praecipitur « ut curent ac efficiant ea omnia inter eorum Constitutiones redigi, interdicta ipsis omni facultate ea declarandi, vel dispensandi ». Qui contra fecerint « sciant se in poenam Generalatus et officiorum privationis, ac inhabilitatis perpetuae ad alia quoque munera ipso facto incidisse ».

3. Decretum *Sanctissimus*, de casuum reservatione, nullam sanctionem habet.

9. Sunt aliquae privationes et inhabilitates Societati speciales, sive a SS. Pontificibus latae, sive a Constitutionibus aut decretis Congregationum statutae:

30. Omnis de Societate, qui aliquam praelationem aut dignitatem, in Societate aut extra illam, occulta vel manifesta ambitione quaesivisse convincitur, inhabilis est ad eam obtinendam. Paulus III, Const. *Licet debitum* (1549).

31. Insuper, ex Const., P. VIII, c. VI, n. 2, « qui de ambitione huiusmodi (Generalatus) convictus esset, activo et passivo suffragio privetur, ut inhabilis ad eligendum alium et ut ipse eligatur; nec in eam Congregationem nec in aliam unquam admitti possit ». — Sed, ex verbis ipsis Constitutionum, haec poena est ferendae tantum sententiae, quamvis sit omnino infligenda.

32. « Quicumque, sive extra sive intra Societatem, Institutum Societatis vel Constitutiones directe vel indirecte impugnare aut eis contradicere ausus fuerit, incidit in poenam excommunicationis latae sententiae, et inhabilitatis ad officia et beneficia saecularia et quorumvis Ordinum regularia, eo ipso absque alia declaratione incurrendam, Sedi Apostolicae reservatam ». Gregor. XIII, Const. *Ascendente* (1584); Censurae et Praecepta, c. II, n. 1.

« Item, qui Societatis Institutum, Constitutiones aut decreta, quovis quaesito colore aut praetextu, directe vel indirecte, impugnaverit vel curaverit ut immutentur, vel contra aut praeter ea seu quaevis alia ipsius Instituti agat, aut aliquid addendum, minuendum, aut immutandum ulli alii (praeterquam R. P., Congregationi aut Praeposito Generali) proponere quoquomodo ausus fuerit », iisdem poenis subiacet. Gregor. XIV, Const. *Ecclesiae Catholicae* (1591); Cens. et Praec., c. II, n. 2.

---

4. In decretis super forma in recipiendis novitiis servanda, poena privationis officiorum ac vocis activae et passivae decernitur in Superiores admittentes novitios aut cuiusvis conditionis personas supra numerum stabilitum; et innovantur poenae statutae contra Superiores formam praescriptam non servantes. Hae poenae edictae fuerunt a Sixto V, Const. *Cum de omnibus*, § 6 (supra, 16⁰).

5. In decr. *Cum ad regularem*, Superiores aliique, ad quos spectat, contra decretum facientes, privationem omnium officiorum incurrunt. Forsan tamen poena est tantum ferendae sententiae; his verbis enim statuitur: « Qui quovis modo contrafecerint, officiorum omnium quae tunc obtinebunt privationem, gravioresque pro modo admissae culpae poenas se subituros certo sciant ».

33. Religiosus Societatis, qui doctrinam prohibitam de materia levi in delectatione venerea deliberate quaesita vel admissa doceret, aut eam sibi placere significaret, aut secundum eam consilium daret, praeter excommunicationem (supra, excomm. 18), poenam privationis vocis activae et passivae ac lecturae, necnon inhabilitatis ad quaelibet officia incurrit. Cens. et Praec., c. iv, n. 2.

34. Religiosi Societatis qui doctrinam prohibitam de tyrannicidio externe admittunt, publice vel privatim praelegendo, libros scribendo, aut consulendo, praeter excommunicationem et suspensionem a divinis, poenam inhabilitatis ad quaevis officia incurrunt; — et Provinciales, qui resciverint et non emendaverint, aut non praevenerint incommoda, easdem poenas et privationem officii ipsi incurrunt. Cens. et Praec., c. v, n. 1.

INDEX ANALYTICUS RERUM

SECUNDUM ORDINEM CAPITUM

PARS I.

DE STATU RELIGIOSO ET DE INGRESSU IN RELIGIONEM

Caput I. — De statu Religioso in genere . . . . Pag. 2

Sectio I. — 1. Prima idaea status religiosi. — 2. Est status perfectionis acquirendae. — 3. Requiritur 1° consiliorum evangelicorum observatio. — 4. Tria sunt consilia evangelica: paupertas, castitas, obedientia. — 5. Requiritur 2° ut observatio consiliorum votis, et quidem perpetuis, firmetur. — 6. Haec vota debent esse externa, et nomine Dei acceptata. — 7. Requiritur 3° approbatio Ecclesiae. — 8. Notio historica de hac approbatione Ecclesiae. — 9. Praesens disciplina circa hanc approbationem. — 10. Requiritur 4°, ex iure positivo, vita communis. — 11. De traditione in professione religiosa contenta. — 12. Distinctior definitio status religiosi. — 13. An solemnitas votorum sit statui religioso essentialis. — 14. Ordines stricte dicti Regularium, Congregationes, Instituta religiosa, pia Instituta. — 15. Tria vota sunt simul singula aut solemnia, aut simplicia. — 16. Traditio debet esse absoluta a parte voventis: acceptatio a Religione potest esse conditionata. — 17. Romanus Pontifex est supremus omnium Ordinum Superior. — 18. Quisnam est auctor vitae religiosae? — 19. De variis Ordinibus religiosis, et rationibus diversis quibus distinguuntur. — Ordines contemplativi, activi, mixti. — Ordines eremitici et coenobitici. — Ordines clericales et laicales seu monachales. — Ordines arctiores et laxiores; observantes et non observantes. — 20. Ordines mendicantes et non mendicantes. — 21. Ordines hierarchice ordinati, et non ordinati. — Ordines exempti et non exempti. — 22. De regula et constitutionibus.

Sectio II. — 23. Societas Iesu est vera et stricte dicta Religio. — Variae eius approbationes. — 24. Omnes eius personae, post vota biennii, sunt religiosi stricte dicti. — 25. Societas est exempta. — 26. Societas est ordo clericorum regularium. — 27. Societas est ordo mendicans, et omnes eius sodales sunt mendicantes. — 28. Constitutionum approbatio. — 29. Finis secundarius Societatis, et praecipua media quibus utitur. — 30. Societas est Religio mixta.

Caput II. — De impedimentis ad statum religiosum. Pag. 42

Sectio I. — 1. De impedimentis in genere. Impedimenta iuris naturalis et iuris ecclesiastici. — 2. Infidelitas, haeresis, schisma, excommunicatio. — 3. Defectus rationis aut libertatis: amentia, vis et metus. — 4. Defectus aetatis. — 5. Matrimonium. — 6. Servitus. — 7. Parentum necessitas. — 8. De egressu e Religione ratione necessitatis parentum. — 9. Filiorum, fratrum necessitas. 10. Debita. — 11. Rationes reddendae. — 12. Crimina graviora. — 13 Illegitimitas. —

14. Irregularitas. — 15. Episcopatus. — 16. Status clericalis. An clerici seculares statum religiosum libere amplecti possint? — 17. Pactum serviendi dioecesi. Iuramentum impositum alumnis in seminariis pontificiis, necnon omnibus qui titulo missionis ordinantur. — 18. Professio in alia Religione. — 19. An liberi indigeant consensu parentum?

Sectio II. — 20. Privilegia Societatis quoad illegitimos; — 21. quoad irregulares; — 22. circa aetatem. — 23. Impedimenta ex iure Societatis primaria et secundaria. — 24. Apostasia a fide, haeresis, schisma. — 25. Homicidium; homicidium causale peccaminosum. — 26. Assumpsisse habitum alicuius Religionis. — 27. Matrimonium. — 28. Infirmitas capitis. — 29. Impedimentum originis ex Hebraeis vel ex Saracenis. — 30. Est indispensabile. — 31. Impedimenta secundaria; eorum natura. — 32. Impedimenta secundaria in specie. — 33. De candidato qui cum impedimento ignorato aut celato admittitur. — 34. De parentum consensu pro ingressu in Societate.

Caput III. — De requisitis ad ingressum in Religionem. Pag. 100

Sectio I. — 1. Enumerantur varia requisita. — 2. Informatio de postulante iuxta formam Sixtinam. — 3. Litterae testimoniales Ordinarii. — 4. Receptio ubi et a quo facienda. — 5. Domus novitiatus. — 6. Duplex scrutinium in Italia et insuiis praescriptum. — 7. An aliquid accipi vel exigi possit ab ingredientibus.

Sectio II. — 8. Privilegia Societatis circa admissionem; variae exemptiones a iure communi. — 9. Informatio qualis ex Instituto facienda. — 10. Obligatio candidati sincere respondendi. — 11. De Superiore competente in Societate ad novitiorum admissionem. — 12. De secunda alicuius admissione.

Caput IV. — De novitiatu . . . . . Pag. 118

Sectio I. — 1. De natura et necessitate novitiatus. — 2. De duratione novitiatus. Annus novitiatus a Tridentino statutus. Vota in articulo mortis ex privilegio S. Pii V. — 3. Novitiatus debet esse integer et continuus. — 4. Quando interrumpitur. — 5. Quando non interrumpitur. — 6. Interruptio et suspensio: quando novitiatus suspenditur. — 7. An per militiam interrumpatur? — 8. Quid si, completo tempore novitiatus, novitius votis non emissis recedat et deinde poenitens redeat? — 9. Quandonam incipit novitiatus? Habitus susceptio. — 10. Prorogatio novitiatus. — 11. De loco novitiatus. — 12. De disciplina novitiatus. Statuta Clementis VIII. — 13. De novitiorum obligationibus: quoad habitum; — 14. quoad obedientiam. — 15. De iurisdictione Praelatorum regularium in novitios. An incurrant casus reservatos? — 16. Cui novitii confiteri possint aut debeant. — 17. De novitiorum iuribus. Libertas discedendi. — 18. De novitiorum privilegiis. — 19. Bonorum renuntiatio. Lex Tridentina. — 20. Qui actus circa sua bona prohibeantur aut permittantur novitio. — 21. De tempore quo renuntiatio fieri possit et de licentia Episcopi ad renuntiationem requisita. — 22. Renuntiatio effectum non sortitur nisi sequuta professione. — 23. De formalitatibus legis civilis in renuntiatione. — 24. Renuntiatio post professionem. — 25. Novitiorum ordinatio.

Sectio II. — 26. Tempus novitiatus in Societate: eius duratio, initium, finis, prorogatio, contractio, continuitas. Vota in articulo mortis. Habitus gestatio. — 27. De domibus probationis. — 28. Novitiorum institutio ex Constitutionibus. —

29. Superiorum Societatis in novitios iurisdictio. Confessarius novitiorum. Casus reservati. — 30. Dispensatio ab irregularitate, a votis. Absolutio a censuris. — 31. De votorum cessatione per ingressum in novitiatum. — 32. Communicatio gratiarum novitiis Societatis. — 33. Renuntiatio bonorum in Societate. — 34. Vota devotionis.

Caput V. — De professione religiosa . . . . . Pag. 164

Sectio I. — 1. Quid sit professio religiosa. — 2. Professio solemnis et professio votorum simplicium. — 3. Requisita ad validitatem professionis, ex parte profitentis; — 4. ex parte Superioris admittentis; — 5. ex parte formae, seu ipsius actus professionis. Professio tacita. — 6. De forma professionis. Ritus servandus. — 7. De loco professionis. — 8. Revalidatio professionis invalidae. — 9. An revalidatur tacita professione? An renovatione votorum? — 10. Reclamatio contra validitatem professionis. — 11. De effectibus professionis votorum simplicium in Religionibus proprie dictis. — 12. De effectibus professionis solemnis.

Sectio II. — 13. Varii gradus et varia vota in Societate Iesu. — 14. Vota simplicia tum scholasticorum tum coadiutorum formatorum sunt perpetua, sed conditionata. — 15 Dimissio sine causa fieri nequit. — 16. Vota scholasticorum et coadiutorum sunt substantialia Religionis. — Qui ea emittunt sunt vere et proprie Religiosi. — 17. Explicatur locus obscurior Constitutionum (P. V, c. 4, n. 3). — 18. De facultate admittendi ad varios gradus. — 19. Requisita ad professionem quatuor votorum: aetas, tempus Societatis, sacerdotium, doctrina, annus tertius probationis. — 20. Ritus professionis. Quaenam in ritu sint essentialia. — 21. Requisita ad professionem trium votorum et ad gradum coadiutoris formati. — 22. Requisita ad vota biennii. — 23. Effectus votorum biennii. — 24. Renovatio votorum. Eius vis in Societate.

PARS II.

DE RELIGIOSORUM OBLIGATIONIBUS

Caput VI. — De obligatione tendendi ad perfectionem. De regularum observatione . . . . . Pag. 216

Sectio I. — 1. Obligatio tendendi ad perfectionem: eius existentia et natura. — 2. Quandonam religiosus graviter peccat contra eam. — 3. Contemptus perfectionis. Doctrina S. Thomae de hoc contemptu. — 4. Doctrina Suarezii S. Thomam explicantis. — 5. Firmum propositum negligendi perfectionem. — 6. Incuria habitualis perfectionis. — 7. An frequens transgressio praeceptorum et votorum inducat rationem specialis peccati contra obligationem tendendi ad perfectionem? — 8. Obligatio servandae regulae. — 9. Quinam ad servandam regulam tenentur? — An novitii? — 10. Natura et gravitas huius obligationis. — 11. Quaenam ab observatione regulae excusent: 1, dispensatio; 2, impotentia; 3, epikeia; 4, desuetudo. — 12. De reformatione Religionis post relaxationem regulae. Quibusnam imponi possit? Triplex relaxatio regulae. — 13. An in Religione maior austeritas aut novae obligationes per novum statutum introduci possint et imponi omnibus?

Sectio II. — 14. In Societate regula non obligat sub reatu peccati. — 15. De dispensatione a regula in Societate. — 16. Regulae generales omnes obligant. — 17. A quo regulae condi possunt. — 18. De consuetudinibus in Societate.

CAPUT VII. — **De obligatione perseverandi in Religione et de egressu ex Ordine** . . . . . Pag. 239

SECTIO I. — 1. Obligatio perseverandi. Varii egressus modi. — 2. Transitus ad aliam Religionem. — 3. Varia Iuris statuta super transitu. — 4. Conditiones sub quibus permittitur transitus ad Religionem strictiorem. — 5. Variae Iuris dispositiones circa transeuntes. — 6. Promotio religiosi ad Episcopatum aut Cardinalatum. — 7. Promoti obligationes. — 8. Legitima votorum substantialium dispensatio. — 9. Saecularizatio, — temporalis et perpetua. — 10. Indulta saecularizationis. — 11. Aliqua saecularizatorum iura. — 12. Obligationes perpetuo saecularizati. — 13. Saecularizati ad suam Religionem reditus. — 14. Dimissio et eiectio. — 15. Dimissio ex Institutis votorum simplicium. — 16. Dimissio professi votorum simplicium ex Ordinibus formalibus; eius modi, causae et forma. — 17. Status dimissi. — 18. Eiectio professi votorum solemnium; eius causa legitima. — 19. Forma iudiciaria eiectionis. — 20. Effectus eiectionis, seu status eiecti. — 21. Apostasia et fuga. — 22. Paenae apostatarum et fugitivorum. — 23. Dispersio violenta.

SECTIO II. — 24. Transitus religiosi Societatis Iesu ad aliam Religionem. Primum Societatis privilegium. — 25. Secundum Societatis privilegium. — 26. Promotio religiosi Societatis Iesu ad Episcopatum aut ad alias dignitates. — 27. Reditus perpetuo saecularizati. — 28. Dimissio non professi. — Decretum *Auctis*. — 29. Eiectio professi. Forma eiectionis. — 30. De causis eiectionis professi. — 31. Causae dimissionis ex Constitutionibus. — 32. Quis in Societate dimittere potest. — 33. De modo procedendi in dimissione. — 34. Dimissis Societas sustentationem non debet. — 35. Privilegia Societatis in apostatas et fugitivos. — 36. De obligatione perquirendi et reducendi apostatas et fugitivos e Societate.

CAPUT VIII. — **De votis religiosis. — Votum paupertatis.** Pag. 308

1. Vota religiosa: quomodo a votis privatis differunt. — 2. Vota religiosa, alia solemnia, alia simplicia. In quo consistit solemnitas votorum? — 3. Quae vota Ecclesia solemnia habet? — 4. An actus interni sint materia votorum religiosorum? — 5. Paupertas religiosa. Eius gradus. — 6. Votum simplex paupertatis. Eius effectus ordinarii. Quinque documenta. — 7. An dispositio illicita bonorum post votum simplex paupertatis, sit etiam invalida? — 8. Votum solemne paupertatis. Eius effectus ordinarii. — 9. Hi effectus a voto solemni separari possunt. — 10. Axioma « Quidquid monachus acquirit, monasterio acquirit ». — 11. Notanda varia circa axioma illud. — 12 De paupertate religiosa in ordine ad iura civilia. De proprietate legali religiosorum. — 13. Materia remota voti paupertatis. — 14. Peculium: eius notio. — 15. An sit licitum? — Historica circa peculium. — 16. Livella seu pensiones annuae. — 17. Beneficia ecclesiastica, regularia et saecularia. — 18. Usus rerum debet esse dependens. — 19. Debet esse statui paupertatis conformis. — 20. De proprietate in communi. — 21. Materia proxima voti paupertatis. — 22. Donorum acceptatio et renuntiatio. Rei absumptio. — 23. Permutatio, mutuum, commodatum, depositum, fideiussio. — 24. Usus. Destructio rei alienae. — 25. Administratio bonorum. — 26. Testamentum religiosorum. Renuntiatio bonorum. — 27. De licentia quoad paupertatem. Licentia expressa, tacita, praesumpta. — 28. Variae quaestiones de licentia implicita. —

29. Aliae quaestiones de licentia. — 30. Materia gravis in peccatis contra paupertatem. — 31. De gravitate maiore aut minore aliquorum actuum contra paupertatem, pro ratione proprietatis quae in eis invenitur. — 32. An levia peccata contra paupertatem aliquando coalescant in unum grave? — 33. De peccatis internis contra paupertatem. — 34. De virtute paupertatis. — 35. Peculiares obligationes Superioris regularis circa paupertatem.

CAPUT IX. — **De paupertate in Societate Iesu** . . Pag. 392

1. Praenotandum. — 2. De paupertate ex votis biennii. Scholastici aliique post vota biennii dominium bonorum suorum retinent. — An Nostri post vota biennii nova bona acquirere possunt? cui acquirunt? — 3. Abdicatio bonorum: tempus quo fieri debet. — 4. De usu, administratione et distributione propriorum bonorum. — 5. Dispositio de fructibus annuis bonorum. — 6. Abdicatio bonorum: eius qualitates. Pactiones cum parentibus. — 7. De vi renuntiationis universalis. — De simplici renuntiatione. An Nostri post renuntiationem nova bona sibi acquirere possunt? — 8. De renuntiatione in favorem alterius. — 9. Paupertas professorum, coadiutorum formatorum, scholasticorum aliorumque post vota biennii. — 10. Decreta Congregationum circa paupertatem. Pensiones annuae Nostrorum. — 11. Vita communis. — 12. Peculium et depositum, mutuum, legata confidentialia. — 13. De his quae speciem negotiationis habent. Pacta cum bibliopolis. — 14. Stipendium et eleemosyna in compensationem pro ministeriis spiritualibus. Quid in hac re Constitutiones statuant; — 15. quid Congregationes generales aliaque documenta. — 16. Conclusio quaestionis. — 17. De stipendiis Missarum. — 18. Materia gravis contra votum paupertatis. — 19. De paupertate in communi. Paupertas Societatis professae et domorum professarum ex Constitutionibus. — 20. Variae annotationes et decreta circa ipsam. — 21. Paupertas collegiorum et domorum probationis. — 22. De obligationibus seu conditionibus quae admitti non debent in fundatione collegiorum. — 23. Pensio convictorum et retributio scholarium. — 24. De lectionibus extra nostra collegia factis: an aliqua retributio pro eis admitti possit? — 25. De collegiorum inchoatorum paupertate. — 26. Paupertas residentiarum, provinciarum, missionum. — 27. Notanda de bonis Societatis. — 28. De variis arcis, seminarii, fundationum, causarum piarum, elemosynarum. — 29. De subiecto in quo residet dominium bonorum Societatis. — 30. Votum professorum de non relaxanda paupertate.

CAPUT X. — **Vota castitatis et obedientiae, aliaque vota.** Pag. 470

SECTIO I. — 1. Votum castitatis: eius natura. — 2. Eiusdem effectus. — 3. Virtus obedientiae: eius obiectum formale et materiale. — Obedientia necessaria et obedientia de mera perfectione. — 4. Potestas dominativa et iurisdictionis in Superiore. — 5. Virtus generalis et specialis obedientiae. Inobedientia: peccatum generale et speciale inobedientiae. — 6. Ad quam virtutem spectant actus qui a Superiore praecipiuntur? — 7. Votum obedientiae. — 8. An omne peccatum inobedientiae sit contra votum? — 9. Materia voti obedientiae, eius extensio. Praeceptum debet esse de re honesta et possibili. — 10. Praeceptum debet esse secundum regulam, non contra, nec supra, nec infra regulam. — 11. An actus interni sint materia voti obedientiae? — 12. An regula ipsa cadat sub voto obedientiae?

— An inferior semper teneatur in conscientia poenas sibi inflictas solvere? — 13. Quinam Superiores vi voti praecipere possunt? — 14. Peccatum mortale contra votum obedientiae. — 15. De votis et contractibus a religioso sine licentia Superioris factis. — Superioris potestas irritandi vota et contractus inferiorum. — 16. Appellatio a mandatis et correctione Superiorum. — 17. Vota specialia religiosa.

Sectio II. — 18. Casus reservati quoad castitatem in Societate Iesu. — 19. De extensione obedientiae in Societate et de eius dotibus. Missiones omnibus imponi possunt. — 20. Cuinam Superiori in Societate obediendum sit vi voti? — 21 Casus reservatus inobedientiae expressae. — 22. Regulae et Constitutiones, quando sub peccato obligant? — 23. An in Societate praecepta Superioris, extra praecepta in virtute obedientiae imposita, ad peccatum obligant? — 24. De appellatione a mandatis et correctione Superiorum in Societate. — 25. Quartum votum solemne professorum circa missiones. — 26. Quinque vota simplicia professorum — 27. Quartum votum scholasticorum, ingrediendi Societatem.

Caput XI. — **De obligationibus ex legibus Ecclesiae circa vitam religiosam** . . . . . Pag. 530

Sectio I. — 1. Ecclesiae leges circa honestatem vitae religiosae. — 2. De habitus religiosi gestatione. — 3. De Regularibus qui proprium habitum non habent. — 4. Clausura. Loca intra clausuram comprehensa. — 5. Prohibitio admittendi feminas intra clausuram. — 6. Prohibitio exeundi e domo absque licentia Praelati. — 7. Accessus ad monasteria monialium. — 8. Chorus. — 9. Negotia saecularia religiosis interdicta. — 10. Negotiatio. — 11. Artes, professiones et officia religiosis interdicta: medicina et chirurgia; officia advocati aut procuratoris in iudicio, notarii, procuratoris aut administratoris laicorum, curatoris aut tutoris, executoris testamentorum; officia civilia aut politica; munus patrini. — 12. Statuta de Universitatibus frequentandis. — 13. De aliquibus inhonestis quae clericis et Regularibus iure prohibentur. — 14. Decreta de largitione munerum. — 15. Decreta de causis Sancto Officio reservatis. — 16. Decreta de stipendiis missarum. — 17. Decreta generalia Clementis VIII, ab Urbano VIII confirmata, circa disciplinam regularem. — 18. De extensione horum decretorum, maxime decreti « Nullus ». — 19. Decreta Pii IX de litteris testimonialibus a candidatis exigendis, atque de scrutiniis ante admissionem ad habitum et ad professionem. — 20. De librorum approbatione pro Regularibus. — 21. Recentia documenta contra Modernismum.

Sectio II. — 22. Societatis habitus. — 23. Clausura ex Constitutionibus — 24. De choro in Societate. — 25. Negotia saecularia Nostris ex Constitutionibus prohibita. — 26. Negotiatio et ea quae speciem negotiationis habent. — 27. Privilegia circa facultatem medendi. — 28. An Societas eximatur a decreto « Nullus » aliisque decretis generalibus Clementis VIII?

Caput XII. — **Obligationes quae Religiosis Societatis Iesu ex eius Instituto proveniunt** . . . . . Pag. 582

1. Fontes obligationum quae religiosis Societatis sunt peculiares. — 2. In Societate Constitutiones per se non obligant sub culpa. Censurae et praecepta hominibus Societatis imposita. — 3. Substantialia Instituti. De his immutandis

agere non licet. — 4. Obligationes circa propriae personae dispositionem quoad loca, officia, studia, gradum, curam valetudinis. — 5. Obligationes quoad doctrinam; — 6. quoad austeritates et humilia amplectenda. — 7. Circa ea quae ad familiam, litteras, conversationem cum proximis spectant; — 8. circa exercitia spiritualia et rationem conscientiae. — 9. Quoad disciplinam domesticam. — 10. Varia Societatis ministeria. — 11. Declarationes Instituti super his ministeriis. — 12. Ministeria Instituto non consentanea.

PARS III.

DE IURIBUS ET PRIVILEGIIS REGULARIUM

CAPUT XIII. — **De erectione domus religiosae** . . Pag. 604

SECTIO I. — 1. De requisitis ad erectionem novae domus in Ordinibus Regularium; in aliis Institutis. — 2. De beneplacito Apostolico. — 3. De licentia Ordinarii loci. — 4. De solemnitatibus in concedenda licentia adhibendis. — 5. De lege distantiae, seu de privilegio Cannarum. — 6. De numero religiosorum in domibus erigendis seu erectis requisito. — 7. Quaenam domus erigi non possunt absque duplici licentia S. Sedis et Ordinarii. — 8. De erectione ecclesiae novae. — 9. De translatione et immutatione domus existentis, et de reassumptione domus derelictae. — 10. Quando neutra licentia requiritur? — De licentia potestatis civilis. — 11. De extinctione domus religiosae. An requiratur beneplacitum Apostolicum? — 12. De erectione novarum Provinciarum.

SECTIO II. — 13. An Societas adhuc speciali privilegio gaudeat, quo possit domos erigere sine speciali beneplacito Apostolico? — 14. Privilegium aedificandi intra cannas prohibitas. — 15. De dissolutione domorum ex Instituto. — 16. Provinciarum institutio.

CAPUT XIV. — **Privilegia canonis, fori et immunitatis.** Pag. 634

1. Privilegium Canonis. — 2. Privilegium Fori. — 3. Privilegium Immunitatis. — Immunitas personalis. — 4. Immunitas realis. — 5. Duo notanda quoad praxim immunitatis realis. — 6. Inviolabilitas bonorum ecclesiasticorum et proinde religiosorum. — 7. Immunitas specialis bonorum Regularium. — 8. Praescriptio contra bona Regularium. — 9. Immunitas localis. Actus prohibiti in locis sacris. Ius Asyli.

CAPUT XV. — **De privilegiis in genere.** . . . . Pag. 647

SECTIO I. — 1. Notiones generales de Privilegiis. — 2. Eorum promulgatio et intimatio. — 3. Privilegiorum acquisitio: per explicitam concessionem, per communicationem, per consuetudinem aut praescriptionem, per confirmationem in forma specifica. — 4. Privilegia Regularium, maxime mendicantium, et de communicatione privilegiorum inter ipsos. — 5. Notanda circa communicationem privilegiorum. — 6. De usu privilegiorum. Qualia remedia, si impediatur. — 7. De interpretatione privilegiorum. De authentica interpretatione. — 8. De interpretatione doctrinali. Eius regulae. — 9. De cessatione privilegiorum: per revocationem explicitam; — 10. per revocationem implicitam. — 11. De privilegiis Regularium a Tridentino revocatis. — 12. Revocatio privilegiorum Regularium a Summis

Pontificibus facta. — 13. Revocatio oraculorum vivae vocis. — 14. Revocatio a Paulo V indulgentiarum Regularium. — 15. De cessatione privilegiorum per renuntiationem aut per non usum aut per usum contrarium. — Praescriptio contra privilegia Regularium.

Sectio II. — 16. Concessiones privilegiorum Societati Iesu factae. — 17. Varia notanda super his privilegiis.

Appendix historica de privilegiis. — 18. Origo et prima concessio privilegiorum. Quatuor periodi in historia privilegiorum. — 19. Periodus prima: ab origine Monachismi ad primas Congregationes diversas Benedictinorum et fundationem aliorum Ordinum monachalium. — 20. Periodus secunda: a fine saeculi XI ad originem Ordinum mendicantium. — 21. Periodus tertia: ab Ordinibus S. Dominici et S. Francisci ad Conc. Tridentinum. Ordo Praedicatorum et Minorum. — 22. Alii Ordinis mendicantes. — 23. Ordines Canonicorum et Clericorum regularium. — 24. Privilegia contenta in Constitutionibus quae Maria Magna dicuntur. — 25. Periodus quarta: a C. Tridentino. Privilegia Congregationum votorum simplicium. Moderatio et strictior definitio privilegiorum.

Caput XVI. — De exemptione. — De his in quibus Regulares exempti ab Episcopis dependent. . . Pag. 705

Sectio I. — 1. Notiones generales de exemptione. Exemptio personalis, localis, mixta. — 2. Exemptio totalis et partialis. — Potestas ordinaria et delegata Episcopi in exemptos. — 3. Notiones historicae de exemptione. — 4. Ad quos exemptio extenditur: novitii, famuli, alumni. — 5. De parvis conventibus quoad exemptionem. — 6. De grangiis et membris conventus exempti. — 7. De iurisdictione ab Episcopo exercenda in parvos conventus, grangias et membra. — 8. De exemptione in Missionibus. — 9. De exemptione dispersorum. — 10. De ecclesiis domorum Regularium, quibus non incumbit cura animarum. — 11. De ecclesiis domorum Regularium, quibus incumbit cura animarum. — 12. De ecclesiis adnexis. — 13. De ecclesiis saecularibus quae Regularibus committuntur administrandae. — 14. De parocho ecclesiarum parochialium ad Regulares spectantium. — 15. De his in quibus Regulares exempti Episcopis subiiciuntur. Erectio novae domus. Regulares delinquentes extra claustra. — 16. Regulares quoad causas civiles, coram quo conveniendi? — 17. Regulares delinquentes circa ipsam Episcopi personam; — 18. circa moniales earumque clausuram; — 19. in administratione sacramentorum; — 20. circa custodiam SS. Eucharistiae. — 21. Regulares quoad expositionem SS. Sacramenti; — 22. missae celebrationem; — 23. publicationem novarum indulgentiarum; — 24. novas imagines aut reliquias exponendas, et processus pro canonizatione SS.; — 25. quoad confraternitates; — 26. quoad processiones. — 27. Regulares in causis fidei quae ad S. Officium pertinent; — 28. quoad executionem ultimarum voluntatum ad causas pias; — 29. librorum impressionem, et prohibitionem librorum ab Episcopo pronuntiatam; — 30. quaestuationem seu collectionem eleemosynarum; — 31. scholas elementares; — 32. caemeteria et loca pia quae ab ipsis reguntur; — 33. renuntiationem bonorum ante professionem. — 34. Regulares Episcopo subiiciuntur in his quae sunt ordinis episcopalis. — 35. Praerogativae Episcopi dioecesani in ecclesiis Regularium: usus pontificalium, baldaquinum, collatio confirmationis, ordinatio, praedi-

catio. — 36. Regulares quoad praescripta ab Episcopo: collectas missae, dies festos, stipendia missarum, pulsationem campanarum, interdicta et censuras. Appellatio a statutis Episcopi. — 37. Regulares quoad Synodum dioecesanam; — 38. quoad conferentias casuum conscientiae. — 39. An et quando Regulares ab Episcopis per censuras coerceri possunt? — 40. An Regulares frui possunt gratiis ab Episcopo provenientibus?

Sectio II. — 41. De exemptione Societati Iesu concessa. — 42. Facultas erigendi oratoria in omnibus locis ubi aliqui de Societate resident. — 43. De oratoriis in grangiis et locis ruralibus. — 44. Varia privilegia circa celebrationem missae. — 45. Societas non indiget licentia Episcopi ad alienanda immobilia exigui valoris. — 46. Privilegia tempore interdicti. — 47. De assistentia processionibus: exemptio Societatis. — 48. Privilegia circa sodalitates Bonae Mortis et B. M. V. — 49. Renuntiatio bonorum ante ultima vota est in Societate ab Episcopo independens. — 50. Censurae et interdicta contra personas et loca Societatis ferri non possunt, nisi in casibus exceptis. — 51. Loca Tridentini quae Instituto nostro certo adversantur, ex Congregatione generali tertia. — 52. Loca Tridentini quae Instituto adversari videntur, re autem vera non adversantur.

PARS IV.

DE IURIBUS, PRIVILEGIIS ET OBLIGATIONIBUS REGULARIUM QUOAD MINISTERIA SPIRITUALIA IN BONUM ANIMARUM

Caput XVII. — De habilitate Regularium ad munia ecclesiastica. — De illorum Ordinatione. . . . Pag. 785

Sectio I. — 1. Regulares non sunt minus apti quam clerici saeculares ad munia ecclesiastica. — 2. Regulares non sunt tunc tantum adhibendi ad munia ecclesiastica, quando clerus saecularis ad ea non sufficit. — 3. Ex Iure communi Regulares promoveri possunt ad S. Pontificatum, ad Cardinalatum et ad Episcopatum. — 4. Ex Iure communi vigente ad parochias saeculares promoveri nequeunt absque indulto Apostolico. — 5. Ex eodem Iure, nequeunt esse vicarii generales, canonici cathedralium, nec admitti ad ullum beneficium saeculare curatum aut simplex. — 6. Possunt eligi in Examinatores synodales, constitui Notarii pro causis suis, promoveri ad gradus academicos et ad officia professorum. Praefici nequeunt seminariis episcopalibus regendis. — 7. De ordinatione Regularium; eorum aptitudo ad ordines sacros. — 8. Historica de privilegiis Regularium quoad ordinationem. — 9. Episcopus ordinationis pro Regularibus. — 10. De litteris dimissoriis et testimonialibus requisitis. — 11. De examine ordinandorum. — 12. Titulus ordinationis. — 13. Privilegia quoad interstitia. — 14. Privilegium ordinationis extra tempora. — 15. Ordinatio Regularium, qui vota simplicia tantum emiserunt. — 16. Ordinatio novitiorum. — 17. Varia notanda de ordinatione. — 18. Poenae quas incurrunt contravenientes statutis circa ordinationem.

Sectio II. — 19. De promotione Nostrorum ad dignitates et officia varia. — 20. De eorumdem promotione ad gradus academicos et de licentia publice docendi. De facultate quam Societas habet, promovendi tum proprios scholares tum extraneos ad gradus academicos. De cura seminariorum episcopalium. — 21. Ordinatio Nos-

trorum in genere. Varia privilegia circa ordinationem Nostrorum. — 22. Ordinatio scholasticorum. Privilegia antiqua: eorum restrictio per decretum *Auctis*. — 23. Varia de ordinatione ex Instituto.

CAPUT XVIII. — **De Praedicatione et de Eucharistia.** Pag. 822

SECTIO I. — 1. Historica de praedicatione Regularium. — 2. Ius vigens. — 3. Variae decisiones de praedicatione Regularium. — 4. De Eucharistia. De oratoriis privatis Regularium. — 5. Oratoria in locis ruralibus. — 6. Notanda de ecclesiis et oratoriis. — 7. De admissione Fidelium a Regularibus in suas ecclesias et oratoria ad missam et divina officia. — 8. Varia officia quae Regularibus in suis ecclesiis et oratoriis celebrare licet. — 9. De admissione presbyterorum saecularium aut regularium ad celebrandum. — 10. De asservatione SS. Eucharistiae in ecclesiis et oratoriis Regularium. — 11. De ministratione SS. Eucharistiae Fidelibus in ecclesiis Regularium. Exceptio diei Paschatis. — 12. Item in aliis oratoriis. — 13. De Viatico, et de Communione infirmis deferenda. Quid Regulares possint quoad familiares. — 14. De expositione SS. Sacramenti. — 15. De ecclesiis et oratoriis Congregationum et Institutorum votorum simplicium.

SECTIO II. — 16. Privilegia Societatis circa praedicationem; — 17. circa erectionem ecclesiarum; — 18. circa oratoria; — 19. circa distributionem SS. Eucharistiae Fidelibus; — 20. circa asservationem SS. Eucharistiae. — 21. Favores quibus gaudent nostrae ecclesiae et oratoria. Altare privilegiatum. Indulgentiae. — 22. Privilegia circa usum altaris portatilis. — 23. Facultas celebrandi in privatis saecularium oratoriis. — 24. Privilegia circa horam missae.

CAPUT XIX. — **De Poenitentia aliisque Sacramentis. — De Funeribus. — De Missionibus** . . . . . Pag. 860

SECTIO I. — 1. De confessione saecularium. Principia generalia. — 2. Notiones historicae de privilegio Regularium circa confessiones saecularium. — 3. De approbatione a Tridentino statuta. — 4. Constitutio *Superna* Clementis X. Examen Regularium ab Episcopo. — 5. Variae quaestiones circa approbationem et examen. — 6. Facultates Regularium circa casus Episcopo reservatos. — 7. Quomodo Regulares in administratione sacramenti Poenitentiae Episcopis subiiciantur et ab eis corrigi possint. — 8. De Extrema Unctione. — 9. De sacramentis Baptismi et Matrimonii. — 10. Familiares: eorum exemptio et privilegia. — 11. Quinam sint familiares? — 12. Scholares, convictores. — 13. Hospites. — 14. De iure funerandi et tumulandi circa ipsos Regulares. — 15. Item circa novitios, familiares, convictores, hospites. — 16. Item circa saeculares. Iura parochi et Regularium. Quarta funeralis. — 17. Missiones Regularium in partibus infidelium seu acatholicorum. Earum regimen. — 18. Exemptio Regularium in missionibus. In quibus Regulares a Vicario Apostolico dependeant? — 19. De iis quae ad solum Vicarium Apostolicum spectant. — 20. De bonis temporalibus in missionibus.

SECTIO II. — 21. Privilegia Societatis circa confessiones. — 22. Statuta circa missiones.

CAPUT XX. — **Variae facultates Regularibus concessae circa ministeria.** . . . . . Pag. 907

SECTIO I. — 1. Facultas absolvendi saeculares a censuris; — 2. ab irregularitatibus; — 3. a poenis ecclesiasticis. — 4. Facultas commutandi vota et dispensandi ab eis; — 5. dispensandi a iuramentis; — 6. item in voto castitatis ad petendum debitum; — 7. dispensandi ad petendum debitum coniuges qui hoc ius ob incestum amiserint. — 8. Facultates circa matrimonium missionariis regularibus concessae. — 9. Benedictiones Regularibus permissae.

SECTIO II. — 10. Speciales Societatis Iesu facultates circa absolutionem a censuris R. P. reservatis. — 11. Facultates circa dispensationem ab irregularitatibus; — 12. circa dispensationem a poenis; — 13. circa commutationem et dispensationem votorum; — 14. circa benedictiones. — 15. Facultas conferendi indulgentiam plenariam moribundis. — 16. Facultas dispensandi circa esum carnis, ovorum et lacticiniorum. — 17. Sodalitates B. M. V.: notiones historicae. — 18. De erectione, aggregatione, regimine sodalitatum. De receptione sodalium. — 19. Sodalitates Bonae Mortis.

PARS V.

DE REGIMINE ORDINUM RELIGIOSORUM

CAPUT XXI. — **Superiorum potestas et obligationes.** Pag. 935

SECTIO I. — 1. Notiones generales de potestate Superiorum. Potestas dominativa. — 2. Potestas Iurisdictionis. — 3. De diversa forma regiminis in diversis Ordinibus. — 4. De potestate dominativa Superioris religiosi. Ius praecipiendi. Ius inquirendi. De denuntiatione. Ratio conscientiae. Ius puniendi. — 5. De potestate iurisdictionis Superioris religiosi. Potestas legifera. — 6. De potestate dispensandi in regulis et constitutionibus Ordinis atque in legibus communibus Ecclesiae; — 7. in irregularitatibus; — 8. in poenis. — 9. Potestas iudiciaria in foro interno, seu quoad confessionem subditorum. — 10. Limitationes huius potestatis quoad casus tum Romano Pontifici tum Episcopo reservatos. — 11. De Regularium confessariis ex disciplina vigente a Clemente VIII. — 12. Potestas iudiciaria in foro externo. — 13. Potestas coercitiva. — 14. Administratio bonorum temporalium. — 15. Bonorum alienatio: leges Ecclesiae circa alienationem. — 16. Quae bona alienari possint aut non possint sine beneplacito Apostolico? — 17. Quid nomine alienationis prohibitae veniat? — 18. De causis legitimis quae ad omnem alienationem requiruntur. — 19. Sanctiones et poenae contra indebite alienantes. — 20. Variae Superiorum Regularium obligationes: circa curam animarum suorum subditorum; circa professionem fidei; circa applicationem missae pro subditis; circa visitationem. — 21. Reliqua Superioris officia. — 22. De lectione Decretorum pro Regularibus editorum. — 23. De amissione officii. — 24. De regimine externo Ordinum religiosorum.

SECTIO II. — 25. Forma regiminis in Societate. — 26. Societas plena potestate iurisdictionis gaudet. — 27. Potestas legifera, iudiciaria et coercitiva in Societate. Exemptio a forma iudiciaria in electione et correctione. — 28. Facultas absolvendi socios in foro poenitentiae. — 29. Disciplina vigens circa confessiones

Nostrorum. — 30. Facultas dispensandi in genere; item in Constitutionibus Societatis et in legibus communibus Ecclesiae; — 31. in irregularitatibus; — 32. in poenis, privationibus et inhabilitatibus; — 33. in votis. — 34. De bonorum temporalium Societatis dominio et administratione. — 35. Nominatio Superiorum in Societate. — 36. Generali, Provinciali, Superiori locali demortuo quis succedat?

CAPUT XXII. — **De Capitulis seu Congregationibus. — De electionibus** . . . . . Pag. 1015

SECTIO I. — 1. De Capitulis seu Congregationibus in universum. — 2. Capitulum generale. Eius suprema auctoritas. — 3. Capitulum provinciale. — 4. Capitulum conventuale. — 5. De electionibus. Quinam vocem activam habeant? — 6. De iuribus absentium. — 7. An vitietur electio, ex eo quod admissus fuerit uti elector aliquis ius non habens? — 8. Quemnam electores eligere debeant? — 9. Quinam vocem passivam habeant? — 10. Electio personae inhabilis. — 11. De forma et circumstantiis electionis. — 12. De triplici forma electionis, scilicet scrutinii, compromissi, inspirationis. — 13. Quinque actus substantiales in forma scrutinii. — 14. De acceptatione et de confirmatione electionis. — 15. Appellatio contra electionem. — 16. Vitia propter quae electio sit invalida. — 17. Institutio Praelatorum inferiorum per liberam nominationem.

SECTIO II. — 18. De Congregationibus in Societate. Earum auctoritas. — 19. Congregatio generalis. — 20. Congregatio provincialis. — 21. Congregatio Procuratorum.

CAPUT XXIII. — **De iudiciis Regularium.** . . . Pag. 1053

SECTIO I. — 1. Regularium iudex ordinarius. — 2. Causae quae a Praelato regulari non pendent. — 3. Forma summaria Regularibus in iudiciis concessa. — 4. Suspensio ex informata conscientia. — 5. De substantialibus iudicii. — 6. Media adhibenda ad praevenienda delicta. — 7. Iudicii inchoatio: accusatio, denuntiatio, fama delicti. — 8. Causae cognitio seu Inquisitio. — 9. Probationes delicti: probatio plena et semiplena. Quatuor probationum genera: rei confessio, testes, instrumenta, praesumptiones. — 10. De valore harum probationum. — 11. Citatio et examen rei. An reus veritatem confiteri teneatur? 12. Causae discussio. Modi defensionis. — 13. De sententia definitiva. Triplex genus sententiae. Purgatio canonica. — 14. Appellatio a sententia iudiciaria. — 15. Tria notanda: de praescriptione delicti, de iudice delicti, de delinquente in loco exempto.

SECTIO II. — 16. De forma iudiciaria in Societate non adhibenda. Servanda in dimissione. Variae causae. — 17. De denuntiatione in Societate.

CAPUT XXIV. — **Poenae quibus Regulares subiacent.** Pag. 1094

1. Notiones super variis poenis. — 2. An poenae latae sententiae requirant sententiam declaratoriam? — 3. De absolutione et dispensatione a poenis. — 4. Excommunicationes quibus Regulares, qua tales, subiacent. — 5. Excommunicationes Societati Iesu speciales. — 6. Suspensiones Regularibus propriae. — 7. Privationes quibus Regulares subiacent. — 8. Privationes quae Superiores specialiter respiciunt. — 9. Privationes Societati Iesu speciales.

INDEX RERUM ALPHABETICUS

Abdicatio bonorum (vide v. *Bonorum renuntiatio*).

Absolutio a peccatis (vide v. *Confessio*). Absolutio a censuris p. 907; potestas absolvendi saeculares a casibus et censuris R. P. reservatis 907: privilegia Societatis 923; a casibus et censuris Episcopo reservatis 875, 908: privilegia Societatis 904; potestas facta Societati absolvendi alios Regulares 905; potestas Praelatorum regularium absolvendi suos subditos a casibus et censuris R. P. reservatis 957, 958: privilegia Societatis 1000; a casibus et censuris Episcopo reservatis 960; a poenis ecclesiasticis 1100; absolutio in Capitulo et Congregatione ante electiones 1034, 1048.

Acceptatio donorum, quomodo paupertati adversetur p. 361.

Accessus ad Superiores maiores sine licentia p. 282; ad conventus monialium 540, 739.

Accusatio, quomodo differat a denuntiatione p. 1062; nunc obsoleta *ibid.*

Actus profani in ecclesia prohibiti p. 645.

Administratio propriorum bonorum interdicta religioso simpliciter professo p. 324, 368; administratio bonorum alterius, an paupertati adversetur 368; administratio bonorum communitatis, quomodo a Superiore facienda 391, 966: praescriptiones Clementis VIII decr. *Nullus* 347; in Societate administratio suprema bonorum collegiorum est apud Societatem professam et Praep. Generalem 447.

Admissio 1° *ad novitiatum:* a quo facienda p. 103; forma Sixtina adhibenda 100, 104: Societas est ab ea exempta 113; duplex scrutinium a Pio IX requisitum in Italia et insulis adiacentibus 110: exemptio Societatis ab hac lege 113; an in admissione aliquid exigi aut accipi possit ab ingredientibus 111; privilegia Societatis circa admissionem 112; Superior competens ad admissionem in Societatem 115; de secunda alicuius admissione in Societatem, quando sit invalida 116.

2° *Admissio ad professionem* 171; admittens ad professionem: duplex sensus huius vocis 171; decretum *Regulari disciplinae* Pii IX 172: exemptio Societatis ab eo 199.

3° *In Societate,* admissio ad prima vota et ad gradum, cuinam competat 197; requisita ut quis admittatur ad professionem 4 votorum 199, ad professionem 3 votorum et ad gradum coadiutoris formati 207, ad vota biennii 209.

Aetas requisita ad professionem religiosam p. 45; ad incipiendam probationem 46: privilegia Societatis circa aetatem ad candidatos recipiendos 79; aetas ad professionem in Societate 199, ad gradum coadiutoris 207, ad vota biennii 209, ad munus Superioris 1027.

Alienatio bonorum (vide *Bona religiosa* et *Bona privata*).

Altare *portatile:* privilegia Societatis circa altaria portatilia p. 778, 855. — Altare *privilegiatum* in nostris ecclesiis 854.

Ambitus in Congr. generali, quid sit p. 1047, eius iudex 1047; in Congr. provinciali 1051. In iudicio de ambitu in Congr. generali servanda videtur forma iudiciaria 1090.

Apostasia *a fide*, impedimentum ad ingrediendum Societatem p. 82. — Apostasia *a Religione* vel *ab Ordine* 281; quandonam sit consummata 282; cuinam apostata acquirat 283; poenae apostatarum 284; obligatio requirendi et reducendi apostatas 284; Societatis privilegia in apostatas 306; an adsit obligatio eos recipiendi, si redeunt 307; quis apostatam redeuntem recipere possit et quibus conditionibus 116.

Appellatio a correctione Superiorum p. 504: privilegia Societatis 520; appellatio a sententia in iudicio prolata 1084; contra electionem 1040.

Approbatio Ecclesiae est ad statum religiosum constituendum necessaria p. 12; approbatio antiquarum Religionum 12; praesens disciplina circa approbationem religiosorum ab Ecclesia 13; varii gradus approbationis novi Instituti 14; multiplices Societatis approbationes 33; approbatio Constitutionum Societatis 38.

Approbatio Episcopi requiritur pro confessione saecularium, non pro confessione Regularium 864; decretum Tridentinum de approbatione 864; Constit. *Superna* Clementis VIII 868; ius Episcopi vocandi ad examen 866, 869; circa quid examen versari possit 872; an approbatio semel data indefinite valeat 867; revocatio licentiae datae 871; necessitas approbationis ad peccata venialia absolvenda 875; sufficitne Episcopi approbatio ut Regularis saecularium confessiones audiat; an praeterea a suo Superiore approbari debeat 873; an Regularis confitens extra Ordinem possit confiteri sacerdoti non approbato 1004.

Arca ad eleemosynas prohibita in nostris ecclesiis p. 440 et 443; arca seminarii 462; arca fundationum 462; arca causarum piarum 463; arca eleemosynarum 464.

Arma deferre clericis et regularibus est interdictum p. 558.

Artes et professiones seu officia clericis et religiosis interdicta p. 551; ars medica et chirurgica 551; officium advocati vel procuratoris 551; notarii seu tabellionis 552; ministri aut procuratoris laicorum 552; tutoris vel curatoris, fideiussoris 553; executoris testamentorum 553; officia civilia et politica 553; munus patrini in baptismo 554.

Assistentes in Societate: eorum electio p. 1046; an debeant esse professi 1049; eorum ius ad Congr. generalem 1046, et procuratorum 1050.

Asylus. Ius asyli p. 645.

Austeritas: an austeritas maior introduci possit in Religione ita ut iam professi ad eam obligentur p. 235; Religio Carthusiensium prae aliis austerior habetur 244; austeritates in Societate 590.

Baldaquinum Episcopo dioecesano in ecclesiis Regularium attolli debet p. 762; an requiratur supra altaria in quibus asservatur S. Sacramentum 834 (in *nota* c).

Baptismus: an illum Regulares administrare possint p. 881.

Benedictio. Benedictio SS. Sacramenti in ecclesiis Regularium p. 845; benedictio candelarum, cinerum et palmarum in ecclesiis Regularium 837; item mulieris post partum 837, 919; benedictiones reservatae et non reservatae 919; benedictiones Regularibus permissae 919; benedictio paramentorum et supellectilis sacrae 920; vasorum sacrorum 921; altarium 921; ecclesiarum 922; campanarum 761; numismatum et coronarum 926; cam-

porum et animalium 919; crucis et imaginum 921; facultas reconciliandi ecclesias pollutas 923; benedicendi et erigendi vias crucis in missionibus 927; benedictionem papalem impertiendi in fine missionis 927; benedicendi aquam S. Ignatii 926.

Beneficia ecclesiastica p. 353; saecularia et regularia 353; disciplina Ecclesiae circa capacitatem religiosorum ad beneficia 354; Regulares nunc sunt beneficiorum saecularium incapaces 262 et 760, etiam saecularizati 262; novitii beneficia retinent toto tempore novitiatus 141; an eis renuntiare possint 144; per professionem religiosam (solemnem) vacant 190; an vacent per vota simplicia religiosa 190, 806; in Societate probabilius non vacant, eaque scholastici retinere valent 212; quando debeant eis renuntiare 213.

Biennium novitiatus in Societate (vide *Novitiatus* 2°). — Vota biennii, eorum requisita, ritus et effectus 209.

Bona privata. 1° *Eorum proprietas* simpliciter professis generatim relinquitur 320: exceptio in Societate 397; eadem negatur solemniter professis 326: dispensationes in hac lege 328. *In Societate*, scholastici proprietatem bonorum suorum post prima vota retinent 393; an nova sibi acquirere valeant 394; an ad hoc licentia indigeant 397; de eorumdem bonorum usu, administratione et distributione 398; de annuis redditibus: obligatio eos distribuendi 401.

2° *Bonorum renuntiatio* ante professionem: lex Tridentina 142; actus novitio permissi aut prohibiti circa bonorum dispositionem 143; conditiones ad renuntiationem requisitae 144; an formalitates legis civilis circa renuntiationem sint servandae 146; renuntiatio post professionem facta 147; an renuntiatio sine licentia facta sit invalida 325; quaenam licentia requiratur 371 et 761. – Bonorum renuntiatio *in Societate:* tempore novitiatus 162; quo tempore fieri debeat 397; eius qualitates: debet esse universalis 403, absoluta 404, irrevocabilis 405, ordinarie secundum leges civiles 405, in favorem pauperum 406; pactiones cum parentibus 407; vis renuntiationis universalis 407; vis renuntiationis in favorem alicuius 410. Num dimisso bona, quae in favorem Societatis renuntiavit, reddi debeant 407.

Bona religiosa: eorum immunitas 638, 642, inviolabilitas et inalienabilitas 641; praescriptio contra ea 644; proprietas legalis eorumdem 335; bonorum communitatis administratio 391; praescriptiones decreti *Nullus* Clementis VIII 347; eorum administratio 966; alienatio 968; ad quam alienationem requiratur beneplacitum apostolicum 970; quid veniat sub nomine alienationis prohibitae 974; alienatio inter duos conventus 976; causae ob quas alienatio permittitur 977; poenae contra indebite alienantes 977; irritatio alienationis absque beneplacito factae 978.

In Societate bona sunt propria singularum domorum 461; apud quem sit eorum dominium 465; apud quem suprema administratio 1010; quis ea alienare possit *ibid.*; et quibus formalitatibus 1011; quomodo Pr. Generalis de bonis Societati relictis disponere possit 461; quid, in dissolutione domorum, de illarum bonis 1011; Pr. Generalis omnes contractus de bonis temporalibus facere valet 1010; quam facultatem circa bona habeant Provinciales et Rectores 1011.

Bona temporalia in missionibus: quaenam ad Vicariatum, quaenam ad Regulares pertineant 900.

Campanae: earum benedictio p. 761; campanarum pulsum an Episcopus Regularibus praescribere aut prohibere valeat 765.

Cannarum privilegium p. 616; privilegium Societatis aedificandi intra cannas 631.

Canon. Privilegium canonis p. 634; eo fruuntur Regulares quamvis non clerici 634, etiam novitii 140; absolutio excommunicationis propter violationem huius privilegii incursae 959.

Capitula: eorum antiquitas p. 1015; ab his convocantur qui eis praesidere debent 1016; quando defectus Capituli ab ipso suppleri possit *ibid.*

Capitulum generale: supremam habet auctoritatem in Ordine 1017; veras leges condere valet *ibid.*; eius potestas 1018; ad ipsum pertinet electio Generalis eiusque curiae 1018; quandonam convocari debeat 1019. — *Capitula provincialia:* eorum auctoritas 1019; quando convocanda 1020. — *Capitula conventualia:* duplicis sunt generis 1020; Capituli consensus ad gravia negotia Iure communi requiritur 1021.

Capitulationes in electionibus 1041.

Carcer apud Regulares p. 273.

Cardinalatus. Promotio Regularis ad Cardinalatum ex Iure licet p. 249, 787; obligationes promoti 251.

Cardinalis protector, eius auctoritas p. 991.

Carthusia habetur ceu Religio strictissima 27; generaliter (excepto speciali privilegio) permittitur transitus a quacumque Religione ad Carthusiam 245: privilegia contra hanc facultatem 248; privilegia Societatis 291.

Castitas. Consilium castitatis p. 5. Votum castitatis essentiale statui religioso 8; actus internos comprehendit 317; natura voti castitatis in Religione 470; effectus voti solemnis et voti simplicis 472; casus reservati quoad castitatem in Societate 507. — Facultas dispensandi saeculares a voto castitatis, Societati concessa 925; facultas dispensandi coniuges a voto castitatis ad petendum debitum 917, 926.

Casus et censurae reservatae. 1° *Absolutio ab eis quoad saeculares:* casus et censurae R. P. reservatae p. 907; Episcopo reservatae a Iure 875, ab ipso Episcopo 877; privilegia Societatis 923.

2° *Quoad ipsos Regulares:* quid possint Praelati regulares quoad casus et censuras R. P. reservatas 957, 958: privilegia Societatis 1000; Regulares exempti non subiacent reservationi ab Episcopo stabilitae 960; an familiares subiaceant 884; Praelati regulares possunt absolvere subditos a casibus et censuris ipso Iure Episcopo reservatis 960; an a censuris per sententiam particularem latis 960.

3° *Casus in Ordinibus reservati.* An Praelati Regulares sibi casus reservare possint: decretum *Sanctissimus* Clementis VIII 957; quis ab his casibus absolvere possit 961; an novitii casibus reservatis subiaceant 138; in Societate subiacent 157.

4° *Casus in Societate reservati* 1001; censurae et praecepta hominibus Societatis imposita 583; casus reservati quoad castitatem 507; casus inobedientiae expressae 514; quis in Societate a casibus reservatis absolvere possit 1002 (vide v. *Confessarius Nostrorum*).

Casus conscientiae. Obligatio Regularibus facta habendi casus conscientiae p. 570; an Regulares obligari possint ad assistendum conferentiis cleri super casibus conscientiae 770.

Causae Regularium criminales p. 1054, civiles *ibid.*; quando propter

eas Regularis conveniri possit coram Episcopo 737, coram iudice civili 636; causae quae a Praelato regulari non pendent 1055. Causae cognitio in processu criminali 1067; in causis criminalibus datur praescriptio 1085.

Causae piae. Regulares exsecutores ultimarum voluntatum circa causas pias rationem reddere debent Episcopo p. 755.

Censurae. Regulares exempti non subiacent censuris generalibus Episcopi p. 960; quando Regulares ab Episcopo censuris coerceri possint 771; privilegia Societatis 781; censuras et interdicta Episcopi, eo mandante, Regulares publicare et observare tenentur 776. Absolutio a censuris reservatis, (vide v. *Casus reservati* et *Absolutio*). Censurae incurruntur absque ulla sententia declaratoria 1099.

Chorus. De obligatione chori in Religionibus p. 542. Chorus in Societate 575.

Chrisma et olea sancta Regulares ab Episcopo loci accipere debent 761.

Clausura, quid sit p. 535; de loco clausurae 535; prohibitio admittendi feminas intra clausuram 536; prohibitio exeundi e loco clausurae sine Praelati licentia 538; quisnam egressus absque licentia sit peccatum mortale 539; Superiores nequeunt concedere subditis suis facultatem vivendi extra claustra 539; clausura in domibus Societatis 574; Regulares delinquentes contra clausuram monialium correctioni Episcopi subiacent 739.

Clericatus, an sit impedimentum ad ingrediendum Religionem p. 70; quid in casu pacti inserviendi dioecesi 71; quid de alumnis collegiorum pontificiorum et de ordinatis titulo missionis 75.

Coadiutores in Societate p. 34, 192; spirituales et temporales 192; eorum promotio 207; conditiones et ritus promotionis 207; eorum paupertas 414.

Coemeteria. An Regulares ab Episcopis dependeant quoad propria coemeteria p. 760.

Collectae in missa ab Episcopis praescriptae: eas Regulares recitare debent p. 764.

Collegia pontificia: eorum alumni indigent licentia S. Sedis ad ingrediendum Religionem p. 75.

Collegia Societatis: eorum paupertas p. 444; bonorum collegiorum administratio est primario apud Societatem professam et Pr. Generalem 447; obligatio quae erga fundatorem assumi potest 448; collegia dotari possunt 445; personae quae ex dotatione sustentari valeant 446. Collegia inchoata 456; eorum paupertas 457. Retributio scholarium et convictorum in collegiis 452.

Communio. Praescripta Instituti S. I. de ea quoad Nostros p. 592; distributio S. Communionis Fidelibus in ecclesiis Regularium 840, in quibuslibet oratoriis 842; distributio familiaribus, vagis, peregrinis, infirmis, in forma viatici 843; decretum de communione quotidiana 987.

Confessarius 1° *saecularium.* Necessitas approbationis pro confessione saecularium p. 864, etiam ad absolvendum a venialibus 875; ad approbationem obtinendam confessarius debet personaliter adire Episcopum, si id exigit 866; ius Episcopi eum examinandi 866, 869; circa quid examen versari possit 872; quando licentia data revocari valeat 871; an licentia data amittatur si Regularis mutatur domicilio 867 (vide v. *Approbatio*); an confessarius regularis iurisdictionem etiam ab Episcopo accipiat 873; an valide saeculares absolvat cum sola facultate Episcopi, etiamsi sus-

pensus sit a suo Superiore 873; in quo confessarii regulares Episcopis subiiciantur 878; (vide v. *Absolutio, Casus reservati*).

Confessarius familiarium 882; convictorum et scholarium 885.

2° *Confessarius Regularium* 956: Regulares non possunt confiteri nisi apud confessarios a suis Superioribus designatos 956; decretum *Sanctissimus* Clementis VIII et disciplina vigens 961; confessarii in parvis communitatibus 962; confessarius itinerantium 1004, an approbatus esse debeat ab Episcopo vel a suo Superiore regulari *ibid.* (vide v. *Casus reservati*); confessarius novitiorum 138, 156.

3° *Confessarius Nostrorum* quis sit 1001; quoad reservata 1002; quando Superior est absens, *ibid.*; in parvis domibus *ibid.*; tempore Exercitiorum et renovationis votorum 1003; confessarius novitiorum 156, 1003, scholasticorum 1003, patrum tertii anni 1004, itinerantium et extra domos degentium *ibid.*, Superiorum 1006.

Confessio 1° *saecularium* (vide *summ. cap.* XIX p. 860). Principia generalia 860; privilegia Regularium circa eam 861; approbatio necessaria 864, etiam ad absolvendum a peccatis venialibus 875; examen praevium 866, 869; quomodo Regulares quoad confessionem saecularium ab Episcopis dependeant 878; privilegia Societatis 904 (vide v. *Absolutio*).

Confessiones audire est ministerium Societatis proprium 597; NN. prohibentur audire habitualiter confessionem sanctimonialium 602.

2° *Confessio Regularium.* Potestas Praelatorum regularium quoad confessiones suorum subditorum 956; amplissimae facultates olim datae 957; earum limitatio quoad casus et censuras R. P. reservatas 958; an a censuris occultis liceat absolvere 959; limitatio quoad casus et censuras Episcopis reservatas 960; confessio novitiorum 138, 156, familiarium 882; convictorum et scholarium 885.

Confessio Nostris praescripta ab Instituto 592; apud quem fieri debeat 1001 (vide v. *Confessarius NN.*).

Confessio rei in iudicio 1072; iudicialis et extraiudicialis *ibid.*; an reus interrogatus in iudicio veritatem confiteri teneatur 1078.

Confirmatio statuti a S. Sede in forma communi et in forma specifica (*Prooemium* p. VIII).

Confraternitates. Regulares quoad eas in pluribus subiacent Episcopis 748 (vide v. *Congregationes* B. M. V.).

Congregationes religiosae: in quo differant a Religionibus stricte dictis p. 20; Congregationes ecclesiasticae 21; variae Congregationes eiusdem Ordinis 31.

Congregationes Romanae, quaenam auctoritatem exerceant in religiosos 990; earum decreta, declarationes, decisiones (*Prooemium* p. V); quam vim habeant *ibid.*

Congregationes B. M. V. et Bonae Mortis. Eas dirigere ministerium est S. I. p. 600; earum erectio et aggregatio a Praep. Generali 780; historica circa sodalitates B. M. V. et variae Constitutiones SS. PP. 928; normae pro erectione, aggregatione ac regimine sodalitatum B. M. V. et sodalium receptione 931; congregatio Bonae Mortis, historica et leges 934; congregationes B. M. V. non subiacent Constitutioni *Quaecumque* Clementis VIII 930; congregationes Bonae mortis subiacent 934; congregationes B. M. V. non subiiciuntur visitationi Episcopi 932.

Congregationes in Societate Iesu

1042; quaenam electiones in eis fiant 1042; earum consensus ad celebrandos contractus non adhibetur 1043.

Congregatio generalis: quando coadunetur 1044; a quonam convocetur, et qui vocandi sint 1045; locus et tempus convocationis 1046; modus procedendi in ea 1046; electiones 1046; ambitus 1047; informatio ad electiones 1047; absolutio praevia, eius vis 1048; triplex forma electionis 1048; qualitates eligendorum 1049; exemptio ab aliquibus obligationibus 1049.

Congregatio provincialis: ad quem finem habeatur 1050; quinam ad eam sint vocandi 1050; nullam habet auctoritatem 1051; electiones 1051; ambitus 1051; quinam eligendi 1051; quid si electi impedimenta habeant 1051.

Congregatio Procuratorum: a quo instituta et quando celebranda 1052; quinam in ea conveniant 1052.

Consilia evangelica p. 3; tria sunt praecipua 5; cur Christus haec specialiter proposuerit 7; ad statum perfectionis requiritur observatio consiliorum 7, et quidem votis firmata 8; omnes observantiae religiosae ad haec tria consilia ordinantur 8 *nota* e.

Constitutiones Apostolicae, fons Iuris regularis (*Prooemium* p. v). Constitutiones et decreta pro Regularibus p. 558 (vide v. *Decreta*).

Constitutiones in Ordinibus religiosis p. 31; quomodo a Regula differant 31; potestas dispensandi in eis 946; potestas Capituli generalis circa eas 1017. — *Constitutiones Societatis:* earum approbatio 38; non obligant sub peccato 236; an mutari possint et a quo 937; quis ab eis dispensare valeat, et quando 1006.

Consuetudo a regula excusare potest p. 231; privilegia consuetudine acquiruntur 651. Consuetudines in Societate 238; quomodo novae introduci possunt 238; an simplici usu 238.

Contractus a religioso facti sine Superioris venia, an valeant p. 499; eorum irritatio a Superiore 501. — In Societate, ad celebrandos contractus non adhibetur consensus ullius Capituli 1043.

Conventus (vide v. *domus religiosa*); parvi conventus p. 616; quinam sint exempti 713.

Convictores in collegiis Regularium: an veniant nomine familiarium et sint exempti p. 885; privilegia Regularium circa eos 886; eorum funus 891.

Correctio. Quando ante denuntiationem *correctio fraterna* omitti possit aut non possit p. 942, 1063, 1092. — In correctione *subditorum* Societas est exempta a forma iudiciaria 1089.

Crimina graviora constituunt impedimentum ad ingrediendum Religionem 63; quaenam sint haec crimina 65; item constituunt impedimentum ut quis vocem passivam habeat in electionibus 1028.

Cura animarum Nostris ab Instituto prohibita quoad saeculares p. 602; cura animarum in missionibus 899; Superiores regulares habent curam animarum suorum subditorum 979.

Debita, quandonam sint impedimentum ad ingrediendum Religionem p. 57; an Religio debita suorum alumnorum solvere debeat 62.

Decreta SS. Congregationum Romanarum, fons Iuris regularis (*Prooemium* p. v); eorum vis *ibid.* — Decreta pro Regularibus p. 558; decreta Clementis VIII et Urbani VIII, de largitione munerum 558; decreta de eiectis et eiiciendis 562; super causis ad S. Officium pertinentibus 562; Innocentii XII pro confirmatione decretorum de celebratione missarum 564; varia de-

creta Clementis VIII circa disciplinam religiosam 567; decretum *Nullus*, eius extensio 368: vis decretorum Clementis VIII in Societate 581; duo decreta Pii IX 571: exemptio Societatis ab eis 571; annua decretorum lectio, obligatio Superiorum circa eam, et sanctiones contra negligentes 983. Documenta recentia contra modernismum 572.

Definitores seu **Discreti,** quinam hoc nomine veniant p. 940, 1021.

Delictum. Regulares Episcopis subiiciuntur, quando delinquunt extra claustrum p. 735, aut in personam ipsius Episcopi 739, contra moniales earumque clausuram 739, in administratione cuiuslibet sacramenti 740, circa custodiam Eucharistiae 742. Triplex medium adhibendum ad praevenienda delicta: Exercitia spiritualia, monitiones, praecepta 1060.

Denuntiatio iudiciaria, canonica, paterna p. 942, 1062; est correlativa iuris inquisitionis 942; quid Superiori liceat post denuntiationem paternam 1063, post canonicam aut iudiciariam 1064; ad denuntiationem iudiciariam praerequiritur correctio fraterna 1063; cautiones in admittenda denuntiatione adhibendae 1065. Denuntiatio paterna et iudicialis in Societate 1091; decretum 32 Congr. VI de illo qui denuntiat 1092; et decretum 33 de Superiore qui denuntiationem accipit 1093.

Depositum, in quo differat a peculio p. 419; quid in Societate circa deposita statutum sit 420; an acceptatio depositi alicuius extranei paupertati adversetur 366.

Dignitates, quid sint p. 524; duplex votum simplex professorum Societatis circa dignitates intra et extra Religionem non admittendas 524. Ad quas dignitates Regulares promoveri possint 787 et 790; promotio Nostrorum ad dignitates ecclesiasticas 815.

Dimissio et eiectio p. 264 (vide v. *Eiectio*); dimissio professi ex Instituto votorum simplicium 265; dimissio professi votorum simplicium ex Ordinibus proprie dictis 268, professi votorum solemnium 272; status dimissi 270; decretum *Auctis* 270. — *In Societate*, dimissio non professi 294; quid post decretum *Auctis* 295; causae dimissionis ex Instituto Societatis 301; dimissio sine causa pronuntiata est invalida 195; penes quem resideat in Societate facultas dimittendi 302; consequentiae practicae quoad validitatem dimissionis 303; de modo procedendi in dimissione 305; dimissis Societas non debet sustentationem 305, nequidem propter ordines sacros titulo paupertatis receptos 821; quis dimissum rursus recipere possit et quibus conditionibus 116; in dimissione servanda nesit forma iudiciaria 1086, an tantum substantialia iudicii 1087.

Disciplina religiosa. Decreta Clementis VIII de disciplina religiosa p. 567; eorum extensio 568; obligatio Superiorum circa disciplinam promovendam 982. Disciplina in Societate, eius fontes 383; praecipua capita disciplinae 586.

Dispensatio. 1° Facultas dispensandi *saeculares* ab irregularitatibus 909, 924; a poenis ecclesiasticis 911, 925; a votis 913, 925; a iuramentis 916; in voto castitatis in ordine ad petendum debitum 917, 926; item coniuges qui ob incestum illud ius amiserint 917; in missionibus dispensandi ab impedimentis matrimonii 919; dispensandi saeculares super esu carnium 928.

2° Dispensatio circa *religiosos*. Dispensatio a votis simplicibus religiosis 253; a votis solemnibus 254;

variae formae sub quibus conceditur 255. Potestas Praelati regularis suos subditos dispensandi 945; quibusnam Praelatis competat 945; quos possit dispensare 945; iusta causa requiritur 946; potestas dispensandi in constitutionibus et regulis Ordinis 946; in legibus communibus Ecclesiae 947; in irregularitatibus 949; a poenis 953, 1100; notanda ad rectum usum huius potestatis 955; dispensatio a regula 230; quando sit legitima 230. Novitii a Praelatis regularibus dispensari possunt in votis et in praeceptis Ecclesiae 141.

Dispersi, variae dispositiones S. Sedis circa eos p. 286; eae dispositiones non sunt generales 286 et 291.

Dispositio aut **distributio** *bonorum* (vide *Bonorum renuntiatio*). — Dispositio *propriae personae* Superioribus relinquenda, ex Instituto Societatis p. 586.

Dissidentium reconciliatio, ministerium Societatis proprium p. 598.

Dissolutio domorum religiosarum p. 626; quid Institutum statuat 631, 1044.

Doctrina. Defectus doctrinae, impedimentum ad ingrediendum Religionem p. 69; doctrina in professo Societatis requisita 202; doctrina Societatis debet esse uniformis et solida 588.

Doctrina christiana tradenda pueris et rudibus 597; tradenda conversis in Ordinibus religiosis 987.

Dominium bonorum (vide v. *Bona privata* et *religiosa*). — Potestas *dominativa*, quid sit 475; Superiori regulari competit 476.

Domus. Erectio domus religiosae (vide *summ. cap.* XIII p. 604); requiritur beneplacitum Apostolicum p. 605, et licentia Episcopi 607; solemnitates adhibendae in concedenda licentia 612; vocari debent interesse habentes 612, an parochi 613; rationes canonicae quae erectioni opponi possunt 614; lex distantiae seu privilegium cannarum 616; de numero religiosorum in conventibus erigendis aut erectis 616; numerus ad legitimam erectionem et ad exemptionem requisitus 619; quaenam domus duplici licentia indigeant 619; quaenam non indigeant 623; translatio vel immutatio domus existentis 622; reassumptio domus derelictae 624; quando neutra licentia requiratur 624; de licentia potestatis civilis 626; extinctio domus religiosae 626. — *Privilegia Societatis* quoad erectionem domorum 629; an Societas nunc indigeat duplici licentia 630; privilegium aedificandi intra cannas 631; dissolutio domorum ex Instituto 631, 1044; earum translatio 632.

Donatio Regularibus interdicta 558; donationis repudiatio, an paupertati adversetur 361; an liceat absque beneplacito apostolico 976.

Dotatio collegiorum p. 445; personae quae ex ea sustentari possunt 446.

Ecclesiae Regularium: diversae earum classes p. 724-732; erectio novae ecclesiae 620; an requiratur licentia Episcopi *ibid.*, et beneplacitum apostolicum 622; earum consecratio 761, 922, et reconciliatio 923. Regularibus licet in suis ecclesiis celebrare 837, processiones in eis facere 752, fideles admittere ad missam, ad divina officia, ad sacramenta 834, ad praedicationem 829, ad catechismum 829; in eis S. Eucharistiam asservare 839, eamque Fidelibus ministrare 840; quae officia in eis peragere liceat 837; an fas sit admittere sacerdotes saeculares aut regulares proprii aut alterius Ordinis ad celebrandum 838. Praerogativae Episcopi in ecclesiis Regularium 762.

Ecclesiae parochiales Regularium 727, 730, 731; subiacent visitationi Episcopi *ibid.*; nominatio et revocatio parochi in eis 732. — Ecclesiae Congregationum et Institutorum votorum simplicium 846. — *Privilegia Societatis* circa erectionem suarum ecclesiarum 849; gratiae eis concessae 854.

Egressio furtiva e domo p. 282; prohibitio egrediendi e monasterio sine licentia Praelati 538; praescriptio Instituti 593; quandonam egressio absque licentia sit peccatum mortale 539.

Egressus ex Ordine (vide *summ. cap.* VII, p. 239).

Eiectio seu **expulsio** solemniter professi p. 272; eiectionis causae 272, forma 273, effectus 275; obligationes eiecti 276; obligatio recipiendi in Ordine eiectos emendatos 279; Episcopus eiecti 278; decreta de eiectis et eiiciendis 562.

Eiectio e Societate 298; forma eiectionis, privilegia Societatis 299; causae propter quas professus eiici possit 300; an adsit obligatio eiectos recipiendi si poeniteant 307; an forma iudicialis in eiectione servanda 1086.

Electiones (vide *summ. cap.* XXII, p. 1021). 1° *Vox activa*, quinam vocem activam in electionibus habeant 1021; absentium suffragia nequeunt suppleri 1023; iura absentium 1024; infirmi, qui in domo versantur, non habentur ut absentes 1025; an vitietur electio ex eo quod aliquis admissus fuerit qui ius non habebat 1025; stricta obligatio electorum eligendi digniorem 1026.

2° *Vox passiva*, quinam habeant 1026; quinam sint Iure inhabiles 1028; electio personae inhabilis nulla est aut irritanda 1030.

3° *Forma et circumstantiae* electionis 1031; quo tempore et loco facienda 1032; convocatio electorum 1031; actus praevii electionis, tractatus consultatorius, protestatio, absolutio et iuramentum 1032; quinque actus substantiales 1035; deputatio scrutatorum, secreta suffragatio *ibid.*; scrutinii publicatio 1036; suffragiorum collatio 1037; requiritur maior pars suffragiorum 1016, 1037; decretum electionis 1038; acceptatio et confirmatio electionis *ibid.*; appellatio contra electionem 1040; undenam electio fiat invalida 1040.

In Societate quaenam electiones fiant 1042; electiones in Congr. generali 1046; in Congr. provinciali 1051.

Eleemosynae. Collectio eleemosynarum seu quaestuatio: leges Ecclesiae circa eam p. 757. Eleemosynae pro missis: decreta Innocentii XII circa eas 564; statuto Episcopi eas taxantis Regulares obedire tenentur 764.

In Societate, eleemosynae in compensationem pro ministeriis 423, 428; eleemosynae quae acceptari possunt in collegiis 446; arca pro eleemosynis prohibita in nostris ecclesiis 440, 443; arca eleemosynarum 464.

Episcopatus est impedimentum ad ingrediendum Religionem p. 69; promotio Regularis ad Episcopatum ex Iure licet 249 et 787; aliquae Iuris dispositiones circa promotionem 249; obligationes religiosi ad Episcopatum promoti 251; an sit impedimentum ad habendam vocem activam et passivam in capitulis 1030; quid in Societate statutum sit *ibid.*

Episcopus. Eius licentia ad erigendam domum religiosam necessaria p. 607, 619; de his in quibus Regulares Episcopis subiiciuntur (vide *caput* XVI, nn. 15-40, p. 705); praerogativae Episcoporum in ecclesiis Regularium 762; Regulares quoad praescripta ab

Episcopo 764; an et quando Regulares ab Episcopis censuris coerceri possint 772; an Regulares exempti participes fieri valeant gratiarum Episcopi 774; Episcopus ordinationis Regularium 799; Episcopus generatim ius habet examinandi Regulares ordinandos 803, sed solum de doctrina 804; Episcopus titularis quoad ordinationem 813; Episcopus uti potest facultatibus quinquennalibus etiam erga Regulares exemptos 813; poenae quas incurrit Episcopus contraveniens legibus circa ordinationem 814; Episcopi iura circa praedicationem Regularium 826; circa confessionem saecularium apud Regulares 864-875; circa Regularium oratoria 831, ecclesias 834, asservationem SS. Sacramenti in eis 839, eiusdem expositionem et benedictionem 845; circa ecclesias et Oratoria Congregationum et Institutorum votorum simplicium 847. Congregationes B. M. V. Episcoporum visitationi non subiacent 932; an Episcopus subditum in conventu exempto delinquentem punire possit 1086; potestas Episcopi in varia religiosorum Instituta 992.

Erectio novae domus religiosae (vide v. *Domus*); ecclesiae novae 620; provinciarum 627, in Societate 633.

Eucharistia. Regulares subiacent Episcopis circa custodiam SS. Eucharistiae p. 742; circa eius publicam et solemnem expositionem 743; in his quae observanda aut evitanda sunt in celebratione missae 743; si delinquant in distributione S. Communionis 740. Processio S. Sacramenti Regularibus permissa 752. Regulares S. Eucharistiam asservare possunt in suis ecclesiis 839; an in suis oratoriis 839; S. Communionem distribuere possunt Fidelibus in suis ecclesiis 840, et in quibuslibet oratoriis ubi celebrant 842; an in aliis locis ubi ex privilegio celebrant 855; Viaticum et communionem die Paschatis in suis ecclesiis nequeunt ministrare 843, exceptis familiaribus 843; praecepto communionis paschalis non satisfit in eorum ecclesiis 841; excipiuntur probabiliter vagi et peregrini 843; an infirmis S. Communionem deferre valeant 844; expositio et benedictio S. Sacramenti in ecclesiis Regularium 845. — Privilegia Societatis circa asservationem S. Eucharistiae 852; circa eius administrationem Fidelibus 853; ius eamdem deferendi infirmis 854.

Examen ante admissionem in quolibet Instituto p. 100, 110: quid in Societate 113; ante professionem 172; ab Episcopo ante ordinationem 803: quid in Societate de hoc examine 819: ab Episcopo ante approbationem pro confessione 866, 869, 872; a Praelatis regularibus pro eadem 1004; in ordine ad praedicationem 827; quid in Societate 848; in Societate in ordine ad professionem 202: ante collationem graduum universitariorum 816. — Examen rei in iudicio 1076.

Examinator synodalis p. 793; cleri ad beneficia, ad ordines, quid de hoc munere statuat Institutum Societatis 815.

Excommunicatio: est impedimentum ad statum religiosum amplectendum p. 44; absolutio ab excommunicatione (vide v. *Absolutio*); excommunicationes latae sententiae quibus subiacent Regulares, ut tales 1101; excommunicationes Societati Iesu speciales 1105.

Exemptio (vide *summ. cap.* XVI, p. 705): quid sit 706; personalis, localis, mixta 707; totalis aut partialis 708; notiones historicae de exemptione 709; de extensione aut non extensione exemptionis ad quasdam personas et loca 711; ad parvos con-

ventus 713; an grangiae exemptione gaudeant 715; exemptio dispersorum 721; exemptio in missionibus 720, 898; ecclesiae Regularium quoad exemptionem 724; novitii exemptione gaudent 141, 712; item familiares 712. — Exemptio Societati concessa 776.

Exercitia spiritualia: obligationes ex Instituto circa ea p. 592; exercitia octiduana quotannis 593; aliis tradenda 596. Dantur uti medium adhibendum ad praevenienda delicta 1060.

Extrema Unctio: eam Regulares saecularibus administrare nequeunt p. 880; an suis confratribus extra conventus degentibus 881; an familiaribus 882; an convictoribus 886.

Familia. Commercium cum familia ex Instituto S. I. p. 591. — Quinam sint de familia Regularium 885.

Familiares, quinam sint p. 885; eorum exemptio 882; privilegia Regularium circa eos 882; eorum funera 891.

Forus. Privilegium fori, in quo consistat p. 636; eo gaudent Regulares quamvis non clerici 636; etiam novitii 140.

Fratres. An necessitas fratrum impediat ingressum in Religionem p. 56.

Fructus horti: quosnam permittatur domui professae percipere p. 438.

Fuga e conventu, quid sit p. 282; quando sit consummata 283; poenae fugitivorum 286; obligatio requirendi et reducendi fugitivos 284. — Privilegia Societatis in fugitivos 306; an adsit obligatio eos perquirendi et recipiendi si redeant 307; quis fugitivum recipere possit et qua conditione 116.

Funus, quid sit p. 889; ipsorum Regularium funus et sepultura 889; novitiorum, famulorum, convictorum, hospitum funus, 890; funus saecularium a Regularibus 892; quarta funeralis, quid sit 896; quando solvenda 896.

Generalis in Societate: eius electio 1046; eligitur ad vitam 994; eius potestas quomodo temperetur 994; est tamen suprema et ordinaria 996; in Societate omnes gratiae conceduntur Generali aut saltem earum usus ab eo pendet 677; facultas admittendi et distributio graduum tota est in eius manu 197; apud ipsum etiam est tota facultas dimittendi 302.

Gradus in Societate p. 191; graduum approbatio a S. Sede 193; solus Pr. Generalis ad gradum (professi aut coadiutoris formati) admittit 198; requisita ad varios gradus: ad professionem 4 votorum 199; ad professionem 3 votorum 207; ad vota coadiutoris formati 207; ad vota biennii 209. Ritus promotionis ad gradum: ad professionem 203, ad vota coadiutoris formati 208, ad vota biennii 209.

Gradus academici: Regulares ad eos promoveri possunt 794; privilegia circa promotionem Nostrorum ad gradus academicos 816, circa collationem graduum nostris scholaribus externis 816.

Grangiae: duplex earum species p. 717; an subiaceant visitationi et correctioni Episcopi 718; privilegia Societatis quoad eas 777; an in eis oratoria erigere liceat 777.

Gratiae *Ordinis* participantur a simpliciter professis p. 185; an a novitiis 140; gratiae Societatis novitiis communicantur 160: in Societate omnes gratiae conceduntur Praep. Generali aut quoad usum ab eo pendent 677. — An Regulares exempti participes fieri possint *gratiarum Episcopi* 774. — Varii modi quibus S. Sedes gratias conferre soleat 259.

Gratuitas ministeriorum in Societate,

ex Constitutionibus p. 423; ex decretis Congregationum 428; gratuitas in docendo 425, 445.

Habitus religiosus. Obligatio gestandi habitum religiosum 531; poenae contra temere dimittentes habitum 531; quid de Regularibus proprium habitum non habentibus 533; obligatio Episcopi aut Cardinalis regularis quoad habitum 251; Novitii habitum regularem, si Ordo habet, deferre debent 135. — Habitus Societatis 573; gestasse habitum alicuius Religionis aut eremiticum est impedimentum essentiale ad ingrediendum Societatem 87, 89.

Haereditas. An professus sit incapax haereditatis 330. — Societas est incapax successionis haereditariae ratione suorum professorum aut coadiutorum formatorum 438, 447; sed nec Societas nec eius domus sunt haereditatis incapaces 438, 443; an scholasticus sit capax haereditatis ante vel etiam post bonorum renuntiationem, et cui acquirat 394. — Haereditatis repudiatio, an liceat absque beneplacito apostolico 976.

Haeresis, impedimentum ad statum religiosum p. 44, et quidem essentiale ad ingrediendam Societatem p. 83; impedimentum ut quis vocem passivam habeat in electionibus 1028.

Hypotheca supra bona religiosa: an liceat eam admittere absque beneplacito Apostolico p. 975.

Homicidium, impedimentum ad ingrediendum Societatem p. 84; homicidium casuale 85. Facultas dispensandi in homicidio communiter excipitur in privilegiis Regularium dispensandi ab irregularitatibus 949; conceditur tamen aliquando 951: quid in Societate 1007.

Hospites. An Regulares privilegia habeant circa eos, quoad viaticum et extremam unctionem p. 888; quoad funus eorumdem 892.

Illegitimitas, impedimentum ad ingrediendum Religionem p. 65; ad dignitates in Ordine 66, 1028. Privilegia Societatis circa illegitimos 77.

Imagines, medalia, cruces, rosaria, an cadant sub voto paupertatis p. 342; facultas ea benedicendi Societati concessa 926. — Regulares subiacent Episcopis quoad publicam novarum imaginum expositionem 747; benedictio imaginum 921.

Immunitas. Privilegio immunitatis gaudent religiosi p. 637; immunitas personalis 638, realis 638, localis 645. Quae bona immunitate reali gaudeant 638; quomodo Ecclesia usum sui iuris temperet 640; immunitas specialis bonorum Regularium 642; inviolabilitas et inalienabilitas bonorum ecclesiasticorum 641.

Incapacitas *dominii* in solemniter professis est de mera lege ecclesiastica, ergo dispensationi obnoxia p. 328; variae dispensationes concessae 328. — Incapacitas religiosi ad *beneficia saecularia* 262. — An Regulares sint incapaces munium ecclesiasticorum (vide *summ. cap.* XVII p. 785).

Impedimenta 1° *ad statum religiosum* (vide *summ. cap.* II, p. 42). Impedimenta iuris naturalis et iuris ecclesiastici p. 43; irritantia et mere prohibentia 43; impedimenta specialia singulis Ordinibus 77. — Privilegia Societatis circa impedimenta iuris communis 77.

2° Impedimenta *ex Iure Societatis* ad ingrediendam Societatem (vide *summ. cap.* II, *sect.* 2). Quinque essentialia 81; impedimentum indispensabile 91; impedimenta secundaria in genere 95; aliqua Generali reservantur et invalida esset

receptio a Provinciali facta alicuius talia impedimenta habentis 95; impedimenta secundaria in specie, quaenam sint 96. Quid de illo qui admissus fuerit cum impedimento ignoto aut celato 97.

3° Impedimenta ut quis ad Superioritates promoveatur 1028. Impedimenta ut quis veniat ad Congr. provincialem 1050; quisnam de eo iudicet *ibid.*; impedimenta deputati in Congr. provinciali electi 1051.

4° Impedimenta *matrimonii*: ius dispensandi ab eis in missionibus 919.

Incorrigibilitas, quandonam ex Iure habeatur p. 272; est necessaria ad eiectionem professi votorum solemnium 272, aut professi votorum simplicium in sacris constituti 268.

Indicia in iudicio: levia, gravia, gravissima p. 1075.

Inductiones in iudicio, quid sint p. 1079.

Indulgentiae. Nova indulgentiarum concessio Regularibus a Paulo V facta p. 671, et revocatio antiquarum 671; Regulares quoad publicationem novarum indulgentiarum Episcopis subiiciuntur 745. Approbatio Episcopi non necessaria pro indulgentiis in catalogo Societatis contentis 746; quid pro indulgentiis Congregationum B. M. V. et aliarum confraternitatum 746. Novitii fruuntur indulgentiis sui Ordinis 140: quid in Societate 160. Societati concessa est facultas applicandi coronis indulgentias S. Birgittae et Cruciferorum 927, indulgentias apostolicas coronis, crucibus, medaliis 926, moribundis indulgentiam plenariam 927. Indulgentiae ecclesiis Societatis concessae 855; extensio ad oratoria 855.

Infamia, impedimentum ad ingrediendum Religionem p. 64; ad ingrediendum Societatem 86; ut quis vocem passivam habeat in electionibus 1028. Infamia seu fama criminis dat locum inchoationi processus criminalis 1066.

Infidelitas, impedimentum ad statum religiosum p. 44.

Infirmitas *capitis* impedimentum est essentiale ad ingrediendum Societatem p. 91. An aliquis post prima vota dimitti possit propter infirmitatem 270.

Informatio *de postulante* praescripta Iure communi p. 100; a Pio IX pro Italia et insulis 110; ab Instituto requisita 113; obligatio postulantis sincere respondendi 114. — Informatio *ante professionem* praescripta a Pio IX in Italia 172: Societas a praescriptionibus Iuris communis et a decreto Pii IX est exempta 113. — Informatio in Congregatione generali ad electiones 1047.

Ingressus in Religionem. Requisita ad ingressum (vide *summ. cap.* III p. 100). Commutatio voti ingrediendi Religionem determinatam 915.

Inhabilitates quibus Regulares subiiciuntur 1096, 1108; Societati speciales 1116.

Inhonesta quae Regularibus a Iure prohibentur p. 557.

Inobedientia. Peccatum generale vel speciale inobedientiae p. 478; an omne peccatum inobedientiae sit contra votum 485; peccatum mortale inobedientiae 498; casus reservatus inobedientiae expressae in Societate 514.

Inquisitio generalis et specialis 942, 1067; duplex inquisitio mixta 1068; inquisitio praevia collationi muneris, ordinum 1069. Ius et officium inquirendi quod Superiori competit 941: iuri inquisitionis correspondet denuntiatio 942; inquisitio iudicialis in processu 1067; quid faciendum, quando inquisitio non affert moralem certitudinem 1076.

Instituta religiosa: quid sint p. 21; pia Instituta 21.

Institutum Societatis Iesu: quid hoc nomine veniat 583. Obligationes ex Instituto (vide *summ. cap.* XII, p. 583). Substantialia Instituti, quaenam sint 585; de eis immutandis agere non licet 585. Loca Tridentini quae Instituto adversari videntur 782.

Interdicta ab Episcopo emanata Regulares, eo mandante, publicare et observare tenentur, sed cum moderamine cap. *Alma* 766; privilegia Societatis tempore interdicti generalis 779; interdicta contra personas et loca Societatis 781; an Praelati regulares suos subditos interdicto coercere valeant 964.

Interrogatio rei in iudicio quando fiat legitime p. 1077.

Irregularitas, quando sit impedimentum ad ingrediendum Religionem 68; privilegia Societatis circa irregulares admittendos 78; irregularitas est impedimentum ut quis vocem passivam habeat in electionibus 1028; privilegia Regularibus facta suos in irregularitatibus dispensandi 949; privilegia Societatis 1007; privilegia saecularia in irregularitatibus dispensandi 909, eorum usus in Societate 924; irregularitates incurruntur absque ulla sententia declaratoria 1099.

Iudex *Regularium* ordinarius 1053; recusari potest 1054; iudex extraordinarius 1055; quomodo iudex procedere debeat (vide v. *Iudicium*). Iudex ambitus in Congr. generali 1047, in Congr. provinciali 1051. — *Iudices conservatores*, eorum auctoritas 992. — *Iudex synodalis* 793.

Iudicium Regularium. Forma summaria in eo adhibenda 1056; substantialia iudicii servanda 1059; duplex Instructio de iudiciis ecclesiasticis 1060; quadruplex phasis in iudicio 1060; iudicii inchoatio ab accusatione, denuntiatione aut infamia 1061; causae cognitio seu inquisitio 1067; probationes in iudicio 1070, plenae et semiplenae 1071; quatuor genera probationum 1071; rei confessio 1072, testium depositio 1072, instrumenta 1074, praesumptiones 1075; quid faciendum, quando inquisitio non affert moralem certitudinem 1076; citatio et examen rei 1076; inductiones a reo allatae 1079; causae discussio 1080; litis contestatio *ibid.*; rei defensio 1081; de personis quae in iudicio intervenire debent 1082; sententia definitiva 1083. — Forma iudiciaria in Societate 1086; non adhibetur in dimissionibus 1086; sed servanda sunt substantialia iudicii 1087; nec adhibetur in correctione subditorum 1089; sed servanda videtur in iudicio de ambitu in Congr. generali 1090; non prohibetur uti forma iudiciaria in aliis causis 1091.

Potestas iudiciaria 956; in foro interno 956, in foro externo 963.

Iuramentum. Facultas dispensandi a iuramentis p. 916. Iuramentum accusato in iudicio deferre non licet 1077.

Iurisdictio, quid sit p. 475, 936. Praelati regulares iurisdictione gaudent 475, 936, etiam in novitios 137, 156; quinam in Ordinibus religiosis ea gaudeant 937; est ordinaria 937, 941, quasi-episcopalis 938, immediata 941, fori interni et externi 941. Ad iurisdictionem pertinet triplex potestas: legifera 944, iudiciaria in foro interno 956, et externo 963, coercitiva 964. Potestas dispensandi 945; quaenam diversis Superioribus competat 945; in quas personas 945; ad dispensandum requiritur iusta causa 946; potestas dispensandi in constitutionibus et regulis Ordinis 946, in legibus com-

munibus Ecclesiae 947, in irregularitatibus 949, a poenis 953. — Iurisdictio necessaria confessario ad absolvendum 860; eam Regulares a suis Superioribus habent, etiam pro confessione saecularium 861; an ab Episcopis etiam habeant 873.

Legata. Quid in Societate sit statutum circa legata confidentialia p. 421; domus professae non sunt incapaces legatorum, etiam ratione suorum professorum 438; legati repudiatio, an liceat absque beneplacito apostolico 976; an facta sine licentia sit contraria voto paupertatis 361.

Leges ecclesiasticae circa vitam religiosam (vide *summ. cap.* XI, p. 530).

Libertas ad statum religiosum amplectendum necessaria, p. 45.

Libri. Leges Ecclesiae circa librorum editionem a Regularibus 571, 755; an Regulares subiaceant prohibitioni librorum ab Episcopis factae in propria dioecesi 757; leges Instituti de editione librorum 590; quaenam pacta cum bibliopolis ex Instituto facere liceat 422; libros scribere est ministerium Societatis 600.

Licentia: expressa (explicita vel implicita), tacita, praesumpta, interpretativa p. 374; licentia ex parte Superioris debet esse voluntaria et non excedere eius potestatem 374; legitima 378, 391; an licentia praesumpta sufficiat in materia paupertatis 375; licentia implicita 377; licentia iniuste negata 380; an licentia concessa expiret simul ac Superior ab officio removetur 381; varii casus de licentia 377. — Licentiae necessariae ad erectionem novae domus religiosae 605: beneplacitum apostolicum 605; licentia Episcopi 607; solemnitates in concedenda licentia adhibendae 612; quaenam domus utraque licentia indigeant 619, quaenam neutra 623; licentiae necessariae ad translationem, ad immutationem domus existentis 622, ad erectionem novae ecclesiae 620; de licentia potestatis civilis 626. — Licentia Sedis Apostolicae necessaria ad bonorum alienationem 970, Episcopi, ad alienationem terrularum 973; licentia Episcopi ad praedicationem 826, ad confessiones saecularium audiendas 864 (vide v. *Approbatio*), ad expositionem et benedictionem S. Sacramenti 845, ad librorum editionem 571, 755.

Lis. Litis contestatio in iudicio p. 1080.

Litterae testimoniales Ordinarii requisitae ad ingressum in Religionem 102: exemptio Societatis ab his litteris requirendis 113. — Litterae dimissoriae et testimoniales pro ordinatione 800, a quo dandae sint 801. — *Litterarum commercium* ex Instituto Societatis 591. — *Litterae in iudicio*, an probationem efficiant 1074.

Locatio, quaenam liceat absque beneplacito Apostolico p. 975.

Ludus Regularibus et clericis iure prohibitus p. 557.

Manuscripta, an cadant sub voto paupertatis p. 341.

Maria magna, quid sint p. 698; Mare magnum Minorum et Praedicatorum 698; Minimorum 700; Canonicorum Lateranensium 702.

Matrimonium, quando sit impedimentum ad statum religiosum amplectendum p. 48; ad ingrediendam Societatem 89. Matrimonium ratum non dissolvitur per professionem simplicem 186, nec in Societate 473; dissolvitur per professionem solemnem 188; matrimonium subsequens non irritatur per professionem simplicem 186, 472, excepta Societate Iesu 210; irritatur per pro-

fessionem solemnem 188, 472. Qui matrimonium attentat post votum solemne castitatis excommunicationem incurrit 473; si consummat, fit irregularis 473. An Regulares matrimonia benedicere valeant 882; facultates circa matrimonia in missionibus 918.

Meditatio. Hora meditationis in Societate 592.

Ministeria. Variae facultates Regularibus concessae circa ministeria (vide *summ. cap.* XX, p. 907).

Ministeria *Societatis* quaenam sint p. 424 et 595; quaenam de eis fuerint statuta 596; ministeria Instituto non consentanea 601. Stipendium et eleemosyna pro ministeriis 423.

Missa. Decreta de celebratione missarum pro Regularibus p. 564; missae perpetuae in ecclesiis Societatis non sunt admittendae 603; Episcopus circa horam missae nihil Regularibus praescribere potest 767; Regulares missam celebrare possunt in suis ecclesiis et oratoriis etiam privatis 830; an alienos sacerdotes admittere ad celebrandum 838; an Fideles in suis oratoriis privatis ad missam diebus festis audiendam 836. — Privilegia Societatis: celebrandi in oratoriis saecularium 778, 859, in altari portatili ubique 778, 855, in cubiculo infirmi 778, 858; privilegia circa horam missae 779, 859. — Applicatio missae pro subditis, an sit obligatio Superiorum 981. — Celebratio aut auditio missae praescripta in Societate 592.

Missio. Ordinati titulo missionis indigent licentia S. Sedis ad ingrediendum Religionem p. 74. — Missiones Regularium in partibus infidelium, earum regimen 896; exemptio Regularium in missionibus 898; in quibus a Vicario Apostolico dependeant 898; de iis quae in Missionibus a solo Vicario Apostolico dependeant 899; de bonis temporalibus in missionibus 900. Statuta specialia pro Societatis missionibus 906. Missiones in Societate omnibus imponi possunt 510; quartum votum solemne professorum circa missiones 521; missiones sunt ministerium valde proprium S. I. 598.

Modernismus. Documenta recentia contra modernismum p. 572.

Moniales. De accessu religiosorum ad monasteria monialium severae leges ecclesiasticae p. 540; Regulares contra moniales earumve clausuram delinquentes subiacent correctioni Episcopi 739; cura monialium Nostris ab Instituto Societatis prohibita 602.

Monitio, medium adhibendum ad praevenienda delicta 1061; quomodo facienda, *ibid.*

Munera. Largitio munerum Regularibus interdicta p. 558.

Munia ecclesiastica. Regulares ad ea sunt apti p. 785; nec tunc tantummodo adhibendi cum deficit clerus saecularis 787; Regulares promoveri possunt ad summum Pontificatum, ad Cardinalatum, ad Episcopatum 787; an ad officium parochi 788, Vicarii generalis 790, ad praebendas, dignitates saeculares, aut ad quodcumque beneficium 790; ad officia examinatoris aut iudicis synodalis 793; de promotione Nostrorum ad haec munia 815.

Mutuum, an et quomodo paupertati adversetur p. 365; quid in Societate circa mutua statutum sit 421. An ad mutuum accipiendum aut praestandum requiratur beneplacitum Apostolicum 975.

Negotia saecularia religiosis interdicta p. 544; specialis interdictio in Societate 577.

Negotiatio clericis et religiosis interdicta, p. 545; negotiatio non interdicta 546; poenae contra clericos illicite negotiantes 550; negotiatio et ea quae speciem negotiationis habent, in Societate interdicta 422, 579.

Notarius. Quandonam Regulares possint creari notarii p. 793.

Notorium in ordine ad inchoandum iudicium p. 1070.

Novitiatus (vide *summ. cap.* IV, p. 118). 1° Domus novitiatus: varia praescripta circa eas 104; Societas ab illis est exempta 112. Novitiatus natura 118, necessitas 119, duratio 120; annus novitiatus debet esse integer et continuus 123; quando interrumpatur 123, aut non interrumpatur 125; quando suspendatur 127; an interrumpatur per militiam 128: quid in Societate quoad hoc praescriptum sit 129; an reiterandus ab eo qui completo iam novitiatu recessit 129; novitiatus initium 130, prorogatio 131, locus 133, disciplina 134.

2° *Novitiatus in Societate* 150; durat biennium integrum 150; eius initium 150; finis 152, prorogatio 152, contractio 153, continuitas et interruptio 154; habitus tempore novitiatus 154; domus novitiatus in Societate 154.

Novitii. 1° Eorum obligationes p. 135, circa habitum 135, obedientiam 136; iurisdictioni Praelatorum regularium subiacent 137; an casibus reservatis 138; eorum confessarius 138; novitiorum iura 139; libertas discedendi 139; eorum privilegia 140; privilegium canonis, fori, exemptionis 140; indulgentias sui Ordinis participant 140; privilegia circa dispensationes, irritationem votorum, beneficia 141. Renuntiatio bonorum, lex Tridentina 142. Novitiorum ordinatio 148, 812; funus 890; an ad regulam servandam teneantur 227.

2° *Novitii in Societate:* eorum institutio 155; vota novitiorum in articulo mortis 154; vota devotionis 162; novitiorum exemptio 156; subiectio iurisdictioni Societatis 156, casibus reservatis 157; eorum confessarius 156; dispensationes circa eos 157; votorum, quae in saeculo fecerint, suspensio 158; communicatio gratiarum novitiis 160; nihil ab eis pro sustentatione tempore novitiatus petitur 161; renuntiatio bonorum 162.

Numerus religiosorum in domibus religiosis erigendis aut erectis requisitus p. 616; ad exemptionem necessarius 619.

Obedientia (vide *summ. cap.* X, 470). 1° Consilium obedientiae p. 5. Votum obedientiae essentiale statui religioso 8; an comprehendat actus internos 317. Virtus obedientiae 473, eius obiectum formale 473, et materiale 474; virtus generalis et particularis 477; peccatum generale aut speciale contra obedientiam 478; ad quam virtutem spectent actus qui a Superiore praecipiuntur 479. Votum obedientiae: quaenam obligatio ex eo oriatur 482; cuinam fiat promissio obedientiae 483; materia remota voti 490; praecepta secundum regulam, supra regulam, infra regulam 492; an actus mere interni praecipi possint 494; an regula ipsa cadat sub voto obedientiae 495. Obligatio subeundi poenas inflictas a Superiore 496; quinam Superiores vi voti praecipere possint 497; quandonam peccatum contra obedientiam sit mortale 498. Appellatio contra Superiores 504. Obedientia novitiorum 136.

2° *Obedientia in Societate:* eius

extensio 509; dotes quibus ornari debet 510; missiones omnibus imponi possunt 510; cuinam Superiori in Societate obediendum sit vi voti 511; casus reservatus inobedientiae expressae 514; quandonam in Societate regula aut Constitutiones sub peccato obligent 516; quaenam Superiorum praecepta sub peccato obligent 516. Quartum votum solemne professorum, obedientiae S. Pontifici circa missiones 521.

Obligationes religiosorum. 1° Earum fontes p. 215; obligationes ex legibus Ecclesiae (vide *summ. cap.* XI, p. 530); obligatio habitum religiosum deferendi 531, 573; chori 542, 575; circa clausuram 535, 574; circa disciplinam regularem ex decretis pontificiis 567, 581; quoad librorum editionem 571; quoad denuntiationes S. Officio faciendas 562; circa stipendia missarum 564. — Obligationes novitiorum 135. Obligationes Superiorum 979.

2° Obligationes *ex Instituto Societatis* (vide *summ. cap.* XII, p. 582): quoad propriae personae dispositionem 586; quoad doctrinam 588; quoad librorum editionem 590; quoad austeritates et officia humilia 590; quoad familiam, litteras, conversationem cum externis 591; circa exercitia spiritualia 592; circa disciplinam domesticam 593. — Obligationes quas in collegiis erga fundatorem assumere licet 448.

Officia clericis et religiosis interdicta p. 551 (vide v. *Artes*); officia ecclesiastica Regularibus interdicta 788, aut permissa 792; de promotione Nostrorum ad officia ecclesiastica 815. Varia officia quae Regulares in suis ecclesiis celebrare possunt 837. Offificium Superiorum circa disciplinam regularem 982; amissio officii 988. — In Societate officia unicuique a Superioribus determinantur 587; officia humilia imposita 590.

S. Officium: decreta super causis ad S. O. pertinentibus p. 562. Regulares in causis fidei ad S. O. pertinentibus 752.

Officiales: quinam ita nominentur p. 936.

Opera *corporalia pietatis* sunt unum ex ministeriis Societatis p. 598.

Oracula vivae vocis, eorum revocatio p. 670.

Oratoria privata Regularium p. 830; oratoria in locis ruralibus 832; consecratio et benedictio oratoriorum 833; an Regularibus liceat Fideles ad missam admittere in suis oratoriis 837, et S. Communionem eis distribuere 842; an extraneos sacerdotes ad celebrandum admittere 838; an asservare SS. Sacramentum 839. Privilegium pro dispersis 640.

Privilegia Societatis circa oratoria 777, 849; an ei liceat oratoria habere in grangiis et locis ruralibus 777; an celebrare in oratoriis privatorum 778, an plura in eadem domo erigere 851; quid in eis liceat 852; indulgentiae eis concessae 855. — Oratoria Congregationum et Institutorum votorum simplicium 846.

Ordinatio Regularium (vide *summ. cap.* XVII, p. 785). Regulares generatim habiles sunt ad ordines sacros recipiendos p. 794; privilegia Regularium quoad ordinationem 795; Episcopus ordinationis 799; litterae dimissoriae et testimoniales a Superiore regulari dandae 800; Regulares ordinandi non tenentur exhibere fidem baptismatis 802, neque dimissoriales Episcopi originis aut aliorum Episcoporum 803; de ordinandorum examine ab Episcopo 803; Regulares ordinantur titulo paupertatis 805, titulus mensae communis et missionis 805; an titulus beneficii vacet

per ingressum beneficiati in Religionem 806; privilegia Regularium quoad interstitia 807; privilegium ordinationis extra tempora 808; ordinatio Regularium qui obnoxii sunt servitio militari 813; aetas quoad ordinationem 813; excorporatio a dioecesi iam non exigitur 814. Ordinatio religiosorum qui vota simplicia tantum emiserunt 809; an ordinari possint titulo patrimonii 811. Ordinatio novitiorum 812. Poenae quas incurrunt contravenientes legibus de ordinatione 814.

Nostrorum ordinatio in genere 818; ordinatio scholasticorum 819; quinquennium in Societate requiritur ante promotionem ad ordines sacros 821; Nostri non sunt promovendi nisi circa finem studiorum 821; examen prius subeundum 821; Provincialis est praesentare Nostros ad ordines 821.

Origo *ex Hebraeis vel Saracenis*, impedimentum indispensabile ad ingrediendum Societatem p. 91; hoc impedimentum non est essentiale 93; an origo ex sola matre hebraea sit impedimentum 94.

Pactum inserviendi dioecesi, an sit impedimentum ad ingrediendum Religionem p. 71. — Pactum in fundatione domus novae 631.

Parentes. Quando eorum necessitas sit impedimendum ad vitam religiosam amplectendam p. 51; an religiosus egredi debeat e Religione ut subveniat necessitati parentum 52; an Scholasticus Societatis ob hanc rationem possit aut debeat egredi 213; an Societas eum dimittere possit 214; ad quid Religio ipsa in casu teneatur 56. Parentes ad ingrediendum Religionem filios deserere non possunt 56. An licentia parentum requiratur ad ingressum in Religionem 75; quid circa hoc in Societate teneatur 99. Pacta cum parentibus in renuntiatione bonorum 407.

Paterna potestas: religiosus per professionem etiam simplicem ab ea solvitur 187.

Parochus. An vocandus et audiendus ab Episcopo pro erectione novae domus religiosae p. 613. Nominatio et revocatio parochi in ecclesiis parochialibus Regularium 732; eius visitatio ab Episcopo 727, 730, 731. Ius parochi in funeribus quae fiunt in ecclesiis Regularium 892; quarta funeralis ei debita 896. An Regulares ad officium parochi nominari possint 788.

Patrinus. Regulares patrini esse nequeunt p. 881; exceptio 882.

Paupertas (vide *summ. cap.* VIII, 308). — 1° Consilium paupertatis p. 5; votum paupertatis necessarium ad statum religiosum 8. Quid sit paupertas religiosa 318; eius duo gradus 319; votum simplex paupertatis, ad quid generatim obliget 320: quinque documenta de hac re 320; votum solemne paupertatis, eius effectus ordinarii 326; incapacitas dominii in solemniter professo est de mera lege ecclesiastica, ergo dispensationi obnoxia 328; variae dispensationes factae 328. Principium « quidquid monachus acquirit, monasterio acquirit » 330; obligatio monasterii circa bona sic acquisita 332. De paupertate religiosa relative ad iura civilia 334; de proprietate legali bonorum 335; paupertas in communi 359. — Materia remota voti paupertatis 341; materia proxima 360; licentiae circa paupertatem 373; materia gravis in peccatis contra paupertatem 382; an levia peccata contra paupertatem coalescant in unum grave 388; votum paupertatis non versatur directe nisi circa actus externos 389; virtus

paupertatis 390; peculiaris obligatio Superioris circa paupertatem 391.

2° Paupertas *in Societate Iesu* (vide *summ. cap.* IX, p. 392): undenam eius forma et limites desumenda 393; paupertas scholasticorum aliorumve post vota biennii 393, 416; paupertas professorum 414; coadiutorum formatorum 414; statuta Congregationum quoad paupertatem 416; gravitas materiae in peccatis contra paupertatem 435; paupertas in communi 436; paupertas Societatis professae et eius domorum ex Constitutionibus 437; decreta Congregationum circa eam 440; paupertas collegiorum et domorum probationis 444; collegiorum inchoatorum 457; residentiarum, provinciarum, missionum 457. Votum simplex professorum de non relaxanda paupertate 468.

Peculium, eius notio p. 342; in quo differat a deposito 419; an sit licitum religiosis 343; quid Tridentinum statuerit 344; quid Clemens VIII C. *Nullus* 347. Peculium in Societate 419.

Pecunia: an Regularibus liceat eam sine beneplacito apostolico alienare p. 962; aut mutuam dare vel accipere 975.

Pensio. An et qua ratione pensio annua sit religioso permissa p. 351; quid de pensione huiusmodi in Societate statutum sit 417. — *Pensio convictorum* in collegiis 452.

Perfectio, quid sit p. 2; doctrina S. Thomae 2 et 5; status religiosus est status perfectionis acquirendae 2. Obligatio tendendi ad perfectionem 217; est gravis 217; in quo consistat 217; quandonam religiosus graviter contra eam peccet 218; contemptus perfectionis 219; firmum propositum penitus negligendi perfectionem 222; incuria habitualis perfectionis 223; frequens transgressio praeceptorum et votorum 224.

Permutatio, an et quomodo paupertati adversetur p. 365; an permutatio titulorum sine beneplacito apostolico sit licita 972 (*nota* d).

Perseverantia. Obligatio perseverandi in Religione p. 239; an peccet contra hanc obligationem religiosus quem de sua professione poeniteat 240.

Picturae et sculpturae, opera religiosi, an cadant sub voto paupertatis p. 341.

Poenae ecclesiasticae quibus Regulares subiacent (vide *summ. cap.* XXIV). Poenae a iure et ab homine p. 1094; latae et ferendae sententiae 1095; sententia condemnatoria et declaratoria, *ibid.*; tres poenarum species: spirituales, temporales positivae, privativae 1096; an, ut poenae latae sententiae executioni mandentur, requiratur sententia declaratoria 1096; absolutio et dispensatio a poena 1100. Poenae quibus Regulares speciali-ter subiiciuntur: excommunicationes 1101, suspensiones 1106, privationes 1108. Facultas absolvendi saeculares a poenis 911: eius usus in Societate 925; facultas Praelatorum regularium dispensandi subditos suos a poenis 953; ius puniendi in Superiore regulari 943.

Possessiones: quaenam permittantur domibus professis p. 436 et 441.

Potestas *dominativa* et *Iurisdictionis* p. 475, 936. Potestati dominativae competit ius praecipiendi 941, inquirendi 942, puniendi 943, atque dispensandi in constitutionibus et regulis Ordinis 946. — Potestas iurisdictionis (vide v. *Iurisdictio*).

Potestas *iudiciaria* 956; in foro interno, *ibid.*; in foro externo 463;

Potestas *coercitiva* 964; facultates Superiorum regularium quoad

coercitionem subditorum 964. — Amissio potestatis Superiorum 988.

Societas plena potestate iurisdictionis gaudet 995, potestate legifera 996, iudiciaria et coercitiva 997, absolvendi subditos 998 : an a casibus et censuris reservatis 1000; facultate dispensandi in genere 1006, specialiter in irregularitatibus 1007, super poenis, privationibus et inhabilitatibus 1008, a votis *ibid.*

Potestas Summi Pontificis in Regulares 990, Congregationum Romanorum 990, Cardinalis protectoris 991, Episcoporum 992, iudicum conservatorum 992.

Praecedentia. Episcopi est dirimere controversias de praecedentia Regularium in functionibus publicis p. 752.

Praeceptum, quid sit p. 474; eius qualitates 490; ius praecipiendi in Superiore 941; praeceptum in virtute S. Obedientiae 498; quinam in Societate praecipere possint 511. Censurae et praecepta hominibus Societatis imposita 583. Praeceptum est medium adhibendum ad praevenienda delicta 1061; quomodo tunc intimandum 1061.

Praedicatio, ministerium valde proprium Societatis p. 597; historica de praedicatione Regularium 823; ius vigens 825; quomodo Regulares ab Episcopis pendeant quoad praedicationem 825; variae decisiones circa praedicationem Regularium 828; an Regulares praedicare possint solo habitu religioso induti 830; an laicis regularibus praedicare liceat 830. Privilegia Societatis circa praedicationem 848; praedicatores approbari debent a Provinciali 849.

Praelatus. Quid sit praelatio extra et intra Societatem p. 524; quinam Superiores dicantur Praelati 936; quinam in Ordinibus religiosis sint Praelati 939, 940; tres ordines Praelatorum : supremus, medii, locales 940; eorum institutio ex libera nominatione Praelati superioris 1042 (vide v. *Superior*); Praelati *Nullius* 939 (*nota* f).

Praescriptio contra bona religiosa p. 644; privilegium praescriptione acquiritur 651, et amittitur 674. In causis criminalibus Regularium datur praescriptio 1085.

Praesumptio in iudicio p. 1075; levis, probabilis, vehemens *ibid.*; praesumptio iuris et de iure *ibid.*

Privationes variae p. 1096; an, ut executioni mandentur, requirant sententiam declaratoriam 1097, 1099; privationes quibus Regulares, ut tales, subiacent 1108; privationes quae Superiores specialiter respiciunt 1112; privationes Societati Iesu speciales 1116.

Privilegia (vide *summ. cap.* XV, p. 647): quid sit privilegium p. 648; an promulgari indigeat 649; quomodo acquiratur 650; communicatio privilegiorum 650, 652; eorum confirmatio 651; de usu privilegiorum 657; eorum interpretatio 658, authentica et doctrinalis 659; privilegia Regularium sunt late interpretanda 661; de cessatione privilegiorum 661; de eorum revocatione 661; de revocatione a Tridentino facta 664; a SS. Pontificibus 667; renuntiatio privilegiorum 672; eorum amissio per non usum aut usum contrarium 673; per praescriptionem 674. — Privilegia novitiorum 142. — Privilegia *Societati* concessa 674; communicatio privilegiorum Societati indulta 674.

Appendix historica de privilegiis Regularium 677; Maria magna 698; privilegia canonis, fori et immunitatis 634.

Probatio. Prima probatio in Societate

intra biennium novitiatus comprehenditur p. 150; animadversiones circa hoc 151. — Secunda probatio (vide v. *Novitiatus* 2°). — Tertia probatio 203; eius obligatio 203.

Probationes in iudicio (vide v. *Iudicium*).

Processiones. Regulares quoad processiones p. 751; non sunt Instituto consentaneae 601; privilegia Societatis circa assistentiam processionibus 780.

Procurator generalis ius habet ad Congr. generalem post electiones ad negotia tractanda 1046. — Congregatio Procuratorum 1052.

Professi *votorum simplicium:* participes sunt omnium gratiarum et privilegiorum Ordinis p. 185; suffragium habent in capitulis, sed cum aliquibus restrictionibus 185; in domibus professorii retineri debent 185; ad observantiam et regulas tenentur 185; ad chorum, non autem ad officium privatim recitandum obligantur 186; statuta quoad eorum paupertatem 186; ordines minores, non maiores recipere possunt 186; quoad matrimonium 186.

Professi *votorum solemnium* sunt stricte Regulares 187; vinculum firmissimum cum Religione contrahunt 188; a votis praecedentibus solvuntur 188; beneficia saecularia iure amittunt 190; die professionis indulgentiam plenariam lucrantur 190, et probabiliter vi ipsius professionis eis remittitur omne debitum peccatis debitum 190 (vide v. *Professio solemnis*).

Professi *in Societate* 191; professi 4 votorum et 3 votorum 191 (vide v. *Professio* 2°); professorum paupertas 414, eius notae 415.

Professio religiosa (vide *summ. cap.* v, p. 164). 1° Professio in genere, quid sit 164; professio includit traditionem sui Religioni 165; professio votorum simplicium et professio solemnis 166; decretum *Neminem* Pii IX 166; decretum *Sanctissimus* 167. Requisita ad validitatem professionis 169; professio tacita 173: an adhuc existat 174; forma professionis 175; debet esse externa, publica, a persona apta admissa 175; professionis ritus 175, formula 176, locus 177; revalidatio professionis invalidae 178; reclamatio contra validitatem professionis 181; Constitutio *Si datam* Benedicti XIV 182. Effectus professionis simplicis in Religionibus proprie dictis 184; effectus professionis solemnis 187; professio simplex non irritat matrimonium subsequens 186, excepta Societate Iesu 210; non dissolvit matrimonium ratum antecedens 186; eius effectus quoad vota praecedentia 186; professio solemnis facit stricte Regularem 187; irregularitatem ex defectu natalium partim tollit 188; vota praecedentia extinguit 188; vinculum firmissimum cum Religione creat 188: vinculum professionis relaxari aut solvi potest variis modis 241.

2° Professio *in Societate* p. 199. Requisita ad professionem 4 votorum 199: aetas competens 199, tempus Societatis 200, perspecta virtus 201, sacerdotium 202, doctrina 202, tertius annus probationis 202; ritus professionis 203, essentialia in ritu 203; solus Generalis ad professionem admittit 198. Requisita ad professionem trium votorum 207. Professio in aliqua Religione, quandoque est impedimentum ad aliam ingrediendam 75: in Societate est impedimentum essentiale 87.

Professio fidei, obligatio Superiorum circa eam 979; lectorum et promotorum ad gradus academicos 1111.

Professiones clericis et religiosis interdictae p. 551 (vide v. *Artes*).

Promotio Regularis ad Episcopatum

vel Cardinalatum 249; dispositiones Iuris circa promotionem 249; promoti obligationes 251. — Promotio *ad gradum* in Societate 197; promotio professi 199 (vide v. *Professio* 2°), coadiutoris 207.

Proprietas bonorum generatim permittitur simpliciter professis p. 320; negatur solemniter professis 326; exceptiones huic duplici regulae 328 et 415; proprietas legalis bonorum 335. In Societate ad quem pertineat proprietas bonorum communitatis 461 et 465.

Provinciae, earum erectio p. 627; quid de ea Institutum statuat 633.

Puerorum et rudium instructio in doctrina christiana est ministerium S. I. proprium p. 597.

Quaestuatio. Leges Ecclesiae circa religiosorum quaestuationem p. 757; quomodo in hoc pendeant ab Episcopis *ibid.*

Quarta funeralis, quid sit 896; quando et cui solvenda 896.

Ratio conscientiae p. 943; in Societate 593.

Rationes reddendae constituunt impedimentum ad ingrediendum Religionem 63; procuratores et Superiores rationem reddere debent suae administrationis 968.

Redditus annui scholasticorum: obligatio eos distribuendi, et licentia ad hoc necessaria p. 401; quomodo distribuendi 402; Superiores de eis disponere nequeunt 402; domus professae nullos redditus habere possunt 437, 441; collegia habere possunt 444, etiam ad sacristiam 447.

Regimen Regularium duplex: internum p. 935 et externum 989. Suprema potestas est in Capitulo generali 940. Forma regiminis triplex: collegialis, singularis seu monarchica, mixta 940. — Regimen *Societatis* 993: Societas plena potestate iurisdictionis gaudet 995, potestate legifera 996, potestate iudiciaria et coercitiva 997, facultate absolvendi subditos 998, dispensandi in genere 1006, specialiter in irregularitatibus 1007, a poenis 1008, a votis *ibid.*

Regula, quid sit p. 31; quomodo differat a constitutionibus 31; de obligatione servandi regulam 226; quinam ad regulam servandam teneantur 226; an novitii 227; huius obligationis natura et gravitas 227; an regulae sub voto obedientiae cadant 227, 495; an obligent ad culpam seu sub peccato 228; de contemptu regulae 229; observatio formalis regulae habet meritum obedientiae 230; a regulae observantia excusant dispensatio, impotentia, epikeia, desuetudo 230; relaxatio regulae et reformatio post relaxatam regulam, quinam ad eam obligentur 231; quomodo regulae servari debeant a Regulari ad Episcopatum promoto 252, a saeculariza to 263, ab eiecto 278. Praecepta debent esse secundum regulam 492; praecepta supra et infra regulam 492; potestas dispensandi a regula 946.

Regulae *in Societate* 236; ad peccatum per se non obligant 236; dispensatio a regulis, quando Superior eam concedere possit 236; dispensatio illegitima est etiam invalida 237; regulae generales socios omnes obligant 237; quisnam in Societate regulas condere valeat 238; regularum communium observatio in Societate 594.

Relaxatio Regulae triplex p. 232; reformatio post relaxationem 231; quinam ad reformationem obligari possint 232.

Religiones, Congregationes, Instituta religiosa, pia Instituta, quomodo inter

se distinguantur p. 20. Variae Religiones 24, quomodo dividantur 25; Religiones contemplativae, activae, mixtae 25; eremeticae et coenobiticae 26; clericales et laicales 26; arctiores et laxiores 27; mendicantes et non mendicantes 27; hierarchice constitutae aut non 30; exemptae aut non 30. — Rom. Pont. est supremus omnium Religionum Superior 23.

Religiosi: quinam dicantur religiosi p. 20; religiosi stricte dicti seu Regulares 20; religiosorum obligationes, varii earum fontes 215; obligatio tendendi ad perfectionem (vide *summ. cap.* VI, 216).

Reliquiae, an cadant sub voto paupertatis p. 342; an alienari possint 342; Regulares Episcopis subiacent quoad expositionem novarum reliquiarum 747.

Renovatio votorum p. 214; eius ritus 214; in Societate praescribitur bis quotannis 593, atque vim habet primae nuncupationis 215: an communiter ita res se habeat 180.

Renuntiatio bonorum (vide v. *Bonorum renuntiatio*). Renuntiatio donationum an paupertatis voto adversetur 361; quem valorem habeat 362; an liceat absque beneplacito Apostolico 976.

Retributio scholarium in collegiis p. 452. Retributio pro lectionibus factis extra nostra collegia 454; pro ministeriis (vide v. *Stipendium*).

Reus (vide v. *Iudicium*). Coram quo iudice vocandus p. 1053; quando a iudice citandus 1076; quomodo examinandus *ibid.*; utrum reus legitime interrogatus veritatem confiteri teneatur 1078; rei defensio 1081; quibus modis fiat *ibid.*

Revalidatio professionis invalidae p. 178; an fiat per professionem tacitam 179; an communiter per renovationem votorum 180: quid in Societate 214; an praerequiratur cognitio nullitatis 179; reclamatio contra validitatem professionis 181.

Romanus Pontifex est supremus omnium Religionum Superior p. 22, 990; eius approbatio necessaria ad Religionem constituendam 13; an possit professos obligare ad reformationem 232. Censurae et casus R. P. reservati, an Regulares ab eis absolvere possint 907, 957, 958: privilegia Societatis 923.

Sacramenta. Eorum administratio est ministerium S. I. proprium p. 598; Regulares delinquentes in administratione cuiuslibet sacramenti Episcoporum correctioni subiacent 740; Regulares quoad sacramentorum administrationem 834, Eucharistiae 840, Poenitentiae 861, Extremae Unctionis 880, Baptismi et Matrimonii 881.

SS. Sacramentum (vide v. *Eucharistia*). Expositio et benedictio SS. Sacramenti in ecclesiis Regularium 845; processio SS. Sacramenti Regularibus permissa 752.

Saecularizatio, quid sit p. 256; perpetua et ad tempus 256; utriusque saecularizati (in perpetuum et ad tempus) conditio 256, iura 259, et obligationes 260; indulta saecularizationis 258; reditus saecularizati ad suam Religionem 263. Quid in Instituto S. I. de saecularizatis tempore suppressionis 294.

Sanctum Officium. Decreta super causis ad S. O. pertinentibus p. 562; obligatio denuntiandi S. Officio 562.

Schisma, impedimentum ad statum religiosum p. 44; essentiale ad ingrediendam Societatem 84; impedimentum ut quis vocem passivam habeat in electionibus 1028.

Scholae *elementares:* Quoad eas

Regulares ab Episcopis dependent p. 759. — Scholae *publicae*, ministerium Societatis 599.

Scholares (vide v. *Convictores*).

Scholastici: classem seu gradum in Societate constituunt p. 192; scholasticorum vota: eorum conditiones et ritus 209, effectus 210; quis ad ea admittat 198; quartum votum scholasticorum, ingrediendi Societatem 529; scholasticorum paupertas 393, 416; an nova bona sibi acquirere possint 394; an ad hoc licentia indigeant 397; quando bona sua abdicare debeant 397; eorum confessarius 1003; ordinatio 210. An egredi valeant propter necessitatem parentum 213; an propter eamdem dimitti valeant 214.

Seminaria. Regulares nequeunt absque venia S. Sedis praefici seminariis p. 794: quid in Societate de hac cura statutum fuerit 817.

Sententia definitiva in iudicio, quando et quomodo pronuntianda p. 1083; necesse est eam intimare *ibid.*; appellatio ab ea 1084; sententia declaratoria an sit necessaria ad poenam incurrendam 1095; sententia declaratoria criminis et poenae *ibid.*; quisnam sententiam declaratoriam ferre debeat et quandonam 1100.

Sententiati a S. Officio nequeunt ad Superioritates promoveri 1028.

Sepultura (vide v. *Funus*).

Servitium militare: an interrumpat novitiatum p. 128; quandonam ad vota admitti possint ii qui servitio militari sunt obnoxii 129: quid in Societate de hoc statutum fuerit 129; ordinatio Regularium qui sint servitio militari obnoxii 813.

Simonia in electionibus p. 1041; impedimentum est ut quis vocem passivam in electionibus habeat 1028.

Societas Iesu est vera et stricte dicta Religio p. 33; variae eiusdem approbationes 33 et 38; omnes eius socii post vota biennii sunt veri et stricte dicti religiosi 20 et 36; est exempta 36; est ordo mendicans 37; finis secundarius Societatis 39; praecipua media quibus utitur 40; speciale votum obedientiae Rom. Pontifici 40; est Religio mixta (contemplativa et activa) 41; obligationes quae religiosis Societatis ex Instituto proveniunt (vide *summ. cap.* XII, p. 582). Privilegia Societatis 674; Societas plena gaudet potestate iurisdictionis 995, potestate legifera 996, iudiciaria et coercitiva 997, potestate absolvendi subditos in foro poenitentiae 998; dispensandi in genere 1006, in irregularitatibus 1007, a poenis 1008, a votis *ibid.* Regimen Societatis monarchicum 993; bonorum temporalium dominium et administratio in Societate 1009; nominatio Superiorum 1011.

Sodalitates B. M. V. et Bonae Mortis (vide v. *Congregationes*).

Solemnitas votorum: in quo consistat p. 311; an requiratur ad statum religiosum 17; an ut quis sit stricte Regularis 18 (vide v. *Professio solemnis*).

Solemnitates in erectione novae domus adhibendae 512; solemnitates in alienationibus 974.

Status religiosus (vide *summ. cap.* I p. 1). Prima idea status religiosi p. 1; distinctior eiusdem definitio 16; est status perfectionis acquirendae 2; quatuor requisita ad statum relig.: observatio consiliorum 3, vota et quidem perpetua 8, approbatio Ecclesiae 12, vita communis 15; an solemnitas votorum requiratur 17; quisnam est auctor status religiosi 23; excellentia status religiosi 9 (*nota* c); impedimenta ad statum religiosum (vide *summ. cap.* II, p. 42); impedimenta iuris naturalis et

iuris ecclesiastici 43; irritantia et mere prohibentia 43; requisita ad ingressum in statum religiosum (vide *summ. cap.* III, p. 100); obligationes status religiosi ex legibus Ecclesiae (vide *summ. cap.* XI, p. 530); ex proprii Instituti legibus (vide *summ. cap.* XII, p. 582).

Stipendium pro ministeriis in Societate p. 423; pro missis 433; statuto Episcopi stipendia missarum taxantis Regulares obedire tenentur 764; decreta de stipendiis missarum 564.

Studia in Societate a Superioribus unicuique determinanda p. 588.

Subornatio in electionibus p. 1040.

Suffragium. Simpliciter professi suffragium habent in capitulis cum aliquibus restrictionibus p. 185; in electionibus Regularium suffragia debent esse secreta 1033, 1035; ad electionem alicuius requiritur maior pars absolutæ suffragiorum 1037; suffragia infirmorum 1025; collatio suffragiorum 1037.

Superiores (vide *summ. cap.* XXI, p. 935). Qui sint Superiores, p. 936; duplex eorum potestas: dominativa et iurisdictionis 936; triplex ius Superioris: praecipiendi, inquirendi et puniendi 941 (vide v. *Potestas dominativa* et *Iurisdictio*); eius obligationes 979: circa curam animarum suorum subditorum 979; circa professionem fidei 979; circa missae applicationem 980; circa visitationem domorum 981; alia officia 983; obligatio circa annuam lectionem decretorum pro Regularibus 983. Amissio potestatis et officii 988.

In Societate Superiorum nominatio 1011; eorumdem potestas 1012; de triennio Superiorum, *ibid.*; quid requiratur ut in Societate aliquis Superior esse possit 1013; quis Generali, Provinciali, Superiori locali mortuo succedat 1014.

Suspensio ex informata conscientia: Praelatis regularibus licet ea uti in suos subditos p. 1058. Suspensiones Regularibus propriae 1106.

Sustentatio. Dimissis Societas non debet sustentationem 305, nec propter ordines sacros in Societate receptos 821; religiosus ius habet ad sustentationem 165; in missionibus, viris religiosis curam animarum exercentibus debetur sustentatio ex contributionibus fidelium 902; an in Societate, eleemosynam pro sustentatione post ministeria acceptare liceat 423-433; sustentatio in collegiis ex pensione convictorum et ex retributione scholarium, 452.

Synodus. Regulares quoad assistentiam synodo dioecesanae p. 767.

Testamentum. An liceat religioso testamentum condere p. 369, esse executor testamenti 553; an renuntiatio bonorum fieri possit per testamentum 370: an id permittatur in Societate 404. Testamentum in Institutis votorum simplicium 321 (*nota* f).

Testis. Depositio testium facit probationem in iudicio p. 1071; varia de testibus notanda 1072; vis probationis ex testium depositione 1073.

Traditio religiosi Religioni quam amplectitur p. 16; debet esse perpetua et absoluta 21, sed acceptatio ex parte Religionis potest esse conditionata 21; traditio professioni adnexa est 165.

Transitus ad aliam Religionem p. 241. Ius naturale quid prohibeat, quid permittat 241; varia Iuris ecclesiastici statuta super transitu 242; transitus ad laxiorem Religionem 243; ad aeque strictam 244; prohibitus est transitus ad Ordines militares et hospitalares; item ad eos in quibus non viget regularis observantia

244; transitus a laxiori ad strictiorem 245; transitus ad Carthusianos 245; conditiones sub quibus permittitur transitus 248; generaliter requiritur licentia S. Sedis 246; variae Iuris dispositiones circa transeuntes 247; privilegium aliquarum Religionum transitum prohibens 245. Transcuntes ex mendicantibus ad non mendicantes ad Superioritates promoveri nequeunt 1029.

In Societate, post vota biennii transitus nemini licet sine licentia Pr. Generalis 211, 291; Praepositus Generalis potest permittere transitum, etiam professo, et ad Ordinem laxiorem 292.

Universitates. Statuta de universitatibus frequentandis p. 554. Societas universitatum curam ex Instituto suscipere potest 600.

Usus rerum, debet esse statui paupertatis conformis p. 353, sive quoad dependentiam 356, 366, sive quoad res ipsas 356.

Viaticum: an Regulares illud ministrare possint saecularibus p. 880, familiaribus 884, convictoribus 886, hospitibus 888, confratribus extra claustra degentibus 881.

Vicarius generalis Regularis nequit nominari p. 790. — Vicarius *parochialis* in ecclesiis Regularium: eius nominatio et revocatio p. 732.

Vinculum inter Religionem et solemniter professum p. 165, 188; relaxari aut solvi potest variis modis 241.

Visitatio domorum est obligatio Superiorum maiorum exemptorum p. 981.

Vita communis, in quo consistat p. 342; quomodo peculium ei opponatur 342; statuta a Tridentino 344; a Clemente VIII decr. *Nullus* 347; schema C. Vaticani 349; quid in *Normis* a. 1901, 349. Statuta in Societate circa eam 418.

Vita religiosa: leges Ecclesiae circa eam (vide *summ. cap.* XI, p. 530).

Vitalitia: an et qua ratione religioso sunt permissa p. 351.

Vota religiosa. Vota paupertatis, castitatis et obedientiae sunt essentialia ad statum religiosum p. 8; debent esse perpetua 9, externa 10, ab homine nomine Dei acceptata 10; vota specialia his superaddita 11; an solemnitas votorum requiratur ad statum religiosum 17, vel ut quis fiat Regularis 18; vota solemnia et simplicia 310; in quo consistat solemnitas votorum 311; quaenam vota ab Ecclesia ceu solemnia habeantur 316; de natura votorum Religionis 309; an actus interni sint materia votorum Religionis 317; an frequens votorum transgressio habeat malitiam specialis peccati 224. Votorum simplicium religiosorum dispensatio 253; votorum solemnium dispensatio a R. P. 254; quomodo vota Religionis servari debent a Regulari ad Episcopatum promoto 251, a saecularizato 260, ab eiecto ex Ordine 276; an votorum emissio invalida revalidetur per renovationem votorum 180. Vota specialia in Religionibus 507. Vota devotionis 162. Vota in articulo mortis 122 et 154. Votorum renovatio 214, eius ritus 214; duplex diversa renovatio 215.

Vota *in Societate:* eorum diversitas 191; vota simplicia scholasticorum et coadiutorum sunt perpetua sed conditionata 194; sunt substantialia vota Religionis et faciunt vere ac proprie religiosum 195; quo sensu vota scholasticorum non fiunt in manu alicuius 196; conditiones et ritus emissionis votorum professorum 199, 203, coadiutorum formatorum 207,

scholasticorum 209; effectus votorum post biennium 210. — Votorum renovatio in Societate vim habet primae nuncupationis 215; praescribitur bis quotannis 593. — Vota specialia in Societate 521; quartum votum solemne professorum 521; eorum quinque vota simplicia 523; quartum votum scholasticorum 529.

Vota non religiosa 1° *Regularium:* eorum irritatio a Praelatis regularibus 501; an valeant vota sine Praelati licentia facta 499; Praelati possunt irritare indirecte vota novitiorum 141; cessatio aut suspensio votorum per ingressum in Societatem 158, eorum reviviscentia per egressum 158, commutatio in tria vota biennii 212; effectus professionis circa vota eam praecedentia 186; eadem vota irritari possunt a Praelato 186; privilegium Praelatorum regularium dispensandi subditos a votis aut ea commutandi 947.

2° Vota *saecularium:* facultas dispensandi et ea commutandi 913; vota quae reservantur 915; privilegia Societatis 925; an dispensatio aut commutatio fieri possit extra confessionem 915; facultas dispensandi coniuges a voto castitatis ad petendum debitum 917, 926.

CANONES

E CODICE IURIS CANONICI

EXCERPTI

CUM BREVIBUS ADNOTATIONIBUS

AD USUM PRIVATUM PATRUM SOCIETATIS IESU

EXCERPSIT ET ADNOTAVIT

E. FINE S. I.

ROMAE

APUD P. PROCURATOREM GENERALEM

1918

Visum est excerptos canones in tres classes distribuere:

I. Canones de Religiosis.

II. Canones Confessariis aliisque Sacrum ministerium exercitantibus magis utiles.

III. Canones ad usum maxime Superiorum.

(Insuper canones 1° et 2° loco recensitos tenere debent).

N. B. Aliqui canones indicantur tantum, sed, brevitatis causa, non ex integro transcribuntur. Eos ita indicatos facile erit, si opus fuerit, in Codice reperire.

Canones plerumque ad verbum dantur, ut sunt in Codice; paucis exceptis, qui tunc intra uncinos includuntur.

Cum varia quaesita ad Commissionem Codicis interpretem, de sensu aut praxi canonum sint iam proposita, et alia sine dubio proponentur, responsis attendendum erit, et, si opus fuerit, animadversiones hic canonibus appositae erunt corrigendae.

Simile quid dicendum est de privilegiis nostris in animadversionibus allegatis. Hic enim privilegia nostra ut nunc exstant afferuntur. Sed cum Ordines et Congregationes religiosae, ex mandato S. Congregationis de Religiosis, debeant huic S. Congregationi sua privilegia subiicere, fieri poterit ut aliqua ex nostris privilegiis sint ex Compendio expungenda.

I. — CANONES DE RELIGIOSIS.

canon **488**. [Quid sit Religio, Ordo, Congregatio, Religiosus, Regularis].

5º Domus formata est domus religiosa in qua sex saltem religiosi professi degunt, quorum, si agatur de religione clericali, quatuor saltem sint sacerdotes.

8º Nomine Superiorum maiorum veniunt Supremus religionis moderator, Superior provincialis, eorum vicarii, aliique ad instar provincialium potestatem habentes (ut sunt Superiores totius Missionis).

c. **489**. Regulae et particulares constitutiones singularum religionum canonibus Codicis contrariae abrogatae sunt.

Attamen si aliquae regulae aut constitutiones speciali S. Sedis approbatione, — qua indigebant, quia erant communi iuri tunc vigenti contrariae, — fuerunt sancitae: approbatio huiusmodi verum privilegium continet. Ideo hae leges et constitutiones per Codicis canones non revocantur, nisi contineant clausulam privilegiorum revocativam. Ita enim statuitur can. 4.

c. **491**. [Regulae de praecedentia inter varios religiosos]. Clerus saecularis praecedit religiosis extra eorum ecclesias; capitulum cathedrale vel collegiale, ubique.

Erectio provinciae, domus.

c. **494**. Condere novas provincias, eas supprimere, coniungere aut dividere, ad unam pertinet Sedem Apostolicam.

c. **497**. § 1. Ad erigendam domum religiosam exemptam, sive formatam sive non formatam, requiritur beneplacitum S. Sedis et Ordinarii loci consensus in scriptis datus.

Non videmur habere privilegium, quo ab hoc canone eximamur (Cf. *Comp. Priv.* n. 17, § Verum utraque, et n. 90).

c. **497**. § 2. Constituendae novae domus permissio facultatem secum fert, pro religionibus clericalibus, habendi ecclesiam vel publicum oratorium domui adnexum, salvo praescripto can. 1162 § 4, et sacra ministeria peragendi, servatis de iure servandis; (praeterea) pia opera exercendi religionis propria, salvis conditionibus in ipsa permissione appositis. — Can. 1162 § 4 habet: Etiam sodales religiosi, licet consensum constituendae domus in dioecesi vel civitate ab Ordinario loci retulerint, antequam tamen ecclesiam vel oratorium publicum in certo ac determinato loco aedificent, Ordinarii licentiam obtinere debent.

Scilicet, facultas data ab Episcopo domum erigendi secum fert, ut dicitur, facultatem habendi ecclesiam aut oratorium publicum; quod nihilominus aedificari nequit in loco determinato absque nova Ordinarii loci facultate. Unde practice locus ad ipsam domum erigendam fere semper erit ab Episcopo approbandus, ne postea exsurgant difficultates. — § 3 eiusdem can. 1162 dicitur: Ne nova ecclesia ceteris iam existentibus detrimentum afferat, maiore fidelium spirituali utilitate non compensatum, Ordinarius, antequam consensum praebeat, audire debet vicinarum ecclesiarum rectores, quorum intersit. Hic canon autem adhuc gravior evadit, si attenditur ad canonem 1676. (Cf. Epistolam P. Generalis ad Praep. Provinciales 17 aprilis 1918, n. 1).

Quoad facultatem exercendi opera propria religionis, ponitur conditio « servatis de iure servandis ». Ideo facultas praedicandi ab Ordinario loci impetranda est, iurisdictio ab eodem obtinenda ad audiendas confessiones, etc.

c. **497**. § 3. Ut aedificentur et aperiantur schola, hospitium vel similis rationis aedes separata a domo etiam exempta, necessaria est et sufficit specialis Ordinarii (loci) scripta licentia.

c. **497**. § 4. Ut constituta domus in alios usus convertatur eaedem solemnitates requiruntur, de quibus § 1, nisi agatur de conversione quae, salvis fundationis legibus, ad internum regimen et disciplinam religiosam dumtaxat referatur.

Ideo non licet residentiam in collegium mutare aut vice versa; sed licebit, v. g., novitiatui adiungere Rhetoricae cursus pro nostris scholasticis, etc.

c. **498**. Domus religiosa, sive formata sive non formata, si ad religionem exemptam pertineat, supprimi nequit sine beneplacito apostolico.

Privilegium contrarium non habemus.

De Superioribus.

c. **501**. § 1. Superiores et Capitula (Congregationes generales), ad normam constitutionum et iuris communis, potestatem habent dominativam in subditos; in religione autem clericali exempta, habent iurisdictionem ecclesiasticam tam pro foro interno, quam pro externo.

Hoc valet pro omnibus Superioribus, etiam localibus, non pro ministris.

c. **501**. §. 2. Superioribus quibuslibet districte prohibetur quominus in causis ad S. Officium spectantibus se intromittant.

Vide declarationem in Comp. Priv. n. 87.

c. **503**. Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis possunt notarios constituere, sed tantum pro negotiis ecclesiasticis suae religionis (De officio horum notariorum eorumque auctoritate cf. can. 373 et 374).

c. **504**. [Declarantur inhabiles ad munus Superioris maioris, qui non sunt ex legitimo matrimonio nati].

Sed habemus contrarium privilegium tum a Paulo III C. « Licet debitum » (Bull. p. 18[2]), tum a Leone XII Brevi « Plura inter » (Bullar. p. 352[1]) concessum.

[Aliae etiam conditiones aetatis et vitae religiosae statuuntur].

c. **505**. Superiores minores locales ne constituantur ad tempus ultra triennium; quo exacto, possunt ad idem munus iterum assumi, si constitutiones ita ferant; sed non tertio immediate in eadem domo religiosa.

Sed habemus privilegium a Paulo V concessum (Bull. p. 135[1]): Uti perturbatores Societatis habet qui « contra liberam et *sine ulla triennii aut certi temporis praefixione* Superiorum localium gubernationem.... quomodolibet machinari ausi fuerint ». Haec Bulla non est mera Constitutionum approbatio et confirmatio; sed exprimit gratiam a S. Sede concessam. Nam omnibus quae in ea continentur Pontifex « Sedis Apo-

stolicae robur adiicit, eaque omnia et singula innovat et de novo concedit » (p. 134[2]). — Quamvis autem hic canon nos non urgeat, Rectores et Superiores, nisi graves obstent rationes, saltem post sexennium mutentur, iuxta repetitas PP. Generalium commendationes (Epistola P. Generalis ad Provinciales die 17 aprilis 1918, n. 6).

c. **508**. In sua quisque domo Superiores commorentur, nec ab eadem discedant nisi ad normam constitutionum.

c. **509**. [Tria commendantur Superioribus]:

1° Omnis Superior debet notitiam et exsecutionem decretorum S. Sedis, quae religiosos respiciunt, suos inter subditos promovere.

Ad hoc conducet si nova decreta huius rationis legantur in mensa et deinde in collationibus casuum accuratius expendantur.

2° Curet ut saltem semel in anno publice legantur propriae constitutiones, itemque decreta quae publice legenda S. Sedes praescribet.

Quoad Constitutiones scriptum fuit, interim sufficere menstruam regularum lectionem (Epistola P. Generalis 17 aprilis 1918, n. 28).

3° Ut saltem bis in mense christianae catechesis habeatur instructio pro conversis (FF. Coadiutoribus) et familiaribus, audientium conditioni accommodata.

c. **511** et **513** [de annua domorum visitatione a Superioribus maioribus].

c. **514**. 1) [Definitur qui sint familiares; sc. sunt « in religiosa domo diu noctuque degentes causa famulatûs, aut educationis, aut hospitii aut infirmae valetudinis »).

Vox *familiaris* tamen in Codice non adhibetur.

[His aegrotantibus] ius et officium est Superioribus viaticum et extremam unctionem ministrandi.

Aliis canonibus alia iura Superioris circa eos declarantur.

c. **516-517**. [De consultoribus et procuratoribus in toto ordine, ac in singulis provinciis et domibus].

Confessio.

c. **518**. § 1. In singulis Religionis clericalis domibus deputentur plures pro sodalium numero confessarii legitime approbati,

cum potestate, si agatur de Religione exempta, absolvendi etiam a casibus in Religione reservatis. — § 2. Superiores religiosi, potestatem audiendi confessiones habentes, possunt, servatis de iure servandis, confessionem audire subditorum qui ab illis sponte sua ac motu proprio id petant; at sine gravi causa id per modum habitus ne agant. — § 3. Caveant Superiores ne quem subditum aut ipsi per se aut per alium vi, metu, importunis suasionibus aliave ratione inducant ut peccata apud se confiteatur.

[Canon iste completur can. 873 § 2 et 875 § 1].

Can. 873 § 2. Ordinaria iurisdictione ad confessiones excipiendas gaudent Superiores religiosi exempti pro suis subditis ad normam constitutionum.

Can. 875 § 1. In Religione clericali exempta, ad recipiendas confessiones professorum, novitiorum, aliorumve de quibus in can. 514 § 1 (sc. familiarium), iurisdictionem delegatam confert quoque proprius eorumdem Superior ad normam constitutionum. Cui fas est eam concedere etiam sacerdotibus e clero saeculari aut alius Religionis.

c. **519**. Firmis constitutionibus quae confessionem statis temporibus praecipiunt vel suadent apud determinatos confessarios peragendam, si religiosus etiam exemptus, ad suae conscientiae quietem, confessarium adeat ab Ordinario loci approbatum, etsi inter designatos non recensitum, confessio, revocato quolibet contrario privilegio, valida et licita est; et confessarius potest religiosum absolvere etiam a peccatis et censuris in Religione reservatis.

P. Generalis, in epistola 19 mart. 1918, de can. 518, § 1 haec habet: Res est clara: Omnes confessarii a Superioribus legitime designati ad audiendas confessiones Nostrorum, habent, vi huius canonis, facultatem absolvendi ab omnibus casibus in Societate reservatis, sive casus Superiori immediato, sive Superioribus maioribus reserventur. Iurisdictio his confessariis, ut antea, a Superioribus religionis datur, neque necesse est ut ab Ordinario loci approbentur. Poterunt praeterea, vi facultatis quam nunc ipse iis concedo, omnes Nostros etiam ex alia domo vel provincia valide et licite absolvere.

De canone 519 autem adnotat 1°: Proinde Nostri quoque omnes, qui non sint confessarii designati, dummodo tamen hi sint in dioecesi approbati, sciant se valide et licite posse audire confessiones omnium Nostrorum qui ipsos adeant, eosque a reservatis in Societate absolvere. Ad-

notat 2°: Attamen cum facultas adeundi quemcumque confessarium ab Ordinario approbatum, religioso solummodo concedatur *ad suae animae quietem*, simul hoc decreto confirmantur constitutiones de confessione statis temporibus *apud determinatos confessarios* peragenda. Praeterea *quisque suum stabilem habeat confessarium.*

Tandem, ad § 2 canonis 518 tria haec adnotat: 1° Superiores tunc tantum subditorum confessiones licite excipere possunt, cum hi sponte sua ac motu proprio id petant; 2° Ad subditi autem sic sponte accedentis confessionem audiendam singularis causa non requiritur, si id fiat in casibus particularibus et non per modum habitus; sed 3° ut confessionem alicuius subditi accipiant habitualiter, adesse debet gravis causa.

Ratio conscientiae.

c. **530**. § 1. Omnes religiosi Superiores districte vetantur personas sibi subditas quoquo modo inducere ad conscientiae manifestationem sibi peragendam.

c. **530**. § 2. Non tamen prohibentur subditi quominus libere et ultro aperire animum suum Superioribus valeant; imo expedit ut ipsi filiali cum fiducia Superiores adeant, eis, si sint sacerdotes, dubia quoque et anxietates suae conscientiae exponentes.

Pater Generalis, in epistola 19 mart. 1918, de hoc can. 530 haec quatuor adnotat: 1° Omnes intelligant per novam Ecclesiae legem Superiores iam non posse exigere a subditis suis rationem conscientiae, neque ullo modo iisdem licere subditos inducere ut eam sibi reddant. — 2° Manet facultas integra rationem conscientiae Superiori *libere ac ultro* reddendi, idque non solum ut res bona permittitur, sed verbis claris commendatur. — 3° Manet unicuique obligatio vi regulae animum suum aperiendi, praesertim statis temporibus, sive patri spirituali sive confessario, sive, si id libere et ultro facere voluerit, Superiori. — 4° Pia praxis animum filiali fiducia aperiendi Superioribus etiam in posterum laudari et commendari potest, cum in privatis colloquiis tum in publicis exhortationibus.

Bona temporalia.

c. **531**. Non modo religio, sed etiam provincia et domus sunt capaces acquirendi et possidendi bona temporalia cum reditibus stabilibus seu fundatis, nisi earum capacitas in regulis et constitutionibus excludatur aut coarctetur.

In Societate sola collegia ac domus probationis bona stabilia et reditus habere possunt; aliae domus, provinciae, missiones possunt quidem eleemosynas recipere, et etiam bona immobilia, sed haec retinere nequeunt, nec ullos reditus habere (Cf. Ordinationem P. Martin).

c. **534**. [Alienatio bonorum]. — I. Firmo praescripto can. 1531, si agitur de alienandis rebus pretiosis, aliisve bonis quorum valor superet summam 30000 francorum seu libellarum, vel de contrahendis debitis aut obligationibus ultra 30000 fr., contractus vi caret nisi beneplacitum apostolicum antecesserit. — [Praeterea servari debet praescriptum canone 1531. Porro iste canon exigit: *a)* ut aestimatio rei alienandae fiat scripto a peritis probis, et res non minore pretio alienetur quam quod in aestimatione indicatur; *b)* ut alienatio fiat per publicam licitationem, aut saltem nota reddatur: — additur tamen « nisi aliud circumstantiae suadeant » ; *c)* ut pecunia ex alienatione percepta caute, tuto et utiliter in commodum (domus) collocetur].

II. Si non agatur de rebus pretiosis, et summa non superet 30000 fr., requiritur et sufficit licentia in scripto data Superioris ad normam constitutionum cum consensu sui Capituli seu Consilii per secreta suffragia manifestato.

N. B. 1. Quoad consensum consultorum, habebamus privilegium a Gregorio XIV C. « Ecclesiae catholicae » concessum, quo statuit « totam auctoritatem ad res et negotia definienda relinquendam esse Superioribus ad normam Constitutionum, ut S. Ignatius praescripsit » (Bull. p. 121[2]). Porro S. Ignatius noluit Consultores habere suffragium nisi consultivum, non deliberativum (Const. P. IX, c. VI, 11 et 14). Sed ex responso Commissionis Codicis 29 iunii 1918, etiam a nobis hac in re, exigitur consensus consultorum.

2. Quoad Superiorem competentem, declaratur in Ordinatione Patris Martin n. 39, pro expensis extraordinariis (et debitis contrahendis) quae excedunt 5000 fr., requiri consensum Praep. Generalis; pro expensis quae sint infra, requiri quidem, sed sufficere consensum Provincialis.

3. Res pretiosae, quas alienare non licet, definiuntur can. 1497 § 2: « quibus notabilis valor sit artis vel historiae vel materiae causa. — *Nota :* Res pretiosae alienari nequeunt absque licentia S. Sedis, etiamsi earum valor non attingat ad 30 millia fr. Hoc ex can. 1532 clare eruitur. Vide c. 2347 poenas quibus subiacent ii qui haec de alienatione statuta non observaverint.

c. **534**. § 2. In precibus pro obtinendo consensu ad contrahenda debita vel obligationes, exprimi debent alia debita vel obligationes, quibus religio vel provincia vel domus (quae contrahit) ad eum diem gravatur; secus obtenta venia est invalida.

c. **536**. [Statuitur quis tenetur de debitis ac obligationibus a religioso contractis, pro diversitate casuum]. — § 5. Caveant Superiores religiosi ne debita contrahenda permittant, nisi certo constet ex consuetis reditibus posse debiti foenus solvi, et intra tempus non nimis longum per legitimam amortizationem reddi summam capitalem.

c. **537**. Largitiones ex bonis domus, provinciae, religionis non permittuntur, nisi ratione eleemosynae vel alia iusta de causa, de venia Superioris et ad normam constitutionum.

Postulatus.

c. **539**. § 1. Conversi (FF. Coadiutores), antequam ad novitiatum admittantur, postulatum ad sex saltem integros menses peragant.

c. **539**. § 2. Superior maior praescriptum postulatus tempus potest prorogare, non tamen ultra aliud semestre.

c. **540**. Postulatus peragi debet in domo novitiatûs vel in alia domo ubi disciplina secundum constitutiones accurate servetur, sub speciali cura probati religiosi.

Societatem his duobus canonibus 539 et 540 obligari, non est dubium. (Cf. Epistolam P. Generalis 17 aprilis 1918, n. 3).

c. **541**. Postulantes, antequam novitiatum incipiant, exercitiis spiritualibus vacent per 8 saltem dies, et iuxta prudens confessarii consilium praemittant generalem anteactae vitae confessionem.

Novitiatus.

c. **542**. [Definitur quinam invalide, quinam illicite ad novitiatum admittantur. — Vide c. 2411 poenas in indebite admittentes. Notetur illicite, quamvis valide, admitti clericos in sacris constitutos inconsulto aut contradicente loci Ordinario. — Illicite etiam admittuntur « ad sacerdotium in religione destinati, a quo tamen removeantur irregularitate aliove canonico impedimento »].

Societas plura privilegia habet, quibus ingredientes vel ingressos ab irregularitatibus dispensare potest (Cf. Comp. Priv. nn. 164-170). Leo XII

concessit « ut irregulares, qui Societati dant nomen, nisi irregularitas sit ex homicidio voluntario, bigamia, mutilatione membrorum defectu animi, et infamia iuris vel facti, possint promoveri ad sacros ordines et ad quaecumque Societatis officia ». Ergo, nisi irregularitas esset ex casibus exceptis, hi irregulares admitti possunt. Idem dicatur de filiis acatholicorum. Ratio enim cur admitti nequeunt, est quia ad sacerdotium destinantur, a quo propter irregularitatem removentur: sublata ergo irregularitate, nulla est ratio cur iam admitti nequeant.

c. **543**. [Ad admittendum ad novitiatum et subsequentem professionem requiritur suffragium Consilii].

Commissio pro Codicis interpretatione 29 iun. 1918 declaravit Societatem in hac re non teneri ad requirendum votum deliberativum consultorum.

c. **544**. § 2. Adspirantes debent testimoniales litteras exhibere Ordinarii originis ac cuiusque loci in quo, post expletum 14^{um} aetatis annum, morati sunt ultra annum moraliter continuum, sublato quolibet contrario privilegio. (Huic canoni sine dubio subiicimur]. — Notatur tamen § 4. « Pro clericis admittendis, praeter testimonium ordinationis, sufficiunt litterae testimoniales Ordinariorum in quorum dioecesibus post Ordinationem ultra annum moraliter continuum sint commorati ».

Cf. Epistolam P. Generalis 17 aprilis 1918, n. 4.

[Eodem canone, § 1 ab adspirante exigi debet testimonium recepti baptismatis et confirmationis, et § 3 requiruntur litterae testimoniales rectoris Seminarii vel Collegii, in quo adspirans fuerit educatus vel etiam Superioris maioris religionis in quo forsan postulatum aut novitiatum fecerit].

In hoc canone dumtaxat in § 2 habetur clausula revocans contraria privilegia. Quare relate ad cetera praescripta canonis prae oculis habeatur privilegium contentum in supra memorato rescripto Pii IX.

c. **545**. [Statuitur quid Superiori sit faciendum, si responsum ab Ordinario loci aut nullum aut insufficiens acceperit: potest ipse supplere « per aliam accuratam investigationem ac fide dignam relationem ». Insuper, si nullum responsum acceperit, debet « de non accepta responsione S. Sedem certiorem reddere »].

c. **553**. Novitiatus incipit susceptione habitus vel alio modo in constitutionibus praescripto.

In Societate modus fuit praescriptus Congr. VII d. 98. « Biennium novitiatus incipit a die qua quis in Societatis domum a Provinciali probationem inchoaturus in Sociorum numerum admittitur ». Additur in decreto « in quacumque demum domo aut collegio id fiat »: sed hoc corrigi debet; nam nunc can. 555 praescribitur ut novitiatus fiat in domo Novitiatus.

c. **554**. § 1. Ad erigendam domum novitiatus, in religione iuris pontificii, necessaria est licentia Sedis Apostolicae. — § 2. Plures in eadem provincia domus novitiatus designari nequeunt nisi gravi de causa et cum speciali apostolico indulto. — § 3. Superiores in novitiatu ac studiorum domo ne collocent nisi religiosos qui sint ad exemplum regularis observantiae studio.

c. **555**. § 1. Ad validitatem, novitiatus peragi debet, 1° post completum 15^{um} aetatis annum, 2° per annum integrum et continuum, 3° in domo novitiatus.

Societas privilegium habet, quo novitios recipere potest ante annum 14^{um} completum, imo post annum 12^{um}, dummodo ad vota deinde non admittantur ante annum 16^{um} completum. Sed facultas recipiendi ante annum 15^{um} reservatur Generali (reg. Prov. 36), ita ut receptio antea facta sine Generalis facultate sit invalida, ex defectu potestatis in admittente.

c. **555**. § 2. Si longius tempus in constitutionibus pro novitiatu praescribatur, illud ad validitatem professionis non requiritur nisi in eisdem constitutionibus aliud expresse dicatur.

Biennium novitiatus ad validitatem in Societate requiri non est dubium (Congr. V, d. 12). Sed quoniam secundus annus non est de iure communi, sed de iure Societatis: ideo modus quo is secundus annus fieri debet solis Societatis legibus regitur, non autem Iuris communis praescriptis. Proinde, secundus annus extra Novitiatus domum partim aut integre peragi potest (Exam. gen. IV, 16), nec interrumpitur ad modum primi anni, ut statuitur in c. 556.

Quod ad primum annum, debet in domo novitiatus peragi, et esse integer et continuus. Ista continuitas iuxta modum in canone 556 expressum servari debet. — Quamvis ex constitutionibus non sit necesse novitiatum peragere in domo novitiatus, nec novitiatus censeatur interrumpi, si novitius debuerit a suo novitiatu recedere per aliquod tempus: attamen nullum habemus privilegium, quo ab his Codicis canonibus simus immunes.

Quidquid sit de quaestione controversa, utrum primus annus novitiatus interrumperetur per experimenta extra domum peragenda: attamen, donec quaestio authentice solvatur, his experimentis novitii non exerceantur primo novitiatus anno (Epist. Patris Generalis 17 aprilis 1918, n. 6).

c. **556**. § 1. Novitiatus interrumpitur, ita ut denuo incipiendus ac perficiendus sit, si novitius a Superiore dimissus e domo exierit, aut domum sine eius licentia non reversurus deseruerit, aut extra domum, etsi reversurus, ultra triginta dies sive continuos sive non continuos permanserit, quacumque ex causa, etiam de Superiorum licentia.

c. **556**. § 2. Si novitius ultra quindecim, sed non ultra triginta dies, etiam non continuos, de Superiorum licentia vel vi coactus extra domus septa permanserit sub Superioris obedientia, ad validitatem novitiatus necesse et satis est dies hoc modo transactos supplere. Si non ultra quindecim dies, supplementum potest a Superioribus praescribi, sed non est ad validitatem necessarium.

Notetur clausula « Sub Superioris auctoritate ». Unde si ultra quindecim dies permanserit Superioris auctoritati subtractus, v. g. ad militiam, novitiatus interrumperetur.

c. **556**. § 3. Superiores licentiam manendi extra septa novitiatus, nisi iusta et gravi de causa, ne impertiant.

c. **556**. § 4. Si novitius a Superioribus in aliam novitiatus domum eiusdem religionis transferatur, novitiatus non interrumpitur.

c. **558**. In religionibus in quibus duae sunt sodalium classes, novitiatus pro una classe peractus, pro altera non valet.

Hoc canone supprimi videtur classis Indifferentium, de qua in Examine generali c. I, n. 11.

c. **559**. [De dotibus Magistri Novitiorum, eiusque Socii. — § 3 praescribitur]: Uterque ab omnibus officiis oneribusque vacare debet, quae novitiorum curam et regimen impedire valeant.

Cf. Epistolam P. Generalis ad Praep. Provinciales, 17 aprilis 1918, n. 2.

c. **561**. [de auctoritate Magistri novitiorum in novitios].

c. **563**. [de relatione a Magistro novitiorum de suis novitiis ad Superiorem facienda].

c. **564**. [Statuitur perfectam separationem novitiorum a religiosis professis esse stabiliendam in domo novitiatus].

c. **565**. [§ 1 de Novitiorum institutione; — § 2 de doctrina christiana conversis explicanda; — § 3 de occupationibus quibus Novitii non sunt applicandi].

Qua ratione hic canon executioni mandandus sit satis explicatur in epistola R. P. Generalis ad Provinciales die 17 aprilis 1918.

c. **566**. de confessariis Novitiorum.

Salvo praescripto can. 519 (sc. Novitii, ut caeteri religiosi, ad suae conscientiae quietem, confiteri possunt apud quemcumque Sacerdotem ab Ordinario loci approbatum, ab eoque absolvi etiam ab omnibus casibus in Ordine reservatis):

1° Pro novitiorum numero unus vel plures habeantur ordinarii confessarii, salvo praescripto canonis 891.

P. Generalis, in epist. 31 iul. 1918, habet: « Communi iure stabimus in iis quae spectant Novitiorum confessiones. Visum quidem fuerat gravibus quibusdam Patribus, per privilegium ab Urbano VIII concessum (Brevi *Exponi nobis*, 31 aug. 1635) eximi nos can. 891, quo sancitur: Magister novitiorum eiusque socius.... confessiones suorum alumnorum secum in eadem domo commorantium ne audiant, nisi alumni ex gravi et urgente causa in casibus particularibus sponte id petant. — Attamen mente Apost. Sedis diligentius explorata, re etiam cum PP. Assistentibus aliisque iuris nostri peritis collata, ac diu coram Domino perpensa, censuimus magis convenire ut nos ad canonem quoque illum 891 ex toto accommodaremus. Dissentit hoc quidem ab usu Societatis antiquissimo, quem Ecclesia prorsus approbaverat; sed disciplinam suam hac in re Ecclesia mutavit; et caeteroquin animadvertendum est S. Ignatium in Constitutionibus minime praecepisse ut Novitiorum confessarius idem esset qui Magister. (Const. p. III, c. 1, n. 12: cf. Reg. Mag. Nov. 17).

3° Praeter confessarios ordinarios, designentur aliqui confessarii, quos Novitii in casibus particularibus adire libere possint, nec Magister aegre id se ferre demonstret.

4° Quater saltem in anno, detur Novitiis confessarius extraordinarius, ad quem omnes accedant saltem benedictionem recepturi.

c. **567**. § 1. Novitii privilegiis omnibus ac spiritualibus gratiis religioni concessis gaudent; et si morte praeveniantur, ad eadem suffragia ius habent quae pro professis praescripta sunt.

c. **567**. § 2. Ad ordines, durante novitiatu, ne promoveantur.

c. **568**. [Declaratur invalida quaecumque renuntiatio aut obligatio bonorum vel beneficiorum tempore novitiatus].

Videtur quod ratione privilegii tridentini (sess. XXV d. 16 de Regul.) et collato Exam. gen. IV, 2, non esset invalida renuntiatio facta cum licentia Superiorum post primum annum novitiatus.

c. **569**. [De administratione, usu et usufructu bonorum, quorum religiosus servat proprietatem].

Quoniam canon clausulam habet: « nisi constitutiones aliud ferant », servandum est decr. 17 Congr. VII.

c. **571**. [§ 2 statuitur: si dubium de idoneitate Novitii, finito noviatu supersit, novitiatus prorogari potest, « non tamen ultra sex menses »].

c. **571**. § 3. Votis nuncupandis spiritualia exercitia novitius praemittat, per octo saltem solidos dies.

Professio religiosa.

c. **572**. [Conditiones ad validitatem professionis].

Nota. In codice et in Iure ecclesiastico omnis nuncupatio votorum in Congregatione religiosa, vocatur professio, sive vota sint solemnia, sive simplicia, sive sint perpetua sive temporalia.

c. **573**. [Ad validitatem cuiusque professionis requiritur annus 16^{us} expletus].

In Societate Provincialis non potest permittere prima vota ante annum 17 expletum. (C. VIII, d. 35).

c. **572** § 2 et **574**. [Statuitur professio temporaria per triennium necessario emittenda ante quamcumque professionem perpetuam; secus invalida est professio perpetua. — C. 574 § 2 professio temporaria ad aliud triennium prorogari potest, non

ultra. — C. 573 professio perpetua emitti nequit ante annum 21^{um} expletum.].

Ex responso Commissionis Codicis 29 iun. 1918, Nostri huic canoni non subiacent, sed statim post biennium facere possunt, ut antea, vota perpetua.

c. **574**. Novitius post expletum novitiatum, in ipsa novitiatus domo debet vota emittere.

Forsitan non temere quis dixerit hac lege non teneri nisi eos qui unicum tantum novitiatus annum agunt; attamen donec omne dubium fuerit remotum, standum est legi communi, et vota post biennium in domo novitiatus emittantur (Epistola Patris Generalis 17 aprilis 1918, n. 7).

c. **575**. § 1. Suffragium Consilii pro prima professione temporaria est deliberativum.

Dubium esse poterat, utrum pro prima nostra professione (scilicet votis post biennium), quae non est temporaria, sed, ex responso Commissionis Codicis remanet perpetua, quamvis conditionata, necesse esset accederet suffragium Consultorum, et quidem deliberativum. Porro, perpensis Constitutionibus Societatis, in hoc a Gregorio XIV C. « Ecclesiae Catholicae » confirmatis, Commissio Codicis interpres d. 29 iun. 1918, respondit, in Soci etate votum deliberativum Consultorum requiri tantum in alienationibus bonorum et in dimissione sollemniter professorum, non autem in caeteris. Igitur, concludit P. Generalis, in epistola 31 iulii 1918, « ea necessitate nos liberi sumus, ubi agitur de tironibus prima vota edituris ».

c. **576**. § 1. In emittenda professione religiosa servetur praescriptus in constitutionibus ritus.

Ergo nihil immutari necesse est in emissione votorum post biennium de consueto nostro ritu.

c. **576**. § 2. Documentum emissae professionis ab ipso professo et saltem ab eo coram quo professio emissa est, subscriptum, servetur in tabulario religionis, et insuper, si agatur de professione solemni, Superior eam excipiens debet profitentis parochum baptismi de eadem certiorem reddere.

Secundum hoc praescriptum, formula tum votorum post biennium novitiatus, tum ultimorum votorum, servetur in archivo Provinciae subscripta a profitente et ab eo coram quo vota nuncupavit. Eodem modo subscribantur formulae professionis aut coadiutoris formati quae Romam mittuntur. (Epistola P. Generalis 17 aprilis 1918, n. 9).

c. **579**. Simplex professio, temporaria sit vel perpetua, actus votis contrarios reddit illicitos, sed non invalidos, nisi aliud expresse cautum sit.

In Societate aliud expresse cautum est, et igitur vi ipsius canonis servandum est. Nam 1°, ut omnes norunt, votum castitatis quod post biennium novitiatus emittitur, speciali privilegio a Gregorio XIII in Const. *Ascendente Domino* concesso, voventem ad contrahendum matrimonium inhabilem reddit. 2° Alio privilegio in eadem Const. expresso, Coadiutores formati omnes, sive spirituales sive temporales, voto simplici paupertatis quod emittunt, redduntur, ad normam Constitutionum, omnis haereditariae successionis incapaces, nihilque omnino proprii habere possunt; nec propter emissa huiusmodi vota simplicia publica, in illorum, sicuti nec in professorum bonis, domus ulla, vel ecclesia, aut collegium Societatis succedere potest. (Epistola P. Generalis 17 aprilis 1918, n. 11).

c. **580**. § 1. Quilibet professus a votis simplicibus, sive perpetuis sive temporariis, nisi aliud in constitutionibus cautum sit, conservat proprietatem bonorum suorum et capacitatem alia acquirendi.

In Societate, ut notum est, quisque bona sua servat usque ad abdicationem: qua facta, iam nihil proprium habet, nec habere potest siquidem per abdicationem renuntiavit non solum bonis quae forsan habebat, sed etiam iis quae sibi obtingere possent. Haec tamen, usque ad ultima vota, non sibi sed ei, in cuius favorem abdicavit, salvo § 2 huius canonis, acquirit. Post ultima vota fit omnis haereditariae successionis incapax, non autem legati, quod Religioni acquirit.

c. **580**. § 2. Quidquid autem industria sua vel intuitu Religionis acquirit, religioni acquirit.

Concordat cum dec. 32 Congregationis XXIII.

c. **580**. § 3. Cessionem vel dispositionem de qua in canone 569 § 2 (sc. circa administrationem suorum bonorum, eorumque usum ac usufructum, quam Novitius fecit ante professionem votorum simplicium, sive temporariorum sive perpetuorum) professus mutare potest, non quidem proprio arbitrio, nisi constitutiones id sinant, sed de Supremi Moderatoris licentia.

In hoc Societas sequatur ius suum, quod dec. 17 Congregationis VII exprimitur. Habemus enim privilegium Tridentinum.

c. **581**. § 1. [De tempore quo renuntiatio fieri potest].

Sed Societas ex privilegio Tridentino quoad abdicationem suum Institutum sequi potest. (Epistola 17 aprilis 1918, n. 12).

c. **581**. § 2. Secuta professione, ea omnia statim fiant quae necessaria sunt ut renuntiatio etiam iure civili effectum consequatur.

Hoc praescriptum, Instituto omnino conforme, quantum prudentia permittit, servetur: imo non tantum, secuta professione, sed in ipsa abdicatione, aut quamprimum post eam, licebit (Congr. XX. d. 7. 4° — Ordin. Gen. I, 10). (Epistola P. Generalis 17 aprilis 1918, n. 12).

c. **582**. Post solemnem professionem, salvis peculiaribus Apostolicae Sedis indultis, omnia bona quae quovis modo obveniunt regulari, in ordine capace possidendi, cedunt ordini, vel provinciae vel domui, secundum constitutiones.

Societas non est quidem capax haereditariae successionis ratione suorum professorum vel coadiutorum formatorum (Const. P. VI. c. 2. n. 12), sed est capax bonorum quae alio modo ei eveniunt ratione suorum professorum aut coadiutorum formatorum. Quomodo autem deinde haec retinere possit, iure Societatis determinatur.

c. **584**. Post annum ab emissa qualibet professione religiosa, vacant beneficia parochialia; post triennium caetera.

Etiamsi nunc beneficia vacent tempore in Codice praescripto, hoc non impedit quod servare possimus decr. 19 Congr. V, quo statuitur beneficia ecclesiastica quaecumque Nostri obtinent, finito biennio probationis, prius quam vota scholasticorum emittant, omnino resignentur. — Nam privilegium nostrum Tridentinum, de renuntiatione, ad beneficia se extendere declaravit S. Congr. Concilii. Cf. Comp. Privil. n. 482 — Cf. etiam in Bull. p. 269 Const. Benedicti XIV « Ex quo dilectus ».

c. **585**. Professus a votis perpetuis sive solemnibus sive simplicibus amittit ipso iure propriam quam in saeculo habebat dioecesim.

c. **586**. § 1. Professio religiosa irrita ob impedimentum externum non convalescit per sequentes actus, sed opus est ut a Sede Apostolica sanetur, vel denuo, cognita nullitate et impedimento sublato, legitime emittatur.

Ergo corrigendum est ius usquemodo vigens in Societate ex d. 22 Congr. VIII, iuxta quod, in tali casu, prima renovatio Votorum post sublatum impedimentum, vim habet primae nuncupationis. Corrigenda etiam reg. 57 Mag. Novit. (Epistola Patris Generalis 17 aprilis 1918, n. 10).

c. **587-589**. [De ratione studiorum in religionibus clericalibus]

Cf. Epistolam P. Generalis ad Pr. Provinciales, n. 3.

c. **590**. [Statuitur ut religiosi sacerdotes, post absolutum studiorum curriculum, quotannis saltem per quinquennium examinentur in variis doctrinae sacrae disciplinis opportune designatis. Excipiuntur qui theologiam, ius canonicum vel philosophiam scholasticam doceant, et qui a Superioribus maioribus gravem ob causam fuerint exempti].

Hoc canone certe nos comprehendimur, et inquirendum erit qua opportuniore ratione ei satisfacturi simus, ita ut intentum a lege fructum percipiamus et tamen iuniores sacerdotes nostri non nimis onerentur (Epistola 17 aprilis 1918, n. 21).

c. **591**. In qualibet saltem formata domo, minimum semel in mense habeatur solutio casus moralis et liturgici..., cui assistere tenentur omnes qui studio sacrae theologiae operam navant aut illud expleverint et in domo degunt, nisi aliud in constitutionibus caveatur.

Cum autem addatur clausula: « nisi aliud in constitutionibus caveatur », servari potest quod statuitur decr. 8 Congr. IX, sc. ut ab obligatione assistendi collationi excludantur qui actu docent theologiam et philosophiam, aliique quos Provincialis ex gravi causa eximeret. (Cf. etiam reg. 14, 15 Provincialis in Rat. Stud.)

Si qua in domo collatio casuum non habeatur, sacerdotes nostri, qui facultatem audiendi confessiones ab Ordinario loci obtinuerunt, conferentiis cleri saecularis de re morali et liturgica interesse debent. Imo, religiosi curam animarum habentes iisdem conferentiis interesse debent etiamsi in eorum domo quoque collationes praescriptae habeantur. Ita can. 131, § 3 (Epistola 17 aprilis 1918, n. 22).

Religiosorum obligationes.

c. **592**. [De obligationibus communibus clericorum a religiosis servandis].

c. **593**. [De observatione votorum ac regularum, et zelo perfectionis].

c. **594**. [De vita communi].

c. **595**. [De vita spirituali et usu sacramentorum].

c. **596**. [De habitu Religionis deferendo].

c. **594**. Quidquid a religiosis, etiam a Superioribus, acquiritur,... bonis domus, provinciae vel religionis admisceatur, et pecunia quaelibet omnesque tituli in capsa communi deponantur.

Non videtur tamen contra huius canonis mentem, si deposita quae privati religiosi habere permittuntur, apud Superiorem deponantur, ut statuit Cong. XII d. 42 et Congr. XX d. 7.

c. **597**. [De clausura] — § 1. In domibus Regularium canonice constitutis, etiam non formatis, servetur clausura papalis. — § 2. Lege clausurae papalis afficitur tota domus quam communitas regularis inhabitat, cum hortis et viridariis accessui religiosorum reservatis: — excluso, praeter publicum templum cum continenti sacrario, etiam hospitio pro advenis, si adsit, et collocutorio, quod, quantum fieri potest, prope ianuam domus constitui debet. — § 3. Partes clausurae legi obnoxiae patenter indicentur. Superioris maioris... erit clausurae fines accurate praescribere, aut legitimis de causis mutare.

c. **598**. § 1. Intra Regularium virorum clausuram ne admittantur mulieres, cuiusvis aetatis, generis aut conditionis, sub quovis praetextu.

[Superiores aliique eas introducentes plectuntur ipso facto excommunicatione Sedi Apostolicae reservata, aliisque poenis puniendi sunt (c. 2342, n. 2°)].

c. **599**. § 1. Si domus Regularium virorum adnexum habeat convictum pro alumnis internis, vel alia opera religionis propria, separata saltem aedis pars, si fieri potest, religiosorum habitationi reservetur, clausurae legi subiecta. — § 2. Etiam in loca extra clausuram alumnis externis aut internis vel operibus propriis religionis reservata, personae alterius sexus nisi aequa de causa et de Superioris licentia, ne admittantur.

Hoc praescripto non prohibetur alumnorum parentes ad hanc collegii partem visitandam admittere.

c. **606**. § 2. Superioribus fas non est permittere ut subditi extra domum propriae religionis degant, nisi gravi et iusta de causa, atque ad tempus quo fieri potest brevius, secundum constitutiones; — pro absentia vero quae sex menses exce-

dat, nisi causa studiorum intercedat, semper Apostolicae Sedis venia requiritur.

Hic canon prae oculis habeatur, si quis in hospitium, valetudinis reficiendae causa, mittatur (Epistola 17 aprilis 1918, n. 26).

c. **608**. [Commendatur Superioribus, si ministerium religiosorum requiritur ad consulendum populi necessitati, illud libenter praestent: — et vicissim locorum Ordinariis et parochis, ut libenter utantur opera religiosorum].

c. **609**. § 3. Advigilent Superiores ne divinorum officiorum in propriis ecclesiis celebratio catecheticae instructioni aut Evangelii explanationi in ecclesia paroeciali nocumentum afferat.

c. **611**. [De libero commercio litterarum religiosorum cum S. Sede eiusque vicem tenentibus, et cum suis Superioribus].

c. **612**. Si loci Ordinarius ob causam publicam sonitum campanarum, preces aliquas vel sacra solemnia indicat, religiosi omnes, etiam exempti, obedire tenentur, salvis constitutionibus et privilegiis suae cuiusque religionis. — Conf. can. 1345.

Societas a processionibus est exempta (Const. « Quaecumque » Gregorii XIII, Bull. p. 62^2. — Comp. priv. n. 221).

Attendatur ad can. 1345: « Optandum est ut, in missis quae, fidelibus adstantibus, diebus festis de praecepto, in omnibus ecclesiis vel oratoriis publicis celebrantur, brevis Evangelii vel alicuius partis doctrinae Christianae explanatio fiat; quodsi Ordinarius loci id praeceperit, hac lege tenentur etiam religiosi exempti in suis ipsorum ecclesiis ».

Privilegia.

c. **613**. Quaelibet religio iis tantum privilegiis gaudet quae vel hoc in Codice continentur, vel a Sede Apostolica directe eidem concessa fuerint, exclusa in posterum qualibet communicatione.

Sensus ultimae pericopes non est, excludi in posterum novam communicationem, sed excludi in posterum usum privilegiorum quae per communicationem habentur. Nihilominus, quoniam omnia privilegia antea Societati sive directe sive per communicationem concessa, — dummodo non fuerint deinde revocata et adhuc sint in usu, — fuerunt a Leone XIII Brevi « Dolemus » (1886) confirmata et *de novo concessa*: sequitur, etiam privilegia, quae fuerunt prius Societati per communicationem concessa, non revocari canone 613; siquidem eadem fuerunt a Leone XIII directe concessa. (Epistola 19 aprilis 1918, n. 1).

c. **614**. Religiosi, etiam laici et novitii, fruuntur clericorum privilegiis, [sc. canonis, fori, immunitatis a servitio militari et a publicis officiis civilibus].

c. **615**. Regulares, novitiis non exclusis, cum eorum domibus et ecclesiis, ab Ordinarii loci iurisdictione exempti sunt, praeterquam in casibus a iure expressis.

c. **616**. § 1. Regulares extra domum illegitime degentes,.... exemptionis privilegio non gaudent. — § 2. Si extra domum delictum commiserint, nec a proprio Superiore praemonito puniantur, a loci Ordinario puniri possunt, etsi e domo legitime exierint et domum reversi fuerint.

c. **617**. § 1. Si in Regularium domibus eorumve ecclesiis abusus irrepserint, et Superior monitus prospicere neglexerit, Ordinarius loci obligatione tenetur rem ad S. Sedem statim deferendi. — § 2. Domus autem non formata manet sub peculiari vigilantia Ordinarii loci, qui, si abusus irrepserint et fidelibus scandalo fuerint, ipse per se potest interim providere.

Nota non denegari exemptionem domui non formatae; imo ex hoc canone contrarium eruitur, siquidem in solo casu abusus Ordinario intervenire licet. — Canon 615 etiam sine ulla exceptione statuit exemptionem domorum Regularium.

c. **619**. In omnibus in quibus religiosi subsunt Ordinario loci, possunt ab eodem etiam poenis coerceri.

Sed habemus privilegium Pauli III, n. 208 Comp. priv. relatum, et Bull. p. 16^2, quo prohibetur Ordinariis contra Societatem per censuras procedere (Cf. Ballerini, Palmieri, t. VII, n. 81 seq.). Ergo Ordinarius alias quidem poenas, non autem censuras decernere posset.

c. **620**. Per indultum ab Ordinario loci legitime concessum, obligatio legis communis cessat quoque pro religiosis omnibus in dioecesi commorantibus....

c. **621**. [De iure Ordinum Mendicantium (ergo Societatis) eleemosynas quaerendi].

c. **626-629**. [De religiosis ad aliquam dignitatem ecclesiasticam promotis. Eorum obligationes, ac privilegia].

Parochus religiosus.

630. § 2. Religiosus qui paroeciam regit, sive titulo parochi, sive titulo vicarii parochialis,.... in iis quae ad religiosam disciplinam attinent, subest Superiori, cuius proinde est, et quidem privative respectu Ordinarii loci, in eius agendi rationem circa haec omnia inquirere, eumque, si casus ferat, corrigere.

630. § 3. Bona quae ipsi obveniunt intuitu paroeciae cui praeficitur, ipsi paroeciae acquirit; cetera acquirit ad instar aliorum religiosorum. — § 4. [Quae, non obstante voto paupertatis, ei licet facere].

631. § 1. Idem parochus vel vicarius religiosus.... subest immediate omnimodae iurisdictioni, visitationi et correctioni Ordinarii loci, non secus ac parochi saeculares, regulari observantia unice excepta.

631. § 2. [Si in suo munere deficit, potest ab Ordinario loci corrigi et puniri: quod ius Superior etiam cumulative habet, praevalente, in casu conflictus, decreto Ordinarii].

Egressus e Religione.

632. Religiosus nequit ad aliam religionem, etiam strictiorem..., transire sine auctoritate Apostolicae Sedis.

Illo canone non officitur privilegio Societati a Gregorio XIII, C. « Cum alias » concesso (Bull. p. 84), quo Praep. Generalis permittere potest, etiam professo votorum solemnium, transitum ad ordinem etiam laxiorem. (Cf. can. 633 et 634, de conditione transeuntis).

637. [Non licet Superioribus quemquam dimittere ratione infirmitatis in Religione contracta].

638-642. [Indultum exclaustrationis et saecularizationis. — Conditio eius qui indultum huiusmodi impetraverit. — Quae munia saecularizato interdicuntur].

643. Qui e religione, expleto votorum temporariorum tempore, aut obtento saecularizationis indulto, egrediantur, vel ex eadem fuerint dimissi, nihil possunt repetere ob quamlibet operam religioni praestitam.

c. **644**. [Quis sit apostata, quis fugitivus].

c. **645**. § 1. Apostata et fugitivus ab obligatione regulae et v torum minime solvuntur, et debent sine mora ad religione redire.

c. **645**. § 2. Superiores debent eos sollicite requirere, et ipsc si vera poenitentia acti redeant, suscipere.

c. **2385**. Religiosus apostata a religione, ipso iure incurrit excommunicationem proprio Superiori maiori (ergo Provi ciali) reservatam, [aliisque poenis plectitur].

c. **2386**. Religiosus fugitivus ipso facto incurrit in privatione officii, si quod in religione habeat, et in suspensionem propr Superiori maiori reservatam [et si redeat, aliis poenis e puniendus].

Excommunicatio ab Instituto statuta in Apostatas (Cf. *Censurae praecepta*, c. III, n. 3), posito can. 898, dicenda est abrogata. — E contr ex lege Societatis, fugitivus excommunicationem incurrit (ibid. n. 1

Dimissio e Religione.

c. **646**. § 1. Ipso facto habendi sunt tamquam legitime dimis religiosi: 1° publici apostatae a fide catholica; 2° Religios qui fugam arripuerit cum muliere; 3° Attentantes aut co trahentes matrimonium, aut vinculum, ut aiunt, civile. § 2. In his casibus sufficit ut Superior maior cum suo Co silio, ad normam constitutionum, emittat declarationem fac — Curet autem probationes facti collectas in domus regest asservare.

Cum dimissio professorum et coad. formatorum omnino reservet Generali; imo et scholasticorum approbatorum et coadiutorum non fo matorum, si casus non sit urgens (Reg. Prov. 41, 43): videtur etia sententiam declaratoriam non esse a Provinciali pronuntiandam absq Praep. Generalis licentia.

c. **654**. Vir professus a votis solemnibus aut a votis simplicib perpetuis in religione clericali exempta ne dimittatur, n processu instituto, revocato quolibet contrario privilegio.

Propter hanc ultimam clausulam, Societas absque dubio comprehe ditur hoc canone, quod ad solemniter professos attinet. Omnes aut alios, etiam coadiutores formatos, tum spirituales tum temporales,

nonicar'
in iei' nso Commissionis Codicis 29 iun. 1918, potest Societas, processu
loc' instituto, dimittere, servato tamen praescripto canonis 647, § 2.

[Excipiuntur: 1° Casus canone 646 expressi; — 2° Casus gravis scandali exterioris vel gravissimi nocumenti communitati imminentis: tunc enim, ex can. 668, Superior maior, vel etiam localis, cum consensu sui Consilii, potest delinquentem ad saeculum remittere; religioso autem dimisso, statim processus instituatur].

c. **655-668**. [Statuitur quomodo in casu dimissionis causa sit instituenda et sententia pronuntianda].

c. **666**. Sententia exsecutioni mandari nequit, nisi fuerit a S. Congregatione confirmata, — ad quam tribunalis praeses et sententiam et omnia acta processus quamprimum transmittere curabit.

c. **669**. Professus qui vota perpetua emisit, a religione dimissus, votis religiosis manet adstrictus, salvis constitutionibus aut Sedis Apostolicae indultis, quae aliud ferant.

Quoniam in Societate Constitutionibus providetur ut scholastici et coadiutores sive formati, sive non formati, dimittantur soluti a votis, soli solemniter professi dimissi manent votis adstricti, non autem Scholastici et Coadiutores.

c. **671**. § 1. Si religiosus qui dimittitur sit in sacris, ipso facto suspensus manet, donec a S. Sede absolutionem obtinuerit.

c. **671**. § 5. Religio, per manus Ordinarii loci commorationis, caritativum subsidium dimisso suppeditet pro necessariis ad vitae sustentationem, nisi ipse aliunde sibimet providere valeat. — [Ab obligatione solvendi hoc subsidium Religio absolvitur in quibusdam casibus, §§ 3, 6, 7 recensitis].

c. **672**. Dimissus votis in religione emissis non solutus, tenetur ad claustra redire; et si argumenta plenae emendationis per triennium dederit, Religio tenetur eum recipere. Quodsi graves obstent rationes, sive ex parte Religionis, sive ex parte religiosi, res iudicio Sedis Apostolicae subiiciatur.

Hoc in Societate solis Professis votorum solemnium convenit; siquidem omnes alii, votis solutis, dimittuntur.

c. **704**. Qui vota nuncuparit.... in aliqua religione, nequit simul ad ullum tertium ordinem pertinere, etsi eidem antea fuerit adscriptus.

II. — CANONES CONFESSARIIS

ALIISQUE SACRUM MINISTERIUM EXERCITANTIBUS

MAGIS UTILES

Normae generales.

c. **12**. Legibus mere ecclesiasticis non tenentur qui septimum aetatis annum nondum expleverunt, nisi aliud iure expresse caveatur.

c. **13**. Legibus conditis pro peculiari territorio ii subiiciuntur pro quibus latae sunt, quique ibidem domicilium vel quasi-domicilium habent et simul actu commorantur.

c. **14**. § 1. *Peregrini* 1° non adstringuntur legibus particularibus sui territorii quamdiu ab eo absunt, nisi aut earum transgressio in proprio territorio noceat, aut leges sint personales; 2° neque legibus territorii in quo versantur, iis exceptis quae ordini publico consulunt vel actuum solemnia determinant; 3° at legibus generalibus tenentur, etiamsi hae suo in territorio non vigeant, minime vero si in loco, in quo versantur, non obligent.

c. **14**. § 2. *Vagi* obligantur legibus tam generalibus quam particularibus quae vigent in loco quo versantur.

[*N. B.* Ex can. 91, Peregrinus est qui versetur extra domicilium vel quasi-domicilium quod adhuc retinet. — Vagus, qui nullibi domicilium habeat vel quasi-domicilium. — Can. 92 definitur quomodo domicilium et quasi-domicilium acquirantur].

c. **15**. Leges, etiam irritantes et inhabilitantes, in dubio iuris non urgent.

c. **16**. Nulla ignorantia legum irritantium aut inhabilitantium ab eisdem excusat, nisi aliud expresse dicatur.

c. **33**. In supputandis *horis diei* standum est communi loci usui. Sed in privata Missae celebratione, in privata horarum ca-

nonicarum recitatione, in sacra communione recipienda, et in ieiunii vel abstinentiae lege servanda, licet alia sit usualis loci supputatio, potest quis sequi loci tempus, aut locale sive verum sive medium, aut legale sive regionale, sive aliud extraordinarium.

c. **81**. A generalibus Ecclesiae legibus Ordinarii infra Romanum Pontificem dispensare nequeunt, ne in casu quidem peculiari, nisi haec potestas eisdem fuerit explicite vel implicite concessa, aut nisi difficilis sit recursus ad Sanctam Sedem, et simul in mora sit periculum gravis damni, et de dispensatione agatur quae a Sede Apostolica concedi solet.

c. **84**. A lege ecclesiastica ne dispensetur sine iusta et rationabili causa, habita ratione gravitatis legis a qua dispensatur; alias dispensatio ab inferiore data illicita et invalida est.

De Personis.

c. **88**. Definitur quis sit *maior*, *minor*, *pubes*, *impubes*, *puer* aut *infans*.

c. **91**. Quis *peregrinus*, *vagus*. — c. 94. Quis sit vagi parochus, Ordinarius.

c. **90**. Quis sit *locus originis* uniuscuiusque.

c. **92**. Quid *domicilium*, *quasi-domicilium*. Quomodo acquiratur, et c. 95 quomodo amittatur; c. 93 quod sit domicilium uxoris, minoris.

c. **103**. § 2. Actus positi ex metu gravi et iniuste incusso, vel ex dolo, valent, nisi aliud iure caveatur; sed possunt per iudicis sententiam rescindi.

c. **120**. § 2. [Qui *privilegio canonis* gaudent (igitur omnes clerici et religiosi etiam laici, ex c. 614) apud iudicem laicum non possunt conveniri in omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus, sine venia Ordinarii loci in quo causa peragitur].

c. **202**. § 2. *Potestas* collata pro foro interno exerceri potest etiam in foro interno extra-sacramentali, nisi sacramentale exigatur.

c. **207**. § 2. Potestate pro foro interno concessa, actus per inadvertentiam positus elapso tempore vel exhausto casuum numero, validus est.

c. **209**. In errore communi aut in dubio positivo et probabili sive iuris sive facti, *iurisdictionem* supplet Ecclesia pro foro tum externo tum interno.

c. **468**. § 2. Parocho aliive Sacerdoti qui infirmis assistat, facultas est eis concedendi *benedictionem Apostolicam* cum *indulgentia plenaria* in articulo mortis, secundum formam a probatis liturgicis libris traditam: quam benedictionem impertiri ne omittat.

De Sacramentis.

c. **738**. Collatio *baptismi* reservatur parocho vel alii sacerdoti de eiusdem parochi vel Ordinarii loci licentia, quae in casu necessitatis legitime praesumitur.

c. **744**. Adultorum baptismus, ubi commode fieri potest, ad loci Ordinarium deferatur.

c. **766**. [Patrini in baptismo licite nequeunt esse: 1° qui decimum quartum aetatis annum non attigerint, nisi aliud iusta de causa ministro videatur; 2° in nulla religione novitii vel professi; 3° in sacris ordinibus constituti, nisi accedat expressa Ordinarii proprii licentia].

c. **768**. Ex baptismo spiritualem cognationem contrahunt tantum cum baptizato baptizans et patrinus.

Eucharistia.

c. **821**. [De hora qua *celebrare* licet — Vide tertiam partem].

c. **822**. [De facultate celebrandi in altari portatili, vel in oratoriis privatis. — Vide tertiam partem].

c. **848**. [Communionem ad infirmos quicumque sacerdos publice deferre potest in casu necessitatis. Idem dicitur de Viatico c. 850].

c. **849**. *Communionem* privatim ad infirmos quilibet sacerdos deferre potest. [Tunc] reverentiae ac decentiae tanto sacra-

mento debitae consulatur, servatis a Sede Apostolica praescriptis normis.

c. **858**. § 2. Infirmi qui iam a mense decumbunt sine certa spe ut cito convalescant, de prudenti confessarii consilio ss. Eucharistiam sumere possunt semel aut bis in hebdomada, etsi aliquam medicinam vel aliquid per modum potus antea sumpserint.

c. **859**. § 3. Suadendum fidelibus ut huic praecepto (Communionis paschalis) satisfaciant in sua quisque paroecia: et qui in aliena paroecia satisfecerint, curent proprium parochum de adimpleto praecepto certiorem facere.

Ideo non iam prohibetur S. Communionem die paschatis in ecclesiis religiosorum distribuere.

c. **864**. § 1. In periculo mortis, quavis ex causa procedat, fideles sacrae communionis recipiendae praecepto tenentur.

c. **864**. § 2. Etiamsi eadem die Sacra Communione fuerint refecti, valde tamen suadendum, ut in vitae discrimen adducti denuo communicent.

c. **864**. § 3. Perdurante mortis periculo, sanctum viaticum, secundum prudens confessarii consilium, pluries distinctis diebus administrari et licet et decet.

c. **866**. § 1. Omnibus fidelibus cuiusvis ritus datur facultas ut, pietatis causa, Sacramentum Eucharisticum quolibet ritu confectum suscipiant. — [§ 2 et 3. Sed communio paschalis et maxime viaticum proprio ritu, nisi quid impediat, accipienda sunt].

c. **867**. § 4. Sacra Communio iis tantum horis distribuatur, quibus Missae Sacrificium offerri potest, nisi aliud rationabilis causa suadeat. — [§ 3. Communio Sabbato Sancto].

c. **869**. Sacra Communio distribui potest ubicumque missam celebrare licet, etiam in oratorio privato, nisi loci Ordinarius... prohibuerit.

Sacramentum Poenitentiae.

c. **874**. § 1. [Iurisdictio ad audiendas confessiones sive saecularium sive religiosorum dat Ordinarius loci, etiam religiosis exemptis].

c. **875**. § 2. In religione clericali exempta ad recipiendas confessiones professorum, novitiorum aliorumve de quibus in can. 514 (sc. familiarium) iurisdictionem delegatam confert quoque proprius eorumdem Superior, ad normam constitutionum: cui fas est eam concedere etiam sacerdotibus e clero saeculari aut alius religionis.

Si iurisdictionem habeat ab Ordinario loci, confessarius, ex c. 519, religiosum absolvere potest etiam a casibus in Ordine reservatis.

Si confessarius sit unus ex designatis, potest etiam religiosos, pro quibus est designatus, a reservatis in ordine absolvere (c. 518).

Tandem in Societate ex privilegio confessarius iurisdictionem a suo Superiore tantum habens, potest religiosos alterius cuiuscumque ordinis, qui facultatem apud eum confitendi habuerint, a reservatis in eorum ordine absolvere (Comp. priv. n. 11).

c. **881**. Omnes Sacerdotes ad audiendas confessiones approbati in aliquo loco, sive ordinaria sive delegata iurisdictione instructi, possunt etiam vagos ac peregrinos ex alia dioecesi vel paroecia ad se accedentes, itemque catholicos cuiusque ritus orientalis, valide et licite absolvere.

c. **883**. [De facultate audiendi confessiones in itinere maritimo].

c. **894**. Unicum peccatum ratione sui reservatum Sanctae Sedi est falsa denuntiatio sollicitationis. [Insuper plectitur excommunicatione speciali modo Sedi Apostolicae reservata c. 2363].

Nostri ab hoc peccato absolvere nequeunt, nec ex facultate vicennali Leonis XII: fuit enim revocatum a Pio IX privilegium absolvendi ab hoc casu.

« Monentur confessarii privilegium absolvendi a casibus Summo Pontifici reservatis in pleno vigore permanere: excipiuntur tantum *specialissimo modo* Sedi Apostolicae reservata, et falsa sollicitationis accusatio. Et sicut antea, ita deinceps quoque, haec facultas pro *simpliciter reservatis* communicatur cum omnibus Superioribus, et cum iis quibus ipsi indulserint; at pro *speciali modo* reservatis, soli Snperiores maiores eam cum suis subditis sacerdotibus communicare poterunt » (Epist. P. Generalis 17 aprilis 1918, n. 23).

c. **899**. § 3. Singuli missionarii, quo tempore missiones ad populum haberi contingat, ipso iure absolvere possunt a casibus quos quoquomodo sibi Ordinarii reservaverint.

c. **900**. Quaevis reservatio omni vi caret: 1° Cum confessionem peragunt sive aegroti qui domo egredi non valent, sive sponsi matrimonii ineundi causa; 2° Quoties vel legitimus Superior petitam pro aliquo determinato casu absolvendi facultatem denegaverit, vel, prudenti confessarii iudicio, absolvendi facultas a legitimo Superiore peti nequeat sine gravi poenitentis incommodo, aut sine periculo violationis sigilli sacramentali; 3° Extra territorium reservantis, etiamsi dumtaxat ad absolutionem obtinendam poenitens ex eo discesserit.

c. **904**. Debet poenitens sacerdotem reum delicti sollicitationis in confessione intra mensem denuntiare loci Ordinario vel S. Congregationi S. O.; et confessarius debet, graviter onerata eius conscientia, de hoc onere poenitentem monere.

c. **910**. Confessiones virorum etiam in aedibus privatis excipere licet.

c. **916-936**. [De *indulgentiis*. Plures sunt canones praxis frequentis, quos nosse valde utile est].

c. **935**. Pia opera ad lucrandas indulgentias iniuncta Confessarii possunt in alia commutare pro iis qui, legitimo detenti impedimento, eadem praestare nequeant.

c. **938**. § 2. In casu necessitatis, vel de licentia saltem rationabiliter praesumpta parochi vel Ordinarii loci, quilibet sacerdos *sacramentum extremae unctionis* ministrare potest. [Item de Viatico dicitur c. 848 et 850].

c. **939**. In casu necessitatis ex caritate quilibet Sacerdos tenetur hoc sacramentum (extremae unctionis) administrare.

c. **943**. [Infirmis a sensu alienatis, qui verisimiliter eam petiissent, absolute conferatur].

c. **947**. Unctio renum semper omittatur. Unctio pedum ex qualibet rationabili causa omitti potest.

c. **948-1011**. *De Sacramento Ordinis.*

c. **990**. § 1. Licet Ordinariis per se vel per alium suos subditos dispensare ab irregularitatibus omnibus ex delicto occulto provenientibus, ea excepta de qua in can. 985, 4° [sc. proveniente ex homicidio voluntario aut procuratione abortus effectu secuto] aliave deducta ad forum iudiciale.

c. **990**, § 2. Eadem facultas competit cuilibet confessario in casibus occultis urgentioribus, in quibus Ordinarius adiri nequeat, et periculum immineat gravis damni vel infamiae, sed ad hoc dumtaxat ut poenitens ordines iam susceptos exercere licite valeat.

Sed Confessarii nostri possunt ex privilegio per communicationem concesso, cum venia Superioris, dispensare cum poenitentibus pro foro conscientiae super irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, dummodo contractae non sint ex homicidio voluntario, mutilatione membrorum et bigamia. — Possunt insuper Nostri, dum sacris missionibus vel publicis Exercitiis tradendis incumbunt, dispensare, pro foro conscientiae et in actu sacramentalis confessionis tantum ab omnibus irregularitatibus occultis, etiam specialem, expressam et individuam mentionem alias exigentibus. (Comp. Priv. n. 174).

c. **1012-1143**. *De matrimonio.*

Multi sunt canones cuius notitia est confessario necessaria. Notandi can. 1017 de conditionibus ad validitatem sponsalium, can. 1044 et 1045 de facultate dispensandi in impedimentis iuris ecclesiastici, urgente mortis articulo, aut quando impedimentum detegitur cum matrimonium instat et differri nequit, nec Ordinarius consuli potest: tunc enim tum parochus tum confessarius « pro foro interno in actu confessionis sacramentalis dispensare potest ».

c. **1095**. *De Missis in oratoriis privatis.*

Per communicationem privilegiorum Nostri in itineribus et missionibus missam celebrare possunt in oratoriis domorum privatis, sine praeiudicio privilegii indultarii et eo non praesente, ex quacumque causa iter suscipiatur, et pro quovis temporis spatio. (Comp. Priv. n. 439).

c. **1245**. *De dispensatione a lege abstinentiae.*

Nostri, ex facultate vicennali Leonis XII, dispensare possunt tempore ieiuniorum, et praesertim quadragesimae, super usu carnium, ovorum et lacticiniorum. — Quae facultas Superioribus et iis quibus ipsi communicaverint a P. Generali conceditur (Comp. Priv. nn. 176, 177

Dies festi.

c. **1247**. § 1. Dies festi sub praecepto in universa ecclesia sunt tantum: omnes et singuli dies dominici, festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis et SS. Corporis Christi, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis Almae Genitricis Dei Mariae, Sancti Iosephi, BB. Apostolorum Petri et Pauli, Omnium Sanctorum.

c. **1247**. § 2. Ecclesiae praecepto dies festi Patronorum non subiacent.

c. **1248**. Festis de praecepto diebus missa audienda est; et abstinendum est ab operibus servilibus, actibus forensibus, itemque, nisi aliud ferant legitimae consuetudines aut peculiaria indulta, publico mercatu, nundinis, aliisque publicis emptionibus et venditionibus.

c. **1249**. Legi de audiendo sacro satisfacit qui missae adest quocumque catholico ritu celebretur, sub dio aut in quacumque ecclesia vel oratorio publico aut semi-publico,... non vero in aliis oratoriis privatis, nisi hoc privilegium a Sede Apostolica concessum fuerit.

Abstinentia et ieiunium.

c. **1250**. Abstinentiae lex vetat carne iureque ex carne vesci, non autem ovis, lacticiniisque et quibuslibet condimentis etiam ex adipe animalium.

c. **1251**. § 1. Lex ieiunii.... non vetat aliquid cibi mane et vespere sumere, servata tamen circa ciborum quantitatem et qualitatem probata locorum consuetudine.

c. **1251**. § 2. Nec vetitum est carnes ac pisces in eadem refectione permiscere, nec serotinam refectionem cum prandio permutare.

c. **1252**. § 1. Lex solius abstinentiae servanda est singulis feriis sextis.

c. **1252**. § 2. Lex abstinentiae simul et ieiunii servanda est: feria IV cinerum, feriis sextis et sabbatis quadragesimae, et

feriis quatuor temporum, pervigiliis Pentecostes, Deiparae in coelum assumptae, Omnium Sanctorum, et Nativitatis Domini.

c. **1252**. § 3. Lex solius ieiunii servanda est reliquis omnibus quadragesimae diebus.

c. **1252**. § 4. Diebus dominicis vel festis de praecepto, lex abstinentiae, vel abstinentiae et ieiunii, vel ieiunii tantum, cessat, excepto festo tempore quadragesimae; nec pervigilia anticipantur; item cessat sabbato sancto post meridiem.

c. **1254**. § 1. Lege abstinentiae tenentur omnes qui septimum aetatis annum expleverint.

c. **1254**. § 2. Lege ieiunii adstringuntur omnes ab expleto vigesimo primo aetatis anno ad incoeptum sexagesimum.

c. **1258**. § 2. Tolerari potest praesentia passiva seu mere materialis, civilis officii vel honoris causa, ob gravem rationem, ab Episcopo in casu dubii probandam, in acatholicorum funeribus, nuptiis similibusque solemniis, dummodo perversionis et scandali periculum absit.

Vota et iuramenta.

c. **1309**. Vota privata Sedi Apostolicae reservata sunt tantummodo votum perfectae ac perpetuae castitatis, et votum ingrediendi in religionem votorum solemnium, quae emissa fuerint absolute et post completum 18^{um} aetatis annum.

Ergo vota trium peregrinationum non sunt iam reservata.

c. **1312**. Qui potestatem dominativam in voluntatem voventis legitime exercet, potest eius vota valide, et iusta ex causa etiam licite, irrita reddere, ita ut nullo in casu obligatio postea reviviscat.

Ergo Superiores religiosi vota inferiorum irritare possunt valide semper, licite si ex iusta causa irritant.

c. **1313**. Vota non reservata possunt iusta de causa dispensare, dummodo dispensatio ne laedat ius aliis quaesitum, 1° Ordinarius loci; 2° Superior religionis clericalis exemptae (quod

ad subditos et familiares attinet); 3° Ii quibus ab Apostolica Sede delegata fuerit dispensandi potestas.

Porro, quoad delegatam dispensandi facultatem, Societas duplex habet privilegium a Leone XII, Br. « Plura inter » concessum : 1° perpetuam dedit facultatem Societatis alumnis « Vota simplicia commutandi, nunquam vero vota Castitatis, Religionis, eaque in quibus agitur de praeiudicio vel iure tertii » ; 2° facultatem vicennalem concessit « dispensandi ex rationabili causa in votis simplicibus castitatis et religionis ».

Facultas autem commutandi vota non reservata S. P. communicatur a P. Generali omnibus confessariis. Facultas vero vicennalis dispensandi et commutandi vota etiam reservata, datur Provincialibus, aliisque Superioribus Provincialium potestate utentibus, quibus etiam potestas fit eamdem suis subditis Sacerdotibus largiendi (Comp. Priv. n. 110-116).

c. **1320**. Qui irritare, dispensare, commutare possunt votum, eamdem potestatem eademque ratione habent circa iusiurandum promissorium, nisi iusiurandi dispensatio vergat in praeiudicium aliorum, qui obligationem remittere recusent.

c. **1338**. [Religiosus, etiam exemptus, nequit ad populum concionem habere, etiam in ecclesia domus religiosae, absque licentia Ordinarii loci. Indiget praeterea licentia sui Superioris (c. 1349, § 2)].

Ordinario loci competit dare facultatem concionandi etiam in ecclesiis exemptis,... et examinandi antea (Ep. P. Generalis ad Provinciales, 17 aprilis 1918 — Appendix).

c. **1374**. Pueri catholici scholas acatholicas, neutras, mixtas, quae nempe etiam acatholicis patent, ne frequentent. Solius autem Ordinarii loci est decernere in quibus rerum adiunctis, et quibus adhibitis cautelis, tolerari possit ut eae scholae celebrentur.

c. **1385**. [Enumerantur libri quos etiam laici edere nequeunt, nisi praecesserit censura ecclesiastica].

c. **1386**. [Clerici autem et religiosi ad edendos libros, etiam profanos, egent licentia Ordinarii loci, et religiosi insuper sui Superioris maioris; et sine eadem licentia in diariis foliisque et libellis periodicis scribere eave moderari nequeunt].

c. **1399**. [Enumerantur undecim classes librorum qui ipso iure prohibentur].

c. **1406**. Obligatione emittendi professionem fidei tenentur.... 7° Sacerdotes confessionibus audiendis destinati et sacri concionatores, antequam facultate donentur ea munia exercendi. [Eam coram Ordinario eiusve delegato emittere debent].

c. **1513**. § 2. In ultimis voluntatibus in bonum Ecclesiae serventur, si fieri possit, solemnitates iuris civilis. Hae, si omissae fuerint, haeredes moneantur ut testatoris voluntatem adimpleant.

De delictis et poenis.

c. **2218**. § 2. Non solum quae ab omni imputabilitate excusant, sed etiam quae a gravi, excusant pariter a qualibet poena tum latae tum ferendae sententiae etiam in foro externo. (Igitur in eo casu censura non incurritur).

c. **2199-2209**. [Notiones habentur clarae de imputabilitate delicti, et de causis quae illam augent, minuunt aut tollunt].

De censuris.

c. **2247**. § 3. Si confessarius, ignorans reservationem, poenitentem a censura ac peccato absolvat, absolutio censurae valet, dummodo ne sit censura ab homine, aut censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata.

c. **2250**. § 1. Si agatur de censura quae non impedit sacramentorum receptionem [ut est suspensio, et plerumque interdictum], censuratus rite dispositus et a contumacia recedens potest absolvi a peccatis, firma censura.

Dicitur « firma censura », sc. si confessarius non habet facultatem ab ea absolvendi.

c. **2251**. Si absolutio censurae datur in foro interno, absolutus, remoto scandalo, potest uti talem se habere etiam in actibus fori externi....

c. **2252**. Qui in periculo mortis constituti, a sacerdote specialis facultatis experte, receperunt absolutionem ab aliqua censura ab homine vel a censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata, tenentur, postquam convaluerint, obligatione recurrendi, sub poena reincidentiae, ad illum qui cen-

suram tulit, si agatur de censura ab homine; ad S. Poenitentiariam, vel ad Episcopum aliumve facultate praeditum ad normam can. 2254 § 1, si de censura a iure; eorumque mandatis parendi.

c. **2253**. [de absolutione a censuris extra mortis periculum].

Leo XII, Br. « Plura inter » 1° perpetuam dedit Nostris facultatem absolvendi a casibus et censuris Sedi Apostolicae reservatis, exceptis iis qui continentur in Bulla Coenae Domini; 2° facultatem vicennalem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicae reservatis, etiam in Bulla Coenae contentis. — Posito canone 2253, quo distinctio fit inter casus simpliciter, speciali modo et specialissimo modo reservatos, haec facultas vicennalis ad casus speciali modo, non autem specialissimo modo, reservatos sese extendit. — Prima facultas omnibus Superioribus a P. Generali communicatur atque iis quibus ipsi indulserint; secunda, Provincialibus aliisque eadem potestate utentibus: qui hanc facultatem suis subditis indulgere possunt (cf. supra c. 894).

Falsa denuntiatio sollicitationis etiam non comprehenditur in hac facultate vicennali (ibid.).

Nostri autem, vi eiusdem concessionis, possunt absolvere a casibus iure Episcopo reservatis (Comp. Priv. nn. 5 et 6); non autem a casibus quos Episcopi sibi reservaverint, cum exceptione canonum 899 et 900. Insuper ab eisdem possunt absolvere, ex privilegio Societati concesso, peragentes Exercitia Spiritualia vel exercitium praeparationis ad mortem (Comp. Priv. nn. 7-10).

c. **2254**. In casibus urgentioribus, si nempe censurae latae sententiae exterius servari nequeant sine periculo gravis scandali vel infamiae, aut si durum sit poenitenti in statu gravis peccati permanere per tempus necessarium ut Superior competens provideat: tunc quilibet confessarius, in foro sacramentali, ab eisdem, quoquomodo reservatis, absolvere potest, iniuncto onere recurrendi, sub poena reincidentiae, intra mensem saltem, per epistolam et per confessarium, si id fieri possit sine gravi incommodo, reticito nomine, ad S. Poenitentiariam, vel ad Episcopum aliumve Superiorem praeditum facultate, et standi eius mandatis. — Cf. etiam § 2.

c. **2290**. In casibus occultis urgentioribus, si *ex observatione poenae vindicativae* latae sententiae, reus se ipsum laederet, cum infamia et scandalo, quilibet confessarius potest in foro sacramentali obligationem servandae poenae suspendere, iniuncto onere recurrendi saltem intra mensem, per episto-

lam et per confessarium, si id fieri possit sine gravi incommodo, reticito nomine, ad S. Poenitentiariam, vel ad Episcopum facultate praeditum, et standi eius mandatis. (Quaenam sint poenae vindicativae communes dicitur can. 2291).

c. **2314-2414**. [Enumerantur censurae aliaeque poenae latae in singula delicta].

c. **2314**. Omnes a Christiana fide apostatae, et omnes et singuli haeretici aut schismatici incurrunt ipso facto excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam : [a qua tamen ab Ordinario loci possunt absolvi, si eius iurisdictioni se submittunt per voluntariam confessionem]. Absoluti in foro externo ab Ordinario, possunt deinde a peccato absolvi a quolibet confessario, in foro conscientiae.

c. **2318**. § 1. In excommunicationem Sedi Apostolicae speciali modo reservatam ipso facto incurrunt, opere publici iuris facto, editores librorum apostatarum, haereticorum et schismaticorum, qui apostasiam, haeresim, schisma propugnant; itemque eosdem libros, aliosve per apostolicas litteras nominatim prohibitos, defendentes, aut scienter sine debita licentia legentes vel retinentes.

c. **2318**. § 2. Auctores et editores, qui sine debita licentia Sacrarum Scripturarum libros, vel earum adnotationes aut commentarios imprimi curant, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam.

c. **2319**. § 1. Subsunt excommunicationi latae sententiae Ordinario reservatae catholici : — 1° qui matrimonium ineunt coram ministro acatholico (nisi in casu can. 1063 § 2); — 2° qui matrimonio uniuntur cum pacto explicito vel implicito, ut omnis vel aliqua proles educetur extra catholicam ecclesiam; — 3° qui scienter liberos suos acatholicis ministris baptizandos offerre praesumunt; — 4° parentes vel parentum locum tenentes qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos scienter tradunt.

Sed notetur, ex c. 2229 ignorantiam, si non fuerit crassa, excusare a censura in duobus prioribus casibus, — et in duobus posterioribus excusare quamlibet imputabilitatis imminutionem : — propter vocem *scienter*.

c. **2320**. Qui species consecratas abiecerit vel ad malum finem abduxerit aut retinuerit, incurrit in excommunicationem specialissimo modo S. A. reservatam.

c. **2322**. Ad ordinem sacerdotalem non promotus, si Missae celebrationem simulaverit aut sacramentalem confessionem exceperit, excommunicationem speciali modo S. A. reservatam ipso facto contrahit.

c. **2326**. Qui falsas reliquias conficit, aut scienter vendit, distribuit, vel publicae Fidelium venerationi exponit, excommunicationem Ordinario reservatam contrahit.

c. **2327**. Quaestum facientes ex indulgentiis excommunicatione S. A. simpliciter reservata plectuntur.

c. **2332**. Appellantes a legibus, decretis, mandatis Romani Pontificis ad universale concilium, excommunicationem S. A. speciali modo reservatam incurrunt.

c. **2333**. Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab eiusdem legatis profecta... excommunicationi S. A. speciali modo reservatae subiacent. (Vide Canonem).

c. **2334**. Qui leges, mandata vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesia edunt, — item, qui impediunt directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem, excommunicationem speciali modo S. A. reservatam incurrunt.

c. **2335**. Nomen dantes sectae massonicae, aliisve eiusdem generis associationibus, quae contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur, excommunicationem S. A. simpliciter reservatam incurrunt.

c. **2338**. § 1. Absolvere praesumentes sine debita facultate ab excommunicatione latae sententiae specialissimo vel speciali modo S. A. reservata, incurrunt in excommunicationem S. A. simpliciter reservatam.

c. **2338**. § 2. [Eamdem poenam incurrunt] qui excommunicato vitando auxilium vel favorem impendunt in delicto propter

quod excommunicatus fuit; item clerici cum eodem scienter et sponte in divinis communicantes et ipsum in divinis officiis recipientes.

c. **2339**. [Sepulturae ecclesiae mandantes eos qui ab ea arcentur, excommunicationem nemini reservatam incurrunt] (Vide can.).

c. **2341**. Qui ad iudicem laicum ausus fuerit trahere Cardinalem,.... vel Ordinarium proprium, excommunicationem S. A. speciali modo reservatam incurrit. — Qui alium Episcopum, aut Abbatem, aut Praelatum nullius, aut aliquem ex maioribus Religionum iuris pontificii Superioribus, ita traxerit, excommunicationem S. A. simpliciter reservatam incurrit.

c. **2342**. Violantes clausuram monialium, pariterque eos introducentes, excommunicationem S. A. simpliciter reservatam incurrunt. — Item mulieres violantes regularium virorum clausuram, et Superiores aut alii eas introducentes, excommunicationem S. A. simpliciter reservatam incurrunt.

c. **2343**. Qui violentas manus iniecerit in personam R. P. excommunicationem specialissimo modo S. A. reservatam incurrit; in personam Cardinalis, Legati, Episcopi, excommunicationem speciali modo reservatam; in personam aliorum clericorum vel utriusque sexus religiosorum, excommunicationem Ordinario proprio reservatam.

c. **2345**. Usurpantes vel detinentes per se vel per alios bona aut iura Ecclesiae Romanae pertinentia, subiacent excommunicationi l. s. speciali modo S. A. reservatae.

c. **2346**. Si quis bona ecclesiastica cuiuslibet generis, sive mobilia sive immobilia, sive corporalia sive incorporalia, per se vel per alios in proprios usus convertere et usurpare praesumpserit, aut impedire ne eorum fructus seu reditus ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur: excommunicationi tamdiu subiaceat, quamdiu bona ipsa integra restituerit, praedictum impedimentum removerit, ac deinde a S. A. absolutionem impetraverit.

c. **2347**. 3° [Qui scienter sine debita licentia bona ecclesiastica alienare praesumpserit, aut in eis alienandis consensum prae-

buerit, ad quae alienanda beneplacitum apostolicum requiritur, incurrit excommunicationem l. s. nemini reservatam].

c. **2350**. § 1. Procurantes abortum, matre non excepta, incurrunt, effectu secuto, in excommunicationem l. s. Ordinario reservatam.

c. **2351**. Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes vel ipsum acceptantes, vel quamlibet operam aut favorem praebentes, necnon de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in ipsis est non prohibentes, cuiuscumque dignitatis sint, subsunt ipso facto excommunicationi S. A. simpliciter reservatae.

c. **2352**. Cogentes quovis modo sive virum ad statum clericalem amplectendum, sive virum aut mulierem ad religionem ingrediendam vel ad emittendam religiosam professionem, tam solemnem quam simplicem, tam perpetuam quam temporariam, excommunicatione nemini reservata plectuntur.

c. **2360**. Omnes fabricatores vel falsarii litterarum, decretorum vel rescriptorum Sedis Apostolicae vel iisdem scienter utentes, excommunicationem speciali modo S. A. reservatam incurrunt.

c. **2363**. Si quis per seipsum vel per alios confessarium de sollicitationis crimine apud Superiores falso denuntiaverit, ipso facto incurrit in excommunicationem speciali modo S. A. reservatam : a qua nequit ullo in casu absolvi, nisi falsam denuntiationem formaliter retractaverit, et damna, si qua inde secuta sint, pro viribus reparaverit, imposita insuper gravi et diuturna poenitentia, firmo praescripto canone 894. — [Porro can. 894 dicitur hoc peccatum esse ratione sui reservatum S. Sedi].

c. **2366**. Sacerdos qui sine necessaria iurisdictione praesumpserit sacramentales confessiones audire, est ipso facto suspensus a divinis. Qui vero a peccatis reservatis absolvere, ipso facto suspensus est ab audiendis confessionibus.

c. **2367**. § 1. Absolvens vel fingens absolvere complicem in peccato turpi, incurrit ipso facto in excommunicationem specia-

lissimo modo S. A. reservatam: idque etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem, excepto casu quo moribundus recuset alii confiteri. — § 2. Eamdem excommunicationem non effugit absolvens vel fingens absolvere complicem, qui peccatum quidem complicitatis, a quo nondum est absolutus, non confitetur; sed ideo ita se gerit, quia ad id a complice confessario sive directe sive indirecte inductus est.

c. **2368**. § 2. Fidelis qui scienter omiserit eum, a quo sollicitatus fuerit, intra mensem denuntiare, incurrit in excommunicationem l. s. nemini reservatam, non absolvendus nisi postquam obligationi satisfecerit, aut se satisfacturum serio promiserit.

c. **2369**. § 1. Confessarium qui sigillum sacramentale directe violare praesumpserit, manet excommunicatio specialissimo modo S. A. reservata.

c. **2377**. [Religiosi sacerdotes, qui a casibus conscientiae contumaciter absunt, si curam animarum non gerunt, a saecularium confessionibus audiendis sunt ab Ordinario suspendendi].

c. **2385**. Religiosus apostata a religione ipso iure incurrit in excommunicationem proprio Superiori maiori, vel, si religio sit laicalis aut non exempta, Ordinario loci, in quo commoratur, reservatam.

c. **2386**. Religiosus fugitivus, si sit in sacris, ipso facto in suspensionem proprio Superiori maiori reservatam incurrit.

Sed ex lege Societatis, excommunicationem incurrit (Censurae et Praec. c. III. n. 11).

c. **2388**. § 1. Clerici in sacris constituti, vel regulares aut moniales post votum solemne castitatis, itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes, incurrunt in excommunicationem S. A. simpliciter reservatam.

c. **2388**. § 2. Quod si sint professi votorum simplicium perpetuorum, excommunicationem Ordinario reservatam contrahunt.

c. **2392**. Delictum perpetrantes simoniae,... in quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis: 1° incurrunt in excommunicationem l. s. Sedi Apostolicae reservatam; ... 3° Si clerici sint, praeterea suspendantur.

APPENDIX I.

ELENCHUS EXCOMMUNICATIONUM LATAE SENTENTIAE.

I. *Excommunicationes Sedi Apostolicae specialissimo modo reservatae:*

1	in profanatores SS. Eucharistiae.	c. 2320
2	in iniicientem violentas manus in Romanum Pontificem.	c. 2343
3	in absolventem complicem in peccato turpi.	c. 2367, § 1
4	in confessarium sigillum sacramentale directe violantem.	c. 2369, § 1

II. *Excommunicationes Sedi Apostolicae speciali modo reservatae:*

1	in apostatas, haereticos et schismaticos.	c. 2314
2	in editores librorum apostatarum, haereticorum et schismaticorum, eosdemque scienter legentes.	c. 2318, § 1
3	in eum qui non-sacerdos missam celebrat aut confessiones audit.	c. 2322
4	in appellantes a Romano Pontifice ad universale concilium.	c. 2332
5	in recurrentes ad potestatem civilem ad impedienda acta S. Sedis.	c. 2333
6	in eos qui contra libertatem Ecclesiae leges edunt, aut ad potestatem civilem recurrunt.	c. 2334
7	in eos qui ad iudicem laicalem Cardinalem vel Ordinarium proprium trahere ausi fuerint.	c. 2341
8	in eos qui violentas manus in Cardinalem, Episcopum, Legatum iniiciunt.	c. 2343
9	in usurpantes et detinentes bona ad ecclesiam Romanam pertinentia.	c. 2345
10	in fabricatores falsarum litterarum S. Sedis, et iis scienter utentes.	c. 2360
11	in falso denuntiantes confessarium de sollicitatione.	c. 2363

III. *Excommunicationes Sedi Apostolicae simpliciter reservatae:*

1	in quaestum facientes ex indulgentiis.	c. 2327
2	in dantes nomen sectae massonicae aliisve eiusdem generis sectis.	c. 2335

3 in praesumentes absolvere sine facultate ab excommunicatione specialissimo aut speciali modo S. A. reservata. c. 2338, § 1

4 in impendentes auxilium aut favorem excommunicato vitando. c. 2338, § 2

5 in eos qui ad iudicem laicalem trahunt Episcopum non proprium, vel.... vel Superiores maiores Religionum iuris pontificii. c. 2341

6 in clausuram tum monialium, tum virorum regularium violantes, et in religiosos aliosve intra clausuram eos introducentes. c. 2342

7 in eos qui bona ecclesiastica quovis modo usurpaverint. c. 2346

8 in duellum perpetrantes vel ei faventes. c. 3351

9 in clericos in sacris, aut regulares vel moniales, post solemne votum castitatis matrimonium attentantes. c. 2388, § 1

10 in perpetrantes simoniam in officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis. c. 2392, 1°

11 in omnes qui documentum quodlibet ad curiam episcopalem pertinens, subtraxerint, vel destruxerint, vel celaverint vel mutaverint. c. 2405

IV. *Excommunicationes Ordinario reservatae:*

1 in catholicos matrimonium contrahentes coram ministro acatholico. c. 2319 § 1 n. 1

2 id., cum pacto de prole educanda extra religionem catholicam. c. 2319, n. 2

3 in catholicos scienter prolem ministris acatholicis baptizandam praebentes. c. 2319, n. 3

4 in parentes (aut alios), qui liberos in religione acatholica instruendos tradunt. c. 2319, n. 4

5 in falsas reliquias conficientes, vendentes, exponentes, distribuentes. c. 2326

6 in violentas manus iniicientes in clericos aut religiosos. c. 2343

7 in procurantes abortum, effectu secuto. c. 2350, § 1

8 in apostatam a religione. c. 2385

9 in religiosos votorum simplicium perpetuorum matrimonium contrahentes. c. 2388, § 2

V. *Excommunicationes nemini reservatae:*

1 in mandantes sepulturae ecclesiasticae eos qui ab ea arcentur. c. 2339

2 in alienantes sine requisito beneplacito apostolico bona ecclesiastica. c. 2347, n. 3°

3 in cogentes aliquem ad statum clericalem vel religiosum. c. 2352

4 in non denuntiantem Confessarium sollicitantem. c. 2368, § 2
5 in editorem Sacrarum Scripturarum ac in auctorem et editorem commentariorum in easdem sine debita licentia. c. 2318, § 2

APPENDIX II.

FACULTATES ALIQUAE NOSTRIS CONCESSAE.

Praeter privilegia in praecedentibus canonibus recensita, haec adhuc recensenda sunt.

1° Missionarii Societatis, in fine vel decursu sacrarum missionum quae ab ipsis peraguntur, benedicere et erigere valent secus vias cruces erigi solitas (Comp. Priv. n. 70).

2° Iidem possunt in fine Missionis dare benedictionem papalem sive per se ipsos, sive facultatem delegando digniori e clero tum saeculari, tum regulari. Benedictio datur cum imagine crucifixi unico signo crucis (Comp. Priv. nn. 72, 73).

3° Possunt Nostri, qui a Superioribus suis facultatem impetraverint, benedicere coronas, rosaria, cruces, crucifixos, parvas statuas, numismata, eisque indulgentias apostolicas applicare, necnon coronis indulgentias Crucigerorum. (Comp. Priv. nn. 66, 67).

4° Possunt omnes Sacerdotes nostri benedicere aquam Sancti Ignatii (Comp. Priv. nn. 68, 69).

5° Possunt in missionibus et in quocumque concursu populi scapularia sacra e suggestu benedicere, quin ea singulis fidelibus manu imponant, nec eorum nomina in catalogo confraternitatum inscribenda curent. Sed ad hoc requiritur ut debitis facultatibus ad singula scapularia imponenda sint praediti. Scapularia quae sic e suggestu imponere licet, sunt scapularia de Monte Carmelo, Immaculatae Conceptionis B. M. V., SS. Trinitatis, Septem Dolorum B. M. V., Passionis D. N. I. C. et Sacratissimi Cordis (Acta Romana, anno 1913).

6° Confessarii possunt dispensare ad petendum debitum cum ligatis voto castitatis, facultate prius a Provinciali impetrata (Comp. Priv. n. 180,181).

III. — CANONES SUPERIORIBUS MAGIS UTILES

Liber I. — Normae generales

[Liber I continet normas generales 86 canonibus comprehensas, scilicet de legibus ecclesiasticis, de consuetudine, de temporis supputatione, de rescriptis, de privilegiis, de dispensationibus. Pleraeque sunt valde utiles, praecipue quae sequuntur].

c. **2**. Omnes liturgicae leges vim suam retinent, nisi earum aliqua in Codice expresse corrigatur.

c. **4**. Privilegia atque indulta, quae ab Apostolica Sede concessa, in usu adhuc sunt nec revocata, integra manent, nisi huius Codicis canonibus expresse revocentur (Cf. tamen c. 613 de privilegiis religiosorum).

c. **6**. 1° Leges quaelibet, sive universales sive particulares, praescriptis huius Codicis oppositae abrogantur, nisi de particularibus legibus aliud expresse caveatur.

5° Quod ad poenas attinet, quarum in codice nulla fit mentio, spirituales sint vel temporales, medicinales vel, ut vocant, vindicativae, latae vel ferendae sententiae, ea tanquam abrogatae habeantur.

6° Si qua ex caeteris disciplinaribus legibus, quae usque adhuc viguerunt, nec explicite nec implicite in Codice contineatur, ea vim omnem amisisse dicenda est.

c. **15**. Leges, etiam irritantes et inhabilitantes, in dubio iuris non urgent; in dubio autem facti potest Ordinarius (P. Provincialis cum subditis) dispensare, dummodo agatur de legibus, in quibus R. P. dispensare solet.

c. **16**. Nulla ignorantia legum irritantium vel inhabilitantium ab eisdem excusat, nisi aliud expresse dicatur.

c. **17**. [De interpretatione legis].

c. **22**. Lex generalis nullatenus derogat locorum specialium et personarum singularium statutis, nisi aliud in ipsa expresse caveatur, sed firmo (manente) praescripto can. 6, n. 1.

c. **23**. In dubio, revocatio legis praexistentis non praesumitur.

c. **24**. Praecepta singulis data eos, quibus dantur, ubique urgent: sed cessant resoluto iure praecipientis, nisi per legitimum documentum aut coram duobus testibus imposita fuerint.

c. **33**. In supputandis horis diei standum est communi usui loci. Sed in privata missae celebratione, in privata horarum canonicarum recitatione, in sacra communione recipienda et in ieiunii vel abstinentiae lege servanda, licet alia sit usualis loci supputatio, potest quis sequi loci tempus aut locale, sive verum sive medium, aut legale sive regionale sive aliud extraordinarium.

c. **34**. § 3. 3° (In supputandis diebus, mensibus et annis) si terminus a quo non coincidat cum initio diei, primus dies ne computetur, et tempus finiatur expleto ultimo die eiusdem numeri.

Haec lex applicationem habet in emissione primorum votorum, sive quoad aetatem, sive quoad tempus novitiatus. Qui ingressus est v. g. die 1 septembris, vota post biennium emittere nequit nisi 2 sept. — Item, qui natus est 1 sept. non poterit, revoluto anno 17° completo, vota emittere nisi d. 2 sept. Caeterum ita nostrae leges iam statuebant.

c. **60**. § 2. Per legem contrariam nulla rescripta revocantur, nisi aliud in ipsa lege caveatur, aut lex lata sit a Superiore ipsius rescribentis; [neque privilegia per legem contrariam revocantur, nisi ex ipso iure concessa (c. 71)].

c. **64**. Per communicationem privilegiorum, etiam in forma aeque principali, ea tantum privilegia impertita censentur, quae directe, perpetuo et sine speciali relatione ad *certum* locum, aut rem, aut personam, concessa fuerant primo privilegiario, habita etiam ratione capacitatis subiecti, cui fit communicatio.

c. **68**. In dubio privilegia interpretanda sunt ad normam canonis 50, [sc. generatim latam recipiunt interpretationem; strictam tamen, si iura aliis quaesita laedunt, vel adversantur legi in commodum privatorum].

c. **73**. Resoluto iure concedentis, privilegia non extinguuntur, nisi data fuerint cum clausula: ad beneplacitum nostrum, vel alia aequipollente.

c. **75**. Privilegia localia, si locus intra quinquaginta annos restituatur, reviviscunt.

c. **79**. Quamvis privilegia oretenus a S. Sede obtenta ipsi petenti in foro conscientiae suffragentur, nemo tamen potest cuiusvis privilegii usum adversus quemquam in foro externo vindicare, nisi privilegium ipsum sibi concessum esse legitime evincat.

c. **81**. A generalibus Ecclesiae legibus Ordinarii infra R. P. dispensare nequeunt, ne in casu quidem peculiari, nisi haec potestas eisdem fuerit explicite vel implicite concessa, — aut nisi difficilis sit recursus ad S. Sedem et simul in mora sit periculum gravis damni, et de dispensatione agatur quae a S. A. concedi solet.

Superiores Societatis, Br. « Plura inter » Leonis XII possunt commutare officium divinum pro infirmis et missionariis (Comp. Priv. nu. 117 et 118). — De ieiunio, abstinentia et diebus festis, cf. c. 1245.

Liber II. — De Personis.

[Primis canonibus habentur definitiones scitu utiles. Vide part. II, can. 88-92].

c. **99**. Persona moralis. — c. 100, quomodo constituitur].

c. **102**. Persona moralis natura sua perpetua est. Extinguitur tamen si a legitima auctoritate supprimatur, vel si per centum annorum spatium esse desierit.

Ergo, ut videtur, si a domibus aut ecclesiis nostris iniuste fuerimus expulsi, per centum annos retinemus ius ad eas redeundi, quin requiratur novum beneplacitum apostolicum aut nova licentia Episcopi.

c. **103**. Actus positi ex metu gravi et iniuste incusso, vel ex dolo, valent, nisi aliud iure caveatur; sed possunt per sententiam iudicis rescindi.

c. **104**. Error actum irritum reddit, si versetur circa id quod constituit substantiam actus, vel recidat in conditionem sine qua non

secus actus valet, nisi aliud iure caveatur. Sed in contractibus error locum dare potest actioni rescissoriae, ad normam iuris.

. **106**. n. 6. Loci Ordinarii est in sua dioecesi statuere praecedentias; — et omnes de praecedentia controversias etiam inter exemptos componere in casibus urgentioribus, remota omni appellatione in suspensivo, sed sine praeiudicio iuris uniuscuiusque.

. **110**. Proprio Praelati nomine in iure dicuntur clerici, sive saeculares sive religiosi, qui iurisdictionem ordinariam in foro externo obtinent.

. **115**. Per professionem religiosam quis a propria dioecesi excardinatur, ad normam can. 585 (Hoc canone 585 statuitur sola professione perpetua, sive votorum solemnium sive simplicium, religiosum amittere dioecesim propriam).

. **120**. § 2. Qui privilegio fori gaudent (ergo religiosi omnes, etiam laici et novitii, ex can. 614) non possunt conveniri apud iudicem laicum, sine venia Ordinarii loci, in quo causa peragitur.

. **120**. § 3. Si nihilominus, ab eo qui nullam praehabuerit veniam conveniuntur, possunt ratione necessitatis ad vitanda maiora mala comparere, certiore tamen facto Superiore a quo venia obtentá non fuit (id est Ordinario loci, ex § 2).

. **121**. Clerici omnes a servitio militari, a muneribus et publicis civilibus officiis a statu clericali alienis immunes sunt.

Ex can. 614 hoc privilegio gaudent etiam religiosi laici et novitii.

. **131**. § 3. Ad collationem casuum conscientiae cleri saecularis interesse debent:

1° Religiosi, etiam exempti, curam animarum habentes.

2° Alii religiosi qui facultatem audiendi confessiones ab Ordinario (loci) obtinuerunt, si collatio in eorum domibus non habeatur. Cf. c. 2377 poenas in contumaciter absentes.

. **132-144**. [Quae sint clericis praescripta vel interdicta; et etiam religiosis ex c. 592].

c. **189**. § 1. Superiores sine iusta et proportionata causa renuntiationes (officio) ne acceptent.

c. **192**. § 3. Si de (officio) amovibili agitur, privatio decerni ab Ordinario potest ex quacumque iusta causa, prudenti eius arbitrio, etiam citra delictum, naturali aequitate servata, sed certum procedendi modum sequi minime tenetur. [Utile esse potest contra querelas recalcitrantium]. — Ab Ordinarii decreto datur recursus ad Sedem Apostolicam, sed in devolutivo tantum.

c. **196-210**. [Plura habentur scitu utilia de iurisdictione ordinaria et delegata].

c. **198**. § 1. In Iure, nomine *Ordinarii* intelliguntur.... pro suis subditis Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis (sc. Provinciales, eorumdem Vicarii et simili auctoritate pollentes : can. 488, 2°). [Hi Superiores nunquam veniunt nomine Ordinarii loci (cf. § 2)].

c. **223**. Ad Concilium oecumenicum invitandi sunt, et in eo ius suffragii deliberativi habent Supremi Moderatores religionum clericalium exemptarum.

c. **286**. 4° Ad Concilium provinciale invitandi sunt Maiores religionum clericalium exemptarum Superiores qui in provincia resideant, debentque invitati adesse, aut impedimentum quo detinentur Concilio notum facere ; sed his votum est dumtaxat consultivum. [Ad Concilium plenarium possunt quidem vocari, non tamen necessario vocandi sunt (c. 282)].

c. **358**. § 1. 8° Ad Synodum dioecesanam vocari debet unus e Superioribus cuiusque Religionis clericalis qui in dioecesi commorentur, designatus a Superiore provinciali, nisi domus provincialis sit in dioecesi, et Superior provincialis interesse ipse maluerit.

c. **358**. § 2. Episcopus potest ad Synodum dioecesanam vocare alios..., Superiores religiosos.

c. **359**. [Si ad Synodum venire nequeunt, Episcopum de impedimento certiorem faciant].

Nostri, ex privilegio per communicationem non tenentur assistere conciliis (Comp. Priv. n. 219).

c. **250**. § 2. S. Congr. Concilii facultatem habet admittendi ad compositionem eos qui occuparunt bona ecclesiastica, etiam pertinentia ad religiosos; permittendi ut fideles acquirant bona ecclesiastica a potestate civili usurpata.

c. **251**. [Competentia Congregationis Religiosorum].

c. **252**. § 5. S. Congregatio de Prop. Fide sibi vindicat quidquid religiosos, qua missionarios, sive uti singulos sive simul sumptos, tangit. Quidquid vero religiosos qua tales, sive uti singulos sive simul sumptos attingit, ad Congr. religiosorum negotiis praepositam remittat aut relinquat.

c. **256**. § 1. [Universitates « comprehensis iis quae a religiosae alicuius familiae sodalibus diriguntur », dependent a Congr. de Seminariis et Universitatibus].

Vicarii et Praefecti Apostolici in Missionibus.

c. **294**. § 1. Vicarii et Praefecti Apostolici iisdem iuribus et facultatibus in suo territorio gaudent, quae in propriis dioecesibus competunt Episcopis residentialibus, nisi quid Apostolica Sedes reservaverit.

c. **295**. § 1. Vicarii et Praefecti Apostolici ab omnibus missionariis, etiam religiosis, possunt ac debent exigere ut suas patentes.... litteras exhibeant.

c. **295**. § 2. Omnes missionarii, etiam regulares, licentiam sacri ministerii exercendi petant a Vicariis et Praefectis Apostolicis, qui tamen eam ne denegent, nisi singulis et gravem ob causam.

c. **296**. § 1. Etiam missionarii regulares subiiciuntur Vicarii et Praefecti Apostolici iurisdictioni, visitationi et correctioni in iis quae pertinent ad Missionis regimen, curam animarum, sacramentorum administrationem, scholarum directionem, oblationes intuitu missionis factas, implementum piarum voluntatum in favorem eiusdem missionis.

c. **296**. § 2. Quamvis Vicariis et Praefectis Apostolicis nullo modo liceat, praeter casus in iure praevisos, se in disciplinam religiosam ingerere, quae a Superiore religioso dependet: si

tamen circa ea, de quibus in superiore paragrapho, conflictus oriatur inter mandatum Vicarii aut Praefecti Apostolici et mandatum Superioris, prius praevalere debet, salvo iure recursus in devolutivo ad S. Sedem, et salvis peculiaribus statutis a Sede Apostolica probatis.

c. **297**. Deficientibus e clero saeculari sacerdotibus, Vicarii et Praefecti Apostolici possunt, audito eorum Superiore, cogere religiosos, etiam exemptos, Vicariatui vel Praefecturae addictos, ad animarum curam exercendam, salvis pariter peculiaribus statutis a Sede Apostolica probatis.

c. **298**. Si qua dissidia, in iis quae ad curam animarum pertinent, sive inter singulos missionarios, sive inter diversas religiones, sive inter missionarios et alios quoslibet oriri contigerit, ea quamprimum componere curent Vicarii ac Praefecti Apostolici, qui huiusmodi quaestiones, ubi opus fuerit dirimant, integro tamen iure recursus ad Apostolicam Sedem, qui decreti effectum non suspendit.

c. **302**. (Vicarii et Praefecti Apostolici) constituant consilium ex tribus saltem antiquioribus et prudentioribus missionariis, quorum sententiam, saltem per epistolam, audiant in gravioribus et difficilioribus negotiis.

c. **303**. Prout siverit opportunitas, missionarios saltem praecipuos tum religiosos tum saeculares proprii territorii (Vicarii Apostolici) congregent semel saltem in anno, ut possint ex singulorum experientia et consilio deducere quae sint ordinanda perfectius.

c. **305**. (Vicarii Apostolici) studiosissime curent, onerata graviter eorum conscientia, ut ex christianis indigenis seu incolis suae regionis probati clerici rite instituantur ac sacerdotio initientur.

c. **307**. § 2. In casu publici scandali, possunt ipsi, audito suo consilio, et, si agatur de religiosis, praemonito quantum fieri potest Superiore, missionarium statim removere, facta tamen illico certiore Apostolica Sede.

Episcoporum iura.

c. **337**. § 1. Episcopus in tota dioecesi, ne exceptis quidem locis exemptis, potest pontificalia exercere; — et c. 349 § 3: Ius habet elevandi in omnibus ecclesiis suae dioecesis thronum cum baldachino (ut videtur etiam in ecclesiis exemptis).

c. **344**. § 1. Ordinariae episcopali visitationi obnoxiae sunt personae, res ac loca pia, quamvis exempta,... nisi probari possit specialem a visitatione exemptionem fuisse ipsis ab Apostolica Sede concessam.

c. **344**. § 2. Religiosos autem exemptos Episcopus visitare potest in casibus tantum in iure expressis.

Societas privilegium habet, quo res et loca eius a iurisdictione Episcopi eximuntur (Cf. Comp. Priv. n. 211).

Nota. Distinguenda sunt opera pia, a religiosis etiam exemptis exercita, a personis et domibus regularium. Opera pia non sunt per se exempta. Cf. quoad scholas can. 1381 et 1382: quoad loca pia, can. 1491 et 1492.

c. **345**. Visitator, in iis quae obiectum et finem visitationis respiciunt, debet paterna forma procedere; et ab eius praeceptis et decretis datur recursus in devolutivo tantum.

c. **358**. 8° [de Synodo dioecesana. Vide supra post can. 223].

c. **375-384**. [Utilia habentur de archivo eiusque cura].

De reliquis Episcoporum iuribus, cf. Indicem, voce *Episcopus*.

Parochus religiosus.

c. **451-486**. [Parochus, Vicarius parochialis, Rector ecclesiae possunt esse alumni Religionis exemptae. — Quaenam sit inter eos differentia explicatur c. 451, 471, 479. — Ad haec munia exercenda *praesentat* Ordinario loci sacerdotem suae Religionis Superior cui ex constitutionibus hoc ius competit: Ordinarius autem *institutionem* concedit (c. 456, 471 § 2, 480 § 2). Rector ecclesiae Religiosis concreditae dicitur *nominari* a Superiore regulari, *approbari* ab Ordinario loci].

Hi omnes sunt amovibiles ad nutum tam loci Ordinarii, monito Superiore, quam Superioris, monito Ordinario, aequo

iure, non requisito alterius consensu; nec alter alteri causam iudicii sui aperire, multo minus probare tenetur, salvo recursu in devolutivo ad Apostolicam Sedem » (c. 454 § 5, can. 471 § 3, can. 486).

c. **465**. § 4. Cum absentia ultra hebdomadam est duratura, parochus praeter legitimam causam, habere debet Ordinarii scriptam licentiam, et vicarium substitutum sui loco relinquere ab eodem Ordinario probandum. Quodsi parochus sit religiosus, indiget praeterea consensu Superioris, et substitutus tum ab Ordinario, tum a Superiore probari debet.

c. **472**. Vacante paroecia, 1) Ordinarius loci in ea quamprimum constituat idoneum vicarium oeconomum, de consensu Superioris, si de religioso agatur, qui eam tempore vacationis regat; 2) ante oeconomi constitutionem, paroeciae regimen assumat domus Superior.

c. **476**. § 4. Vicarios cooperatores religiosos Superior, cui id ex constitutionibus competit, audito parocho, praesentat Ordinario, cuius est eosdem approbare.

Piae Fidelium Associationes.

c. **686**. § 2. Associationes erigere vel approbare pertinet, praeter R. P., ad loci Ordinarium, exceptis illis, quarum instituendarum ius apostolico ex privilegio aliis reservatum est.

c. **686**. § 3. Semper tamen, nisi aliud in ipso privilegio cautum sit, requiritur ad validitatem erectionis consensus Ordinarii loci scripto datus. Consensus tamen ab Ordinario praestitus pro erectione domus religiosae valet etiam pro erigenda in eadem domo, vel ecclesia ei adnexa, associatione quae non sit constituta ad modum organici corporis et illius religionis sit propria.

Societas ex indulto apostolico ius habet instituendi Congregationes B. M. V. et Bonae Mortis — et etiam, ex Normis anni 1896, associationes Apostolatus Orationis, — in omnibus suis ecclesiis. — et cum consensu Ordinarii loci etiam in quibuscumque ecclesiis. (Cf. Comp. Priv. 509-516).

Praeterea nostri Missionarii, tempore sacrarum missionum, possunt de licentia locorum Ordinariorum, instituere pias sodalitates ad exstirpandas blasphemias et imprecationes (Cf. Comp. Priv. 521 et 522).

c. **690**. § 1. Omnes Associationes,... nisi speciale obstet privilegium, iurisdictioni subsunt et vigilantiae Ordinarii loci, qui ad normas sacrorum canonum eas invisendi ius habet et munus.

§ 2. Associationes tamen, quae vi privilegii apostolici a religiosis exemptis in suis ecclesiis institutae sunt, Ordinariis locorum fas non est visitare quod attinet ad ea quae internam disciplinam seu spiritualem associationis directionem spectant.

Advertatur 1°, ut associatio sit exempta a iurisdictione et visitatione Ordinarii loci, necesse esse ut erecta sit in ecclesia religionis exemptae; 2°, tunc exempta est quoad internam disciplinam et spiritualem directionem, non autem, ut dicitur can. 691, § 1, quoad bona temporalia, si habeat, nec quoad oblationes et erogationem eleemosynarum si recipiat et eroget (Ibid. § 2 et 5).

Propterea, ex privilegio a Benedicto XIV concesso (Bull. p. 305), Congr. Marianae in domibus Societatis erectae sunt incapaces cuiuscumque proprietatis, sed quaecumque eis dantur, fiunt proprietas domus religiosae in qua eriguntur (cf. Comp. n. 81). Sed idem privilegium non est concessum Congr. Bonae Mortis. Unde ut eae remaneant exemptae ab omni Ordinarii loci visitatione, necesse est ut *de facto* non eis permittatur quidquam acquirere.

c. **693**. § 4. [Religiosi possunt piis associationibus nomen dare, nisi Superiores prohibeant, — non tamen tertiis ordinibus (c. 704)].

c. **696**. § 3. Etiamsi in statutis nihil expresse caveatur, etiam loci Ordinarius quoad omnes associationes, et Superior religiosus quod ad associationes ex Apostolico indulto a religiosis erectas attinet, possunt socios dimittere.

c. **698**. § 1. Nisi privilegium apostolicum aliud expresse caveat, nominatio Moderatoris et Cappellani pertinet ad loci Ordinarium in associationibus ab ipso vel ab Apostolica Sede erectis aut approbatis, et in associationibus a Religiosis vi apostolici privilegii erectis extra proprias ecclesias. In associationibus vero erectis a Religiosis in propriis ecclesiis requiritur tantum Ordinarii loci consensus, si a Superiore Moderator et Cappellanus e clero saeculari eligantur.

c. **699**. [Ordinarius loci potest, ob graves causas, supprimere associationes a Religiosis erectas].

c. **707**. [Definiuntur Piae Uniones, Sodalitia, Confraternitates].

An Congregationes Marianae habendae sint ut Piae Uniones, an ut sodalitia, dubium est.

c. **716**, **717**. [Quaenam functiones ecclesiasticae exerceri possunt in oratorio piarum sodalitatum et confraternitatum].

c. **719**. [De translatione earum de loco in locum]. — § 2. Quoties agatur de transferenda confraternitate vel pia unione alicui religioni reservata, Superioris consensus est requirendus.

c. **722**. § 2. Ex hac communicatione (gratiarum, quae fit per aggregationem) nullum ius associatio aggregans acquirit supra aggregatam.

Contrarium habetur in Comp. Priv. n. 509, ubi dicitur de Congregationibus Bonae Mortis in nostris ecclesiis aut domibus erectis et aggregatis: « quae ab ipsa primaria Congregatione, tanquam membra a capite dependeant ». — Sed, quod maioris est momenti, Praep. Generalis ius habet omnes Congregationes tum marianas, tum Bonae Mortis sub cura Societatis constitutas per se vel per alium visitandi, earum statuta corrigendi, immutandi, easque dissolvendi. (Cf. Comp. priv. nn. 513, 514 et 517 pro Congr. Marianis; et pro Congr. Bonae Mortis Const. Ben. XIII « Redemptoris nostri » Bull. p. 241[2]).

c. **723**. [Conditiones requisitae ad validitatem aggregationis]. 2[a], Fiat de consensu Ordinarii loci scriptis dato una cum eius litteris testimonialibus.

Hic consensus non requiritur pro Congr. Marianis et Bonae mortis in nostris domibus aut ecclesiis erectis (de erectione ita dicitur in can. 686 § 3, et videtur extendendum ad aggregationem). — Caeterum hoc privilegium, aggregandi alias sodalitates nullius requisito consensu, expresse conceditur pro Congr. Bonae mortis a Ben. XIII (Bull. p. 241[2]); pro Congr. Marianis, a Ben. XIV Const. « Gloriosae ». (Vide Comp. priv. n. 514).

Liber III. — De Rebus.

De Sacramentis.

c. **792**. Episcopo ius est intra fines suae dioecesis confirmationem administrare in locis quoque exemptis.

Ergo etiam in ecclesiis et oratoriis nostris.

S. Eucharistia. Missa.

c. **804**. [De admissione sacerdotis extranei ad missam celebrandam].

c. **806**. [§ 1. Non licet binare nisi ex indulto apostolico, aut potestate facta ab Ordinario loci. — § 2. Quando Ordinarius facultatem impertiri possit].

c. **811**. § 1. Sacerdos missam celebraturus deferat vestem convenientem quae ad talos pertingat.

c. **821**. § 1. Missae celebrandae initium ne fiat citius quam una hora ante auroram, vel serius quam una hora post meridiem.

Ex privilegio a Greg. XVI Societati concesso, nostris Missionariis licet, facultate a Superioribus accepta, celebrare duas horas post mediam noctem (Bull. p. 360). — Ex communicatione privilegiorum, Nostri possunt semper et ubique celebrare duabus horis ante auroram et post meridiem; vel etiam, ex alio privilegio, in nostris ecclesiis, iustam aliquam ob causam, duabus horis post mediam noctem et tribus post meridiem (Comp. Priv. n. 409, 410).

c. **821**. § 3. Nocte Nativitatis Domini, in omnibus religiosis seu piis domibus oratorium habentibus cum facultate SS. Euch. habitualiter asservandi, *unus* sacerdos tres rituales missas, vel, servatis servandis, unam tantum, quae adstantibus omnibus ad praecepti quoque satisfactionem valeat, celebrare potest, et S. Communionem petentibus ministrare.

c. **822**. § 3. Privilegium altaris portatilis ita intelligendum est, ut secum ferat facultatem ubique celebrandi, honesto tamen ac decenti loco, et super petram sacram, non autem in mari.

c. **822**. § 4. Loci Ordinarius, aut si agatur de domo Religionis exemptae, Superior maior (Provincialis) licentiam celebrandi extra ecclesiam et oratorium super petram sacram et decenti loco, nunquam autem in cubiculo, concedere potest, iusta tantum ac rationabili de causa, in aliquo extraordinario casu et per modum actus.

Sed Societas habet ampliora privilegia:

1um a Greg. XIII directe concessum: ut Nostri « inter missiones quae a Superioribus fiunt, ubique gentium, etiam in castris militum »

altari portatili uti et « SS. Eucharistiam tunc fidelibus distribuere valeant ». (Comp. Priv. n. 27).

2um a Leone XII, Brevi « Plura inter. » — Praep. Genesalis potestatem facere potest celebrandi « in altari portatili, sine ministro, sub dio et sub terra, in loco tamen decenti, etiam si altare sit fractum, vel sine reliquiis Sanctorum, praesentibus haereticis, schismaticis, infidelibus et haereticis, si aliter celebrari non possit » (Comp. Priv. n. 32. Sed P. Generalis privilegium non communicat nisi in locis ubi similis facultas a S. Congr. de P. F. conceditur).

3um privilegium, celebrandi in cubiculo infirmorum, habetur per communicationem (Cf. Comp. Priv. n. 33 et 34).

c. **824-844**. [De stipendiis missarum. Omnia quidem tenenda sunt. — Notentur praecipue sequentes canones]:

c. **831**. § 3. Etiam Religiosi exempti circa stipem manualem stare debent decreto Ordinarii loci aut dioecesis consuetudini.

c. **836**. In ecclesiis in quibus, ob fidelium peculiarem devotionem, missarum eleemosynae ita affluunt, ut omnes Missae ibidem celebrari debito tempore nequeant, moneantur Fideles per tabellam in loco patenti et obvio positam, missas oblatas celebratum iri vel ibidem, cum commode poterit, vel alibi.

c. **839**. Qui Missas a fidelibus receptas aut quoquo modo suae fidei commissas aliis celebrandas tradiderint, obligatione tenentur usque dum acceptatae ab eisdem obligationis et recepti stipendii testimonium obtinuerint.

c. **842**. Ius et officium advigilandi ut onera missarum adimpleantur, in Religiosorum ecclesiis pertinet ad eorum Superiores.

[Hoc officium est tum Superioris localis, tum Provincialis ex can. sequente].

c. **843**. § 2. Ordinarii (ideo Provinciales) tenentur obligatione singulis saltem annis huiusmodi libros (in quo missae adnotantur) sive per se ipsi sive per alios recognoscendi.

Sacramentum Poenitentiae.

c. **873**. § 2. Ordinaria iurisdictione gaudent Superiores religiosi exempti pro suis subditis, ad normam constitutionum.

c. **874**. § 1. Iurisdictionem delegatam ad recipiendas confessiones quorumlibet, sive saecularium sive religiosorum, confert Sa-

cerdotibus tum saecularibus tum religiosis, etiam exemptis. Ordinarius loci in quo confessiones excipiuntur. Sacerdotes autem religiosi eadem ne utantur sine licentia saltem praesumpta sui Superioris, firmo tamen praescripto can. 519; —

§ 2. Locorum Ordinarii iurisdictionem ad audiendas confessiones habitualiter ne concedant Religiosis qui a proprio Superiore non praesentantur; iis vero qui a proprio Superiore praesentantur sine gravi causa eam ne denegent.

c. **875**. § 1. In religione clericali exempta ad recipiendas confessiones professorum, novitiorum (ac familiarium) iurisdictionem delegatam confert quoque proprius eorumdem Superior, ad normam constitutionum; cui fas est eam concedere etiam sacerdotibus e clero saeculari aut alius religionis.

c. **876**. [Specialis Ordinarii loci iurisdictio est necessaria ad Religiosarum confessiones excipiendas].

c. **877**. Tum locorum Ordinarii iurisdictionem, tum Superiores religiosi iurisdictionem aut licentiam audiendarum confessionum ne concedant, nisi iis qui idonei per examen reperti fuerint, nisi agatur de sacerdote cuius theologicam doctrinam aliunde compertam habeant.

c. **878**. § 1. Iurisdictio delegata aut licentia audiendarum confessionum concedi potest certis quibusdam circumscripta finibus.

c. **878**. § 2. Caveant tamen locorum Ordinarii ac religiosi Superiores ne iurisdictionem aut licentiam sine rationabili causa nimis coarctent.

c. **880**. § 1. Loci Ordinarius vel Superior religiosus iurisdictionem vel licentiam ad audiendas confessiones ne revocent aut suspendant, nisi gravem ob causam.

c. **880**. § 3. Non tamen licet Episcopo, inconsulta Sede Apostolica, si de domo formata agatur, omnibus alicuius religiosae domus confessariis una simul iurisdictionem adimere.

c. **881**. § 1. Omnes utriusque cleri Sacerdotes ad audiendas confessiones in aliquo loco approbati, possunt etiam vagos ac peregrinos ex alia dioecesi vel paroecia ad se accedeu-

tes, itemque catholicos cuiusque ritus orientalis, valide et licite absolvere.

c. **881**. § 2. Qui ordinariam habent absolvendi potestatem, possunt subditos absolvere ubique terrarum.

c. **883**. [De facultate audiendi confessiones in itinere maritimo].

c. **891**. Magister novitiorum, eiusque Socius, Superior Seminarii collegiive sacramentales confessiones suorum alumnorum, secum in eadem domo commorantium, ne audiant, nisi alumni ex gravi et urgenti causa in casibus particularibus sponte id petant.

Superiores prae oculis habeant quae de hac re continentur in litteris P. Generalis d. 31 iulii 1918 et iam relata sunt pag. 14.

c. **896**. Inter Superiores Religionis clericalis exemptae unus Superior Generalis, cum proprio Consilio, peccata subditorum reservare possunt, firmo praescripto canonibus 518 et 519. [Cf. etiam c. 897].

Mutatur lex Clementis VIII, qua ius reservandi peccata Capitulo generali reservabatur.

c. **899**. § 3. Ipso iure, a casibus quos quoquo modo sibi Ordinarii reservaverint, absolvere possunt tum parochi, aliive qui parochorum nomine in iure censentur, toto tempore ad praeceptum paschale adimplendum utili, tum singuli missionarii quo tempore missiones ad populum haberi contingat.

Privilegium Societatis in missionibus et exercitio praeparationis ad mortem, vide in Comp. Priv. n. 7 et 9.

c. **900**. Quaevis reservatio omni vi caret: 1° cum confessionem peragunt sive aegroti qui domo egredi non valent, sive sponsi matrimonii ineundi causa; 2° quoties vel legitimus Superior petitam pro aliquo determinato casu absolvendi facultatem denegaverit, vel prudenti confessarii iudicio, absolvendi facultas a legitimo Superiore peti nequeat sine gravi poenitentis incommodo aut sine periculo violationis sigilli sacramentalis; 3° extra territorium reservantis, etiamsi dumtaxat ad absolutionem obtinendam poenitens ex eo discesserit.

c. **904**. Confessarius debet, graviter onerata eius conscientia, poenitentem monere de obligatione confessarium sollicitantem denuntiandi.

c. **905**. Cuivis fideli integrum est confessario legitime approbato, etiam alius ritus, cui maluerit, peccata sua confiteri.

c. **910**. Confessiones virorum etiam in aedibus privatis excipere licet.

Indulgentiae.

c. **916**. Superiores maiores religionis clericalis exemptae possunt designare et declarare unum altare privilegiatum quotidianum perpetuum, dummodo aliud non habeatur, in suis *ecclesiis* conventualibus, paroecialibus, quasi paroecialibus, non autem in oratoriis publicis vel semi-publicis, nisi sint ecclesiae paroeciali unita, seu eiusdem subsidiaria.

Non autem revocatum est privilegium a Pio X Societati concessum 15 apr. 1907 (Acta Rom. I, p. 15), scilicet ut facultas « ecclesiis et sacellis publicis » concessa, « ad domesticas privatas cappellas (extendatur), dummodo nullum aliud exstet inibi altare privilegiatum ». (*Inibi* intelligi debet: in domo).

c. **919**. § 1. Novae induigentiae, ecclesiis etiam regularium concessae, quae Romae promulgatae non sint, ne pervulgentur, inconsulto Ordinario loci.

c. **929**. [De facultate indulgentias lucrandi, visitando sacellum domesticum, quando domus caret ecclesia aut publico oratorio. Facultas datur omnibus qui domum habitant].

c. **938** et seq. *Extrema Unctio.* Vide part. II, pag. 31.

Sacramentum Ordinis.

c. **960**. § 1. Litterae dimissoriae ne concedantur, nisi habitis antea omnibus testimoniis quae iure exiguntur ad normam c. 993-1000.

c. **964**. § 2. Religiosi exempti a nullo Episcopo ordinari licite possunt sine litteris dimissoriis proprii Superioris maioris (sc. Provincialis).

c. **964**. § 3. Superiores professis votorum simplicium (triennalium) litteras dimissorias concedere possunt dumtaxat ad primam tonsuram et ordines minores.

Quoniam votâ post biennium novitiatus in Societate sunt perpetua, quamvis conditionata ex parte admittentis, non cadunt sub hoc canone; et qui ea emiserunt ad ordines maiores promoveri possunt.

c. **965**. Episcopus ad quem Superior religiosus litteras dimissorias mittere debet, est Episcopus dioecesis in qua sita est domus religiosa, ad cuius familiam pertinet ordinandus.

Sed Societas privilegium habet a Paulo III concessum et a Gregorio XIII agnitum (Bull. p. 86[1]), et rursus a Leone XII concessum, quo Nostri possunt ordines qua minores qua maiores accipere, etiam extra tempora et interstitiis nequaquam servatis, a quocumque sacro Antistite cum Cathedra Romana sociato, adepto tamen consensu Ordinarii illius loci Praesulis. — Ergo litterae dimissoriae ad Episcopum ordinantem dirigi debent, non ad Ordinarium loci (Epist. P. Generalis 17 april. 1918, n. 16).

c. **976**. § 1. Nemo sive saecularis sive religiosus ad primam tonsuram promoveatur ante inceptum cursum theologicum.

§ 2. Subdiaconatus ne conferatur, nisi exeunte tertio cursus theologici anno; diaconatus, nisi incepto quarto anno; presbyteratus, nisi post medietatem eiusdem quarti anni.

§ 3. Cursus theologicus peractus esse debet non privatim, sed in scholis ad id institutis.

P. Generalis in epistola 17 aprilis 1918, n. 18, haec habet: Quod ad studia praerequisita attinet, nullo privilegio eximitur Societas a canone 976... Itaque haec nobis quoque religiose servanda sunt, et de studiis sic peractis Provincialis suis litteris dimissoriis testari debet.

c. **978**. § 1. In ordinationibus serventur temporum interstitia. — [§ 2 indicatur quaenam haec interstitia esse debeant].

Sed privilegium habemus tum a Gregorio XIII (Bull. p. 86[1]) tum a Leone XII concessum (cf. supra can. 965), quo Nostris licet ordines suscipere interstitiis minime servatis.

Hoc tamen privilegium non valet contra § 3 eiusdem canonis. Ita P. Generalis, in epistola 17 aprilis 1918, n. 19.

§ 3. Nunquam tamen, nisi de peculiari licentia R. P. minores ordines cum subdiaconatu, duove sacri ordines uni eodemque die, reprobata quavis contraria consuetudine, conferantur; imo nec primam tonsuram conferre licet una cum

aliquo ex ordinibus minoribus, neque omnes ordines minores una simul.

c: **982**. § 1. Pro regularibus titulus canonicus est solemnis religiosa professio, seu titulus paupertatis. — § 2. Pro religiosis votorum simplicium perpetuorum est titulus mensae communis, aut alius similis, ad normam constitutionum.

(Hic canon Societati male aptatur: nostri scolastici enim sunt regulares, et tamen solemnem professionem non emiserunt).

c. **984** et **985**. [Irregularitates ex defectu et ex delicto enumerantur].

c. **984**. Sunt irregulares ex defectu 1° Illegitimi, sive illegitimitas sit publica sive occulta, nisi fuerint legitimati vel vota solemnia professi.

Societas privilegium habet multiplex quo candidatos et socios dispensare possit in irregularitatibus (Comp. 164 et 165), et specialiter in defectu natalium (Comp. n. 168 et 170).

c. **987**. [Plures ab ordinatione simpliciter impediti enumerantur; inter quos 1° Filii acatholicorum, quamdiu parentes in suo errore permanent. (Dicendum videtur, cum simplex impedimentum sit quid minus quam irregularitas, amplum privilegium Societati concessum dispensandi ab irregularitatibus, comprehendere facultatem ab his impedimentis dispensandi)].

c. **990**. Licet Ordinariis (ergo Provincialibus erga subditos), per se vel per alium, suos subditos dispensare ab irregularitatibus omnibus ex delicto occulto provenientibus, ea excepta de qua in can. 985 n. 4, aliave deducta ad forum externum.

[Porro, can. 985 4°, irregulares pronuntiantur « qui voluntarium homicidium perpetrarunt, aut fetus humani abortum procuraverunt, effectu secuto, omnesque cooperantes »].

c. **993**. Promovendi saeculares aut religiosi non exempti debent afferre Episcopo:

1° testimonium ultimae ordinationis, aut si de prima tonsura agatur, recepti baptismatis et confirmationis;

2° testimonium de peractis studiis pro singulis ordinibus requisitis;

3° testimonium de bonis candidati moribus;

4° testimoniales litteras Ordinarii loci in quo promo-

vendus tantum temporis moratus est ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit. (Hoc pro Religioso intelligendum est, si extra domos suae Religionis aliquamdiu vixerit, maxime si servitio militari satisfacere debuit). Porro can. 994 habetur: « Tempus quo promovendus potuit canonicum impedimentum contrahere est regulariter pro militibus trimestre; pro aliis, semestre post pubertatem » (sc., iuxta can. 88, a 14° anno completo).

5° testimoniales Superioris maioris religiosi, si cui religioni promovendus adscriptus est.

c. **995**. § 1. Etiam Superior religiosus suis litteris dimissoriis non solum testari debet promovendum professionem religiosam emisisse et esse de familia domus religiosae sibi subditae, sed etiam de studiis peractis, deque aliis iure requisitis.

§ 2. Episcopus acceptis iis litteris dimissoriis, aliis testimonialibus litteris non indiget.

Comparatis can. 993, 995, necnon can. 960 § 1 et § 2, haec tenenda sunt: 1° Promovendi religiosi exempti non tenentur afferre Episcopo testimonia can. 993 enumerata; 2° Sufficiunt litterae dimissoriae Superioris maioris, ad normam canonis 995; 3° Superior, antequam det litteras dimissorias, testimonia can. 993 praescripta sibi comparare debet. (Epistola P. Generalis 17 april. 1918, n. 17).

c. **996**. § 1. Quilibet promovendus, sive saecularis sive religiosus, debet praevium ac diligens examen subire circa ipsum ordinem suscipiendum.

Superiores curent ut omnes ordinandi hoc examen subeant. (Epistola P. Generalis, 17 apr. 1918, n. 14).

c. **996**. § 2. Promovendi vero ad sacros ordines in aliis quoque de sana theologia tractationibus periculum faciant.

De materia huius examinis constat ex can. 976 (cf. 996, § 3). Examen annuum in fine singuli anni scolastici sufficit, si promovendus satisfecit. (Epistola 17 apr. 1918, ibid.).

c. **997**. § 2. Episcopus alienum subditum, sive saecularem sive religiosum ordinans cum legitimis litteris dimissoriis..., potest huic attestationi acquiescere, sed non tenetur.

Habemus privilegium Gregorii XIII (Comp. Priv. n. 444), quo Nostri eximuntur a quovis Episcopi examine. Hoc privilegium fuit quidem a Pio X revocatum, primo pro Urbe (Motu proprio 16 iul. 1905), deinde

pro tota Italia (19 Mart. 1906): sed in aliis locis vim suam retinet. Attamen timendum est ne quis Episcopus, hoc innixus canone 997 § 2, examen exigat: tunc prudenter agendum esset (Eadem epistola, ibid.).

c. **998**. § 1. [Religiosi a votis perpetuis eximuntur a publica denuntiatione pro caeteris in ecclesia parochiali ante ordinationem facienda].

c. **1001**. [Praescribuntur Exercitia Spiritualia a promovendis facienda ante singulas ordinationes: per tres dies ante primam tonsuram et ordines minores, et per sex dies ante unumquemque ordinum maiorum (Vide particularia in canone). — § 4. Episcopus ordinans de exercitiis peractis a Superiore maiore ordinandi certior fieri debet].

c. **1006**. [De tempore ordinationis. — § 5 reprobatur *consuetudo* contra ordinationum tempora praescripta].

Privilegium habemus valde speciale a Gregorio XIII concessum, ut Nostri extra tempora ordinari valeant (Comp. Priv. n. 444; Bull. p. 86) Hoc privilegium non videtur sublatum § 5 huius canonis: revocatur enim consuetudo, non privilegium.

c. **1009**. § 2. [Non prohibetur Episcopo ordinationem celebrare in oratorio domus religiosae].

c. **1011**. Superior maior, si de religiosis agatur ordinatis cum suis litteris dimissoriis, notitiam celebratae ordinationis uniuscuiusque subdiaconi transmittat ad parochum baptismi.

Ergo, post Nostrorum ordinationem ad subdiaconatum, ne omittant Provinciales parochum baptismi de uniuscuiusque novi subdiaconi ordinatione certiorem facere (Epistola 17 april. 1918, n. 20).

c. **1012-1143**. *De matrimonio.*

c. **1144-1153**. *De sacramentalibus.*

c. **1154-1242**. *De locis sacris*, sc. *de ecclesiis, oratoriis, coemeteriis.*

c. **1155**. Consecratio alicuius loci sacri, quanquam ad regulares pertinentis, spectat ad Ordinarium territorii in quo locus ipse reperitur.

Revocatum est privilegium, de quo Comp. Priv. n. 187 (cf. c. 1157), eo sensu, quod consecratio impetrari possit a quocunque Episcopo, quin requiratur assensus Ordinarii loci.

c. **1156**. Ius benedicendi locum sacrum,... si ad religionem clericalem exemptam pertineat, spectat ad Superiorem maiorem, (qui) potest alium sacerdotem ad hoc delegare.

c. **1157**. Non obstante quolibet privilegio, nemo potest locum sacrum consecrare vel benedicere sine Ordinarii consensu.

Ut videtur, si agitur de consecratione, sine consensu Ordinarii loci; si de benedictione, sine consensu Superioris maioris, quando locus pertinet ad religionem clericalem exemptam.

c. **1158**. De peracta consecratione vel benedictione redigatur documentum, cuius alterum exemplar in Curia episcopali [etiam si benedictio auctoritate Superioris exempti fuit facta] alterum in archivo ecclesiae servetur.

c. **1162**. § 1. Nulla ecclesia aedificetur sine expresso Ordinarii loci consensu scriptis dato. — § 4. Etiam sodales religiosi, licet consensum constituendae novae domus in dioecesi vel civitate ab Ordinario loci retulerint, antequam tamen ecclesiam vel oratorium publicum in certo ac determinato loco aedificent, Ordinarii loci licentiam obtinere debent. (Idem dicendum est de oratorio publico, ex c. 1191). — § 3. Ne nova ecclesia caeteris iam existentibus detrimentum afferat, maiore fidelium spirituali utilitate non compensatum, Ordinarius, antequam consensum praebeat, audire debet vicinarum ecclesiarum rectores quorum intersit, firmo praescripto canone 1676. — Canone 1676 § 1 autem statuitur: « Qui ex aliquo novo opere damnum timet suae rei obventurum, potest illud iudici nuntiare ut opus interrumpatur, donec utriusque partis iura iudicis sententia definiantur ».

Videntur revocata privilegia de quibus Comp. Priv. n. 17. Attamen, cum canon non habeat clausulam privilegiorum revocativam, contrarium remanet probabile.

c. **1163**. Benedicere et imponere primarium ecclesiae lapidem, ad eos spectat de quibus in can. 1156.

Igitur, si ecclesia ad religionem clericalem exemptam pertinet, spectat ad Superiorem maiorem.

c. **1164**. § 2. Loca si adsint subter ecclesiae pavimentum aut supra ecclesiam, ad usum mere profanum ne adhibeantur.

Ergo non licet supra ecclesiam habere cubicula, dormitorium; neque

subter, officina domestica. Idem dicendum est de oratorio publico ex can. 1191 § 1.

c. **1165**. § 3. Solemni consecratione dedicentur,... quantum fieri potest, ecclesiae... conventuales.

c. **1167**. Festum consecrationis ecclesiae quotannis celebretur ad normam legum liturgicarum.

c. **1168**. § 2. Etiam festum tituli quotannis celebretur ad normas legum liturgicarum.

c. **1169**. § 1. Cuilibet ecclesiae campanas esse convenit. — § 2. quae debent consecrari vel benedici. — § 5. Quod ad campanarum consecrationem vel benedictionem attinet, servetur praescriptum can. 1155 et 1156.

Scilicet, consecratio ad Ordinarium loci spectat; benedictio, si ecclesia ad religionem clericalem exemptam pertinet, ad Superiorem maiorem spectat.

c. **1171**. In sacra aede legitime dedicata omnes ecclesiastici ritus perfici possunt, salvis iuribus paroecialibus, privilegiis et legitimis consuetudinibus.

Quaenam iure communi permittuntur, quaenam autem sint iura parochialia, can. 462 statuuntur. Vide etiam Comp. priv. n. 64.

[Ordinarius nequit horas sacrorum rituum praefinire in ecclesia quae ad religionem exemptam pertineat, — dummodo non afferatur nocumentum catecheticae instructioni aut Evangelii explanationi in ecclesia parochiali tradendae, ad normam can. 609 § 3)].

c. **1172**. [Quomodo ecclesia violetur].

c. **1176**. § 1. Ecclesiam benedictam reconciliare potest rector eiusdem, vel quilibet sacerdos de consensu saltem praesumpto rectoris. — § 2. [Ecclesiae vero consecratae valida reconciliatio, si ecclesia pertinet ad religionem clericalem exemptam, spectat ad Superiorem maiorem].

c. **1177**. Reconciliatio ecclesiae benedictae fieri potest aqua lustrali communi; reconciliatio vero ecclesiae consecratae fiat aqua ad hoc benedicta secundum leges liturgicas: quam tamen non solum Episcopi, sed etiam presbyteri qui ecclesiam reconciliant, benedicere possunt.

c. **1182**. [De administratione bonorum ecclesiae].

c. **1183** et **1184**. [De consilio fabricae].

c. **1188**. [Definiuntur quaenam oratoria sint publica, semi-publica, privata seu domestica. — can. 1161 datur definitio ecclesiae].

Oratorium ab ecclesia distinguitur eo quod oratorium non in commodum totius populi, sed praecipue alicuius communitatis vel etiam privatorum sit erectum. Si nihilominus omnibus fidelibus, saltem tempore divinorum officiorum, ius sit oratorium adeundi, est publicum; si vero non est liberum cuique illud adire, est semi-publicum. — Privatum oratorium est, si in privatis aedibus in commodum alicuius tantum familiae vel privatae personae erectum sit. — Inde omnia oratoria in domo religiosa erecta saltem semi-publica sunt.

c. **1191**. § 1. Oratoria publica eodem iure quo ecclesiae reguntur.

§ 2. Quare, in oratorio publico, dummodo auctoritate Ordinarii ad publicum Dei cultum perpetuo per benedictionem vel consecrationem legitime dedicatum fuerit, omnes sacrae functiones celebrari possunt (ut dictum est c. 1171).

c. **1192**. § 1. Oratoria semi-publica erigi nequeunt sine Ordinarii licentia.

Ordinarius autem est Superior maior, si oratorium spectat ad religionem clericalem exemptam.

c. **1192**. § 2. Ordinarius hanc licentiam ne concedat, nisi prius per se vel per alium virum ecclesiasticum oratorium visitaverit.

Nihil videtur impedire quin Superior maior oratorium per Superiorem localem visitet.

c. **1192**. § 3. Data licentia, oratorium ad usus profanos converti nequit, sine eiusdem Ordinarii auctoritate.

c. **1192**. § 4. [De multiplicibus oratoriis (extra domos religiosas) non erigendis absque necessitate].

c. **1193**. In oratoriis semi-publicis legitime erectis, omnia divina officia functionesve ecclesiasticae celebrari possunt, nisi obstent rubricae aut Ordinarius aliqna exceperit.

Igitur quoad hoc non est differentia inter ecclesias et oratoria sive publica sive semi-publica.

c. **1196**. § 1. Oratoria domestica nec consecrari nec benedici possunt more ecclesiarum. — § 2. Licet oratoria domestica et semi-publica communi locorum domorumve benedictione, aut nulla benedictione donentur, debent tamen esse divino tantum cultui reservata, et ab omnibus domesticis usibus libera.

Non dicitur explicite oratoria semi-publica posse benedici more ecclesiarum; sed quoniam § 1 hoc de solis oratoriis privatis negetur, videtur ea posse sic benedici; sed ex § 2 nulla est obligatio ea benedicendi.

[Remanet quaestio utrum in grangiis et locis ruralibus in quibus aliqui ex Nostris habitualiter non degunt, — et ideo domus religiosae non sunt, — erigi possit oratorium sola auctoritate Provincialis. Cf. Comp. Privil. n. 437. — Videtur dicendum oratorium semi-publicum ibi erigi posse, non autem publicum, quod cuique fideli sit ius adeundi. Ratio est, quia oratoria publica eodem iure quo ecclesiae reguntur (can. 1191): ergo nequeunt erigi nisi ex facultate Ordinarii loci; oratoria autem semi-publica erigi possunt cum Ordinarii licentia (can. 1192): porro Ordinarius hic est Superior maior].

c. **1197-1202**. De *altaribus*

c. **1203-1242**. De *sepultura ecclesiastica*.

Praecipui canones Nostris scitu necessarii sunt sequentes:

c. **1208**. § 2. Religiosi exempti possunt habere coemeterium proprium, a communi coemeterio distinctum.

c. **1221**. § 1. Professi religiosi ac novitii, defuncti cum sint (etiam extra domum religiosam), transferendi sunt, funeris causa, ad ecclesiam vel oratorium suae domus vel saltem suae religionis, nisi novitii aliam ecclesiam ad suum funus elegegerint (quod professis prohibetur can. 1224 § 2). Ius autem levandi cadaver et illud deducendi ad ecclesiam funerantem pertinet semper ad Superiorem religiosum.

§ 2. [Quid si religiosus moritur extra domum religiosam eiusque corpus ad eam deferri nequeat].

§ 3. [Quid de famulis qui in domo religiosa moriuntur].

c. **1222**. [De alumnis aliisque qui hospitii aut infirmitatis causa in domo religiosa degebant, ibique moriuntur: in ecclesia paroeciali funerari debent, nisi aliam elegerint, vel « constet de iure particulari aut privilegio »].

c. **1224**. Ecclesiam funeris aut sepulturae coemeterium eligere prohibentur religiosi professi cuiuslibet gradus aut dignitatis, non tamen si sint Episcopi.

c. **1230**. § 3. Si ecclesia funeris sit ecclesia regularis aliave exempta a iurisdictione parochi, parochus, sub cruce ecclesiae funerantis, cadaver levat et deducit ad ecclesiam, sed exsequias rector ecclesiae celebrat. (Nota non agi de religioso defuncto).

c. **1231**. Qui exsequias in ecclesia peregit, non solum ius, sed etiam officium habet... comitandi per se vel per alium sacerdotem cadaver ad locum sepulturae.

c. **1232**. Sacerdos qui cadaver comitetur ad ecclesiam funeris vel ad locum sepulturae, libere transire poterit, cum stola quoque et cruce elevata, per territorium alius paroeciae vel dioecesis, etiam sine parochi vel Ordinarii licentia.

c. **1223**. [Plures sunt canones ius statuentes, quando saecularis eligit funerari in ecclesia regularium, aut in eorum coemeterio tumulari: can. 1223, 1224, 1227, 1228, 1230 § 3, 1236, 1237].

c. **1236**, **1237**. [De portione paroeciali debita proprio defuncti parocho, quando funus non fit in ecclesia paroeciali defuncti].

c. **1243-1249**. *De diebus festis, abstinentia et ieiunio.*

c. **1245**. § 3. In religione clericali exempta eamdem dispensandi potestatem (sc. quoad abstinentiam, ieiunium et dies festos) habent Superiores ad modum parochi, quoad religiosos et familiares. [Porro § 1 dicitur] Parochi, in casibus singularibus iustaque de causa, possunt subiectos sibi singulos fideles singulasve familias,... a lege communi de observantia festorum, itemque de observantia abstinentiae et ieiunii vel etiam utriusque dispensare.

Igitur non posset Superior totam communitatem dispensare, sed solum singulos, prout singulis est iusta causa.

c. **1249**. [In quocumque loco auditur sancta missa, exceptis privatis oratoriis, satisfit praecepto audiendi missam diebus festis].

Cultus divinus.

c. **1259**. Orationes et pietatis exercitia ne permittantur in ecclesiis vel oratoriis sine revisione et expressa Ordinarii loci licentia.

c. **1261**. § 2. Si loci Ordinarius leges (de cultu divino) pro suo territorio tulerit, etiam religiosi omnes, exempti quoque, obligatione tenentur easdem servandi; et Ordinarius potest eorumdem ecclesias vel publica oratoria in hunc finem visitare.

Sine dubio huic canoni subiicimur (Epistola P. Generalis, 17 apr. 1918 ad Provinciales, in appendice).

c. **1263**. § 2. Sine expresso Ordinarii loci consensu nemo fidelis locum habeat in ecclesia sibi suisque reservatum.

c. **1265**. 1° *S. Eucharistia* custodiri debet... in ecclesia adnexa domui religiosorum exemptorum. — 2° Custodiri potest, de licentia Ordinarii loci in oratorio principali sive publico sive semi-publico tum domus piae aut religiosae, tum collegii ecclesiastici quod a clericis saecularibus vel a religiosis regatur. — 3° Ut in aliis ecclesiis vel oratoriis custodiri possit, necessarium est indultum apostolicum.

Ex privilegio a Bened. XIV concessum Societati, non indigemus licentia Ordinarii ad ss. Sacramentum servandum in cappellis et oratoriis domesticis uniuscuiusque nostrae domus, collegii, tirocinii seminariique (Comp. Priv. n. 195; Bull. 293). Sed

c. **1267**. Revocato quolibet contrario privilegio, in ipsa religiosa domo, SS. Eucharistia custodiri nequit nisi vel in ecclesia, vel in principali oratorio.

Hic canon sic accipiendus est, ut SS. Eucharistia servari possit non tantum in ecclesia publica, verum etiam in sacello domestico domus religiosae, quo conveniunt religiosi ad exercitia communia pietatis, non vero in aliis oratoriis (Epistola P. Generalis, 17 apr. 1918, n. 24).

c. **1268**. SS. Eucharistia custodiatur in praecellentissimo ac nobilissimo ecclesiae loco, ac proinde regulariter in altari maiore, nisi...

c. **1274**. In ecclesiis aut oratoriis quibus datum est asservare SS. Eucharistiam, expositio privata, seu cum pyxide, fieri potest ex quacumque iusta causa, sine Ordinarii licentia; expositio vero publica, seu cum ostensorio, die festo Corporis Christi et intra octavam fieri potest in omnibus ecclesiis inter Missarum solemnia et ad Vesperas; aliis vero temporibus, nonnisi ex iusta et gravi causa, praesertim publica, et de Ordinarii loci licentia, licet ecclesia ad religionem exemptam pertineat.

c. **1275**. Supplicatio quadraginta horarum in omnibus ecclesiis paroecialibus, aliisque in quibus SS. Sacramentum habitualiter asservatur, statutis de consensu Ordinarii loci diebus, maiore qua fieri potest solemnitate, quotannis habeatur...

c. **1276-1289**. *De reliquiis et imaginibus sacris.* [Earum cultus, expositio, alienatio, asservatio].

c. **1279**. § 1. Nemini liceat in ecclesiis, etiam exemptis, aliisve locis sacris ullam *insolitam* ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab Ordinario loci sit approbata.

§ 4. Si imagines, publicae venerationi expositae, solemniter benedicantur, haec benedictio Ordinario reservatur, qui tamen potest eam cuilibet sacerdoti committere.

N. B. Non dicitur « Ordinario loci » : ergo, in loco exempto, Provincialis hanc benedictionem permittere potest.

c. **1291**. § 1. [Religiosi, etiam exempti, processioni die festo Corporis Christi interesse debent; et etiam processionibus extraordinariis, quas Ordinarius loci ex publica causa indiceret (c. 1292)].

Privilegio Gregorii XIII ab hac obligatione Societas eximitur (Bull. p. 62^2 — Comp. Priv. n. 221).

c. **1291**. § 2. Intra octavam festi Corporis Christi ecclesiae regulares possunt proprias processiones extra ambitum ecclesiae agere.

c. **1293**. Salvo praecedenti praescripto, Religiosi etiam exempti nequeunt extra suas ecclesias et claustra processiones ducere, sine Ordinarii loci licentia.

N. B. Non admittitur quidem explicite id quod in Comp. Priv.

n. 221 dicitur, sc. ubi non sunt claustra, licere processionem ducere intra ambitum Ecclesiae, id est prope eius muros: nihilominus hic canon est interpretandus iuxta usus approbatos vel receptos (can. 6).

c. **1304**. 5° Benedictionem sacrae supellectilis Superiores religiosi, et sacerdotes eiusdem religionis ab ipsis delegati, pro propriis ecclesiis et oratoriis impertire possunt.

c. **1305**. § 2. Calix et patena non amittunt consecrationem ob consummationem vel renovationem auraturae.

Br. Leonis XII conceditur Praep. Generali et illis quibus ipse communicaverit, facultas consecrandi calices, patenas et altaria portatilia cum oleis ab Episcopo benedictis (cf. Comp. Priv. n. 62, 63)

c. **1306**. [Calix, patena, purificatoria, pallae, et corporalia quae adhibita fuerunt in sacrificio missae, ab iis, qui eorum custodiam habent, tangi possunt, non autem lavari, nisi prius abluta fuerint a clerico in maioribus ordinibus constituto].

c. **1309**. [Vota privata, reservata. Quis ea irritare potest, quis in eis dispensare: item in iuramentis: vide parte II, pag. 34].

c. **1315**. Vota ante professionem religiosam emissa suspenduntur donec vovens in religione permanserit.

Praedicatio.

c. **1334**. Si Ordinarii loci iudicio, religiosorum auxilium ad catecheticam populi institutionem sit necessarium, Superiores religiosi, etiam exempti, ab eodem Ordinario requisiti, tenentur per se vel per suos subditos religiosos, sine tamen religiosae disciplinae detrimento, illam populo tradere, praesertim in propriis ecclesiis.

c. **1336**. Ordinarii loci est omnia in sua dioecesi edicere quae ad populum in christiana doctrina instituendum spectent: et etiam religiosi exempti, quoties non exemptos docent, eadem servare tenentur.

c. **1338**. § 1. Si concio habenda sit tantum ad religiosos exemptos (vel ad familiares), facultatem concionandi, in religione clericali, dat eorum Superior secundum constitutiones... — § 2. Si concio habenda sit ad alios (quam ad subditos religiosos et

familiares), facultatem praedicandi religiosis quoque exemptis impertit Ordinarius loci in quo concio fiet.

Reg. 26 Prov. habet: « Praedicatores et confessarios ipse constituet, praemisso tamen domestico examine et approbatione Ordinariorum ».

c. **1339**. § 1. Ordinarii locorum religiosis, qui a proprio Superiore exhibeantur, facultatem concionandi sine gravi causa ne denegent, concessamque ne revocent, praesertim una simul universis domus religiosae sacerdotibus, firmo tamen praescripto can. 1340 § 2.

§ 2. Concionatoribus religiosis, ut facultate recepta uti liceat, opus est praeterea sui Superioris licentia.

c. **1340**. § 1. Graviter onerata eorum conscientia, loci Ordinarius vel Superior religiosus facultatem vel licentiam concionandi cuiquam ne concedant, nisi prius constet de eius bonis moribus et de sufficienti doctrina per examen.

[N. B. Sufficientia in doctrina per examina annua in fine cuiusque anni theologici, si examinatus satisfecit, satis probatur].

§ 2. [Si concionator dubium ingerit de sufficienti doctrina, potest, imo debet novo examini ab Ordinario loci aut a Superiore subiici].

c. **1341**. § 1. Sacerdotes extradioecesani, sive saeculares sive religiosi, ad concionandum ne invitentur, nisi prius licentia ab Ordinario loci, in quo concio habenda sit, obtenta fuerit.

Ex can. 1338 § 2, hoc valet, etiamsi concionator religiosus advocetur ad concionandum populo in ecclesia sui ordinis.

c. **1342**. § 1. Concionandi facultas solis Sacerdotibus vel diaconis fiat, non vero caeteris clericis, nisi rationabili de causa, iudicio Ordinarii et in casibus singularibus. — § 2. Concionari in ecclesia vetantur laici omnes, etsi religiosi.

Sed habemus privilegium a Greg. XIII concessum, ut omnes prima tonsura ornati praedicare valeant (Comp. n. 447). Attamen, ad normam c. 1340, de concionatoris sufficienti doctrina per examen constare debet: id enim privilegio non opponitur. Catechetica autem institutio non comprehenditur sub hac prohibitione. Vide enim can. 1333, quo permittitur parocho uti ad hanc institutionem ope piorum laicorum.

c. **1343**. § 1. Ordinarii locorum ius habent concionandi in qualibet territorii sui ecclesia, quamvis exempta.

c. **1345**. Optandum est ut in missis quae, fidelibus adstantibus, diebus festis de praecepto in omnibus ecclesiis vel oratoriis publicis celebrantur, brevis Evangelii aut alicuius partis doctrinae christianae explanatio fiat. Quodsi loci Ordinarius id praeceperit, opportunis datis instructionibus, hac lege tenentur non solum sacerdotes e clero saeculari, sed etiam religiosi, exempti quoque, in suis ipsorum ecclesiis.

Seminaria, universitates, scholae.

c. **1355**. Pro constitutione Seminarii et alumnorum sustentatione, si proprii reditus deficiant, Episcopus potest: 1° parochos aliosve ecclesiarum etiam exemptarum rectores iubere ut statis temporibus in ecclesia ad hunc finem stipem exquirant; 2° tributum seu taxam in sua dioecesi imperare.

c. **1356**. § 1. Tributo pro seminario (si illud Ordinarius iuxta can. 1355 praescripserit) obnoxia sunt, quavis appellatione remota, reprobata qualibet contraria consuetudine et abrogato quolibet contrario privilegio..., quaelibet religiosa domus, etsi exempta, nisi solis eleemosynis vivat, aut in ea collegium discentium vel docentium ad commune Ecclesiae bonum promovendum actu habeatur. — [Quotitas taxae imponendae §§ 2 et 3 determinatur].

Ergo domus professae, residentiae independentes, quae nullum reditum habent, collegia etiam ubi Nostri edocentur, ut videtur, et alia in quibus instituitur clerus saecularis, scholae apostolicae essent ab hoc tributo exemptae. Sola collegia in quibus externi docentur et residentiae quae reditus habent, huic tributo solvendo essent obnoxiae].

c. **1376**. § 2. Universitas vel facultas catholica, etiam religiosis familiis quibuslibet concredita, sua debet habere statuta a Sede Apostolica probata.

c. **1381**. § 2. Ordinariis locorum ius et officium est vigilandi ne in quibusvis scholis sui territorii quidquam contra fidem vel bonos mores tradatur aut fiat. — § 3. Eisdem similiter ius est approbandi religionis magistros et libros; itemque, religionis morumve causa, exigendi ut tum magistri tum libri removeantur.

c. **1382**. Ordinarii locorum, sive ipsi per se sive per alios, possunt quoque scholas *quaslibet*, oratoria, recreatoria, patronatus, etc.,

in iis quae religiosam et moralem institutionem spectant, visitare; a qua visitatione quorumlibet religiosorum scholae exemptae non sunt, nisi agatur de scholis internis pro professis religionis exemptae.

Igitur iam tollitur distinctio quam Leo XIII, in Const. « Romanos Pontifices », faciebat inter scholas elementares vel parochiales, et scholas collegiorum; sed omnes scholae, sublato (ut videtur) quocumque privilegio, quod ad religiosam et moralem institutionem spectat, visitationi et correctioni Ordinariorum locorum subiacent.

Librorum censura et prohibitio (can. 1385-1405).

c. **1386**. Vetantur clerici saeculares sine consensu suorum Ordinariorum, religiosi vero sine licentia sui Superioris maioris et Ordinarii loci, libros quoque qui de rebus profanis tractent, edere, — et in diariis, foliis vel libellis periodicis scribere vel eadem moderari.

c. **1392**. § 1. Translationes et novae editiones operis approbati nova approbatione communiri debent. — [Vide § 2].

c. **1395**. § 3. Supremus Religionis clericalis exemptae Moderator, cum suo Capitulo vel Consilio, potest libros ex iusta causa suis subditis prohibere. Idemque, si sit periculum in mora, possunt alii Superiores maiores cum proprio Consilio, ea tamen lege ut rem quantocius deferant ad Supremum Moderatorem.

c. **1401**. Ordinarii (igitur Provinciales et simili auctoritate gaudentes) necessariis adhibitis cautelis, ecclesiastica librorum prohibitione non adstringuntur.

c. **1402**. § 1. Ordinarii licentiam, ad libros quod attinet ipso iure vel decreto Sedis Apostolicae prohibitos, concedere suis subditis valent pro singulis tantum libris, atque in casibus dumtaxat urgentibus.

Sed habemus amplius privilegium a Leone XII Praep. Generali concessum: « iis alumnis, quibus expedire existimet, facultatem faciendi, cuius vi libros prohibitos legere queant ». Hanc facultatem Pr. Generalis communicat Provincialibus et Superioribus Provincialium potestate utentibus (Comp. Priv. nn. 380 et 381). — In § 2 eiusdem canonis Superiores monentur ut hanc facultatem « nonnisi cum delectu et iusta ac rationabili causa concedant ».

Notandum venit, si Ordinarius loci libros prohibuerit, nos, uti ab eius iurisdictione exemptos, hac prohibitione non adstringi.

c. **1406**. *Fidei professio.*

§ 1. Obligatione emittendi professionem fidei, secundum formulam a Sede Apostolica probatam, tenentur... 7° Coram loci Ordinario eiusve delegato... parochi...; rector, professores s. theologiae, iuris canonici et philosophiae in seminariis, initio cuiuslibet anni scholastici, vel saltem initio suscepti muneris; omnes promovendi ad ordinem subdiaconatus; sacerdotes confessionibus excipiendis destinati, et sacri concionatores, antequam facultate donentur ea munia exercendi; — 8° Coram Ordinario eiusve delegato Rector Universitatis vel Facultatis; coram Rectore Universitatis vel Facultatis eiusve delegato, professores omnes, initio cuiusque anni scholastici vel saltem initio suscepti muneris.

Cum idem dicatur de Rectore, professoribus sacrae theologiae, iuris canonici et philosophiae tum in Seminariis, tum in Universitatibus vel Facultatibus: dubium non est, in Scholasticatibus Societatis eosdem professores ac rectorem teneri obligatione emittendi professionem fidei initio cuiusque anni scholastici, vel saltem initio suscepti muneris.

8° [Eadem obligatione tenentur] qui, periculo facto, academicis gradibus donantur; — 9° coram Capitulo vel Superiore qui eos nominavit eorumve delegato, Superiores in religionibus clericalibus.

§ 2. Qui priore dimisso, aliud officium..., etiam eiusdem speciei consequuntur, rursus debent fidei professionem emittere.

c. **1409-1494**. *De beneficiis, aliisque institutis ecclesiasticis.*

c. **1425**. [De paroecia vel pleno iure vel quoad temporalia tantum domui religiosae unita; et de rectore huius ecclesiae, quis et a quo nominandus].

c. **1427**. § 5. Divisa paroecia quae ad aliquam religionem iure spectat, vicaria perpetua vel paroecia noviter erecta non est religiosa. — [§ 1. Statuitur divisionem paroeciae fieri posse ab Ordinario loci, quaelibet sit paroecia et invito eius rectore].

c. **1491**. § 1. Loci Ordinarius omnia huiusmodi instituta (sc. hospitalia, orphanotróphia, aliaque similia instituta ad opera religionis vel caritatis sive spiritualis sive temporalis destinata, ut dicitur can. 1489) etiam in personam moralem erecta

et quovis modo exempta, visitare potest ac debet. — § 2. Imo licet in personam moralem non sint erecta et domui religiosae iuris pontificii concredita, episcopali vigilantiae subsunt, quod spectat ad religionis magisteria, honestatem morum, exercitationes pietatis, sacrorum administrationem.

c. **1492**. Etiamsi fundatione, praescriptione, aut privilegio apostolico pium institutum a iurisdictione et visitatione Ordinarii loci exemptum fuerit, ius tamen Ordinario est redditionem rationum exigendi, reprobata contraria consuetudine.

c. **1493**. Ordinarius loci advigilet ut piae fidelium voluntates in horum institutorum fundatione expressae, plene serventur.

c. **1495-1551**. *De bonis Ecclesiae temporalibus.*

c. **1503**. Salvis praescriptis can. 621-624, vetantur privati tam clerici quam laici sine Sedis Apostolicae aut proprii Ordinarii et Ordinarii loci licentia in scriptis data, stipem cogere pro quolibet pio aut ecclesiastico instituto vel fine.

c. **1511**. Res immobiles, mobiles pretiosae, iura et actiones sive personales sive reales, quae ad aliam personam realem, quam Sedem Apostolicam pertinent, spatio 30 annorum praescribuntur.

Hoc canone non revocantur privilegia Societatis quibus 60 aut 100 anni ad praescriptionem requiruntur. Cf. Comp. Priv. n. 454.

c. **1515**. § 1. Ordinarii omnium piarum voluntatum tam mortis causa quam inter vivos executores sunt.

N. B. Ordinarii, ergo Provinciales, si agitur de piis voluntatibus in favorem suae religionis, ut dicitur can. 1516 § 3.

§ 2. Hoc ex iure Ordinarii vigilare possunt ac debent, etiam per visitationem, ut piae voluntates impleantur, et alii exsecutores delegati debent, perfuncti munere, illis reddere rationem.

§ 3. Clausulae huic Ordinariorum iuri contrariae, ultimis voluntatibus adiectae, tanquam non appositae habeantur.

c. **1516**. [Agitur de ratione quam reddere debet Ordinario clericus vel religiosus qui bona ad pias causas fiduciarie accepit; — et § 3 declaratur Ordinarium, cui ratio est reddenda, « si bona sint attributa loci vel dioecesis ecclesiis, incolis aut

piis causis iuvandis, esse Ordinarium loci; secus, esse Ordinarium eiusdem religiosi proprium »].

c. **1523**. [Normae praescribuntur quibus tenentur administratores bonorum ecclesiasticorum].

Quoniam autem bona religiosa sunt ecclesiastica, hae normae servandae sunt a Provincialibus, Rectoribus et Procuratoribus, qui bona religiosa administrant.

c. **1529**. [Notandus hic canon quo Ecclesia, quoad contractus, praescriptiones Iuris civilis singularum regionum proprias, suas facit, nisi iuri divino contrariae sint, vel aliud iure canonico statuatur].

c. **1530**. Ad alienandas res ecclesiasticas immobiles aut mobiles, quae servando servari possunt, (inter alia) requiritur aestimatio rei a probis peritis scripto facta.

c. **1531**. Res alienari minore pretio non debet, quam quod in aestimatione indicatur. — § 2. Alienatio fiat per publicam licitationem aut saltem nota reddatur, nisi aliud circumstantiae suadeant; et res ei concedatur qui, omnibus perpensis, plus obtulerit.

c. **1532**. [Statuitur cuiusnam Superioris licentia ad alienationes requiratur].

Sed pro Religiosis res est determinata canone 534. — Praeter has leges iuris communis, servari debent leges Instituti, in Ordinatione Patris Martin, « de rerum temporalium administratione », relatae.

c. **1533**. Solemnitates ad normam can. 1530-1532 requiruntur non solum in alienatione proprie dicta, sed etiam in quolibet contractu quo conditio Ecclesiae peior fieri possit.

Idem videtur dicendum de domo religiosa, scilicet si domus religiosae conditio peior fiat).

c. **1535**. [Quae donationes ex bonis mobilibus ecclesiasticis fieri permittuntur].

c. **1536**. Nisi contrarium probetur, praesumendum ea quae donantur rectoribus ecclesiarum, etiam religiosorum, esse ecclesiae donata (sc. non Religioni, sed ipsi ecclesiae).

c. **1539**. Administratores possunt titulos ad latorem, quos vocant, commutare in alios titulos magis aut saltem aeque tutos ac

frugiferos, exclusa qualibet commercii vel negotiationis specie, ac de consensu Ordinarii etc...

Pro consensu requisito videtur standum dictis can. 534. (Hic consensus difficultatem habet, nisi generalis consensus sufficiat).

c. **1541**. § 1. Contractus locationis alicuius fundi ecclesiastici ne fiant nisi ad normam can. 1531 § 2. etc.

§ 2. [Declaratur cuiusnam Superioris licentia pro diversis circumstantiis in his locationis contractibus sit necessaria].

Quae hic dicuntur videntur pro Religiosis accommodanda ad normam c. 534.

c. **1550**. Si agatur de piis fundationibus in ecclesiis, etiam paroecialibus, religiosorum exemptorum, iura et officia Ordinarii loci, de quibus in can. 1545-1549, exclusive competunt Superiori maiori.

Iura et officia versantur circa piae fundationis acceptationem, administrationem bonorum, adimpletionem onerum; praescribitur praeterea ut omnia scripto consignentur in archivis servando.

c. **1552-1998**. *De processibus.*

c. **1556-1568**. [De foro competenti: — sc. statuitur coram quo tribunali pars pro diversis casibus conveniri debet].

c. **1557**. § 2, n. 2º. Tribunalibus Sedis Apostolicae reservatur iudicare personas morales quae Superiorem infra Romanum Pontificem non habent, uti Religiones exemptas.

c. **1559**. § 3. Actor sequitur forum rei.

c. **1579**. § 3. Si controversia enascatur inter religiosas personas physicas vel morales diversae religionis,... aut inter religiosum et clericum saecularem vel laicum, iudex primae instantiae est Ordinarius loci.

c. **1999-2141**. *De causis beatificationis et canonizationis.*

c. **2023**. In processibus beatificationis omnes Christifideles tenentur, licet non vocati, ea in Ecclesiae notitiam perferre quae contra virtutem aut miracula aut martyrium Servi Dei facere ipsis videantur.

Ad hoc attendendum, si in archivo curiae vel provinciae aut missionis, aut domus, aliquid tale reperiretur.

2024 et **2025**. Tanquam testes vocandi sunt in primis ii omnes qui cum Servo Dei familiaritatem vel consuetudinem habuerint; Qui, nisi iam tanquam testes se inductos sciverint, dare litteras debent ad proprium Ordinarium (Provincialem), quibus utrum consuetudinem cum Servo Dei habuerint, an aliquod factum peculiare aperiendum cognoscant, et quodnam illud sit, breviter exponant. Ordinarius vero has litteras Promotori fidei transmittendas curet. [Religiosis has litteras clausas directe ad Promotorem fidei transmittere licet (c. 2025 § 2)].

2026. Superiores religiosi gravi obligatione tenentur curandi ut omnes subditi, qui debent, accedant ad deponendum: quos tamen nec directe nec indirecte impellant ad testandum in unum potius quam in alium sensum.

2043. § 2. Si agatur de causa Servi Dei ad Religionem aliquam pertinentis, vulgari debet edictum (quo praescribitur scripta Servi Dei ab omnibus, apud quos exstent, esse ad tribunal deferenda) in singulis eiusdem Religionis domibus; et Superiores gravi obligatione tenentur curandi ut haec publicatio fiat, habita expressa mentione canonis 2025 § 2, itemque ut omnes subditi qui habeant, scripta remittant.

2077. Litterae postulatoriae.... utiliter exhibentur, dummodo sponte et ex propria scientia datae sint.

Suspensio ex informata conscientia.

2186. Ordinariis (ideo Provincialibus etiam) licet ex informata conscientia clericos suos subditos suspendere ab officio.

2187. Ad ferendam hanc suspensionem, neque formae iudiciales neque canonicae monitiones requiruntur; sed satis est si Ordinarius... simplici decreto declaret se suspensionem indicere (cf. c. 2188, 2190, 2191).

2193. Prudenti Ordinarii arbitrio relinquitur suspensionis causam seu delictum clerico patefacere aut reticere....

2214-2414. *De poenis.*

2214. [Pulchra habentur de spiritu quo poenae infligendae sint. — Cf. etiam c. 2218 § 1].

c. **2218**. § 2. Non solum quae ab omni imputabilitate excusant, sed etiam quae a gravi, excusant pariter a qualibet poena tum latae tum ferendae sententiae.

c. **2219**. § 1. In poenis benignior est interpretatio facienda.

c. **2219**. § 3. Non licet poenam de persona ad personam, vel de casu ad casum producere, quamvis par adsit ratio, imo gravior..., [excepto casu quo plures ad delictum concurrunt, ex c. 2231].

c. **2223**. § 3. Si lex (in statuenda poena ferendae sententiae utatur verbis praeceptivis, ordinarie poena infligenda est; sed conscientiae et prudentiae iudicis vel Superioris [multa committuntur; etiam a poena infligenda abstinere permittitur].

§ 4. Poenam latae sententiae declarare generatim committitur prudentiae Superioris;... sed bono communi ita exigente, sententia declaratoria dari debet.

c. **2232**. § 1. Poena latae sententiae..... delinquentem, qui delicti sibi sit conscius, ipso facto in utroque foro tenet; ante sententiam tamen declaratoriam a poena observanda delinquens excusatur, quoties eam servare sine infamia nequit.

c. **2236**. [De dispensatione a poenis vindicativis iure inflictis].

Ab his Superiores Societatis suos subditos dispensare possunt, ex privilegio per communicationem habito. Sed usus huius privilegii Praep. Generali reservatur. (Comp. Priv. nn. 172, 173).

c. **2237**. § 1. In casibus publicis potest Ordinarius (igitur Provincialis erga subditos) poenas latae sententiae iure communi statutas remittere, exceptis 1° casibus ad forum contentiosum deductis, 2° censuris Sedi Apostolicae reservatis, 3° poenis inhabilitatis vel privationis vocis activae et passivae, (aliisque nonnullis).

§ 2. In casibus occultis,... potest Ordinarius poenas latae sententiae iure communi statutas, per se vel per alium remittere, exceptis censuris specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservatis.

Sed quoad censuras, habemus ampliorem facultatem a Leone XII concessam, de qua in Comp. Privil. n. 3; quam exercere potest non

solum Superior erga subditos, sed ii quibus indulserit erga quoslibet poenitentes in Sacramento poenitentiae. Haec facultas comprehendit omnes censuras speciali modo S. Sedi reservatas, non autem specialissimo modo (cf. P. II, c. 2253, pag. 37). — Quoad alias poenas, cf. Comp. Priv. voce *Dispensatio*.

c. **2245**. (Notetur dici: « Ex censuris iure reservatis aliae sunt reservatae *Ordinario*, aliae Apostolicae Sedi » : Ordinario, non dicitur Episcopo. Ergo si religiosus has censuras Ordinario reservatas incurrit, eius Superiori maiori, Provinciali scilicet, reservantur. — (Cf. c. 2253 § 3, ubi res explicite dicitur).

c. **2269**. § 2. Interdictum locale omnes, etiam exteri aut exempti, excluso speciali privilegio, servare debent.

c. **2270**. § 2. In die Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi et B. V. M. Assumptae, interdictum locale suspenditur.

c. **2271**. § 1. Si interdictum fuerit locale generale, et interdicti decreto aliud non caveatur expresse: 1° permittitur clericis, dummodo non sint ipsi personaliter interdicti, omnia divina officia et sacros ritus in quacumque ecclesia aut oratorio privatim obire, ianuis clausis, voce submissa et campanis non pulsatis. — [§ 2 multa etiam permittuntur in ecclesia paroeciali aut cathedrali].

c. **2273**. Interdicta civitate, interdicta quoque manent loca accessoria etiam exempta.

N. B. Privilegia habemus tempore interdicti, cf. Comp. nn. 365-375.

c. **2275**. [Quid personaliter interdictis prohibeatur].

c. **2342**. § 2. Mulieres violantes regularium virorum clausuram, et Superiores aliive, quicumque ii sint, eas cuiuscumque aetatis introducentes vel admittentes, excommunicatione S. A. simpliciter reservata plectuntur; et praeterea religiosi introducentes vel admittentes, priventur officio, si quod habeant, et voce activa ac passiva. (Cf. can. 2223, § 3).

c. **2343**. Qui violentas manus iniecerit in personam.... utriusque sexus religiosorum, subiaceat excommunicationi Ordinario proprio reservatae.

c. **2346**. Si quis bona ecclesiastica cuiuslibet generis, sive mobilia sive immobilia, sive corporalia sive incorporalia, per

se vel per alios, in proprios usus convertere et usurpare praesumpserit, aut impedire ne eorum fructus seu reditus ab iis ad quos iure pertinent, percipiantur, excommunicationi tamdiu subiaceat, quamdiu bona ipsa integre restituerit, praedictum impedimentum removerit, ac deinde a Sede Apostolica absolutionem impetraverit.

c. **2347**. [Poenae edicuntur in alienantes bona ecclesiastica (ergo etiam religiosa) contra praescriptum canone 534 § 1].

1° Si agatur de re cuius pretium non excedit mille libellas, congruis poenis a legitimo Superiore ecclesiastico (a Provinciali) puniatur.

2° Si agatur de re cuius pretium sit supra mille, sed infra 30000 libellarum, Superior vel oeconomus religiosus proprio officio et habilitate ad caetera officia, praeter alias congruas poenas a Superioribus infligendas, privetur.

3° Quodsi beneplacitum Apostolicum praescriptum fuerit scienter praetermissum, omnes quovis modo reos, sive dando, sive recipiendo, sive consensum praebendo, manet praeterea excommunicatio latae sententiae nemini reservata.

N. B. Poenae, praeter excommunicationem, sunt ferendae sententiae, sed ex can. 2223, 3°, sunt ordinarie a Superiore infligendae.

c. **2368**. § 1. Qui sollicitationis crimen commiserit, suspendatur a celebratione missae et ab audiendis sacramentalibus confessionibus, vel etiam pro delicti gravitate inhabilis ad ipsas excipiendas declaretur, privetur omnibus beneficiis, dignitatibus, voce activa et passiva, et inhabilis ad ea omnia declaretur.

c. **2369**. Qui sigillum sacramentale indirecte violaverit, obnoxius est poenis de quibus in c. 2368 § 1.

c. **2385**. Religiosus apostata a Religione ipso iure incurrit in excommunicationem proprio Superiori maiori, vel, si Religio sit laicalis aut non exempta, Ordinario loci in quo commoratur, reservatam;... privilegiis omnibus suae Religionis est privatus; et si redierit, perpetuo caret voce activa et passiva, ac praeterea aliis poenis pro gravitate culpae a Superioribus puniri debet ad normam constitutionum.

c. **2386**. Religiosus fugitivus ipso facto incurrit in privationem officii, si quod in religione habeat; et in suspensionem proprio Superiori maiori reservatam, si sit in sacris. Cum autem redierit, puniatur secundum constitutiones; et si constitutiones nihil de hoc caveant, Superior maior pro gravitate culpae poenas infligat.

Sed ex lege Societatis, fugitivus excommunicationem incurrit (Censurae et Praecepta c. III n. 11).

c. **2389**. Religiosi legem vitae communis constitutionibus praescriptae in re notabili violantes, graviter moneantur, et emendatione non secuta, puniantur etiam privatione vocis activae et passivae, et, si Superiores sint, etiam officii.

c. **2410**. Superiores religiosi qui subditos suos ad Episcopum alienum ordinandos remittere praesumpserint, ipso facto suspensi sunt per mensem a missae celebratione.

Sed vide in nota ad can. 965 privilegia Societatis in hac re.

c. **2411**. Superiores religiosi qui candidatum non idoneum contra praescriptum can. 542, aut sine requisitis litteris testimonialibus, contra praescriptum can. 544, ad novitiatum receperint, vel ad professionem contra praescriptum can. 571, § 2 admiserint, pro gravitate culpae puniantur, non exclusa officii privatione.

Sed vide in citatis canonibus privilegia quibus Societas donata est in candidatis recipiendis.

INDEX RERUM ALPHABETICUS

Absolutio a censura, 2250-2253; nostra privilegia, 2253. — in foro interno accepta, quid liceat, 2251. — in periculo mortis, 2252, — in casibus urgentioribus, 2254. — a censura iure Ordinario reservata, 2253. — ex ignorantia censurae data, 2247 . . . . . Pag. 36 et 37
— a peccatis quae Ordinarius sibi reservavit, 899, 900 31
— a peccatis per inadvertentiam data, 207 28
Abstinentia, quid vetat lex, 1250; quibus diebus observanda, 1252; a quibus, 1254; dispensatio ab ea, 1245. . . . . 33. 70
Acatholicorum filii quoad ingressum in religionem, 542; 11
— filii quoad ordinationem, 987 63
— funera, nuptiae (assistentia ad ea), 1258. 34
Aggregatio Sodalitatum ad primariam, 722, 723 56
Alienatio bonorum ecclesiasticorum, 1530-1536; 79
— bonorum religiosorum 534 9
Altare portatile, eius usus, 822 57
Altare privilegiatum, 916. 61
Apostata a religione, quis est, 644; eius obligationes, 645; 24
— excommunicatur. 2385 . . . . . ibid.
Archivum, eius cura, 375-384 53
Associationes piae, seu sodalitates, 686, sq. 54
Baptismus, minister, 738; pro adultis, 744. — Cognatio spiritualis, 768 . . 28
Beatificationis causae, 2043, sq. 81
Benedictio loci sacri. 1156; ecclesiae 1165; lapidis primarii, 1163; . . . 66, 67
— Oratorii 1191, 1196 69
— campanarum, 1169 67
— sacrarum imaginum 72
— supellectilis sacrae, 1304; 73
— coronarum, crucis, imaginum parvarum, *Appendix 2;* aquae s. Ignatii (ibid.); papalis in fine missionis, (ibid.); crucis, in fine missionis, (ibid.). 45
— apostolica, in articulo mortis, 468. 28
Beneficia ecclesiastica, quando vacant per professionem, 584 18
Binatio, quando licita, 806 57
Bona ecclesiastica, eorum administratio, alienatio, 1523 sq. 79

Bona ecclesiastica, excommunicatio in usurpantes ea, 2346 . . . . Pag. 40
— compositio cum iniustis possessoribus, 250 51
— praescriptio contra ea. 1511 78
Bona religionum, 531; eorum alienatio, 534; . . . . . 8 et 9
Poenae in alienantes indebite, 2347. 84
Bona privata religiosorum, 580; eorum administratio, 569, 580; . . . 15, 17
— renuntiatio, 568, 581, sq. . . . . 15 et 17
Bona fiduciarie accepta, 1516. 78

Campanae ecclesiarum, 1169, earum benedictio vel consecratio, (ibid.); . . 67
earum pulsus ad praescriptum Episcopi, 612 21
Candidati ad Religionem: litteras testimoniales afferre debent, 544; 11
— laici, eorum postulatus, 539 sq. 10
Canonis privilegium, 120, 2343; . . . . . 27 et 40
— Religiosi omnes eo gaudent, 614 22
Canonizationis causae: variae obligationes circa eas, 2023 sq. 80
Casus conscientiae, 131, 591, 2377. . . . . 49, 19, 42
Casus S. Sedi reservatus, 894, 2363 . . . . . 30, 41
Casus quos Episcopi sibi reservant: facultas ab eis absolvendi, 899 et 900 . . 31
Catechesis pro FF. Coadiutoribus, 509 6
Catechistica instructio populi: iura Episcopi, 1334, 1336 73
Censurae reservatae (vide voces *Excommunicatio, suspensio, interdictum*).
Absolutio a censuris (vide v. *Absolutio*).
Quid a censura excuset, 2218. 82
Censura librorum, 1386 sq. 76
Clausura, 597-599; 20
— excommunicatio in violantes eam, 2342. 83
— clerici praescripta et interdicta, 132-144; 49
— a religiosis eadem servanda, 592 19
Clerus indigena, in missionibus formandus, 305 52
Coemeterium religiosis proprium, 1208. 69
Cognatio spiritualis in baptismo contracta, 768 28
Communio: hora, locus, ritus ad eam distribuendam, 866 sq.; — paschalis, 859; — infirmorum, 848 sq.; — in periculo mortis, 864 . . . . . 28, 29
Commutatio operum ad indulgentias lucrandas, 935 31
Compositio quoad bona ecclesiastica et religiosa usurpata, 250. 51
Concilium oecumenicum, provinciale; synodus dioecesana, 223, 286, 358. Quinam religiosi ad ea vocandi, *ibid.* 50
Concio: normae quibus subiacet facultas concionandi, 1338-1343 73-74
Confessarius (vide s. v. *Iurisdictio*).
— peregrinorum, vagorum, alius ritus, 881; 30
— religiosorum, 518-519; 6
— novitiorum, 566, 891; 14
— familiarium, 875; 30
— in itinere maritimo, 883. 30
Confessio virorum, ubique accipi potest, 910. 31

Confraternitas, quid sit, 707 . . . . . Pag. 56
Congregatio religiosa, eius definitio, 488 3
— de Religiosis, de Propaganda Fide, de Seminariis, 251 sq. 51
— B. Mariae Virginis, de bona Morte, contra blasphemiam, 686 54
Constitutiones contrariae canonibus Codicis abrogantur, 489; 3
— earum annua lectio publica, 509 6
Consultores et procuratores, 516, 517; . . . . . ibid.
— eorum consensus ad alienationes, 534; 9
— ad professionem, 575; ad dimissionem, 655. . . . . 16, 25
Contractus ad normam legum civilium faciendi, 1529. 79
Controversias inter religiones, quis dirimit, 1579 80
Correctio regularium ab Ordinario loci, 616 sq. 22
Cruces in fine Missionum: facultas eas erigendi, *Appendix 2ª* 45
Crucigerorum indulgentiae: Facultas eas imponendi coronis *(ib.)* . . . . . ibid.
Cultus divinus, quomodo ab Ordinario loci pendet, 1259, 1261 71

Debita et obligationes: conditiones ad contrahendum, 534, 536; 9, 10
quis ad contracta debita obligetur, 536 10
Delictum: eius imputabilitas, 2199, 2209, 2218 36
Denuntiatio sollicitationis: obligatio poenitentis, et Confessarii officium, 904. . 31
Dies festi de precepto, 1247; quid praescribitur in eis, 1248, 1249; . . . 33
dispensatio a die festo, 1245 70
Dignitates: Obligationes et iura religiosi ad eas promoti, 626 sq. 22
Dimissio: processus ad in dimissione, 654-668 — ipso facto incurrenda, 646; 24, 25
ratione infirmae sanitatis, 637; 23
Dimissus: eius conditio, 669 sq. 25
Dimissoriae litterae ad ordinationem, 964 995 61-64
Dioecesis amissio per professionem religiosam, 585 18
Dispensatio a lege ecclesiastica, 81; 48
a festis, abstinentia et ieiunio, 1245; 70, 32
ab irregularitate, 990; 63
a poenis, 2236 sq; 82
a voto, 1313; a iureiurando promissorio, 1320; 35
ab impedimentis matrimonii, 1044, 1045; 32
ad petendum debitum, *Appendix 2ª* 45
Doctrina christiana: Praescripta Episcopi quoad eam, 1334, 1336, 1345 . 73, 75
Domicilium et quasi domicilium: quomodo acquiruntur, 92; — amittuntur, 95 —
uxoris, minorum, 93 27
Domus religiosa formata, non formata, 488, 617; 3, 22
eius erectio, immutatio, suppressio, 497 sq.; 4
domus novitiatus, 554; 12
religiosi degentes extra domum, 606, 616 . . . . . 20, 22
Donationes factae ecclesiis religiosorum, 1536 79
Dubium iuris aut facti; quando ecclesia iurisdictionem supplet in, 209 dubio. . 28

Ecclesia novae domus: Licentia Episcopi ad eam erigendam, 497, 1162; . . . 4
eius consecratio, 1155 sq., benedictio, 1156, 1157; violatio, 1172; reconci-

liatio, 1176, 1177; festum consecrationis, 1167; tituli, 1168; loca supra aut subter ecclesiam, 1164. . . . . Pag. 65-67
Bonorum ecclesiae administratio, 1182 (Cf. vocem *Bona ecclesiastica*). Consilium fabricae, 1183 sq. 68
Egressus e religione; quid religiosus repetere potest, 643. 23
Eleemosyna: ius mendicantium quaerendi —, 621; 22
pro pio instituto aut fine quaesita, 1503; 78
pro Missis, 824-844 58
Episcopi iura: Thronum ubique in dioecesi elevandi cum baldahvino, 349; pontificalia exercendi, 337; 53
confirmationem ministrandi, 792; 56
ordinationem celebrandi, 1009; 65
praedicandi in ecclesiis regularium, 1343; 74
taxam stipis manualis Missarum praescribendi, 831; 58
iurisdictionem ad audiendas confessiones dandi, 874; . . . . . ibid.
praescribendi pulsum campanarum, preces, solemnia, 612. 21
licentiam ad concionandum concedendi et examen exigendi, 1338, 1340; . 73, 74
imponendi normas quoad cultum, 1259, 1261; 71
exigendi catechisticam populi institutionem, 1334, 1336 73
aut brevem Evangelii explicationem, 1345; 75
Regularium delicta aut abusus coercendi, 616, 617, etiam poenis, 619 . . 22
Associationes pias erigendi, 686, approbandi (ib.); visitandi, 690; supprimend, 699; 54, 55
transferendi, 719 56
Visitandi res ac loca pia, 344; non autem religiosos exemptos, nec eorum domos aut ecclesias, 344, 615; 53, 22
nisi ecclesias ad aliquos fines, 1261; 71
visitandi scholas, oratoria, etc. Regularium, 1381, 1382; 75
visitandi pia instituta et rationes ab eis exigendi, 1491, 1492; . . . 77, 78
invigilandi in pias fidelium voluntates, easque exsequendi, 1493, 1515, 1516; 78
Controversias de praecedentia dirimendi, 106; controversias inter religiones . 49
aut personas religiosas et saeculares iudicandi, 1579 80
Error, quando actum reddit irritum, 104 48
— communis; in eo Ecclesia supplet iurisdictionem, 209 28
Eucharistia, eius asservatio, 1265 sq.; expositio, 1274; distributio (vide v. *Communio*). Quadraginta horae, 1275 . . . . . 71, 72
Evangelii explicatio diebus festis in Missa, 1345 75
Examen ante ordinationem, 996; 64
quinquennale neo-Sacerdotum, 590; 19
praevium ad concionandi facultatem, 1340 74
Excardinatio a dioecesi per professionem perpetuam, 115 49
Exclaustratio, 638-642 23
Excommunicationes: Elenchus omnium excommunicationum latae sententiae *(appendix 1ª)*; 43
Singulae excommunicationes, 2314-2392. — Vide v. *Absolutio* . . . 38, sq.
Exemptio Regularium, 615-617 22

Exercitia spiritualia postulantibus praescripta, 539, 541; . . . . . Pag. 10
— professioni praemittenda, 571; item Ordinationi, 1001; 15, 65
— quotannis peragenda, 595. 19
Extrema Unctio religiosis eorumque familiaribus, 514; 6
— fidelibus in casu necessitatis ministranda, 938, 939; alienatis a sensu, 943;
ritus, unctio renum, pedum, 947 31

Facultates aliquae Nostris concessae *(appendix 2ª)* 45
Familiares, qui sint, 514; quoad viaticum et extremam unctionem (ibid.); . . 6
quoad confessionem, 875; 59
quoad dispensationem ab abstinentia et ieiunio, 1245; 70
quoad sepulturam, 1222 . . . . . ibid.
Festi dies, 1247; obligationes in eis, 1248, 1249; 33
dispensatio a diebus festis, 1245 70
Fidei professio, a quibus emittenda, et quando, 1406. 77
Forum internum, sacramentale, 202, 207 . . . . . 27, 28
Fori privilegium, 120, 614 . . . . . 49, 22
Fugitivus, quis sit, 644; eius obligationes, 645. 24
poenae in eum, 2386. 85
Fundationes piae in ecclesiis regularium, 1550. 80

Horarum supputatio, quoad ieiunium, horas canonicas, Missam, 33 26
Hospitium: Facultas ad aperiendum — necessaria, 497 4

Ignorantia legis, eius effectus, 16 26
Illegitimi sunt irregulares, 984; privilegium Societatis (ibid.) 63
Imagines in ecclesiis: Earum approbatio ab Ordinario loci, 1279; earum benedictio (ibid.) 72
Immunitas clericorum et religiosorum, 121 49
Inadvertentia. Absolutio data per inadvertentiam, 207 28
Indulgentiae, 916-936. Quando ab Ordinario recognoscendae, 919; Visitatio sacelli domestici ad lucrandas indulgentias, 929; 61
facultas Confessarii commutandi opera praescripta, 935; 31
— in articulo mortis, 468 28
Indultum: Quae iudulta a codice non revocantur (4). 46
indulto ab Ordinario loci concesso Regulares fruuntur, 620 22
Instituta pia: Iura Episcopi circa ea, 1491, 1492. . . . . 77, 78
Interdictum: Privilegia Regularium tempore interdicti, 2269-2275. 83
Interdicta clericis et religiosis, 132-144, 592 . . . . . 49, 19
Interpretatio legis (17); privilegii, 68 . . . . . 46, 47
Interstitia ad Ordinationem, 978; Privilegia Societatis (ibid.) 62
Irregularitates ex defectu et ex delicto, 984, 985; dispensatio ab Ordinario, 990; 63
in casibus urgentioribus a confessario, 990; privilegia Societatis (ibid.) . . 32

Jeiunium: Prohibita et permissa lege ieiunii, 1251; — quando servandum, 1252;
a quibus, 1254; facultas dispensandi, 1249 . . . . . 33, 34
Juramenti promissorii dispensatio, 1320 35

Jurisdictio ordinaria et delegata, 196-210; . . . . . Pag. 50
— Quando Ecclesia supplet, 207 et 209. 28
— ad confessiones, ordinaria Superiorum, 873; ab eis delegata, 875; ab Ordinario loci delegata, 874; ad religiosarum confessiones, 876. Examen requisitum ante delegationem, 877; circumscripta, 878; — revocatio, 880; quoad peregrinos et vagos, 881; in itinere maritimo, 883. . . . . 58 60

Lapis primarius ecclesiae: eius benedictio, 1163 66
Largitiones religiosis licitae, 537; 10
ex bonis ecclesiasticis permissae, 1535 79
Legatus apostolicus: eius iura, 269.
Leges Ecclesiae: Normae generales circa —, 9-24; a Codice abrogatae, 6; liturgicae, 2; leges dubiae, 15 et 23; legis ignorantia, 16; interpretatio, 17; revocatio, 22, 23; leges particulares, an revocentur nova lege generali, 22. 46, 47
Quibus legibus peregrini et vagi tenentur, 14 26
Legis dispensatio, 81, 84. 27
Libri: Facultas etiam laicis necessaria ad edendos aliquos libros, 1385; . . . 35
religiosis ad quoscumque edendos necessaria, 1386, 1392. 76
— prohibiti ipso iure, 1399; 35
facultas eos legendi, 1401, 1402 76
— a supremo Religionis Moderatore prohibiti, 1395 . . . . . ibid.
Litterae: Libertas mittendi litteras ad Superiores et ad S. Sedem, 611 . . . 21
— testimoniales ad vitam religiosam, 544; 11
ad ordinationem, 993, 994, 995 . . . . . 63, 65
— dimissoriae ad ordinationem, 960, 964 sq. 995. 61
Locationes bonorum immobilium: licentia requisita ad —, 1541 80
Locus originis, 90 27
— sacer: eius consecratio, benedictio, 1154 sq. 65, 66
— reservatus in ecclesia, 1263. 71

Magister Novitiorum: Eius dotes, officium, 559 sq.; 13
nequit audire confessiones Novitiorum, 566, 891; privilegium Societatis, 891. 14, 60
Eius Socius: dotes et officium, 559 13
Maior, minor, pubes, impubes, puer, infans (definitiones), 88. 27
Matrimonium: Canones de matrimonio, 1012-1143 65
Facultas dispensandi ab impedimentis in casibus urgentibus, 1044, 1045 . . 32
Mensis supputatio, 34. 47
Metus: Valor actuum ex metu positorum, 103; eorum rescindibilitas (ibid.). . 27
Ministeria sacra a Religiosis requisita, 608. 21
in ecclesia Religiosorum, 609, 1171, 1191 . . . . . 21, 67, 68
Missa: Admissio Sacerdotis extranei ad Missam celebrandam, 804; Vestis talaris ad celebrandum requisita, 811 57
Hora ad celebrandum, 821; nocte Nativitatis, 821. 57
In altari portatili, 822; in cubiculo infirmi, ex privilegio (ibid.); in oratoriis privatis ex privilegio (ibid.). 57
binatio, 806; stipendium —, 824-844: Ius episcopi taxarum praecipiendi, 831. 58

diebus festis explicatio Evangelii in —, 1345 . . . . . Pag. 75
Obligatio audiendi Missam diebus festis, 1248; ubi ei satisfit, 1249 . . 33, 71
Missionarii: Eorum dependentia a Vicariis Apostolicis, 295 sq., 303, 307 . 51, 52
Mora extra domum religiosis interdicta, 606. 20

Notarii a Superioribus maioribus constitui possunt, 503; eorum officium et auctoritas, 373, 374. 5
Novitii: Eorum Confessarii, 566; privilegia, 567; informatio, 565; . . . 14, 15
exemptio, 615; magister (vide v. *Magister*). 22
Novitiatus: Qui admitti nequeunt ad novitiatum, 542, 2411; 10, 85
Litterae testimoniales exhibendae a candidatis, 544, 545; — initium, 553; prorogatio, 571; 11, 12, 15
interruptio, 556; conditiones ad validitatem —, 555; pro diversis classibus sociorum diversus requiritur, 558. Domus novitiatus, 554 . . . . . 12, 13

Officium: Renuntiatio officii, 189; privatio, 192 50
— divinum: eius commutatio a Superioribus Societatis, *ad c.* 81. 48
Oracula vivae vocis: Eorum vis, 79 . . . . . ibid.
Oratorium publicum, semipublicum, privatum, 1188; iura quibus reguntur, 1191-1196 . . . . . 68, 69
Facultas celebrandi in oratoriis privatis ex privilegio, 822 57
Ordinarius Religiosorum, 198 50
Ordinatio, 960-1011. Dimissoriae ad ordinationem, 960, 964 sq. 995; litterae testimoniales, 993 sq.; studia et examina praevia, 976, 996, 997; Episcopus ordinationis, 965, 2410; interstitia, 978; privilegium Societatis (ibid.); titulus —, 982. Irregularitas, 984, 985; impedimenta, 987; dispensatio ab eis, 990; publica ordinantium denuntiatio, 998; exercitia spiritualia praemittenda, 1001; tempus ordinationis, privilegium extra tempora, 1006; notitia Ordinationis parocho baptismi transmittenda, 1011 61-65
Ordo religiosus: Definitio, 488 3

Paroeciae religiosae, 1425, 1427, 472 . . . . . 77, 54
parochus religiosus et vicarius parochialis, 451-486; eorum praesentatio et institutio, 456, 471, 1425; remotio, 454, 471; 53, 77
obligationes, 630, 631. 23
Patrinus baptismi, 762-769; cognatio spiritualis cum baptizato, 768 28
Paupertas religiosa quoad bona temporalia, 580, 581, 582, 584 . . . 17, 18
Peregrinus, quis est, 91; quibus legibus tenetur, 14. . . . . 27, 26
Persona moralis, 99; quomodo constituitur, 100; extinguitur, 102 48
Piae fidelium voluntates: Vigilantia et iura Ordinarii quoad eas, 1493, 1515 . 78
Piae uniones: quid sunt, 707; ubi erigi possunt, 712; earum translatio, 719; functiones in earum oratoriis permissae, 716, 717. 56
Pietatis exercitia in ecclesiis subsunt Ordinarii loci auctoritati, 1259 . . . 71
Poenae a codice abrogatae, 6; 46
latae et ferendae sententiae, 2223, 2232, 2237 82
vindicativae, 2290. 37

Poenae in singula delicta, 2314-2414. . . . . Pag. 38 sq.
quomodo infligendae, 2214, 2219 . . . . . 81, 82
Quae a poena excusant, 2218; quae ab observatione poenae, 2232, 2290. 82, 37
dispensatio a poena, 2236, 2237 82
Postulatus ff. Conversorum, 539, sq. 10
Potestas dominativa Superiorum, 501 5
Praecedentia inter religiosos et cum clero saeculari, 491 3
ius Episcopi controversias de — dirimendi, 106; aut diiudicandi, 1579 . 19, 80
Praecepta: Quando cessant, 24 4
Praedicatio: Normae quibus subiacet facultas praedicandi, 1338-1343 . . 73-75
Praefectus apostolicus; Eius iura, 295 sq. 5
Praelati regulares, quinam sint, 110 4
Praescriptio bonorum ecclesiasticorum, religiosorum, 1511 7
Preces ab Ordinario loci praescriptae, 612 2
Privilegia: Quaenam post editum codicem remanent, 4, 613, 614; . . . 46, 2
eorum communicatio, 64, 613; interpretatio, 67, 68; revocatio, 71; extinctio 73;
— localia, 75; oretenus concessa, 79. . . . . 47, 4
Processiones, 1291, sq. 7
Processus ad dimissionem religiosi, 654-668 2
de foro competenti 1556-1568; contra religiosos exemptos, 1557; inter religiosas personas, 1579. 8
Procuratores, generalis, provincialis, domûs, 516, 517 6
Professio fidei: A quibus et quando emittenda, 1406 7
Professio religiosa, 572-586 15-1
Provinciae novae erectio; existentium immutatio, 494 3
Pueri ante septennium completum legibus ecclesiae non tenentur, 12 2

Quadraginta horae, ubi celebrandae, 1275 7
Quaestuatio mendicantibus permissa, 621. 2

Ratio conscientiae, 530. 8
Rector ecclesiae religiosus; eius nominatio, 480; remotio, 486 5
Regulae et Constitutiones per codicem abrogatae, 489 3
Religio, religiosus, regularis (definitiones), 488 3
— religiosorum obbligationes cum clericis communes 592 sq. 1
Renuntiatio bonorum, quando a religioso facienda, 581; 1
— beneficiis, 568; — officio, 189. . . . . 15, 5
Rescripta, 36-62; eorum revocatio, 60 4
Reservatio peccatorum a Superiore religioso, 896; 6
Absolutio a reservatis in Religione, 518, 519. . . . . 6, 7
— a reservatis Episcopo, 899, 900; privilegium Societatis (ibid.) 6
Unicus casus R. Pontifici reservatus, 894 3

Sacramentalia, 1144-1153 6
Saecularizatio, 638-642. 2
Sanctum Officium: Causae reservatae —, 501 7

Scapularia: Facultas ea imponendi in concursu populi, *Appendix 2ª* . Pag. 45
Scholae: Licentia requisita ad eas aperiendas, 497. 4
earum dependentia ab Ordinario loci, 1381, 1382 75
— acatholicae et neutrae non frequentandae, 1374. 35
Sepultura ecclesiastica, 1203-1242 ; — religiosorum, 1221, 1224 ; famulorum, 1221; novitiorum (ibid.) ; alumnorum, 1222 ; Saecularium in ecclesia aut coemeterio religiosorum, 1225 ; ius sepeliendi, ad quem pertinet, 1223; portio paroecialis, 1236, 1237 69-70
Sodalitia, eorum definitio, 707 56
— B. M. V. ; Bonae Mortis ; contra blasphemiam, *nota ad* 686 (cf. vocem *associatio*) 54
Sollicitatio : Obligatio denuntiandi, 904 ; munus confessarii (ibid.). 31
poenae contra sollicitantes, 2367, 2368 41-42
Sponsalitia: Requisita ad validitatem, 1017 32
Stipendium Missarum, 824-844. 58
Studiorum ratio in religionibus clericalibus, 587-589. 18
Supellex sacra: Facultas eam benedicendi, 1304 ; codicis et patenae consecratio quando amittitur, 1305 ; cura et lotio purificatoriorum, pallarum, corporalum, 1306 73
Superiores, eorum potestas in subditos, 501 5
causis S. Officii ne se intromittant (ibid.). Conditiones requisitae ut quis possit esse Superior, 504. . . . . , ibid.
— Maiores qui sint, 488 ; visitatio annua domorum, 511, 513. . . . . 3, 6
— Minores seu locales ; duratio regiminis, 505 ; 5
eorum aliquae obligationes, 508, 509 6
Suspensio: Quinam ex iure eam incurrunt, 2366 41
Fugitivus a Religione, suspensionem ipso facto incurrit, 2386 42
— ex informata conscientia, 2186, 2187. 2193. 81
Synodus dioecesana: Religiosi ad eam vocandi, 358; obligatio eidem assistendi, 359; privilegium Societatis (ibid.) 50

Temporis supputatio, 31-35 47
Tertius Ordo; Religiosi ad nullum Tertium Ordinem pertinere possunt, 704 . 25
Testimonia a candidatis ad Religionem exhibenda, 544, 545. 11
— a Superiore de ordinando colligenda, 960, 993, 995 . . . . . 61, 64
Tituli ad latorem: Qua ratione mutari possunt, 1539 79
Tonsura: Quando quis ad eam promoveri potest, 976. 62
Transitus ad aliam Religionem, 632 23
Tributum pro Seminario : ius Episcopi imponendi —, 1355 ; Qui solvere debeant, 1356. 75

Ultimae voluntates in favorem Ecclesiae, 1515, sq. 78
Universitates omnes dependent a S. Congr. de Seminariis et Universitatibus, 256; 51
earum statuta a S. Sede probanda, 1376. 75

Vagi, qui sunt, 91; quibus legibus subiacent, 14; eorum parochus et Ordinarius, 94; . . . . . Pag. 26, 27
— Eorum confessiones quis audire potest, 881 30
Viaticum suis subditis ac familiaribus Superior religiosus ministrat, 514; . . 6
in casu necessitatis fidelibus quicumque Sacerdos ministrat, 848, 850; . . 28
pluries ministrari potest in eodem mortis periculo, 864; recipiendum etiam ab iis qui mane communicaverint, 864 29
Vicarii apostolici: Eorum auctoritas et iura, 295, 296, 297 51
Vicarius parochialis, quis sit, 471; — religiosus, 630, 631 . . . . . 53, 23
Vicarius cooperator, 476. 54
Visitatio episcopalis: personae, res, loca visitationi obnoxia, 344, 1491; . . 53, 77
paterne facienda, 345.
— annua a Superiore maiore religioso facienda, 511, 513 6
Vita communis: Poenae in religiosos eam non servantes, 2389 85
Vota privata Sedi Apostolicae reservata, 1309; eorum irritatio a Superiore, 1312; dispensatio, 1313; privilegia Societatis (ibid.); 34
suspensio per professionem religiosam, 1315. 73
Vota religionis: Actus eis contrarii, an invalidi, 579 17

409

060.18
F494 55989
Iuris Regularis /
E. Fine

STORAGE GTU BASEMENT

060.18 55989
F494
Iuris Regularis /
E. Fine

Graduate Theological Union Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA. 94709